














ANNALES
CAMALDULENSES
TOMUS SEPTIMUS.

ANNALES
CAMALDULENSES
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI ABBATE
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS SEPTIMUS

Complectens res gestas ab anno Christi M.CCCC.XXXI. ad annum M.D.XV.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM, quæ APPENDICEM constituunt.



VENETIIS, MDCCLXII.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud JO. BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

AMPLISSIMO. PRÆSULI

FERDINANDO· ROMUALDO
G U I C C I O L O

VIRO. ANTIQUAE. VIRTUTIS

EX. ABBATE. MONASTERII. CLASSENSIS

ORDINIS. SANCTI. BENEDICTI

CONGREGATIONIS. CAMALDULENSIS

ARCHIEPISCOPO. RAVENNAE

ET. PRINCIPI.

Johannes-benedictus Mittarelli Abbas, & Anselmus Costadoni Presbyteri & Monachi Camaldulenses.



Um primum ad scribendam Camaldulensem Historiam animum adjunximus, Illustrissime & Reverendissime Princeps, ut eam e tenebris, in quibus diu jacuerat, eriperemus, consilium nobis fuit singula rerum nostrarum volumina, quæ sen-

ſim, Deo juvante, emitterentur in lucem, eorum inſcribere & conſecrare nomini, qui jus & partem in eamdem Hiſtoriam ſibi vindicarent. Neque enim committendum arbitrabamur, ut dum Familiæ Camaldulenſis initia & progreſſus, tum omnia ornamentorum genera, quibus omni tempore cumulata eſt, percenſere, atque in oculis omnium conſtituere niteremur, illorum memoriam ſilentio prætermitteremus, qui vel olim ad eam ornandam augendamque maximum adjumentum attuliſſent, vel nunc etiam eamdem patrocinio ſuo foveant & complectantur. Quapropter obſcurum minime nobis eſſe poterat, Præſul ampliſſime, certiſſimum hoc officii debitum Tibi quoque multis de cauſſis a nobis eſſe perſolvendum. Quod ſi illud in hunc uſque diem dilatum eſt, id unice in cauſſa extitit, quod ab externis incipiendum videretur, ut facilior deinde ad domeſticas laudes nobis aditus pateret. Poſtquam autem cæteris, quantum per nos licuit, ſatisfecimus, ad Te ſtatim cogitationem mentemque convertimus, Tibique propterea ſeptimum hoc Annalium noſtrorum volumen offerendum dicandumque decrevimus. Quamquam, ſi vera tacere nolumus, non exigua hæc ſolum vigiliarum noſtrarum pars, ſed quidquid hactenus in publicum exiit, vel deinde lucem aſpiciet, Tibi uni potiſſimum deberi fatendum eſt. Nam ſi Patriam, in qua genitus es, vel Cœnobium, in quo ſacræ militiæ nomen dediſti, vel demum Metropolitanam Eccleſiam, ad quam regendam certiſſimo Dei nutu es aſſumptus, reſpicere velimus, nihil eſt ſane in univerſo opere noſtro, quod ſingulari quadam ratione ad Te pertinere, tuumque eſſe clare non agnoſcamus. Ravennam florentiſſimam olim potentiſſimamque Italiæ Urbem, nunc etiam antiquitate in primis nobilem, totque Civium ſuorum gloria illuſtrem, eam eſſe omnes norunt, quæ decimo ineunte ſeculo ad commune totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum ex nobiliſſimo Ducum genere edidit D. Patriarcham noſtrum Romualdum; eadem eſt, quæ non multo poſt B. Petrum Damianum protulit alterum Congregationis noſtræ ſplendidiſſimum lumen, tum ſequentibus ſeculis innumeros alios egregios pietate & doctrina viros, qui inter Cœnobii, vel ſolitudinis receſſus magnam apud noſtros celebritatis famam ſibi compararunt, quorum præclaræ res geſtæ majorem nobilioremque hujus Hiſtoriæ partem occupant. Te autem eamdem non modo cum ipſis patriam ſortitum eſſe, ſed etiam ab iiſdem omnia ſplendoris & gloriæ monumenta ad Te hæreditario quodam jure perveniſſe vere affirmare poſſe videmur. Ex ea namque Familia prodiiſti, quæ antiquitate, honoribus, ditionibus, atque equeſtris ordinis inſignibus ſpectatiſſima ſemper fuit, quæque ab ultima temporum memoria cum Principibus civitatis ſanguine conjuncta ſplendorem non tam accepiſſe, quam aliis attuliſſe viſa eſt. Hinc in patriæ monumentis tot majorum tuorum nomina paſſim occurrunt, qui generis nobilitatem omnibus & belli, & pacis artibus, rebus gerendis, graviſſimiſque muneribus ſuſtinendis ſplendidiorem reddidere. Nec ullum ſane tempus fuit, quo Domus tua præclaris hujuſmodi Viris non abundaverit; ita ut hæc etiam noſtra ætas, qua Te unum ad patriæ decus, tuorumque ornamentum in lucem editum eſſe ſatis ſuperque videri poterat, alterum tulerit quam ſimillimum Tui, Alexandrum nempe Germanum Fratrem natu majorem, quem honorificentiſſimis apud Portugalliæ & Hiſpaniarum reges pro Romana ſede difficillimis tempo-

ribus

ribus perfunctum muneribus, atque ex Carpentoracti regimine redeuntem tuis ipse manibus non multis ab hinc annis in Ariminensem Episcopum consecrasti, quique deinde ad suam Ecclesiam profectus, dum verbo & exemplo tamquam optimus Pastor gregem suum pasceret, intempestive decessit, magnumque sui desiderium reliquit. Eorum omnium singulares laudes, quoniam in longum nimis nos adducerent sermonem, si eas vel leviter attingere in animo esset, hic prorsus omittendas ducimus. Silentio tamen prætermittere non possumus, quod ad rem nostram attinet, Apollinarem Gregorii proavi tui, & Catharinæ Lupatellæ Filium, qui in ipso juventutis flore ad eremiticæ vitæ genus a Deo vocatus, prompto atque alacri animo ad sacram Eremum nostram convolavit, ubi multis auctus honoribus, atque adeo suprema præfectura, quam sanctissime gessit, cum vix ætatis suæ annum quinquagesimum attigisset, in summa vitæ integritate, morumque innocentia placide in Domino quievit anno post Christum natum 1658., cujus res gestas atque elogium fusius suo loco referemus.

Monasterium præterea Classense vel sola nominis celebritate illustre, verum pretiosissimis beati Christi Martyris Apollinaris exuviis longe illustrius illud esse minime ignoras, quod olim Romualdum ad se confugientem peramanter excepit, in quo deinde monastico indutus schemate brevi in omni virtutum genere, supra quam credibile sit, excellere ita cœpit, ut jam tum de monastica disciplina restituenda, atque amplificanda cogitasse dubitandum non sit. Neque Te insuper latet eumdem multis post annis ex Catriæ recessu Beatissimi Apollinaris imperio ad idem monasterium remigrasse, ac quinquennio post communibus Monachorum suffragiis, Ottone III. in primis approbante, in Abbatem assumptum fuisse, quo in munere quantum pro regulæ puritate conservanda, atque sanctioris disciplinæ observantia promovenda elaboraverit, pluribus hic eloqui necesse non est. In eo autem monasterio Tu quoque Romualdi vestigiis alacrius insistens, & monastico instituto studiosissime addictus veræ solidæque pietatis fundamenta tanta celeritate posuisti, ut in ipsa novitiorum palæstra non tyro, sed veteranus miles habereris & esses: tum vero excellenti quo eras ingenio a natura instructus, & optimarum artium studio, in quod Te totum abdideras, brevi temporis intervallo eos percepisti uberrimos fructus, ut omnium honorum gradus ante tempus, ante ætatem fueris merito consecutus. Quare Philosophiæ primum, tum sacræ Theologiæ principia atque institutiones magna auditorum frequentia publice summa cum laude tradidisti. Deinde cum Te ad grandia quæque natum factumque esse quisque agnosceret, totius domus rerumque monasterii procuratio Tibi demandata est, in qua ita omnium expectationem superasti, ut qui eo tempore supremum in Congregatione nostra magistratum gerebant, Te quamprimum in Abbatem electum ad ejusdem monasterii regimen destinatum omnino voluerint. In quo quidem regimine quamquam a Te plura gesta sint, quæ monasterio honori atque emolumento essent, Tibique aditum ad majorem quamlibet dignitatem consequendam aperirent, una tamen potissimum cogitatio ac cura animo tuo alte insedit, de qua nobis erit paulo inferius dicendum.

Tandem Archiepiscopali illi Sedi, quæ post Romanam Petri Cathedram inter Occidentales Ecclesias principatum tenet, magno civium

tuo-

tuorum bono jamdiu praees, ex qua in universum Ordinem nostrum tot tantaque commoda profecta sunt, ut ea verbis enarrare, aut mente complecti nulla ratione possimus. Nam ex quo primum Gualterius Archiepiscopus, quem ad æternam sui nominis memoriam hic nominamus, Divi Apollinaris Templum cum adjecto Monasterio & suis latifundiis custodiendum; venerabile etiam Sancti Martyris Corpus ibidem quiescens sacris frequentandum obsequiis tradidit in perpetuum Azoni Priori Generali, suisque Camaldulensibus, ejus deinceps successores omnes tanto studio ac benevolentia Classenses Monachos prosecuti sunt, remque omnem Camaldulensem tantis muneribus augere & ornare studuerunt, ut in conferendis beneficiis nullum unquam fecisse finem videantur.

Hæc sane omnia, inclyte Princeps, quæ modo commemoravimus, amplissimum æternumque Tibi obsequii officiique nostri monumentum decernunt. Verum si attentius perpendantur, ejusmodi sunt, ut aliis etiam communia esse possint. Quapropter ea nunc percensere lubet, quæ Tibi uni conveniunt, atque ita tua sunt, ut nulla ex parte cum alio quopiam communicare possis. Atque hic suavissimo sane lætitiæ sensu animus completur, dum in memoriam revocamus iteratam Beati Apollinaris visionem, qua Romualdum adolescentem, cum adhuc de eligendo statu suspensas haberet rationes, mirum in modum excitavit, confirmavitque, ut paternis opibus quamprimum abdicatis, monasticum institutum amplecteretur. Tunc scilicet inter omnes Divi Patriarchæ nostri Filios, quos longo ordine, neque interrupta serie ex ipso tamquam ex fœcunda radice futuros optime noverat, Te unum potissimum veluti natu maximum respiciebat Beatissimus Martyr, Teque eum fore gestiebat, qui Ecclesiæ suæ Ravennatis, quam proprio sanguine fundatam singulari amore complectitur, ac firmissima tutela defendit, vetustissimum sanctissimumque Templum Ursianum magno opere a fundamentis instaurari cœptum absolveres, eoque absoluto, animatam etiam Ecclesiam, dilectissimum nempe sibi Clerum, populumque in ea fidei puritate, quam ab Apostolorum Principe acceptam ipse docuerat, optimis constitutis legibus renovares atque stabilires; insuper vero augustam Ædem in suum honorem ab Argentario olim exstructam, sed vetustate atque injuria temporum squallentem, incursione etiam Barbarorum direptam, antiquo splendori restitueres. Quæ duæ res ante alias charissimæ illi atque optabilissimæ, quam recte, quamque merito fidei tuæ commendatæ atque concreditæ fuerint, eventus postea mirifice comprobavit. Cum namque immortalis memoriæ Benedictus XIV. P. O. M. Te invitum, multisque obluctantem & repugnantem ex monasterio eductum, & motione divini Numinis, ipsius Pontificis ore manifestata, in Lycopolitanum primo Episcopum consecrasset, deinde ad sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Cathedram evexisset, omne tuum studium, cura omnis ac diligentia in eo statim eluxit, ut ingentia opera a Farsetto Decessore tuo inchoata ad optatum exitum perduceres, Templum cum omnibus ornamentis suis magnificentissime restitutum consecrares: ædiculam Sanctissimæ Virginis Deiparæ singulari opera, summoque artificio perfectam dedicares: principem aram in honorem Patronorum urbis, quorum reliquiæ ibi conditæ quiescunt, marmore atque auro undique fulgentem excitares: reliquas aras Christo in primis resurgenti, Apollinari, Romualdo, Petro Damiani, cæterisque Tutelaribus Sanctis dicatas pari magnificentia con-

strue-


strueres: atrium amplitudine sua spectabile Templo adjiceres: pavimentum partim musivo, partim tessellato opere sterneres, unoque verbo Ursianam Ædem cultu splendidiorem redderes, quam unquam antea fuisset. In ejus vero consecratione, quæ in diem XIII. *Aprilis anno* 1749. *incidit, magis etiam magisque pastoralis solicitudo tua emicuit, cum Diœcesana synodo per tres continuos dies indicta, in ipsa ea omnia sancienda curasti, quæ ad fidei integritatem servandam, ad morum sanctitatem, & ecclesiasticæ disciplinæ observantiam vel confirmandam, vel restituendam accommodatissima fore intelligebas. Quæ Synodi sanctiones cum ab omnibus summis laudibus celebrarentur, gravissimo etiam præfati Benedicti XIV. judicio laudari meruerunt.*

Jam vero quid dicemus de singulari studio, quo jam multo antea Te totum ad suburbanum Divi Apollinaris Templum instaurandum reficiendumque converteras? Defuncto enim Classensi Abbate Petro Canneto V. Cl. ac de republica literaria optime merito, cum Tu in ejus locum successisses, quamvis monasterium eo tempore adversis casibus affligaretur, ipse tamen nullis neque laboribus, neque sumptibus parcendum judicasti, donec tanto operi, quod perficere destinaveras, supremam manum imponeres: ea enim ratione fore etiam sperabas, neque tua Te fefellit opinio, ut facilius monasterii res in commodiorem locum adducerentur, atque adeo ad pristinum statum revocarentur. Itaque cum multa, quæ ad ejus Templi instaurationem pertinebant, a Galaminio Abbate, Te impensissime promovente & vastum opus urgente, vel parata solum, vel etiam perfecta fuissent, ipse reliqua omnia, quæ desiderabantur, sic addidisti, eoque brevi rem perducere curasti, ut sacra illa Ædes egregii operis admirandam antiquitatem dignitatemque præseferret; atque tum cæteros omnes, tum vero maxime Benedictum XIV. P. M., cum ad eam se contulisset, ut eximiæ devotioni suæ erga beatissimum totius Æmiliæ ac Flaminiæ Apostolum faceret satis, in sui raperet admirationem; id quod Tibi particulam eidem ex sacris ejus ossibus humillime offerenti amplissimis verbis testatum reliquit. Tua tamen pietas erga B. Antistitem hos fines prætergrediens majora in dies moliebatur, atque aeris insalubritatem ob aquarum stagnantium copiam, quæ late eam regionem, in qua Templum situm est, inundat, ac totidem veluti cœnosas paludes conficit, quæ vix æstu exsiccari possunt, auferre cogitaveras, ut eo pacto & concivium tuorum incolumitati prospiceres, & cultum erga sanctissimum Martyrem propagares. Verum ad graviora munia in Congregatione nostra sustinenda evocatus hanc curam deponere debuisti. Deus tamen Opt. Max. tam pia vota animo concepta Te superstite ad optatum finem perduci voluit. Siquidem Lotharius Franciscus Ursius, qui nunc maxima cum laude Monasterio Classensi præest, eodem quo Tu ipse animo, eodemque studio erga Divum Apollinarem incensus, tum ut monasterii utilitati consuleret, Clemente in primis XIII. P. M. benignissime annuente, Ignatio autem Cribellio S.R.E. Cardinale & Æmiliæ Legato auspice, ad novi Fluminis dexteram cataractas aquis emittendis idoneas, grandi quidem impensa, sed incredibili animi magnitudine & constantia Augusto proxime elapso perficiendas curavit, a quibus omnia prospere ac feliciter eventura speramus. Quid porro sibi velint, quæ hactenus raptim attigimus, unicuique facile constare potest

Præ-

Præsul amplissime: Beatissimum nempe Apollinarem a Seculi vanitatibus educere, atque in monastici instituti proposito Romualdum adolescentem confirmare voluisse, ut Tu multis post seculis ejus familiæ adscriptus ea omnia præstare posses, quæ re ipsa a Te in honorem Martyris Sanctissimi cumulate gesta sunt. Haud injuria igitur initio diximus, quidquid ad Romualdi atque Camaldulensem historiam spectat, quam adornandam suscepimus, id ad Te singulari quadam ratione pertinere.

Esset hic locus de reliquis animi tui dotibus dicendi; qui quidem locus latissimus nobis pateret, si virtutes tuas omnes, quas mente recolimus, verbis prædicare nobis propositum esset: Excellens nimirum in omni doctrinæ genere ingenium, prudentiam incomparabilem, eximiam pietatem, effusam in pauperes beneficentiam, plenam sanctamque in amplissima dignitate Monastici cultus observantiam: præterea in Ecclesiæ tuæ juribus defendendis præstantissimam animi constantiam, ita ut mirari subeat hominem natura lenissimum tanta tam longo tempore sustinere voluisse, ut ne muneri deesse suo videretur. Una tamen excellentissima virtus, in qua celebranda numquam sane nos deficeret oratio, est modestia illa tua plane singularis, qua quo magis latere studes, eo amplius Te omnes suspiciunt atque admirantur, eaque in reliquas omnes animi tui dotes sic manat ac funditur, ut maximam ex ipsa lucem & ornamentum accipiant. At hæc ipsa eximia virtus ea est, quæ in hoc orationis genere nobis silentium omnino indicit. Itaque ut ad nos revertamur, Te etiam atque etiam obsecramus, Illustrissime ac Reverendissime Princeps, ut hoc historiæ nostræ volumen benigno vultu excipias, & scias Tibi illud dicatum consecratumque nos velle in memoriam obsequii nostri nullo unquam tempore delendam.


Monasterium Classis Ravennae.

BREVIARIUM
TOMI SEPTIMI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER SEXAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 1431. ad annum 1433.

LIBER SEXAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 1434. ad annum 1436.

LIBER SEXAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1437. ad annum 1440.

LIBER SEXAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 1441. ad annum 1451.

LIBER SEXAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 1452. ad annum 1461.

LIBER SEXAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1462. ad annum 1476.

chae-

LIBER SEXAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1477. ad annum 1487.

LIBER SEXAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 1488. ad annum 1500.

LIBER SEXAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 1501. ad annum 1510.

LIBER SEPTUAGESIMUS.

Ab anno Christi 1511. ad annum 1514.

XIV.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI

LIBER SEXAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi M.CCCC.XXXI. *ad annum* M.CCCC.XXXIV.

Ann. Chr. 1431.

I. Epistolæ Ambrosii ad hunc annum spectantes.



OBIERAT die vigesima februarii hujus anni Romanus pontifex Martinus V. congregatique S. R. E. cardinales elegerant die tertia martii in ejus successorem Gabrielem Condulmerium Venetum Gregorii XII. nepotem, cardinalem sancti Clementis, vulgo dictum Senensem ab ea ecclesia, quam aliquanto tempore rexerat, & protectorem tunc ordinis Camaldulensis, familiaritate & caritate junctum cum Ambrosio monacho Camaldulense sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, qui nomen in pontificatu sibi fecerat Eugenii IV. Vix Florentiam nuntius allatus fuerat ejus electionis, statim Ambrosius epistolam dedit scriptam die decima maji [a], qua sanctissimo patri christianam humilitatem in summo honoris fastigio retinendam proponit, orbemque universum docet, qua infidelitatis labe expiandum, quo pacis studio, morumque castigatione componendum, cum firma fiducia divini auxilii. Admonet, qua ratione clerum, religiososque ordines, christianos omnes reformare queat. Libros divi Bernardi *de Consideratione* inscriptos muneris loco quam primum missurum pollicetur. Demum Camaldulensem ordinem, & Florentinum præsertim cœnobium sanctæ Mariæ-angelorum, in quo nomen ipse Ambrosius dederat, commendat, ac in eo religionem jam centum & triginta-quinque annis integram & inviolatam servatam affirmat. Tot enim anni excurrunt ab anno 1296. quo figi possunt perfecta ædificia ejus monasterii. Berengarium etiam ad calcem epistolæ Hispanum abbatem, juvenem quidem, sed bene religiosum commendat.

Eadem die Leonardo Justiniano Veneto patricio scribit Ambrosius lætissimo se nuntio mirifice affectum, [b] *quo civem vestrum summæ reverentiæ*

[a] *Lib. I. ep. I.*

[b] *Lib. VI. ep. XXXVII.*

ANN. CHR. 1431.

virum Gabrielem assumptum pontificem Romanum percepimus; magnaque suborta est spes fore, ut non modo Italia a bellis, quibus jam diu vexatur, conquiescat, verum omnia vertantur in melius, & in antiquam sanctitatem redeant universa. Ceterum occupatissimum ipsum Leonardum scit Reipublicæ maximis gravissimisque negotiis. Paulum Venerium abbatem sancti Michaelis de Muriano gravi morbo detineri subdit se comperiisse, *cujus obitus magno religioni nostræ detrimento esset.* Marcum fratrem, Laurentium fratrem alterum, Bernardumque filium Leonardi valere jubet.

a Lib. VIII. ep. XXXVI.

Spectat ad idem tempus Ambrosii epistola ad Nicolaum [a], qua *magno consensu omnium, magnoque cum gaudio, mirabili celeritate contra omnium spem scribit dominum cardinalem Senensem electum fuisse Romanum pontificem, atque Eugenium IV. appellatum; ad quem nuntium maximam urbs Florentina lætitiam ostendit, sperat enim fore, ut a strepitu bellorum, quibus diutissime vexata est, per hujus benevolentiam & providentiam, quam eximiam in se experta est, conquiescat. Quid plura? Boni omnes mirifice gratulantur huic potissimum ecclesiæ permissa esse gubernacula, qui unus omnium justissimus & castissimus sit. Electam esse honorificam legationem; sex enim cives præstantissimi gratulatum pergunt: equites duo, Laurentius Rodulphus & Pallas Strozzius; jurisconsulti duo, Julianus Davanzatus, & Zenobius Guasconus; cives alii duo, Rodulphus Piruccius, & Laurentius noster, qui omnes propediem profecturi sunt.* In eadem epistola arguit Nicolaum, quod, ex quo profectus fuit, nullas aut certe raras sibi literas dederit. Theophrasto transcribendo se minorem operam dedisse ex adjecto sibi kalendis januarii onere (subprioratus scilicet) *ut non modo scribere id opus, sed ne legere quidem vel parum quiete posset; sed quod ipse nequibat, curasse, ut Paulus noster optimus ac dulcissimus* (medicus nimirum) *pro reliqua sua diligentia exequeretur, qui jam cœpit opus in membranis ipsius Nicolai, prosequiturque egregie; ipse vero transcriptum emendabit.* Restituisse se Thomæ Sarzanensi duo volumina, & præcipue Hilarium super psalmos, non expectato consensu Nicolai, quia ille ea reddenda monasterio Pomposiano responderat, amicumque fidelem, per quem hæc & alia beneficia præstabantur, scribit non fuisse exarcerbandum. Cunctabundum se ob difficultatem summam operis, sed plurimorum precibus exoratum instituisse traducere Dionysium, ac post Nicolai profectionem totum, quod ceperat, omittendo, de novo Dionysium ipsum Latinum facere incepisse. Absolvisse versionem de cœlesti hierarchia, magnamque partem ecclesiasticæ traduxisse; ostendisse ipsam versionem Thomæ Sarzanensi, non ut hic blanditiis deliniret caput suum, sed ut libere de ea judicaret; & conqueritur de Nicolao, qui secus sentire de se videbatur; quod quam recte faceret de monacho & de amico, qui trigesimum jam annum in Dei opere exegit, ipse viderit. Quoad opera Dionysii, ipsa expostulaverat circa hæc tempora ab Ambrosio cardinalis Jordanus Ursinus; excusaverat versionis suæ imperfectionem Ambrosius; purgationem autem Ambrosii admisit cardinalis respondens, unico se tractum desiderio visendi ejus opera Dionysium expetiisse, ipsiusque humanitatem sollicitasse. Ceterum se habere Geographiam Ptolomæi magno labore magnaque impensa jampridem ex Gallia adductam, ingentis ponderis & voluminis informis atque incompositi, quod transferri de loco in locum ægre potest. Quare per perpetuam amicitiam & fidem precatur Ambrosium, ne adstringatur ad Ptolomæum mittendum; quinimmo monet & orat, ut Romam se conferat ad visendas reliquias Urbis; quo tempore & Geographiæ, & ceterarum rerum suarum copiam faciet. Interim mittit ad ipsum munusculi loco instrumenta

ANN. CHR. 1431.

menta passionis Dominicæ eburneo osse mirabili atque subtilissimo artificio sculpta, parvæque nucis testa clausa. Ex Urbe die XX. maji [a]. Ptolomæum vidit apud Ursinum Romæ anno sequenti Ambrosius, de quo profert judicium in epistola XLII. [ad Nicolaum Nicolium. Prosequitur vero in superiori epistola idem Ambrosius ad Nicolaum diligentia cardinalis sancti Angeli (Juliani Cæsarini) se habuisse Græcam vitam Gregorii Nazianzeni, quæ erat in illo Cincii volumine, quod ex Crypta - ferrata acceperat, duosque quaterniones cardinalem ad se misisse solutos ex eo volumine; quam vitam Latinam facere ipsa novitas persuasit, ipsique cardinali dedicare, quia amantissimus sui, ejusque studio ad se ea vita pervenerat. Laudat, quod Nicolaus indices prolixos dederit cardinalibus (nimirum eidem cardinali sancti Angeli, qui in Germaniam, & Nicolao Albergatto cardinali sanctæ Crucis, qui in Gallias legati pontificii proficiscebantur) esse enim eos humanissimos & studiosos. Misisse se dudum Fantino Dandulo ejus volumina, a quo certior factus fuerat, ipsum ea recepisse. Impensum horum voluminum, quod volebat ex se scire Fantinus, admonuerat, ut requireret ab ipso Nicolao, qui tunc temporis Fantino erat vicinior. Libellum Hieronymi Contareni jampridem absolutum esse ac venustissime ornatum, sed ob Michaelis bibliopolæ negligentiam citius non missum. Scripsisse se de Plauti comœdiis & de Tertulliani opusculis, ex notitia Thomæ Sarzanensis, cardinali Ursino, sed nihil profecisse. Non miretur Nicolaus, quod epistolæ Poggii (Hieronymianus codex scilicet Poggii) ad numerum LXX. pertingant; sunt enim in ejus codice insertæ plurimæ, quæ Hieronymi non sunt. Philonis volumen, quod Philelphi erat, in jus suum concessisse; nam cum ille sæpissime se obtunderet, contra morem suum impudentem esse voluisse, petiisseque, ut sibi illud dono daret. Se bene valere & suos. Carolo Marsuppino interdum frui suavissime, quem nescit, an consentiat Romam proficisci Laurentii comes. Salutat Benvenutam, omnesque de Cosmi familia.

Die VII. aprilis [b] Eugenio summo pontifici misit Ambrosius promissos Bernardi *de Consideratione* libellos. Laudat Eugenium, qui prima spiritualis militiæ susceperit rudimenta, & aliam quam monachorum vitam institutumque non tenuerit. Alludit nimirum, quod ex monasterio sancti Georgii de Alga Venetiarum, cujus congregationis canonicorum cum Antonio Corrario patruele fundator fuerat, assumptus fuisset a patruo Gregorio XII. Romano pontifice ad seculi strepitus & ad ecclesiæ honores. Commendat ipsi pontifici iterato suum monasterium Angelorum, & Florentinam civitatem ejus amori deditissimam. Post decem dies [c], XVII. scilicet aprilis pontificatus sui anno primo apud sanctum Petrum sub anulo capitum principum apostolorum Eugenius libros ad se ab Ambrosio missos hilari animo, & fortasse supra modum cupidiore, acceptos perinde gratos sibi fuisse testatur, ac Eugenio III. prædecessori suo a Bernardo sancto extitere, gratiasque refert ejus caritati pro ipsius monitis, ornatisque sententiis, seque ipsum & universalem ecclesiam commendat ejus quotidianis orationibus.

His acceptis Romani pontificis literis Ambrosius kalendis maji [d] humilitatem Eugenii deprædicat, & laudibus extollit; in eos vero invehitur, qui sacrilego ausu tantum pontificem armis impetere moliti fuerant; *auditum quippe & illud apud nos est, quod auctores sceleris, ministri Satanæ, adversus dominum meum & Christum Dei arma movere impia temeritate præsumpserint*. Columnenses domini scilicet asportaverant thesaurum a Martino V. papa collectum, aliaque pretiosiora, quæ spectabant ad pa-

a Lib. XXIV. ep. IV.

b Lib. I. ep. II.

c Lib. XXIV. ep. I.

d Lib. I. ep. III.

Ann. Chr. 1431.

latium apostolicum; quare Eugenius thesaurarium Ottonem, & episcopum Tiburtinum camerarios olim Martini, aliosque ministros detinuerat. Re comperta cardinalis Prosper Columna, non petita summi pontificis licentia, Urbe est egressus, Antonius vero Columna Salerni princeps & Stephanus cum pluribus armatis Urbem ingressi mense aprili tumultum excitarunt, sed cum nullus ipsis adjungeretur, eoque tempore plures præsto essent Eugenio, ejectus fuit ex Urbe Stephanus, resque tandem inter pontificem & Columnenses composita est mense septembri. Petit deinde Ambrosius a Romano pontifice maximum munus, quod sic exponit. *Inventæ sunt nuperrime in monasterio sancti Martini de Pino Arretinæ diœcesis, juxta altare sacratissimæ reliquiæ sanctorum Mauri & Vitalis martyrum in capsa marmorea cum antiquissimis literis. Monasterium ipsum in alpibus ferme desolatum est, nulloque congruo honore frequentantur cœlestes margaritæ, jacentque abjectæ. Ejus ministerium gerit abbas, Paulus nomine, jam senior Florentiæ juxta monasterium nostrum remoratur devotissimus noster, ipse nobiscum pariter cupit sacrosancta pignora transferri ad nos in ecclesia nostra honorifice collocanda, ubi fidelis populi celeberrima devotione concursuque frequententur. Ad id nos quanto studio & amore rapiamur, facilius animo tuo erit existimare, quam mihi præscribere. Veretur abbas ipse rusticorum offensam, qui terras ipsius monasterii colunt, cupitque necessitatem sibi indici hujus peragendi negotii. Nobis item illo quidem assentiente & volente tutum non esset absque auctoritate tua suscipere sacras venerandasque reliquias. Itaque supplices de apostolatu domini nostri postulamus, ut dignetur sanctitas tua literas ad illum scribere, quibus illi imperet, ut ipsas reliquias nobis tradat, in ecclesia nostra, ut dixi, condendas reverentissime, nobisque permittat sancta levare corpora, atque ad nostrum transferre monasterium, jungendas reliquiis sanctorum martyrum Prothi & Hiacynthi ac Nemesii, pariterque honorandas.* Revolutus pariter jam erat annus, ex quo, cum in minoribus esset Eugenius, expostulaverat ab Ambrosio regestum epistolarum sancti Gregorii M. sibi conscribi; quod libentissime se facturum promittit. Commendat tertio ipsi civitatem Florentinam in duas parium virium factiones divisam, quas jungere precatur.

Secunda maji [a] postulat ab Angelo Acciajolio salvum-conductum pro Bartholomæo de Viarana familiaritate & consanguinitate sibi juncto, ob bella, quæ grassabantur in Faventino agro.

Tertia junii [b] gratulatur Sebastiano Dardano abbati Camalduli-Florentini, quod diutius peregrinatus, & a suo monasterio ob pestis timorem remotus, ubicumque hospes fuerit, receptus sit cum omni humanitate, præsertim a Francisco Sandello abbate Carcerum, minus tamen in iis regionibus, quas mare alluit, nimirum in urbe Venetiarum; quod mirum, subdit, non est, ubi minus fortasse notus erat, minus ipsum humanitatis expertum. Non venisse sibi in mentem scribere ad civitatis principes ac totius humanitatis condimenta, Barbaris puta, Justinianis ceterisque patriciis Venetis Ambrosii amantissimis. In liberalitatem Francisci Sandelli totus effunditur, & etiam Antonii Ferro abbatis Vangaticiensis, qui Sandelli humanitatem æmulatus fuerat. De cetero civitatem Florentinam peste clementer satis hactenus agitari, sed motum majoris vastitatis corda civium concutere, nullum tamen linquere patrium solum.

Vigesima-tertia junii [c] Nicolao iterum literas dat super novi papæ Eugenii IV. creatione, illiusque egregia fide & voluntate integerrima. Se ad ipsum amantissimum monasterii sui transmisisse Bernardi libellos, quibus receptis, ille ad se dederit literas benevolentiæ & humanitatis plenas.

Caro-

a Lib. V. ep. XXV.

b Lib. XVII. ep. VIII.

c Lib. VIII. ep. XXXVII.

Carolum suavissimum suum, Arretinum nimirum e familia Marsuppina, cum rediret Roma, mirifice exultasse in laudes pontificis. Laurentium pariter Mediceum humanissimum nuperrime ex Urbe regressum attulisse secum Plautinum illud volumen vetustissimum, nec non & Tertulliani volumen ingens, in quo XXVII. illius libri continentur novis & barbaris literis, parumque emendatis, vitio potius librarii, quam exemplaris, quod dabit ipse (Ambrosius) operam, ut emendetur & transcribatur. Utrumque volumen magna arte & solertia Laurentium sumpsisse ex cardinale Jordano Ursino. Esse autem in Tertulliani codice hæc opuscula. De carne Christi librum I. de carnis resurrectione I. de corona militis I. de martyrio I. de pœnitentia I. de virginibus velandis I. de habitu muliebri I. de cultu fœminarum I. ad uxorem II. de persecutione I. ad Scapulam I. de exhortatione castitatis I. de monogamia I. de pallio I. de patientia Dei I. adversus Praxeam I. adversus Valentinianum I. adversus Marcionem libros V. magnos, adversus Judæos prolixum librum, adversus omnes hæreses I. de præscriptionibus hæreticorum I. adversus Hermogenem I. Ardens esse Tertulliani ingenium, loquendi genus parum facile. Alia tria Græca & sacra volumina secum detulisse eumdem Laurentium, in quorum uno sermones plurimi & varii Chrysostomi & Basilii, in reliquis duobus Sanctorum vitæ, gesta & virtutes, & vita sancti Johannis-chrysostomi a Palladio episcopo & socio communionis illius per modum dialogi scripta, quam Latinam facere ardet animus; Athanasii item cum aliis plurimis gesta. Exultasse se scribit, quod Laurentii ejusdem Medicei uxor enixa fuerit puerum, quam salutat. Nedum se recepisse eremum ad exemplum pictam, quam Nicolai literis admonitus dederat Antonio Pino; se orasse Gasparem amicum communem, ut restituendam curaret. Paulum medicum Theophrastum fere absolvisse, seque curam suscepturum opus emendandi. Benvenutam fidelissimam feminam, Petrum & Johannem Cosmi filios salvere jubet. Addit Tertulliani Ursinianum volumen duas fere decades Titi-livii magnitudine exæquare.

Octavo julii [a] eidem Nicolao scribit sperasse se civitatem excultam disciplinis per Guarini diuturnam illic moram humanitatis amicam in primis futuram. Facile loquitur de Veneta urbe, de qua conquestus fuerat Nicolaus. Expectare se XIV. Agellii libros ultimos a Nicolao diligentissime transcriptos & emendatos, quibus inseret arbitrio ejus Græcas literas. Exiliisse se præ lætitia, cum legeret in Nicolai literis Pastoris librum ab illo repertum & transcriptum, cujus nullam superesse mentionem suspicabatur; sed audito postea gravissimo ejusdem Nicolai judicio refrixisse ardorem illum. Libentissime se lecturum Asterii episcopi libellum ad Renatum monachum. Laudat, quod Nicolaus transcripserit Asconium Pædianum, Cornelii Celsi fragmenta, & Lactantium de Ira Dei & de Opificio hominis. Defluit deinde in laudes ipsius Nicolai. *Quis tuum Nicolae*, inquit, *studium, quis ardorem incredibilem animi, fervoremque illum nunquam senescentem digne laudare atque admirari posset? Tu sepultam fere humanitatem excitasti, tu sopita hominum corda ad hæc honestissima studia prior evigilare fecisti, juventutemque proclivem in vitia, ut sese e cœnoso voluptatum gurgite ad hoc placidissimum doctrinæ litus reciperet, vi ignitæ adhortationis effecisti. Tu pulvere & situ obsita veterum monumenta in lucem reduxisti diligentia singulari, ut tibi & celebris eorum memoria & præsens ætas, & futura posteritas plurimum debeat. Sed enim laudes tuas prosequi institutum non est. Facient illud excellentiora ingenia, eritque procul a vitio assentationis verax de te & de tua virtute testimonium.* Et aliquanto supe-

[a] Lib. VIII. ep. II.

ANN. CHR. 1431.

ſuperius dolens Nicolaum, ut par erat, non exceptum Venetiis: *Capio*, inquit, *in hac moleſtia nonnihil voluptatis, quod ea ipſa ſolitudo tua fructuoſa & perutilis ſtudioſis omnibus fuit; neque enim tu id otii, quod datum eſt, perire per ſocordiam & ignaviam paſſus es; verum impendiſti neceſſariis rebus, commodiſque noſtris conſuluiſti.* Florentinam deinde urbem, juxta Nicolai judicium, clariorem, amicioremque humanitatis omnium eſſe confirmat. Grata fuiſſe ſibi ait, quæ Nicolaus ſcripſerat de Victorino Feltrenſi viro optimo & eruditiſſimo, cujus etiam opera habiturus erat (Ambroſius) librarium Græcum. Laudat iterum Nicolaum, quod indicem voluminum inquirendorum dederit Juliano Cæſarino, & Nicolao Albergato cardinalibus Germaniam & Galliam peragraturis. Confidit in ingenio prompto & excito Lucii adoleſcentis, cum quo tranſeunte loquutus fuerat, & ſimiliter Thomæ Sarzanenſis, qui ſtimulos addent cardinalibus; ii enim erant in comitatu ipſorum. Denuo gratulatur cum Laurentio & cum Zinebra ejus uxore, quod Deus puerum illis dederit. Scribit, aliis literis ſuis ſe jam rationem reddidiſſe de Plauti & Tertulliani codicibus, quos Laurentius ſuſtulerat de manibus injuſtiſſimi poſſeſſoris: (ægre enim cardinalis Urſinus poſſeſſor eos doctis viris commodare volebat.) Libellum Hieronymi Contareni recepiſſe a ſe Antonium Contarenum ejus cognatum legationis munere apud Florentinos fungentem. Abbatem Podibonitienſem (Jacobum) non epiſcopum factum fuiſſe, ſed mutaſſe monaſterium, ut ex Coſmo didicerat. Belli notitias, utpote Nicolao notiſſimas, negligit. Ex quo idem Coſmus decem-viratu diſceſſit, deteriore in loco res eſſe reipublicæ, qui dum magiſtratu fungebatur, gratiſſimus fuit civibus, nil præponens patriæ, ne ſalutem quidem ſuam, animi generoſus, vigilans; *& utinam tales cives haberemus plures!* Salutat dulces Coſmi filios; demum Nicolai reditum ardentiſſime concupiſcit.

Verterat olim Ambroſius de Græco in Latinum vitas ſanctorum Patrum, quod opus octavo idus auguſti [a] ad Eugenium IV. Romanum pontificem mittit, *& ſi non grave dignumque ſanctiſſimo & graviſſimi judicii viro, novitate tamen ſua aliquid voluptatis allaturum, in quo vertendo ipſi cura fuerat prima, ut ſimplicitatem Græcæ dictionis ſervaret Latina translatio. Quod opus, ſi auctoritate tua*, ſubdit, *fuerit confirmatum, legendum edetur, cum adhuc prima ſchedula intra ſcrinia deliteſcat.*

Undecima auguſti [b] Nicolao ſignificat gaudium ſuum, eo quod brevi tempore ingens vetuſtorum monumentorum numerus Florentiam ſit deferendus. Videtur hæc monumentorum collectio facta a Poggio. Et licet ſe, (Ambroſium) modice depreſſerit Jacobus theologus familiaris antiquus ejus collectoris, dicens ingenium illius eſſe, ut ingentia polliceatur, pauciora exhibeat, non credit tamen collectorem tam ſpecioſa mendacia velle venditare, quem ſemper bonum virum credidit. Ea die ad ſe profectum eſſe Julianum Beninum Roma redeuntem, qui dixerit ſe a Poggio rogatum ſcripſiſſe ad principem militiæ religioniſque ſuæ Rhodum, ut inquiri faceret, ubinam moratus eſt monachus quidam vita functus, cujus intra parietes domeſticos mille ſigna tum lapidea, tum marmorea antiqui operis condita ſint; ita enim ſibi ſcriptum ab amico hoc noſtro, ſcilicet Poggio. De libris vero nullam factam mentionem. Percontatus eſt etiam Ambroſius a Benino, quid de Gratiano Hiſpano actum eſſet? quem dixit vita functum Rhodi præterita peſte. Gratiſſime accepiſſe ſe a Nicolao aſſerit Ambroſius, quæ de Juliano noſtro ſummo viro ſcripſerat, hoc eſt de cardinale Cæſarino, cujus jampridem nota ſibi erat integritas antiquis conferenda; *magnam ſibi & certam eſſe ſpem maxima hunc virum patraturum, ſi vi-*

[a] *Lib. XXIII. ep. II.*

[b] *Lib. VIII. ep. XXXVIII.*

si vixerit; est enim vehementer pius, & inter paucissimos prudentia mirabilis, Deoque ex corde subditus ac supplex, a quo semitæ illius dirigantur. De Tertulliano transcribendo satisfaceret Ambrosius Nicolai votis, si per occupationes liceret, quæ ad animarum curam & ad vigilantiam servandæ disciplinæ regularis spectabant; erat enim monasterii subprior.

ANN. CHR. 1431.

Marcello Strozzio scribit Ambrosius die XXV. augusti [a], ejus auctoritate precibusque impetraturus immunitatem ab omnium vectigalium ecclesiasticorum & laicorum solutione pro Angelorum monasterio a pontifice suopte ingenio ad misericordiam & clementiam prono, eidem insuper cœnobio multum propitio. Sexaginta tunc numero monachi erant in monasterio Angelorum. Eidem gratias agit die VI. octobris [b] certior factus de ipsius opera adhibita pro ea immunitate impetranda, cujus obtentum tamen prohibuit infirmitas pontificis Eugenii. Intermedio tempore [c] scripsit & ad Alexium quemdam, percontatus, an Strozzius verba fecisset pontifici pro hujusmodi exemptione. Marcellus Strozzius commemoratur & commendatur in epistolis Leonardi Arretini haud infrequenter.

a *Lib. V. ep. XXVII.*

b *Lib. V. ep. XXVIII.*

c *Lib. V. ep. XXIX.*

Eugenius Fantinum Dandulum Venetum patricium in Romanæ ecclesiæ protonotarium creaverat. De ipsius promotione exultaverat Ambrosius literis datis ad Leonardum Justinianum. Hic vero ex Venetiis [d] XV. septembris rescribens Ambrosio gratulatur quidem de Fantini exaltatione, immo de spe ipsum fore propediem ad summum gradum sublimandum; *licet*, inquit, *hujusmodi cives superesse potius, quam huic reipublicæ ademptos cuperem.*

d *Lib. XXIV. ep. XX.*

Undecima octobris [e] aliis literis idem Justinianus Ambrosio commendat Thomam Pontanum lepido ingenio juvenem perdiscendarum Græcarum literarum causa Florentiam proficiscentem, cujus virtutem Bernardus Justinianus filius suus, quocum plurimum Thomas hic est familiaritate, consuetudineque devinctus, Ambrosio notam facit.

e *Lib. XXIV. ep. XXI.*

II. Magnum Ambrosii nomen in urbe Florentiæ.

DUM in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum commorabatur Ambrosius, (triginta autem duobus annis commoratus est) doctorum virorum omnium amicitia fruebatur, qui ad ipsum confluebant, de qua hæc incondita, sed simplici veracique stylo in Ambrosii vita habet Vespasianus: *Quanti Uomini degni aveva la Città in questo tempo, radi dì era, che non andassino a visitare frate Ambrosio, che nel tempo suo Fiorenze fioriva di Uomini degni; Nicholajo Niccoli, Cosimo de Medici, Lorenzo suo fratello, messer Carlo d' Arezzo, messer Giannozzo Manetti, Maestro Pagolo, ser Filippo di ser Ugulino radi dì era, che non vi fussino* &c. Et paulo infra: *Gli spassi di Cosimo de Medici e di Lorenzo, di Nicholajo Niccoli, di Maestro Pagolo, e di ser Filippo di ser Ugulino erano andare ogni dì agli Angioli a starsi con frate Ambrogio, & il simile vi andavano molti cittadini da bene & literati, che haveva quell' età, & sempre vi si ragionava di cose degne, & da questo seguitò, che quella età ebbe molti huomini singolari* &c. Præterea: *Venne in tanta fama e riputazione sì per la santità della vita congiunta colla dottrina, che in Firenze non veniva persona di condizione, che non andasse agli Angeli a visitarlo, perche nollo avendo fatto, non gli pareva aver veduto nulla. Era di statura molto umile, di apparenza era picciolo di corpo, e nel viso aveva assai buona grazia* &c.

III. Eligitur prior generalis ordinis Camaldulensis.

INTER has occupationes literariaque commercia adsumitur Ambrosius ad supremam religionis Camaldulensis dignitatem. Plurimæ querelæ de Benedicto Lancio Foro-liviensi priore generali ordinis delatæ fuerant ad Eugenium IV. vel eo tempore, quo munere protectoris fungebatur, ut vidimus

Ann. Chr. 1431.

mus anno præterito. Electus Romanus pontifex non minimam eam spernendamque curam arbitratus est; quare Johanni de Cervantes Hispalensi cardinali sancti Petri ad Vincula, in quem transfuderat Camaldulensium monachorum protectionis officium, dedit hoc anno in mandatis, ut coacto eorum ordinis patrum concilio, & causam Benedicti ad examen revocaret, & novum idoneum, si res ita exigeret, pastorem Camaldulensibus daret. Fuse rem narrat ipse Ambrosius in suo Hodœporico, quod ab hujusmodi facto auspicatur, quod quidem in historicis & observatione dignis pene integrum refundimus in nostros Annales hoc & tribus sequentibus annis, monasteriorum quoque ex ipso visitationes, & memorabilia exscribentes, amputatis dumtaxat iis, quæ malignitate temporum hominumque imbecillitate probrosa, silentio consultius obvolvenda arbitramur.

Anno Domini M. CCCC. XXXI. *præsidente apostolicæ sedi Eugenio* IV. *ex imperio & voluntate ipsius pontificis, capitulum generale ordinis Camaldulensis ut celebraretur edictum est in monasterio sanctæ Mariæ de Urano prope Britonorium decima-octava octobris, die videlicet sancti Lucæ evangelistæ. Ad id capitulum congregandum missus est reverendissimus pater dominus Johannes cardinalis sancti Petri ad Vincula protector ordinis, cujus literis repetitis compulsi sumus contra morem monasterii clausuram infringere, & licet inviti ac renitentes ad capitulum mittere; quippe literis apostolicis conventi sumus.* Extat in tabulario sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia [a] breve Eugenii IV. datum die tertia octobris monachis sancti Benedicti extra muros Florentiæ, quo ipsis præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, ut non obstante privilegio clausuræ perpetuæ dirigant unum ex ipsis ad capitulum generale habendum in monasterio Urani, attenta utilitate & necessitate capitulorum; Poggio a secretis ejusdem pontificis. Insuper meminit duplicium literarum datarum cardinali Johanni de Cervantes idem Eugenius pontifex in bulla confirmationis Ambrosii anno sequenti, ad hoc ut cardinalis auctoritate apostolica præesset capitulo, ipsumque dirigeret & ordinaret ac disponeret, absolveret, deponeret generalem priorem, aliumque sufficeret. *Missi sumus ego Ambrosius tunc subprior nostri monasterii, & Silvester dulcissimus socius meus, camerarius noster, cum quo jam triginta annos exegeram in monasterio. Movimus itaque monasterio undecima die octobris vespertinam synaxim agentibus fratribus, ne quid turbationis ex lacrymis illorum & fletibus oriretur. Et ipsa die venimus ad monasterium sancti Salvii, ubi, absente licet abbate, honorifice & plenissima caritate a fratribus suscepti sumus*, ut etiam refert in epistola ad Hieronymum fratrem [b] data die duodecima octobris. *Sequenti die Decumanum, tertia Porticum profecti sumus, una ibi die quievimus. Inde quintadecima profecti ad castrum, quod Carum dicitur, nocte ibi requievimus. Tanta enim fuerat inundatio & tam præceps, ut operiret pontem atque dejiceret. Et cum trajicere pontem datum non esset, ad castrum Carum ea ipsa die remeavimus. Ubique cum honore accepti sumus; pluvia nunquam nos, ex quo monasterio divertimus, deseruit, adeoque invaluit, ut brevissimi rivi instar magnorum fluminum intumescerent, neque tuto transmitti possent, ipsaque itinera in morem torrentium aquis decurrerent. Postera die ad Forum-livii reversi fractum pontem utcumque transivimus, divertimusque ad priorem Camaldulini, a quo gratissime accepti, postridie Britonorium contendimus, die scilicet capituli deputata.* Eadem habet in alia epistola [c] ad eumdem Hieronymum fratrem ex Castro-caro die XVII. octobris. In epistola [d] vero ad Lucam de Maleficis priorem sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia ex Foro-livio die XVIII. ejus mensis pontem semiru-

a Num. 247.

b Lib. XI. ep. I.

c Lib. XI. ep. II.

d Lib. XIV. ep. I.

miruptum Foro-livii se transiisse scribit opera gubernatoris ejusdem civitatis, quem asserit fuisse Æmoniensem episcopum, dudum visitatorem ordinis, nempe Thomam Thomasinum Parutam Venetum civem, ex Prædicatorum ordine.

ANN. CHR. 1431.

Nondum Britonorium pervenerat cardinalis nimia inundatione prohibitus, sed Cæsenæ remoratus erat. Ea tamen ipsa die, postquam adveneramus, & ipse pervenit. Occurrimus illi cum processione, ut moris est, & in ecclesiam usque deduximus. Ibi primum recitatis literis apostolicis, sermoneque peracto XIX. *mensis, & celebratis Missarum sollemniis definitores ipse eligere voluit. Reclamantes quosdam ac submurmurantes, quod contra consuetudinem id fieret, responso rationis pleno compescuit, asserens, licere sibi pontificis agenti vices id exequi: Dicerent, quando cardinalis interfuisset capitulo? & ipse sententia decederet. Electi sunt definitores domnus Benedictus prior generalis ordinis nostri, domnus abbas de Carceribus, eremitæ ambo, videlicet Hieronymus inclusus, & Hieronymus alius, nos ambo Ambrosius & Silvester, & frater Simon subprior monasterii sancti Benedicti, & prior sancti Pauli* (Johannes nimirum Siculus prior sancti Pauli de Urbe) *qui licet tunc nominatus non sit, omnibus tamen interfuit, & in omnibus sententiam dixit, vir sane probatus ac prudens. Ea ipsa die, præsidente domino protectore, tractari ceptum est de reformatione ordinis nostri. Lectæ sunt visitationes monasteriorum, & præter pauca monasteria, sanitas in ordine inventa non est. Quarta vero discussionis die, ubi ad personam domini generalis ventum est, cum plurima illi crimina objicerentur, per quæ minus idoneus decerneretur, immo dignus abrogatione censeretur, tentatum est summa modestia præsidentis, ut sponte officio cederet. Missi ad illum sumus, qui eum de hoc negotio conveniremus, abbas de Carceribus, & ego. Hortantes se modeste verbis impatientiæ plenis repulit, & superbus ac minitans, locum, ubi consederamus, irrupit ipseque pro se respondere maluit. Notavit illius commotionem ex verbis protector, & indignitate rei offensus, graviter in illum invectus est. Decretum postea secretiore consilio fuit, ut custodiæ honestæ traderetur; quod eadem die peractum est. Posthæc processus adversus illum fieri inceptus legitime* XXIII. *mensis. Interea missi ad illum ex nobis vicissim plurimi sæpe hortabantur, ut sponte renuntiaret officio. Persuasum est illi tandem a nobis. Itaque* XXVI. *mensis coram protectore & definitoribus, genibus positis, cum lacrymis absolutionem postulavit. Annuit vix illius precibus cardinalis; nam citari eum ad audiendam sententiam jusserat. Eadem die sententia definitorum secretius explorata, infelix ego Generalis assumptus sum; neque licuit diu reluctari, omnibus instantibus atque impellentibus. Itaque anulo me dominus cardinalis de officio investivit. Ibi mox a prælatis assistentibus juratum in manibus meis de fide & obedientia per eos mihi impendenda. Postea vero quam renuntiaverat domnus Benedictus, quoniam opinio de illo erat, quod expilasset ordinem, magnamque haberet pecuniarum summam, ferme deliberatum est ipsum intra castrum servari, donec redderet rationem totius administrationis suæ. Opposui me misericordia motus, illumque in fide mea suscipiens, ducturum illum Florentiam, facturumque, ut diligenter poneret rationem, pollicitus sum; atque ita evasit injuriam carceris.* Eadem leguntur in epistola II. libri XIV. ex Britonorio XXV. octobris ad Lucam, & in III. lib. XI. ex Britonorio XXVII. ejus mensis ad Hieronymum fratrem, in qua postrema scribit explicari non posse, quanto cum dolore suo avulsum se sentiat ab antiqua monasterii quiete, & præsertim a fratre, & a ceteris dulcissimis fratribus filiis suis. *Non queo*, subdit, *continere lacrymas, dum me inter pericula destitutum vestro dulcissimo solatio sentio.* Audiendus proinde non est,

ANN. CHR. 1431.

est, ut observat in dissertationibus Vossianis celeberrimus Apostolus Zenus[a], auctor Diarii Holandici, qui tomo VII. *bibliotheque raisonee pag.* 154. depositionem Lancii, & Ambrosii electionem tribuit unice hujus ambitioni, quem etiam jure merito redargutum hypocrisis arbitratur a Poggio. Sed an inter hypocritas statuendus sit Ambrosius, satis superque diluetur narratione ejus gestorum.

[a] T. I. pag. 78.

IV. Visitat aliquot monasteria.

VERUM hodœporicon prosequamur: *Recessimus Britonorio* XXVII. *mensis, & iter aggressi venimus Civitellam, inde ad Balneum profecti una illic die remorati sumus. Ibi suscepti a priore loci & monachis obedientiæ exegimus juramentum. Culpatus est ab indigenis prior ipse, gravisque querimonia contra eum exposita; pacatis omnibus, quantum pro tempore licuit, inde digressi sumus trigesima mensis. Ea die Camaldulum venimus ad nostrum monasterium Fontis-boni, magnoque omnium gaudio suscepti, sequentem ibi diem transegimus. Qua die socii itineris nostri Silvester & Simon ad eremum proficiscentes, noctem illam Omnium-Sanctorum officio celebrem illic egerunt, summoque mane redeuntes, mecum illuc denuo profecti sunt. Suscepti sumus cum processione, inextimabili omnium gaudio. Missarumque sollemniis a me celebratis ad capitulum de more perreximus, ibique omnes obedientiam debitam in manibus meis promiserunt kalendis novembris. Qua die, post prandium, ad memoratum monasterium Fontis-boni reversi, obedientiam ab omni illic familia, ut est sollemne, exegimus, nullo non libenter accedente. Fuit quædam ab hominibus de Mojona fidelibus nostris proposita querimonia, sed eam, Deo miserante, paucissimis verbis sedavimus, ita ut omnes nihil cunctantes sese mihi permitterent.*

Sequenti die ad eremum cum sociis redii, Missarum sollemnia celebraturus. Redii Camaldulum ea ipsa die necessario. Sabbato autem, idest tertia mensis, eo ferme redii cum puerulo. Sequuti sunt me postmodum comites itineris nostri, qui in monasterio Fontis-boni pridie, me volente ac jubente remanserant, ut rerum omnium indicem facerent. Permansimus ibi dominico die, cœnavimusque cum patribus eremitis. Postridie, idest quinta mensis, redivimus ad monasterium Fontis-boni. Qua die, quoniam nix erat, veriti, ne per moram transire postea non permitteremur, venimus ad Pratum-vetus. Suscepti sumus a monialibus monasterii sancti Johannis devote, omnesque juramentum obedientiæ sollemne præstiterunt hilariter. Exegimus ab eis, ut in commune viverent, ne ab ingredientibus monasterium puellis pecunia dotis nomine peterent. Indulsimus, ut suscipere puellas, ut erant solitæ, possent, bene consolati inde discessimus, hospitatique sumus in monasterio Poplenæ. Mane autem obedientiam a priore monasterii & a duobus monachis exegimus, quam hilariter & devote promiserunt. Redivimus ad monasterium sancti Johannis, celebratisque Missarum sollemniis & sumpto prandio, abbatissam alloquuti secretius, de sorore Fr. de qua sermo malus exierat, rem diligenter inquisivimus, innocentemque indiciis evidentibus approbavimus, consolatique & illam, & ceteras confirmatas in servitio Dei reliquimus, reversique sumus ad Poplenæ monasterium. Septima vero mensis inde digressi venimus ad monasterium sanctæ Margaritæ, susceptique a priore monasterii cum gaudio, eam noctem ibi transegimus. Juraverat in manibus meis ipse prior in monasterio sanctæ Mariæ de Urano cum reliquis, qui interfuere, prælatis, minimeque visum est necessarium obedientiæ juramentum denuo exigere. Inde sequenti die egressi Macillum contendimus, ut ad monasterium sancti Petri de Luco pergeremus. Accepti sumus a propinquo fratris Simonis comitis nostri honorifice in villa, cui Flumen vocabulum est, ubi ea nocte requievimus, & postridie pransimus. Nona mensis ad monasterium sancti Petri die jam advespera-

ANN. CHR. 1431.

rascente pervenimus. Invenimus moniales parum concordes, neque in commune viventes, acceptoque ex more obedientiæ juramento, admonuimus eas, atque ad mutuam hortati caritatem, ut in communi quoque assuescerent vivere, injunximus. Difficile rem diutius insuetatam admiserunt, earum pusillanimitatem blande, quantum licuit, hortati, in crastinum inde discessimus, pervenimusque ad monasterium sancti Benedicti nocturnis imminentibus tenebris. Suscepti a fratribus & priore monasterii plenissimo caritatis officio sumus; mane vero, idest die sancti Martini, cum processione perducti in ecclesiam obedientiam exegimus ex more, promptoque animo singuli hanc exhibuerunt. Celebratis a me Missarum sollemniis (sic enim priori & fratribus placuit) & peracto prandio urbem ingressi, ad nostrum monasterium venimus. Ibi mixtis gaudio lacrymis ab omni congregatione suscepti sumus, atque in ecclesiam cum procesione introducti, obedientiæ sacramentum ab omnibus libenter & grate præstitum est. Non poterant avelli a complexu nostro fratres nostri dulcisimi. Hortati sumus omnes ad persistendum in Dei opere, atque ad perseverandum in monasterio, nutantiaque quorumdam adolescentum corda confirmare curavimus. Dum adhuc essemus in monasterio Fontis-boni, petiit dominus Benedictus, ut illum Florentiam præmitterem. Cunctatus aliquanto tandem, quod poscebat, indulsi, adjectisque comitibus itineris, qui illum caute deducerent, ad monasterium sancti Benedicti misi, mandans, ut illic præstolaretur adventum nostrum. Subdit deinde Ambrosius visitationem monasterii sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, sancti Felicis in Platea, sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone, & sanctæ Mariæ de Querceto, calculum insuper initum cum Benedicto olim priore generali, hujusque pervicaciam; quæ libenter omittimus, ne nimis in longum narratio excrescat. Immorans Florentiæ se contulit ad domum Cosmi atque Laurentii fratrum exoratus ab eorum matre, dulcemque pusionem Laurentii exosculatus, sermonem cum iis amicissimis viris diu protraxit, fidelia ab illis consilia flagitans. Cum Parente claro adolescente nobilis Florentinæ familiæ Florentia relicta iterum ad monasterium sanctæ Margaritæ, tum Pratum-vetus, Pupium demum contendit; sermonemque habuit ad multum temporis cum Francisco comite, delectatus prudentia & dulci amicoque colloquio tanti viri; ex quo loco sexta decembris ad monasterium Fontis-boni remeavit.

V. Aliæ ipsius epistolæ.

HÆC omnia lumen accipiunt ab epistolis, quas ad Lucam Angelorum priorem misit [a], quibus se Camaldulum, & post loci initam possessionem Florentiam venisse significat, amoris & pietatis in ejus monasterium officia exhibet, deflet amissam quietem; instat, ut Benedictus olim generalis in ejus cœnobium recipiatur, & susceptum se ab eremi Camaldulensis & Fontis-boni ascetis magnæ lætitiæ signis affirmat; ex literis ad Hieronymum fratrem [b], quibus desiderari religiosos mores in cœnobio Camalduli conqueritur, doletque jussa sua circa Benedictum ex-generalem non adimpleta; ex aliis ad Augustinum & Euphrosynum Angelorum monachos [c], paterni amoris affectu redundantibus, ad Jacobum Tornaquincium Angelorum cœnobitam [d], cui gratulatur, quod cum eo actum fuerit meliore sorte, ut in monasterio posset perseverare, quam cum se, qui ad negotia rerumque strepitus evocatus fuerit; ad Franciscum Sandellum Carcerum abbatem [e], cui tironum suorum institutionem commendat; ad Sebastianum abbatem Camalduli-Florentini [f]; ad Dionysium priorem claustralem monasterii sancti Mathiæ de Muriano [g], & demum ad Hieronymum fratrem [h], quocum aperit se sperare, magna in Deum sibi proposita fiducia, labores suos non incassum cessuros. In calce hujus postremæ epistolæ petit a fra-

a *Lib. XIV. epp. III. IV. V.*
b *Lib. XI. epp. IV. V.*
c *Lib. XII. ep. I.*
d *Lib. XIV. ep. XII.*
e *Lib. XX. ep. III.*
f *Lib. XVII. ep. X.*
g *Lib. XXI. ep. I.*
h *Lib. XI. ep. VI.*

ANN. CHR. 1431.

fratre commentariolum, quod de rebus suis conscribere ceperat, ad se mitti; ex quo novimus Ambrosium statim a sua promotione commentaria, sive ut vocat in epistola VIII. ad eumdem, Hodœporicon suum scripsisse. Hæ epistolæ ordine temporis a nobis proferuntur, adjecta dumtaxat brevissima synopsi, cum aliquid singulare non contineant; quod etiam præstabimus de ceteris ejus generis ab Ambrosio scriptis. Vigesima quarta novembris ex Florentia literas dedit etiam ad Leonardum Justinianum [a], certiorem ipsum reddens se ad maximam in ordine suo præfecturam promotum, eique animi sui æstus & anxietates pandit.

Ex eremo, ubi redierat, VIII. idus decembris [b] scribit ad Franciscum abbatem monasterii sanctæ Trinitatis de Monte-herculis, quem ægrum & cœcum in patriam redire, ibique morari sinit, opportunis etiam monitis consolatur. Ea die Matthæo priori Cellæ inter Ambas-paras [c] curam tribuit ejusdem cœnobii sanctæ Trinitatis, onerans, ut præfato Francisco absenti propter ægritudinem subministret quidquid opus fuerit, quo etiam obeunte regimen ejusdem loci obtinebit. Anselmi abbatis sancti Theonesti de Longiano [d] examini subjicit calculum rationum reddendarum a Benedicto olim priore generali. Bartholomæo monacho [e] præcipit, ut ad se accedat intra statutos dies, inobedientemque communione privat. Ipsa demum die [f] opem implorat Francisci comitis Pupii ad exigendas ab ejus ditionis sacerdotibus decimas ex antiquis privilegiis ordinis: *Non ignoro*, inquit, *hoc judicium ad te non esse deferendum, quippe quod ecclesiastico potius judicio sit cognoscendum. Sed cum oborta quæstione fuerit pro nobis a judicibus lata sententia, permissione episcopi vel ejus vicarii, auxilium tuæ pietatis in re nostra poscere possumus.*

a Lib. VI. ep. XXXVII.
b Lib. XXII. ep. I.
c Ibid. ep. II.
d Ibid. ep. III.
e Ibid. ep. IV.
f Lib. V. ep. VIII.

VI. Electio abbatis Agnani.

REDUX ad Fontem-bonum, & ex Fonte-bono profectus Arretium Ambrosius Hieronymo fratri scribit ex monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus [g] VI. idus decembris, & post biduum aliis literis [h] significat mortem abbatis de Agnano, necessariamque suam commorationem Arretii pro eligendo novo præsule. Ea res fusius describitur in Hodœporico. *Repentinus*, inquit, *nuntius allatus est abbatem monasterii de Agnano* (Johannem) *diem obiisse Senis. Placuit nobis Arretium protinus omissis omnibus pergere, nequid oriretur scandalorum, ambitione late in plerisque dominante. Itaque nona mensis summo mane moventes ex monasterio, Arretium die jam advesperascente pervenimus. Offendimus miro cujusdam ambitu rem perturbatam. Deerant ex monachis quatuor, ad quos spectabat electio. Eos dum literis accitos præstolaremur, commovit ille totam ferme civitatem, itaut ipsi quoque gubernatores oppidi ad nos dirigerent nuncios, qui hunc nobis commendarent. Animadvertimus sententias penitus varias, omnesque ferme, duobus exceptis, in illum consentiebant, cujus electio nobis maximo dedecori futura erat, quippe non satis integræ opinionis. Advenerunt tandem nona die, postquam illuc adveneramus, qui evocati fuerant monachi, præventi jam precibus ac promissionibus variis. Eos seorsim allocuti, cum in hominem illum sententia sua pergere conspiceremus, blande allocuti, quod intentio pontificis & nostra esset illic hominem regularis observantiæ abbatem constitui, palam aperuimus, qui monasterium ipsum decore observantiæ religiosæ quivisset instruere. Hoc enim veluti clypeo quodam, preces omnes repuleramus, amicique constantiam fregeramus.* Et paulopost: *Nona-decima ipsius mensis, quarta scilicet feria, celebrata de sancto Spiritu Missa, ingressi sumus omnes sacrarium. Ibi plenissima exhortatione præmissa, legimus capitulum regulæ sancti Benedicti de* Abbatis electione, *aperteque disseruimus, nequis scrupulus oriretur, admonentes intentionis nostræ esse hanc eligendi formam servare, ut & regulæ*

g Lib. XI. ep. VII.
h Ibid. ep. VIII.

tanti

tanti patris, quam professi eramus, & voluntati pontificis obsequeremur, & officii nostri atque honoris rationem haberemus. Nihil enim minus ad nos pertinere negotium electionis, quam ad illos, immo longe maxime nostra interesse, ut domui Dei daretur bonus dispensator, caute prospicere. Illos enim posse in dies mutare monasteria, si vellent; nos, nisi bonus vir eligeretur, perpetuo notandos dedecore. Igitur hominem probatæ vitæ ac famæ & conscientiæ integræ eligerent; alias nos electionem ægre admissuros, quam pontifex nunquam approbaret, qui observantiam regularem ibi vellet institui. Ac ne se ad unum quempiam eligendum compelli quererentur, plurimos illi proposuimus, ut vel ex his, vel ex aliis unum eligerent, quem vellent, regularem dumtaxat virum. Hac nostra ratione conventi differri in vesperam electionem petierunt; id nos libenter annuimus. Advenerat ad nos Jacobi monachi nostri monasterii frater, fasciculum grandem literarum ferens, ipsum fratrem meum mihi commendantium. Legi eas magno cum dolore meo, ipsique Jacobo continuo rescripsi, orans atque obsecrans & obtestans, ne labores diuturnos, quos in monasterio pertulit, irritos vellet, ut famæ atque conscientiæ consuleret suæ, ne cederet malis propinquorum adhortationibus, persisteret in timore Dei, parceret infirmioribus fratribus, qui scandalum ex hac levitate sua paterentur. Non potui illum quoque cum ceteris non appellare, quod ex monachis nonnulli in eum consensissent, eaque vita & virtute est, ut minime improbandus videretur. Sed ita tamen me egi, ut propensior in illum, quam in ceteros notari non possit nostra sententia. Die decima decembris [a] scripserant Ambrosio etiam domini Florentinæ urbis, ut quandoquidem Agnani monasterium munitum erat, optabat communitas, ut præficeretur cœnobio ipse Jacobus, utpote Florentinus. *Celebrata vespertina synaxi, denuo in unum convenimus, præcedente invocatione simplici Spiritus-sancti. Repetita est a nobis prior admonitio, singulatimque discussa sententia omnium secretius, sub testibus tamen priore sancti Clementis & tabellione publico electus est Jacobus frater meus, pronuntiatusque est abbas, absens licet, monasterii sanctæ Mariæ de Agnano. Subsequutæ sunt laudes Dei, magnaque lætitia in populo exorta, omnibus expectantibus monasterii ipsius in melius reformationem. Scriptum est continuo monachorum nomine ad illum cum electione sua publica, oratumque, ut electionem admittere dignaretur. Nos interim gravi onere levati sumus, certi nihil a nobis omissum esse diligentiæ, virumque electum ejus meriti non ignorantes, qui posset satisfacere omnium votis & expectationi nostræ. Quod de illo, postquam electus est, & uberius sensimus, & licentius prædicavimus, nihil metuentes, ne hac prædicatione nostra causam electioni ejus daremus.* Ipse est Jacobus Tornaquincius sanctæ Mariæ Angelorum monachus, qui pluribus annis iisdem studiis addictus vixerat in monasterio cum Ambrosio, *Græce Latineque doctus*, ut scribit Vespasianus in vita ejusdem Ambrosii, & familiaritate junctus cum doctis viris ejus ævi.

[a] *Lib. XXIV. ep. XV.*

Dum Arretii morabatur Ambrosius pro hujusmodi electione celebranda, tum cives plurimi, tum canonici, tum prælati visitationis gratia ad ipsum accesserunt. Die duodecima decembris magnam verborum contentionem habuit cum Hebræo sibi optime cognito. Visitavit ibidem Ambrosius vicarium episcopi, sermonemque cum illo in longum produxit, nonnisi utilia, & religioni necessaria conferendo. Jugiter substitit in monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus, ubi futura erat superior electio; erat enim suffraganeum majoris monasterii sanctæ Mariæ in Agnano, ad quod pergere bellorum fremitus, hostiumque incursus prohibebant. Visitationis munus interea obivit in monasterio monialium sancti Benedicti, in monasterio sancti Michaelis,

ANN. CHR. 1431.

in altero sancti Clementis Arretii, adivit etiam cœnobium sanctarum Floræ & Lucillæ, consolatusque est carissimum & dulcissimum suum Hieronymum; de Alleotis scilicet, qui in eo monasterio nomen dederat ante paucos annos.

Sed ad epistolam redeamus ab Ambrosio ea occasione scriptam ad Hieronymum fratrem; ab eo insuper petit, ut ad se mittat volumen illud precum, quod sibi dono dederat episcopus Corcyrensis; item ut alterum mittat, in quo est vita sancti Johannis Chrysostomi. De Parente etiam suavissimo, comite semper sibi adhærente, mentionem facit, & de Francisco Pupii comite.

VII. Ceteræ hujus anni epistolæ.

a *Lib. XI. ep. IX.*

SEQUENTI epistola [a], XII. die decembris eumdem Hieronymum ex Arretio admonet se literas accepisse a cardinale protectore, & a priore sancti Pauli, ut omnibus posthabitis Romam proficiscatur summum pontificem visitaturus; conveniat itaque ipse Hieronymus Cosmum & Laurentium Mediceos, & quid facto sit opus, consilium flagitet, atque paret necessaria itineri. Ipsa die eidem cardinali [b] scribit, se invitatum ad Apostolorum limina, summumque pontificem invisendum, brevi adfuturum, confessionesque Augustini, ut jusserat, secum deportaturum. Rogat interim, ne Agnaniensi monasterio aliquis immeritus præficiatur; Uranensem quoque abbatiam vacantem de monacho sibi optime caro, zeloque Dei prædito, cui nomen Sepulcrus, provideat. Ipsa die [c] hunc commendat Johanni Siculo priori sancti Pauli de Urbe; spondet in brevi adventum suum Romam. Orat maturari pontificiam confirmationem constitutionum nuper editarum in capitulo Uranensi. Salutem precatur Ludovico Barbo abbati sanctæ Justinæ tunc Romæ degenti.

b *Lib. II. ep. IV.*

c *Lib. IV. ep. III.*

d *Lib. II. ep. III.*

Quinta-decima ejus mensis [d] Johanni de Rupe-scissa cardinali Rotomagensi causam commendat monasterii sancti Johannis de Burgo-sancti-Sepulcri dignitate pene episcopali præfulgentis, ut indulta privilegia docent, quam dignitatem tercentis ferme annis inconcussam tenuit memoratum monasterium, quia semper auctoritati apostolicæ sedis habita fuit reverentia, quam infringere quærebat Sirobaldus Perusinus episcopus Castellanus, qui diutina controversia fatigaverat abbatiam. Orat ergo, *ut quandoquidem ipsi cardinali commissa fuerat causæ decisio, litibus ipse finem imponeret, ac episcopum admoneret, ut contentus foret terminis, quos posuerant patres ejus, nec vellet contra fas omne alienum jus sibi vindicare, atque inde sibi petere auxilium, unde terreri improbitas atque arceri solet.*

e *Lib. XIV. ep. XIII.*

Ea ipsa die [e] Jacobo de Tornaquincis Angelorum monacho, quem ejus parentes, fratres & propinqui literis commendaverant, ut ipsum præficeret monasterio Agnani, respondet epistola, qua ferventissime damnat ambitum, eique suadet quietem, ac a dignitatibus fugam. Idipsum eadem die repetit scribens Hieronymo fratri [f], Jacobum dignissimum asserens, nisi appeteret. Timet ulterius reserare claustra monasterii Angelorum, si hunc exire e cœnobio permittens Agnano præficiat. Petit volumen Chrysostomi contra vituperatores vitæ monasticæ dono dandum pontifici, & librum Confessionum beati Augustini deferendum cardinali protectori. Hunc postremum codicem, quem nupere merat, Gallicis literis habebat frater Hieronymus, quem unice diligebat, ordinis sancti Augustini, una cum quibusdam aliis opusculis ejusdem sancti patris.

f *Lib. XI. ep. X.*

g *Lib. XIV. ep. XIV.*

Decima-octava decembris [g] Jacobum Angelorum monachum, quem antea a regimine ambiendo deterruerat, electum Agnani abbatem hortatur, ut strenue impositum onus suscipiat, cupiens per ipsum reformari antiquissimum ordinis membrum.

h *Lib. XII. ep. II.*

Augustino alteri Angelorum monacho eadem die [h] scribens stimulos addit ad literarum studia, & præsertim Græcarum continuanda.

Ad

Ann. Chr. 1431.

Ad vigesimam-primam decembris [a] pertinet epistola ad Sebastianum Camalduli Florentini abbatem de rebus ordinis; ex Fonte-bono [b] die XXIV. Thomæ priori sanctæ Trinitatis de Perusio committit, ut Jacobum electum abbatem Agnani in possessionem inducat, ipsumque deligit in socium sui itineris Romam versus una cum Eustachio abbate Vallis-castri. Hoc ipsum committit Blasio priori sancti Clementis de Arretio post quinque dies [c], ut una scilicet cum Thoma Jacobo monasterii Agnaniensis possessionem tradat. Pertinet ad hunc postremum diem [d] epistola Bartholomæo monacho, qua ei jubet, ut ad monasterium sanctæ Mariæ in Gradibus se conferat. Die [e] sequenti ex Fonte-bono electionem Jacobi in Agnani abbatem manifestat cardinali protectori, ejusque confirmationem postulat cum electi laude, quem integerrimæ vitæ & utriusque linguæ peritum asserit. Iterum commendat Sepulcrum monachum abbatem dari Uranensibus, laicis & monachis orantibus. Pridie autem kalendas [f] januarii Jacobo abbati scribens urget, ut sui confirmationem expetat ab eodem cardinale. Ea die [g] scribit Paschasio abbati Burgi-sancti Sepulcri, & Eustachio abbati Vallis-castri [h], quem postremum socium sibi constituit in itinere Romano.

Inter cetera, quæ in proximo capitulo generali Britonorii salubriter expedita fuerant & definita, egregius vir Franciscus de Fano præfectus Britonorii cardinali protectori & definitoribus querimoniam proposuerat, quod in monasterio monialium sancti Marci de Foro-livio, cujus ipse erat patronus, quædam aliæ moniales Camaldulenses remorarentur, separatim licet in domo, quam sibi construxerant, nascerenturque idcirco crebro inter illas jurgia, contentionesque muliebres. Oraverat memoratus vir, ut moniales illæ amoverentur ex ipso monasterio, atque in alio ordinis Camaldulensis, videlicet sancti Salvatoris parthenone, collocarentur, sublatis secum omnibus mobilibus suis. Petebant autem moniales illæ, ut secum adsportare liceret ipsius ab se constructæ domus ligna, tegulasque, & quæque auferri inde possent. Ac licet juris esset, ut pensionem domus ipsius monasterii sancti Marci moniales annuam Camaldulensibus monialibus solverent, ob gratiam tamen ejus viri definitum fuerat, ut domum illam monasterio integram liberamque hæ dimitterent, & se ad ordinis aliud monasterium transferrent. Cum itaque instaret vir ille, ut executioni mandaretur ea definitio, & committeretur B.. priori Camalduli de Foro-livio, ideo scribit pridie kalendas januarii [i] ex Fonte-bono Ambrosius eidem priori, eique mandat, ut præfatas moniales dudum monasterii sanctæ Christinæ funditus eversi ac disrupti ad monasterium sancti Salvatoris cum omni suppellectile sua cunctisque mobilibus migrare jubeat, domo integra cum parietibus tectoque derelicta, nolens, licet non ignoret injuriam fieri ordini, contra statuta capituli quidpiam agere. Videatur & epistola scripta ipsi Francisco de Fano [k].

Ea die [l] capitulo & parœcianis monasterii sanctæ Mariæ de Urano respondens datum a se monasterio Uranensi abbatem Sepulcrum affirmat, quem a pontifice maximo & a cardinale protectore confirmatum iri sperat. In eodem versatur argumento scribens Petro de Citerna monacho œconomo ejusdem monasterii [m], quem interim hortatur, ut ejus loci curet negotia, ac priori hospitalis de Rovereto suadeat, quatenus adversus Cæsenatem episcopum libertatem ordinis tueatur.

Plura ex his, quæ enuntiantur in mox allatis epistolis, referuntur in Hodœporico: *Inde*, ex Arretio nimirum, XXI. *mensis decembris, & quidem contradicentibus omnibus iter arripuimus, ut reverteremur ad eremum. Nimbus enim & repentina vis venti futuræ tempestatis erant indices. Verum nos, ut sollemnitatem propinquam in eremo ageremus, maluimus incommoda imbrium*

a Lib. XVII. ep. XI.
b Lib. XVIII. ep. XVII.
c Lib. XVIII. ep. XVIII.
d Lib. XXII. ep. V.
e Lib. II. ep. V.
f Lib. XIV. ep. XV.
g Lib. XVIII. ep. V.
h Lib. XVI. ep. I.
i Lib. XXII. ep. VI.
k Lib. V. ep. XXI.
l Lib. XXII. ep. VII.
m Ibid. ep. VIII.

Ann. Chr. 1431.

brium ac nivium perpeti, quam illic remorari. Egressos portam civitatis nix occupavit, quæ perpetua nobis itineris comes fuit; semper enim in faciem atque in oculos impegit, neque antea destitit, quam Socium veniremus advesperascente jam die. Ipso die devia secuti sumus, nive itinera operiente, duobus ferme millibus passuum prope Socium; ac nisi nos bonus quidam vir prosequutus esset, qui viæ redderet, maxima difficultate ac desperatione pressi fuissemus. Socii in domo habitationis nostræ ea nocte requievimus. Postridie ad monasterium nostrum Fontis-boni perreximus &c. Egimus eam sollemnitatem in eremo cum patribus eremitis, morati illic quatuor dies. Quarto die in celebritate sanctorum Innocentium advenit illuc frater meus Jacobus abbas monasterii de Agnano una cum alio monasterii fratre. Suscepimus affectu præcipuo ipsum fratrem nostrum, hortatique sumus pro tempore, quantum licuit, atque etiam opem contulimus; duos quippe pueros monachos illi in auxilium dedimus. Volebat, ut secum pergerem, immo redirem; rationabiliter contradixi asserens, quod verum erat, necessario me Florentiam vocari. Scripsi tamen patri nostro priori sancti Clementis, ut illum vice nostra in possessionem monasterii induceret, addentes, ut quod a nobis omissum fuerat, implere curaret, ac monachos omnes & prælatos admoneret nostro nomine, uti se a monasteriorum accessu abstinerent sub gravis pœnæ censura. Monachum alium, qui advenerat ex nostro monasterio, acriter corripuimus. Et quoniam inter cetera mandatum mihi erat, ut regularem observantiam in monasterio Fontis-boni constituerem, de consilio eremitarum unum ex eis claustro Fontis-boni præfecimus, duosque monachos ante profectionem nostram habitu sacræ religionis induimus, mandantes ipsi, ut advenientes modeste tractaret, esumque carnium volentibus non denegaret. Idque, ut facilius sponte sua ad observantiam inducerentur. Postridie, cum antea familiam omnem essemus alloquuti, admonentes servare ordines suos, & nimiam, quam ceperant, frænare licentiam, monasterio, spe tamen redeundi, priusquam Romam proficisceremur, digressi sumus, hortantes & publice omnes & seorsum singulos in Dei opere perdurare. Venimus ea die ad Pratum-vetus, ibique abbatissam monasterii nostri & moniales alloquuti atque exhortati, nocte in nostro monasterio Poplenæ quievimus. Inde moventes ad sanctæ Margaritæ monasterium venimus. Advenerat jam ad me, cum adhuc essem in monasterio Fontis boni, dilectissimus nobis Dominicus monachus, quem Dominus item consolationi meæ reservaverat, sponte sua, magna certe cum instantia, comes nostri itineris fieri postulans. Amplexus sum grato animo & plenissimo affectu hominem carissimum, quem mihi & merita sua omnium ore vulgata, & Hieronymi fratris testimonium commendarant. Florentiam postridie venimus ad monasterium nostrum, ibique suscepti magno omnium gaudio sumus secundo nonas januarias. Interea, dum adhuc Arretii essemus, literis & domini protectoris, & prioris sancti Pauli, ut Romam pergere maturaremus, admoniti sumus, nuntium quoque ipsius rei frater nobis optime cognitus attulit, quem monasterio sanctæ Mariæ de Urano præficiendum curavimus, literis illum nostris memorato protectori commendantes. Eidem Romam revertenti literas ad dominum Rotomagensem dedimus, ipsius hortatu, quibus causam Burgensis monasterii cum episcopo Castellano sibi a pontifice judicandam permissam intensius commendaremus. Fratri quoque Hieronymo scripsimus & eremitis ipsis, ut deliberarent, quid facto esset opus in hac profectione nostra Romam, consultis etiam amicis. Ubi vero Florentiam venimus, confirmare curavimus ante omnia fratrum nostrorum infirmorum animos, quos discessione Jacobi nostri & nostra itidem putabamus merito fuisse commotos. Missam & omne officium Epiphaniæ, volentibus & jubentibus fratribus, magna cum sollemnitate

tate celebravimus in nostro monasterio. Per eos dies monasteria in urbe constituta visitavimus affectu debito, abbatesque & monachos, quod prius literis egeramus, oratio quoque nostra & præsentia firmaret curavimus, monentes nostris, immo vero Divinis monitis obsequi, & ea servare sollicite, quæ jusseramus. Adivimus quoque monasterium nostrum sancti Benedicti, plenoque caritatis officio noctem ibi unam duximus, tractantes cum fratribus nostris carissimis, priore ipsius monasterii & subpriore, quæ ad negotia nostra pertinebant, & de reformatione ordinis nostri, & de profectione Romam, & in primis de calculo domni Benedicti venerabilem patrem Sebastianum & priorem ipsum de eremitarum consensu & voluntate ad id negotium inchoandum & prosequendum auctoritate quoque nostra statuimus, egimusque, adveniente illuc abbate Sebastiano, ut rei daretur initium &c. *Alexandri V. mulam, quam dono dederat nobis vir nobis optime carus Johannes Guicciardinus, nobiscum ad id monasterium duximus. Reversi ad nostrum monasterium sumus, & cum Romam pergere mature cuperemus, obstitit nimia inclementia hyemis, aliquotque dies remorari, præter votum nostrum, coacti sumus. Visitavimus Cosmum nostrum aliquantulum valetudinarium, atque ab illo pecunias in itinere necessarias mutuo accepimus. Neque id solum, verum & alias pecunias plurimas nobis mutuavit vir omnium amicissimus & officiosissimus. Collectoribus tamen nostris scripsimus, ut quas exegissent pecunias, super mensam ejus ponerent, ne officio nostro deesse videremur.* Cetera anno sequenti.

ANN. CHR. 1431.

Spectant ad hunc annum nonnullæ aliæ Ambrosii epistolæ nota temporis carentes, ut illa scripta monachis Angelorum [a], se Arretium venisse pro sufficiendo novo abbate; Romam vero petiturus postulat vel monachum, vel conversum eorum cœnobii dari comitem itineris suis; data est mense decembri. Præcedenti mense [b] Franciscum Sandellum Carcerum abbatem creat vicarium in provincia Veneta, sive confirmat jam electum a capitulo Uranensi. Indicat [c] Sebastiano abbati Camalduli-Florentini Lucam monachum jure repelli non posse ab ejus monasterio. Epistola [d] ad Dominicum monachum & ad Facinum alterum monachum [e] agunt de rebus domesticis. Hunc postremum invitat, ut ad invisendum monasterium Angelorum se conferat.

a *Lib. XIV. ep. XXXII.*
b *Lib. XX. ep. II.*
c *Lib. XVII. ep. IX.*
d *Lib. XIV. ep. XXXIII.*
e *Lib. XXII. ep. XXIV. & XXV.*

VIII. Dicat Juliano Cæsarino vitam Gregorii Nazianzeni.

DICAVIT etiam hoc anno [f] Juliano Cæsarino cardinali Ambrosius vitam, de qua superius, Gregorii Nazianzeni a Gregorio presbytero scriptam, & ex Græco a se Latinam factam. Congaudet ejus promotioni ex animo, itaut ecclesiæ Christi magnum putet ex ea decus atque ornamentum accessisse: *Neque enim*, subdit, *tu is es, quem tam honor adjectus incaute elevet, quam oneris sarcina terreat. Agnoscis enim sublimi te in specula celsaque in arce locatum editiore fastigio dignitatis admoneri, nihil terrenum, nihil humile, nihil abjectum sentire vel sapere, sed æterna solum atque immortalia tota animi intentione suspirare* &c. *Ejus itaque vitam ex Græco traductam, nostri ingenioli munus ad te mittendam putavi, quam suscipies, scio, gratissime, & avidissime perleges. Neque enim sum ignarus, quanto ad hæc rapiaris studio, quamque cupias nihil te præterire eorum, quæ sancti viri in vita gessere?* Quoad promotionem Juliani, electus quidem is fuerat anno 1426. a Martino V. S.R.E. cardinalis, sed declaratus tantummodo anno præcedenti.

f *Lib. XXIII. ep. V.*

Dum Benedictus Lancius priorem generalem adhuc ageret, obiit Johannes de Franquillis abbas sancti Apollinaris in Classe, in cujus locum suffecit die septima martii Aloysium a Puteo, qui hactenus rexerat, simulque retinuit monasterium sancti Petri ad Vincula.

IX. Aliquot monasteriorum monumenta.

TERTIO kalendas maji pontificatus sui anno primo Eugenius ponti-

Ann. Chr. 1431.

fex commisit Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano, & plebanis ecclesiarum sancti Johannis-chrysostomi, & sanctorum Apostolorum de Venetiis, ut recuperare satagerent ad petitionem Martini archiepiscopi Corphiensis bona ejus ecclesiæ relicta tempore obitus ipsius prædecessoris bonæ memoriæ Georgii archiepiscopi.

Ipso anno idem pontifex parœcialem sancti Angeli de Apiro ecclesiam univit abbatiæ sancti Urbani de Æsinante, quam unionem motu proprio postea confirmavit Clemens papa octavus, ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

a Fasc. V. Caps. I.

Franciscus Sandellus abbas Carcerum contulit Leonardo de Utino hospitale sancti Danielis de Patavio, quod jam ab anno 1381. adjunctum fuerat monasterio Carcerum a Raymundo episcopo Patavino.

Petro Bojardo episcopatum Ferrariensem libere cedente, exhibitus fuerat ad eumdem episcopatum Antonius Ferro Vangaticiensis abbas, ut legitur in antiquo ms. codice rerum Ferrariensium, in quo nominatur electus ad episcopatum *frater albus Parmensis*. Sed defuncto Martino V. Eugenius IV. ei ecclesiæ præfecit Johannem de Tossignano fratrem ordinis Ingesuatorum sexto kalendas novembris hujus anni. Hinc intelligimus, cur post biennium idem Antonius jurare in manibus Ambrosii prioris generalis renuerit, ne suis juribus videretur officere, eo quod renuntiatus fuisset episcopus ejus ecclesiæ, licet effectu caruerit ejus electio; qua ratione etiam explicandus est Arnoldus Wion, cui Ughellius [b] exprobat Antonii Vangaticiensis abbatis electionem ad ecclesiam Ferrariensem tamquam fabellam, quæ Wioni ex aliorum fide scribenti imposuerit.

b T. II. col. 550.

Ann. Chr. 1432.

X. Ambrosius Romam pergit.

Ex monasterio sanctæ Margaritæ de Tosina Florentiam transiturus respondet Ambrosius die quarta januarii [c] Dionysio priori claustrali sancti Mathiæ de Muriano, docens demandatum sibi supremum ordinis magistratum doloris magis quam gratulationis esse argumentum. Franciscum Sandellum Carcerum abbatem a capitulo Uranensi destinatum fuisse vicarium generalem in Venetorum regionibus; ipsum proinde requirendum, cum negotia ordinis in iis partibus emerserint. Certiorem quoque facit de electione pridem facta abbatis Agnaniensis Jacobi.

c Lib. XXI. ep. II.

Octavo idus januarii [d] erat Florentiæ in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum, ex quo loco literas dedit ad abbatem sancti Michaelis, facile de Arretio, vel de Pisis, quem acri verborum castigatione corripuit.

d Lib. XXII. ep. IX.

Die sequenti [e] ex monasterio sancti Benedicti extra muros Florentiæ similes scripsit Johanni cuidam abbati.

e Lib. XXII. ep. X.

Pridie autem idus decembris [f] ex Florentia Dionysio priori sancti Mathiæ iterato gratulanti de assumptione sua respondet. Die XVI. januarii [g] ex eadem urbe Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano aperit desiderium suum recipiendi ejus literas, exercendique in illum omnia humanitatis officia, simul etiam invisendi ipsius cœnobium, in quo præclara monasticæ vitæ agebatur disciplina, post reditum suum ex Urbe, ad quam properabat. Laudat monasterium sancti Michaelis, quod duce & auctore Venerio ex nihilo ferme in amplissimum servorum Dei domicilium excitatum fuerat.

f Lib. XXI. ep. III.

g Lib. XIX. ep. I.

Sequenti die [h] Franciscum abbatem Carcerum adhortatur, ut vices suas exerceat etiam in iis, quæ ad unionem parthenonis sanctæ Christinæ de Tarvisio cum monasterio sancti Mathiæ de Muriano, pulsis monialibus, spectarent. Nuntiat se crastina die Romam versus iter suscipere. Eodem die [i] vitia increpat abbatis sancti Felicis de Florentia, & Angeli prioris sancti Mathiæ de Muriano [k] datis ad ipsos literis, ut resipiscant, & ad melio-

h Lib. XX. ep. IV.

i Lib. XXII. ep. XI.

k Lib. XXI. ep. X.

meliorem frugem revertantur. Ipsa die [a] Dionysio priori claustrali sancti Mathiæ pollicetur unionem asceterii sanctæ Christinæ, dummodo capitulum Uranense cum altero monasterio ipsum uniendum non decrevisset.

Ann. Chr. 1432.

a Lib. XXI. ep. IV.

Decima-octava januarii [b] Florentia Romam versus contendit Ambrosius, habens comites itineris Eustachium abbatem Vallis-castri, Dominicum monachum, Benedictum cognatum & Parentem clarum adolescentem. Ex Perusio XXIII. januarii [c] iter suum describit Hieronymo fratri. Iterum pridie kalendas februarii [d] eidem reliquum itineris exponit. Ingressum se in Urbem XXVII. mensis, susceptumque cum sociis plenissimo caritatis affectu a fratribus monachis sanctæ Mariæ-novæ (habitabant ibi Mont-olivetenses) Postridie se visitasse pontificem maximum, acceptumque gratissime, qui ei mandavit, ut sexta feria apud eum pransurus rediret, secum futurus in majori otio, cui commendavit interea monasterium Angelorum & benedictionem super monachos. Visitare se cepisse cardinales, a quibus magna caritate suscipitur. Amicos omnes ad se adventare, quos omnes superet Angelus de Monte-politiano. Sequenti epistola [e] pridie nonas februarii circuitionem per Urbem sibi valde molestam aperit eidem Hieronymo fratri; quam tamen molestiam recreat crebra visitatione sacrarum ædium. Quaternionem expetit epistolarum suarum Parentis manu, & alium manu sua breviorem descriptarum, indicem præterea voluminum juris canonici confectum a Michaele monacho, ut protectoris votis fiat satis. Quinto vero idus ejus mensis [f] Hieronymi tarditatem in scribendo carpit, eademque, quæ in superioribus epistolis, repetit. Interea sollicitus de sua Camaldulensi familia III. idus februarii Matthæum camerarium, quem vicarium in Fonte-bono constituerat, negligentem in re œconomica objurgat. Mauri prioris claustralis ejusdem loci [g] asperiorem disciplinam improbat; Gabrielem vero Angelorum monachum [h] instituit ascetica adhortatione, cujus germanum fratrem S.. ac Leonardum Dathum, si apud cardinalem Ursinum esse velint, Romam invitat. Is erat Simon Gabrielis frater ex Landinorum familia, de quibus alibi sermonem instituemus. Ea conditione autem Dathum recipiebat cardinalis Ursinus in officio secretarii, si clericus habitu & honestate fieret. Post plura officia gesta in curia Romana, episcopus Massanus evasit Dathus.

b Lib. XI. ep. XI.

c Lib. XI. ep. XII.

d Lib. XI. ep. XIII.

e Lib. XI. ep. XIV.

f Lib. XVI. ep. VIII.

g Lib. XVI. ep. XVI.

h Lib. XIII. ep. XXII.

Decimo-septimo kalendas martii Hieronymo fratri significat [i], quantum abhorreat animus suus a dignitatibus, immo quanta molestia afficiatur in Urbe remotus a quiete. Constituisse se in Latinam linguam vertere vitam Chrysostomi summo pontifici dicandam, quocum tum mala valetudine affecto, tum occupationibus nimis distento raro colloqui datur. Eadem die [k] Silvestro Angelorum monacho commendat disciplinam servandam in suo cœnobio; Angelum quoque de Monte-politiano juvenem summæ modestiæ & humanitatis Florentiam ad monasterium Angelorum adventurum summa caritate & honore suscipi obsecrat. Sed de Romano Ambrosii itinere ejusque mora in Urbe præstat Hodœporicon legere, in quo nonnulla rariora habentur, *Movimus*, inquit, *Florentia* XV. *kalendas februarias, venimusque prima mansione ad castrum, quod sancti Johannis dicitur, ubi delicatissime hospitio accepti ..... Inde profecti mane, Arretium die jam advesperascente pervenimus. Eam noctem in nostro monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus cum abbate nostro Jacobo duximus. Admonuimus illum inter cetera, ut benevolentiam & gratiam sibi nostri monasterii servare studeret , atque in primis , ut inde neminem sui causa permitteret egredi, quia nos nunquam id pateremur. Expostulare ille mecum primo, tum cedere pergit. Rationes eorum, qui monasterii negotia tractarant, a me*

i Lib. XI. ep. XV.

k Lib. XIV. ep. XVIII.

ANN. CHR. 1432.

approbatas, & quæque a nobis gesta in suo monasterio, ut pro ratis haberet vellet, exegimus amice. Postridie, xx. scilicet mensis applicuit amicissimus noster Bartholomæus de Monte-gonzio dux itineris nostri, suasitque inde ea ipsa die discedere, atque Castellionem proficisci. Obsequuti sumus ejus voluntati. (Bartholomæi de Monte-gonzio commissarii triremio reipublicæ Florentinæ post biennium mentionem facit Scipio Admiratus lib. XX. Tomi II. historiæ Florentinæ.) *Ibi cœnantibus nobis redditæ sunt ex Arretio literæ, nuntiique allati. Respondimus literis, fratremque nostrum Jacobum literis item convenimus, ne quid ex institutis nostris convelleret, ne quod scandali seminarium oriretur. Inde mane profecti Perusiam petebamus, profundoque jam vespere pervenimus ad locum, qui Ulmus dicitur, juxta Perusiam ad duo millia passuum. Mirari hac die licuit lacum famosissimum Thrasymenum, cujus dorso tres insulæ imminent, duæ habitabiles, alia sine habitatione, quæ & brevior est. Major ex his uno ac semis fere milliario cingitur, habitaturque optime. Ripam laci perpetua tegit olea. Proceræ arbores sunt admodum ac speciosæ. Ingressi mane Perusiam, cibo modice refecti sumus. Inde abeuntes nix aliquando comitata est. Ea nocte ad locum, cui Plegao vocabulum est, requievimus. Postridie ad Urbem-veterem venimus, inde Viterbium, inde Sutrium; xx. tandem & VII. mensis Romam Christo duce pervenimus. Divertimus ad fratres nostros Montis-oliveti, susceptique ab eis sumus plenissimo caritatis officio. Sequenti die visitavimus de protectoris nostri mandato & hortatione pontificem, a quo benignissime accepti, auctique benedictione remeavimus. Inde, ut est sollemne, cardinales quoque omnes singulatim domi salutare curavimus. Mira omnium gratia & præcipuum in nos studium fuit, plerique nos convivio quoque acceperunt. Basilicas Romanæ urbis orationis gratia & affectu venerationis adivimus. Mirari satis non poteramus ruinas ingentes, vasta dudum ædificia nunc diruta, columnarum moles, marmoris & varii lapidis crustas. Ex Viterbio miseram Benedictum, ut sacrinulam nostrarum rerum conveheret Romam, quod ibi libellus esset inclusus a me traductus, quem pontifici dono offerre instituerant. Erat autem Johannis-chrysostomi opus* Contra vituperatores vitæ monasticæ. *Recreati sumus visitatione sacrarum ædium, & maxime caritate fratrum nostrorum, a quibus (quod illorum monasterium remotissimum esset a basilica beati Petri, ubi remoratur pontifex) post vigesimum diem ad ecclesiam sanctæ martyris Cæciliæ contulimus nos, habitavimusque trans Tiberim in domibus domini Arelatensis* (cardinalis Ludovici Allemandi) *ecclesiæ contiguis. Ingentem nobis humanitatem præstiterunt servi Dei in illa habitantes ecclesia, adeout ex inopia sua utensilia nobis omnia subministrarent, nimiaque nos caritate tractarent ..... Visitationes amicorum multæ fuere, quibus omnibus gratissima fuit nostra profectio. Angeli mei de Monte-politiano egregiam in me humanitatem, observationemque præcipuam quid memorem? Contendit ille omnium in me officia superare, juvenis plane optimus atque amantissimus nostri.* De Angelo Monte-politianensi seniore, alioque ab Angelo juniore extant pereruditæ Cannetii notæ virum illustrantes.

Inter cetera, quæ Ambrosio Romæ commoranti demandata fuere a Romano pontifice Eugenio, fuit visitatio & reformatio congregationis Vallis-umbrosanæ. Egit igitur Ambrosius eo onere auctus per literas cum Gometio abbate sanctæ Mariæ de Florentia [a] decimo-sexto kalendas martii, ostendens ipsam esse difficultatibus plenam, eo quod ordo ille hominibus destitutus esset, satis quidem ampla & opulenta habere monasteria, sed paucos viros. Ordinis visitationem necessariam ducit, sed reformationem capitis rem esse magnæ expensæ, cum quatuor fere millia aureorum in assumptio-

[a] Lib. IV. ep. VII.

sumptione novi patris apostolicæ cameræ persolvantur. Se verba fecisse cum Ludovico Barbo abbate sanctæ Justinæ de Patavio, cui placebat ordinem visitari a Gometio, addito ipso Ambrosio socio visitationis, sed se obstitisse propter necessitatem reformandi proprii ordinis; pontificem tamen demandasse reformationem dicti ordinis Vallumbrosani. De ea inferius.

Ann. Chr. 1432.

Ipsa die [a] Majori & eremitis Camaldulensibus literas dedit Ambrosius, ipsos inflammans ad religiosarum virtutum amorem; XII. kalendas martias [b] Augustino Angelorum monacho vehementissime se cupere scribit extricari ab Urbe, & ad ipsos restitui. Commendat Angelum de Monte-politiano se ad eos conferentem. Die sequenti [c] idipsum significat Hieronymo fratri, suspirans monasticam solitudinem positus in Romanæ amplitudinis conspectu. Narrat visitationem se suscepisse Stephani Portii questris ordinis viri, & Mariani ejus fratris; dono sibi obtulisse Marianum volumen Hebræum minutis & optimis literis scriptum, in quo Paralipomenon, Psalterium, Job, libri Salomonis, Daniel, Hieremiæ lamentationes, Hester & Hedras continebantur. Invenisse se apud sanctam Cæciliam XXXIX. homilias Origenis in Lucam a Hieronymo traductas literis Langobardis, quas transcribendas curabit. De hac visitatione, & de ea inventione hæc habet in Hodœporico. *Per eos dies, quibus applicuimus, rediit illustris & clarus eques Stephanus Portius, peragrata Gallia Germaniaque, & Occidente fere omni, una cum illustri adolescentulo Mariano fratre suo & ipso equite, cum quibus fuerat nobis Florentiæ magna gratia præcipuaque consuetudo; prætor enim Stephanus Florentiæ insignis fuerat. Dono dedit nobis Marianus puer volumen Hebræum pulcherrimum, in quo magna pars habebatur veteris instrumenti. Accepimus gratissime & egimus gratias. His diebus dum bibliothecam ecclesiæ propinquæ honestam satis evolveremus, invenimus Origenis in Lucam triginta & novem homilias ab Hieronymo traductas, tantoque gaudio elati sumus, ut Crœsi opes vicisse putaremus, sola enim ex fama notæ erant; ceterum qui vidisset aut legisset, adhuc inveneram neminem. Ea res nuntiata Florentiæ magnum gaudium excitavit, & præcipue Nicolao meo amicissimo & studiosissimo. Eas continuo transcribendas curavi, una & alias in tres psalmos auctoris ejusdem, licet volumen ipsum adeo putre erat, ut vix pauca legi possent.*

a *Lib. XVI. ep. XVIII.*
b *Lib. XII. ep. III.*
c *Lib. XI. ep. XVI.*

VIII. kalendas martias [d] Matthæum camerarium Fontis-boni hortatur, ut providum se humanumque præbeat in re œconomica. Sequenti die [e] ad Hieronymum fratrem ingratam commorationem suam in Urbe deplorat. Opera sancti Thomæ deposcit & commentum Antonii de Butrio super Decretales reddendum cardinali protectori. Reliquisse se monasterium sanctæ Mariæ-novæ, & se transtulisse ad sanctam Cæciliam, exceptum summa caritate a fratribus sanctæ Birgittæ in domum satis amplam. Tertio kalendas [f] & kalendis martii eidem Hieronymo literas, in quibus nil notatione dignum, scripsit.

d *Lib. XVI. ep. IX.*
e *Lib. XI. ep. XVII.*
f *Lib. XI. ep. XVIII. & XX.*

Ex quo Ambrosius Florentia discesserat, nullas dederat epistolas Nicolao. Die itaque tertia martii, [g] narrat ipsi adventum suum in Urbem; commendasse se pontifici magno studio pacem Italiæ, & urbem Florentinam, ipsum pontificem multa ordiri, & amplecti animo, magnanimum esse multum, sed parum exequi; humanitatem cardinalium, & præcipue Jordani Ursini extollit, apud quem Ptolomæum vidit, codicem bonum quidem, sed non antiquum; XXXIX. homilias Origenis se reperiisse ad sanctam Cæciliam, quas transcribet Parens dulcis comes suus. In bibliotheca pontificis nil novi invenisse, nisi Isaac Syri opuscula *de Perfectione vitæ religiosæ*. Se adiisse nudius tertius monasterium Cryptæ-ferratæ comitem

g *Lib. VIII. ep. XLII.*

Ann. Chr. 1432.

tem Petri cujusdam Calabri viri satis eruditis atque novi abbatis ejus loci, sed quoniam monasterium diu fuit habitatio militum, eadem die oportuisse regredi, neque datum spatium revolvendi volumina. Quæ tamen vidit, ita dissipata, disrupta, conscissa & putrida esse, ut miserabilem omnino faciem præferrent, nihilque ferme invenisse, quod alias non legerit. Monasterium omne circuisse, & ruinas miserabiles lacrymatum fuisse, solam ferme superesse ecclesiam integram, sed fimo plenam, quæ tamen servet plurima vestigia antiquæ dignitatis. Poggium sæpe esse secum, qui callens probe reliquias civitatis se comitatur. Eumdem Poggium habere Frontonem de Aquæ-ductibus, & promisisse missurum ad se. Petrum Calabrum tenere volumen Aristotelis continentem libros LV. Cleomedis meteorarum libros V. in quibus plerumque Aristotelem carpit, & Metaphysicorum libros XII. in membranis & optimis literis, licet minutis. Conaturum se, an vendere Petrus velit Carolo Marsupino. Ejusdem itineris ad Cryptam-ferratam mentionem facit in epistola ad Hieronymum fratrem [a], cui etiam tyronum Angelici monasterii institutionem commendat. Meminit pariter cardinalis Ursini, qui adhuc in Urbe remoratur, designatus licet legatus Perusii. De voluminibus Cryptæ-ferratæ hæc habet in Hodœporico. *Perreximus ad monasterium sanctæ Mariæ in Crypta-ferrata, ut volumina Græca illic videremus, simul & memorato Petro* (Calabro) *gratificaremur, qui a pontifice fuerat monasterii dispensator institutus. Vidimus ruinas ingentes parietum & murorum, librosque omnes ferme putres atque conscissos. Nihil fere præter notissima offendimus.*

Idibus martii [b] scripsit Majori & ceteris eremitis, monens, ut familiam omnem ad paschalia sacramenta suscipienda disponerent. Idipsum inculcat [c] Matthæo loci camerario. Decimo-septimo kalendas aprilis [d] dolet cum Hieronymo fratre de obitu Miniatis senis monachi Angelorum, & Nicolosæ matris Euphrosyni monachi. Sequenti die [e] literas dedit Johanni cuidam, cui respondet suam ad generalatum promotionem doloris potius quam lætitiæ esse argumentum; XV. kalendas ejus mensis [f] Antonio Blanco scribit, quem mira caritate & paterno vere affectu ad ordinis gremium revocat, ex quo indignatione suadente recesserat. Is fuerat monasterii sancti Mathiæ de Muriano prior. Vigesima-sexta martii [g] Simoni priori sancti Benedicti extra Florentiam (lege subpriori); ea die [h] Augustino monacho; alias Hieronymo fratri [i] epistolas scripsit. Post biduum [k] Benedicti monachi Angelorum dulcia officia tristi excipit lamentatione ob mortem Miniatis monachi, & Nicolosæ matris sanctæ mulieris. Sequenti die [l] eidem Benedicto aperit monasterii Angelorum res cordi sibi esse. Pridie autem kalendas aprilis [m] Hieronymo fratri urget restitutionem codicis sui poetici fieri Marco Lippomano patritio Veneto, in quo plurima poetarum complurium & varia habentur opera, & in fine Gregorii Nazianzeni opuscula metro edita; codicem esse chartaceum minutissimis literis scriptum, quem Lippomanus petit. Se absolvisse vitam Chrysostomi & emendasse, transcribendamque dedisse, ut sibi eam offerre liceret summo pontifici ante discessum ab urbe. Sperat siquidem se brevi Roma extricaturum, inde Casinum concessurum, si tamen ire tuto licebit. Nonis aprilis [n] eidem Hieronymo respondet, doletque Philelphum ita se habuisse stolide, ut extorris Florentia agetur. Quarto idus [o], rursusque tertio idus aprilis [p] dicto Hieronymo scribit Poggium virum optimum suique amantissimum, secretarium insuper summi pontificis, ad eos Florentiam venientem se rogasse, ut apud illos eum commendaret, suosque libros posset in monasterio reponere. Vult, ut Hieronymus inquirat quaternionem solum, sed vetustissimum, in quo plura

a Lib. XI. ep. XXI.
b Lib. XVI. ep. XIX.
c Lib. XVI. ep. X.
d Lib. XI. ep. XXII.
e Lib. V. ep. XXII.
f Lib. XXI. ep. XVI.
g Lib. XVIII. ep. VII.
h Lib. XII. ep. IV.
i Lib. XI. ep. XXIII.
k Lib. XIII. ep. XXV.
l Ibidem ep. XXVI.
m Lib. XI. ep. XXIV.
n Lib. XI. ep. XXV.
o Ibid. ep. XXVI.
p Ibid. ep. XXVII.

plura epigrammata Romanæ urbis scripta sunt, non majusculis sed communibus characteribus, restituendum eidem Poggio, cujus est; item psalterium Græcum novum in papyro. Pridie idus [a] eidem Hieronymo scribit molestissimum sibi esse paschales dies in Urbe transigere; notum facit creatos fuisse officiales ad imponendas clero collectas, inter quos ipse quoque (Ambrosius) nominatus est, hujusce rei hactenus ignarus, quod officium excutere curabit. Eadem die [b] Nicolao significat Poggium venisse Florentiam, Frontonemque de Aquæ-ductibus secum fortasse attulisse. Id opus non esse Frontonis, sed Frontini, ut in exemplari antiquissimo ipse Ambrosius notavit; inde humanitatem in se summam Poggii explicat. In bibliotheca sancti Petri nil memoria dignum se reperiisse. Hisce proximis feriis se aditurum Casinense monasterium, cum cujus abbate est sibi maxima familiaritas; is erat Pyrrhus Tomacellus.

ANN. CHR. 1432.

a Ibid. ep. XXVIII.

b Lib. VIII. ep. XLIII.

Decimo-tertio kalendas majas [c] gratulatur Hieronymo fratri, quod humanissime exceptus fuerit in ejus monasterio Angelus de Monte-politiano. Nuntiat pontificem convaluisse, terque benedictionem populo dedisse, divinisque interfuisse officiis. Decimo kalendas ejus mensis [d] eidem scribit, ut in monasterio Angelorum suscipiatur præcipua humanitatis gratia prior sancti Pauli de Urbe Johannes Siculus, qui jam secundo interfuerat capitulo generali ordinis, carissimus pro virtutis & sapientiæ merito pontifici & cardinali protectori. Nono calendas [e] Paulii Venerio abbatis sancti Michaelis de Muriano committit arbitrio & examini postulationem prioris sancti Mathiæ, qui petebat copiam sibi fieri vendendi prædia in territorio Faventino, ut medietatem pretii in fisco præstitorum poneret, medietatem expenderet in reparatione possessionum existentium in comitatu Pratæ. Quinto kalendas ejus mensis [f] Nicolao scribit Petrum Calabrum ægre vendíturum Aristotelicum codicem, quem pluris æstimat; mutuo tamen acceptum ipse perferet ad Carolum Arretinum. Se nondum multis obsistentibus Casinum montem adiisse, abbatem illius monasterii sibi ostendisse codicem pervetustum, in quo duodecim homiliæ sunt super Isajam absque ulla inscriptione auctoris. Ex stylo censere se esse Origenis; idque etiam ex eo conjicere, quod eas præcedunt duæ illæ homiliæ in Cantica canticorum ab Hieronymo traductæ absque proemio & inscriptione sollemni. Se invenisse Lucium ardentis ingenii adolescentem, qui nihil peregrinitatis repererit; opusculum tamen quoddam Ciceronis titulo insigne transcripsisse, quod suo judicio illius non sit, habere synonima primum, tum de verborum differentiis, eruditum quidem virum, longe tamen stantem a Tulliana dignitate. Cupit a Nicolao scire, quid factum de Philelpho? Quarto kalendas majas [g] Sebastianum abbatem Camalduli-Florentini exorat, ut munus collectæ clero imponendæ velit suscipere, si pontifici libuerit illud a se transferri. Commendat ei reformationem sui monasterii, quam pontifex cupit ibidem introduci. Mandat citius expediri negotium Florentini sanctæ Mariæ-novæ hospitalis cum parthenone Querceti. Eadem die Hieronymo fratri [h] significat se levandi animi gratia Casinum pergere instituisse, oblata prius pontifici vita Chrysostomi a se traducta. Locasse insuper Simonem Landinum fratrem Gabrielis monachi cum cardinale Cyprio (Hugone Lusignano fratre regis Cypri cardinale diacono sancti Adriani.) Secunda maji [i] eidem Hieronymo scribit, se nondum expeditum esse, multa adhuc se Romæ remorari. Pontificem vindicat a vitio avaritiæ, cum profusissimus sit, & plurima sustulerit inhonesta lucra, per quæ advenientes ad Romanam curiam injustissime vexabantur. Se adhuc per quindecim dies Romæ moras tracturum.

c Lib. XI. ep. XXIX.

d Ibid. ep. XXX.

e Lib. XIX. ep. II.

f Lib. VIII. ep. XLIV.

g Lib. XVII. ep. XII.

h Lib. XI. ep. XXXI.

i Lib. XI. ep. XXXII.

Cur

Ann. Chr. 1432.

Cur autem prohibitus sit Ambrosius montem Casinum adire rationem reddit in Hodœporico. *Institueramus*, inquit, *Casinense quoque adire monasterium, nisi bellorum fremitus & pericula itineris terruissent. Benedictionem quoque sumere ex more a domino Bononiensi* (cardinale Antonio Corrario) *pontificis jussu parati eramus, nisi unus ex familia peste correptus ac defunctus repente nuntiatus cardinalis animum consternasset. Eo impediti, reditum maturavimus quarto kalendas junias, benedictione pontificis & amicorum aucti gratia.* Sed priusquam Ambrosium Roma regredientem prosequamur, cetera, quæ Romæ gessit, ex eodem Hodœporico recenseamus. *Contendimus summo studio, quæ ad optimam reformationem religionis nostræ pertinere videbantur, a pontifice summo impetrare, per nos ipsos interpellantes sæpe pontificem, & per alios familiarius illi inhærentes, præcipue per venerabilem patrem nostrum abbatem sanctæ Justinæ, prioremque sancti Pauli. Erat in nos pontificis animus benignissimus; sed temporis prævalente malitia quædam indulgere noluit, quæ consuetudini curiæ præjudicium afferre videbantur. Petebamus, ut liceret nobis antiquo more prælatos ordinis corripere & privare etiam, si mererentur ea pœna plecti, ut juxta prophetam evellere noxia germina, & utilia plantare possemus, eisque substituere, quos sciremus idoneos. Porro monasteria nonnisi per mortem prælatorum vacare in curia Romana volebamus, confirmationesque prælatorum ea lege poscebamus, ut solverent in curia taxationem consuetam. Nihil horum libere impetrare potuimus, & hoc extremum minime omnium. Indulsit tamen verbo, ut privilegiis nostris uteremur. Confirmationem tamen nostram concessit libere, & si indulta alia, quæ gratis fieri postulabamus, non ea lege concessit, voluitque solvi ex more. Quæ vero impetravimus utilia & necessaria, ferme ista sunt. Ante omnia plenas auctoritatis bullas confirmationis nostræ, in quibus omnis antecessoribus nostris vel a sede apostolica, vel a constitutionibus ordinis indulta facultas nobis data est, confirmationem item privilegiorum nostrorum Alexandri IV. & V. cum relaxatione annui census unciæ auri, quam in signum perpetuæ libertatis apostolicæ cameræ solvere ab Alexandro IV. jussi sumus, & quæ multis annis soluta non fuerat, ea conditione apposita, ut postmodum sollicite persolvatur, quod negligenter omissum est. Revocationem quoque manualium eremi, quæ impetrata in curiam fuissent, in jus ac ditionem nostram. Indulgentiam in mortis articulo generalem omnibus, qui in ordine regulariter vixerint. Extremas tres bullas, deficientibus pecuniis, ante discessum nostrum habere nequivimus.* Bulla Eugenii, qua Ambrosii electionem confirmat [a], Kalendis aprilis pontificatus sui anno secundo, legitur in Appendice I. ex recenti editione; in qua tamen explicandus est locus capituli generalis, ubi motus gradu fuit Benedictus, & suffectus Ambrosius, qui non fuit monasterium Fontis-boni Arretinæ diœcesis, sed Uranense in diœcesi Britonoriense; fortasse monasterium Fontis-boni primo designatum fuerat pro loco habendi capituli, translata postea celebratione ad abbatiam Urani. *Romæ fuimus menses ferme quatuor. Quo tempore parum otii & quietis invenimus, adire coacti necessario quotidie pontificis fores, amicosque usque ad improbitatem salutare. Suscepti sumus a plerisque convivio, nemoque nos non libens vidit.* Tum recenset potentes & doctos viros, quorum familiaritate Romæ gavisus est, nam, *præter fratres Portios, hoc tempore Bartholomæus episcopus* (an ne Zabarella postea archiepiscopus Spalatensis, inde Florentinus?) *hospitio nos accepit vir plane bonus, Confessionumque Augustini volumen aptissimum & antiquum nobis donavit. Traduximus vitam Chrysostomi, pontificique ornatum volumen obtulimus. Placuit eam Romæ Latinam facere, ubi Græce primum fuerat scripta, simul ut*

a Lib. XXIV. ep. II.

otium tœdiumque vitare hac exercitatione nostra possemus. Accepit eam grate admodum, sibique continuo legi ad mensam jussit. Extat præfatio [a] in eam vitam, seu epistola nuncupatoria inter epistolas ejusdem Ambrosii; cui etiam olim, dum cardinalem ageret, & protectionis officio fungeretur, dicaverat Basilii librum *de vera Virginitate* [b]. *Legerat ipse prius magna cum voluptate Chrysostomi contra vituperatores vitæ monasticæ opusculum. Magna nobis cum plerisque cardinalibus, præcipueque cum Ursino consuetudo fuit, a quo sæpe convivio quoque recepti sumus, obtinuimusque, ut monasterium sancti Ægidii de Cortona restitueret nobis, quod ab ordine tulerat. Non ita fecit cardinalis sancti Marcelli* (Antonius Casinus) *qui licet nos grate susceperit, de restituendo tamen sancti Savini* (Pisarum) *monasterio nihil audire voluit. Idem & cardinalis de Comitibus de monasterio sanctæ Trinitatis* (Perusii) *fecit. Non erat Romæ dominus sanctæ Crucis* (Nicolaus Albergattus) *qui sanctæ Potentianæ ecclesiam intra Urbem nostri ordinis habet. Magna mihi spes erat recuperandæ ipsius, si adfuisset, justis ex causis; servabitur ad reditum ipsius. Dominus meus cardinalis sancti Petri ad Vincula* (protector ordinis) *quanta me humanitate tractaverit, quis explicare sufficiat? Magna nos certe affectione & novo semper amore suscepit, vir plane bonus & Deo dignus, & humilitate atque integritate præcipua. Jam vero de Rotomagensis, Bononiensis, sancti Xysti* (Johannis Casa-novæ) *Arelatensis, Cyprii ac reliquorum humanitate quid dicam? Sed hæc omittimus. Multus fuit nobis cum illis frequensque tractatus de Basileensi concilio, cui pontifex ægre annuebat, ipsis contra sentientibus. Adeout pro hac re pontificem fuerimus alloquuti diutius, supplicesque oraverimus, ut occurrere imminenti periculo dignaretur. Multa respondit in rem, neque tamen quicquam profecimus tunc. Præcipuam vero Antonii Luscii, Cincii, Poggii, Antonii mei de Piscia gratiam quando explicem? qui mihi pecunias omnes necessarias subministravit, Cosmi & Laurentii fratrum amicissimorumque nostrorum vice, sæpeque lautissime excepit convivio. Aliorum præterea ingenia, quibus delectatus sum, omitto retexere, Gregorii mei Corarii poeticæ mirifice dediti, Raphaelis clari adolescentis, Johannis ac reliquorum, Andreæ item Constantinopolitani & Petri* (Calabri) *Græcis literis peritorum, qui omnes nobis miro affectu studuerunt. Quamquam essent plura, quæ solatio essent, & in primis reliquiæ antiquitatis, nescio, quo tamen pacto plura longe inveni, quæ displicerent, quam quæ afferrent voluptatem ullam. Offendebant maxime mores hominum a proposito nostro multum remoti, quibus tamen connivere consuetudine ipsa cogebamur.* Hinc molesta Ambrosii commoratio in Urbe, ut indoluit superioribus epistolis. Die VIII. maji cardinalis Hispalensis ordinis protector Ambrosio vices suas contulit, & facultatem sibi auctoritate apostolica delegatam in ipsum transtulit totum ordinem visitandi, reformandi, prælatos corrigendi & amovendi, manu Roderici Gundesalvi notarii. Extat pagina in tabulario Fontis-boni.

ANN. CHR. 1432.

[a] *Lib.* XXIII. *ep.* III.

[b] *Ibid. ep.* IV.

XI. Ex Urbe revertitur.

DIE itaque vigesima-nona maji Urbe relicta ad solitudinem suam remeavit Ambrosius. *Rediit nobiscum,* prosequitur, *amicissimus noster Bartholomæus de Monte-gonzio, fidus admodum comes. Prima itaque die Viterbium venimus, secunda ad Urbem-veterem, tertiaque Perusiam, ubi a Thoma nostro priore sanctæ Trinitatis gratissime accepti diem integrum remorati sumus. Inde socius nostri itineris abbas Vallis-castri cum bona gratia nostra Fabrianum profectus deseruit nos. Invenimus illic opusculum* de Consolatione, *auctoris ignoti quidem, se bene eruditi. Id nobis a priore memorato dono datum grate accepimus. Profecti Perusia, Arretium venimus, ibique a fra-*

Ann. Chr. 1432.

a fratre nostro Jacobo gratissime suscepti, postridie ad monasterium de Poplena pervenimus. Inde cum ad monasterium Fontis-boni societate impediti ire nequivissemus, eremitis scripsimus excusantes, cur ad eos non ivissemus, poscentesque, ut Hieronymum de Balneo ad nos Florentiam mitterent, Deo id agente profecto, nobisque cooperante. Nam per hanc occasionem lapis offensionis & petra scandali de medio factus est, nobis certe non intendentibus primum. Sequenti die ad monasterium sanctæ Margaritæ divertimus, atque inde Florentiam venimus quarta junii. Suscepti sumus a patre monasterii atque a fratribus & filiis nostris ineffabili gaudio, & præcipue recreati sumus aspectu gratissimo & affectu mirabili fratris. Secutus est e vestigio iter nostrum Hieronymus (Balneensis) *accersitus a nobis, nuntiusque item ab eremitis seorsum, quo multum orabant, ut ad eos sine illo pergeremus; apertius enim se mecum acturos omnia absente illo. Tractare secum negotia domni Benedicti* (ex-generalis) *continuo cepimus, ne frustra accersitus videretur a nobis. Visitationes plurimæ & gratissimæ fuerunt amicorum omnium reditum nostrum miro affectu præstolantium.*

Die tertia junii [a] scripserat Hieronymo fratri, ut xenia ad se allata inter amicos distribueret. Ex eadem urbe Florentia die octava junii [b] scripsit Francisco Sandello abbati Carcerum, gaudens sublatum inter eum & abbatem sancti Michaelis dissidium circa vicariatum. Visitationem ordinis ex assensu pontificis & cardinalis protectoris præmittendam celebrationi capituli subdit, quam visitationem a Veneta ditione incipere constituit, rogans eum, ut mature ad se conferat ab ipso deducendum per monasteria ditionis Venetæ. Capitulum autem celebrari nequire hoc anno, quia nec prælati tuto convocari possent, neque visitare ordinem ipse potuit detentus longiore mora in curia Romana. Sed narrationem prosequamur. *Reliquimus Hieronymum*, (Balneensem) *profectique ad eremum sumus celebritate vicina sancti Romualdi invitante, redituri propediem, ut benedictionis gratiam perciperemus. Venimus prima mansione ad monasterium sancti Andreæ de Candiculis, sequenti die Pupium profecti sermonem cum comite in multam horam protraximus, impensius orantes, ut juvenem religiosi habitus, quem tenebat in vinculis, reum licet, dimitteret liberum. Scripseramus ad illum ex Urbe literas, atque ex Florentia, hoc idem continentes. Occurrit nobis, ut didicit adventum nostrum, humanissime accepit, & magno in honore habuit, redditaque facti sui ratione, quæ vellemus, facturum promisit. Exegimus jure nostro piscari velle in flumine communi, libentissime annuit. Post longum sermonem Socium die jam advesperascente pervenimus. Postridie Reginopolim mane perreximus, comitem infirmum visitaturi. Occurrit nobis, ut potuit, magnoque officio nos excepit. Multis ibi verbis ultro citroque habitis ad nostrum monasterium Fontis-boni perreximus. Offendimus rem satis perturbatam & confusam per imprudentiam ejus, quem præesse claustro monachorum jusseramus. Contendimus ad eremum, susceptique sumus magna fratrum nostrorum eremitarum lætitia. Omnes unanimes postularunt, ut auctorem scandalorum Hieronymum inde amoverem. Voluimus, ut hoc votum suum scripto firmarent, supplicantes, ut illuc ultra eum redire non permitterem; quod & fecerunt. Postularunt item, ut & Maurum a suo consortio repellerem, qui in Fonte-bono fuerat relictus a nobis, ut præesset monachis. Fecimus votis ipsorum satis, & quantum licuit, caute. Peracta deinde sollemnitate, compositisque utcumque rebus Florentiam redire instituimus, ut plurima, quæ imminebant, negotia gravia satis tractaremus, simul ut benedictionis munus perciperemus.* De Simone fratre Gabrielis Landini, quem comes Franciscus tenebat in vinculis, sermonem facit Ambrosius & in epistola

[a] Lib. XI. ep. XXXIII.

[b] Lib. XX. ep. V.

ſtola ad Hieronymum fratrem [a] data XVII. kalendas julias ex Socio; comitis nimirum animum ſe ſedaſſe in alloquutione cum ipſo. In alia ex Fonte-bono eidem Hieronymo die XVIII. [b] mentionem ingerit *amiciſſimi ſui Dini præfecti & domini monaſterii ſancti Hilari de Galeata*, hoc eſt abbatis commendatarii, *familiæ de Pecoris, cujus germanus frater Florentiæ eſt in ſupremo culmine magiſtratus*. Meminit etiam Zenobii & Willielmi juris-conſultorum. Quoad Maurum ab eremo remotum, is eſt Maurus Lapi Florentinus, qui primo inſtitutum Carmelitarum in patria amplexus tranſiit inde ad Camaldulenſes; præfectus ab Ambroſio clauſtro monaſterii Fontis-boni tempore ſuæ commorationis in Romana urbe, nimia auſteritate & aſperitate morum monachos exacerbavit; quare officio motus Venetias ab eodem deſtinatus fuit primum ad monaſterium ſancti Michaelis, inde ad illud ſancti Mathiæ de Muriano, in quo poſtremo cœnobio ad multam ætatem longævus pervenit, ſcriptis & familiaritate cum viris ſanctioribus & doctioribus ejus temporis junctus, de quo ſæpius mentionem faciemus, omniaque colligemus.

ANN. CHR. 1432.

a Lib. XI. ep. XXXIV.

b Ibid. ep. XXXV.

XII. Epiſtolæ & ipſius Hodœporicon.

REDITUM ſuum Florentiam deſcribit in Hodœporico Ambroſius: *Movimus monaſterio Fontis-boni decimo kalendas julii, viſitavimuſque monaſterium noſtrum ſancti Johannis evangeliſtæ* (de Prato-veteri) *eaque die ad monaſterium ſanctæ Margaritæ perreximus. Multa cum priore contulimus viro prudenti & amantiſſimo noſtri. Poſtridie, vigilia ſcilicet nativitatis ſancti Johannis-baptiſtæ ad monaſterium noſtrum ſanctæ Mariæ de Angelis venimus*. Narrat ibidem animadverſionem in perditum quemdam hominem, & in quoſdam monachos militum more ferentes arma, in Hieronymum Balneenſem, quem ad Burgum-ſancti-Sepulcri deſtinavit, interdicta illi etiam ſcribendi licentia, & in Maurum priorem, quem Venetias relegavit; benedictionem quoque Florentiæ celebratam honeſto apparatu (hanc diſtulerat ad hoc tempus itinere Romano impeditus) rationis calculum inſtitutum contra Benedictum ex-generalem, viſitationes monaſteriorum ſancti Felicis & ſancti Salvatoris, & monialium Querceti, Buldronis & ſancti Petri de Luco, compoſitiones aliquot controverſiarum, amotionem cujuſdam prælati, totumque menſem julii in his conſumpſit.

Pertinent ad hoc tempus literæ VI. kalendas julii [c] ex Florentia datæ Matthæo camerario Fontis-boni, quibus certiorem facit, ſe removiſſe ab eremo Hieronymum Balneenſem; tertio [d] kalendas julias (ſed facile XIII. cum datæ ſint ex eremo; tertio autem kalendas julias erat Ambroſius Florentiæ) Hieronymo fratri de diſciplina monaſtica introducenda in monaſterium Camalduli-Florentini; kalendis [e] julii, tertio idus ejus menſis, & XV. kalendas auguſti Matthæo camerario, in quarum poſtrema ſcribit venerabilem patrem Hieronymum Pragenſem eremitam incluſum oportere ſe ad concilium Baſileenſe mittere, literis expetitum patrum in eo concilio congregatorum, atque proinde neceſſarium fore de ſocietate illi & de ſumptibus providere, quia ſummus pontifex aſſenſum concilio jam præbuit, & non dubitat illum velle, ut Hieronymus proficiſcatur; præſtolari tamen ſe reſponſum ejuſdem pontificis. Vigeſima-tertia julii [f] ex Florentia Franciſco Sandello abbati Carcerum ſcribit uniones monaſteriorum propoſitas in capitulo Uranenſi a multis non probari. Differit de viſitatione, quam ex monaſteriis Venetis auſpicari ipſe (Ambroſius) intendit. Ea ipſa die [g] eidem mandat, ut priorem ſancti Mathiæ ſeverioribus afficiat pœnis, utpote refractarium; id quod condolet, cum monaſterium illud ſpeculum religionis & totius ſanctitatis ſuperioribus temporibus fuerit; IV. kalendas

c Lib. XVI. ep XI.

d Lib. XI. ep. ep. XXXVI.

e Lib. XVI. ep. XII. XIII. XIV.

f Lib. XX. ep. VI.

g Lib. XX. ep. VII.

Ann. Chr. 1432.

das [a] augusti ex eremo scripsit Hieronymo fratri; sed error est in nota, cum ea die Florentiæ Ambrosius foret.

a Lib. XI. ep. XXXVII.

Rediit mense augusto Ambrosius in eremum. *Movimus*, inquit, *kalendis augusti, primaque die venimus ad Pratum-vetus; ibi rogati a civibus, sequentem diem sollemnem oppidanis ibi transegimus. Venimus Pupium, ubi a comite accepti comiter, cum promissi sui illum admoneremus, verba retulimus. Socium die jam advesperascente pervenimus, postridie Reginopolim petentes mane comiti infirmo pedibus congressi sumus. Ab eo reverenter accepti ad nostrum monasterium Fontis-boni pervenimus, egimusque celebritatem sanctorum martyrum Donati & Hilariani præcipuam loci cum totius familiæ gaudio. Ad eremum inde tendentes magno fratrum obsequio suscepti sumus. Et quoniam* Ἀρχαιρεσιῶν (hoc est mutationis officiorum eremi) *propinquabat tempus magnam offendimus perturbationem obortam, quod is, qui* Μείζων (hoc est Major) *hoc anno suo ordine futurus erat, studere Hieronymo illi abjecto putaretur. Advertit hoc ille, magnisque precibus egit nobiscum, ut se absolverem, multisque lacrymis confessus est pusillanimitatem suam. Eum & ceteros blande consolati, indicem rerum omnium eremi facere aggressi sumus .... Cum vero in nostro monasterio essemus, literis abbatis Burgensis certiores facti sumus abjectum Hieronymum inde aufugisse clam ficto metu, quod a nobis coercendus esset proxime. Solliciti vero quorsum iret, ad patriam & propinquos ac notos divertisse didicimus. Consecrationem ecclesiæ in eremo Missarum celebratione peregimus, & post paucos dies, altaris consecrationem intra cellam, quæ Papæ dicitur, & postmodum ecclesiæ Fontis-boni celebravimus dedicationem.* Spectant ad mensem augustum epistolæ ad Hieronymum fratrem octavo idus augusti [b] significans Mariottum monachum claustro Fontis-boni præficiendum; VIII.[c] augusti ad Gasparem monachum Angelorum; IV.[d] idus ad eumdem Mariottum, quem in partem curarum suarum evocat. Iterum ad Hieronymum fratrem XVIII. kalendas septembris [e], & post biduum [f] ad eumdem Mariottum.

b Lib. XI. ep. XXXVIII.
c Lib. XIII. ep. XXVIII.
d Lib. XV. ep. IV.
e Lib. XI. ep. XXXIX.
f Lib. XV. ep. V.
g Lib. XIX. ep. III.
h Lib. XXI. ep. V.
i Lib. XI. ep. XL.
k Lib. XI. ep. XLI.
l Lib. XI. ep. XLII.

Decimo-tertio kalendas septembris [g] Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano commendat Hieronymum Pragensem inclusum ad concilium pergentem evocatum literis Basileensium patrum, & Venetias transeuntem. Agit in ea epistola etiam de priore sancti Mathiæ, cujus querimonias ad ipsum remittit. Eadem die [h] de ipso priore scribit ad Dionysium priorem claustralem ejusdem monasterii. Ipsa die [i] Pragensem commendatum facit Hieronymo fratri. Undecimo kalendas septembris [k] eidem Hieronymo scribens moram Mariotti ad suscipiendum onus erudiendorum tyronum arguit; & quarto kalendas septembris [l] significat Hieronymo fratri Hieronymum Balneensem e Burgo aufugisse, Balneumque profectum. Quoad Hieronymum Pragensem, *conventus fuerat*, inquit Ambrosius in Hodœporico, *Basileensis consilii literis Hieronymus inclusus, uti ad synodum pergeret. Nos item, ut illum mitteremus, literis æque urgebamur. Ea res, quoniam anceps erat, visa est nuncianda pontifici, ne contra illius voluntatem quippiam fieret. Scripsimus, sed rescriptum nibil est nobis. Fama interim, quod pontifex concilio assensum præbuisset, pervagante, diutius hæsit Hieronymus. Multa nobiscum egit de potestate nostra, quod non possemus ipsi per nos Majorem instituere. Responsum illi rite est. Nos illorum privilegia servare velle, nostra item jura minui haudquaquam tolerare. Plurimis in hanc rem dictis discessum est. Ubi vero* Φιλοδοξίας *illi aditus omnis obstructus est, sponte proficisci ad concilium voluit, consensuque nostro habito profectus est, sumptibus illi necessariis pro viatico suppeditatis,*

His

His diebus, sequitur Ambrosius in Hodœporico, *abbate Silvæ-mundæ privato substituimus in monasterii regimine camerarium nostrum. Abbatem vero monasterii Cantiniani præfecimus fratrem nostrum & comitem itineris nostri Dominicum capellanum nostrum. Advenit per eos dies ad nos Franciscus de Sandellis abbas de Carceribus advocatus a nobis, ut Venetias duceret ad monasteria partium visitanda, sed nos ibi non invenit, profecti namque ad Burgum-sancti-Sepulcri fueramus, ubi magna omnium expectatione ingentique lætitia totius plebis accepti, qui nobis obviam extra oppidi januam occurrerant, kalendis septembris, quando annua dedicationis celebritas agitur, in nostro monasterio Missarum sollemnia celebravimus totius populi concursu. Ibi paucis diebus remorati, quosdam ex monachis corripuimus publice, omnesque seorsum atque communiter hortati ad bene honesteque vivendum, bonam retulimus spem. Adivimus & monasteria semirupta sanctæ Catharinæ & sanctæ Margaritæ, bonaque monialium fama satis recreati sumus. Eas blande hortati, atque ut in communi vitam agerent, suadentes, læti discessimus. Offendimus monasterium nostrum sancti Johannis gravi ære alieno pressum, conatique sumus moderari fœnus, & pignora recipere a creditoribus, idque obtinuimus. Quædam ibi constituimus honestati convenientissima, & maxime ne in cellulis monachorum seculares aut clerici admitterentur ad dormiendum. Compositis utcumque rebus, inde proficisci instituimus, reditum nostrum mature pollicentes affuturum. Per eos dies visitationes crebræ fuere civium, qui oratione quoque Marii amici nostri nos laudare voluerunt. Visitavimus & gubernatorem oppidi ex officio nostro, sermonemque cum illo diutius protraximus, a quo sumus humanissime accepti. Inde abeuntes, comitati sunt nos ad duo ferme millia passuum quidam ex amicis nostris. Abbas vero & monachi quatuor Anglarium usque prosecuti sunt. Juraverunt omnes in manibus nostris obedientiam, qua die veneramus, susceptique cum processione sollemni fueramus. Anglarium item ubi propinquavimus, abbas cum monachis obviam cum processione venerunt extra oppidi januam, sicque ad ecclesiam usque deduxerunt. Ibi sollemnitate servata, juratum est item ab abbate & monachis in manibus nostris. Eam noctem ibi egimus, indigneque accepimus abbatis negligentiam. Crimina adversus illum plurima jam tum, dum Romæ essemus atque Burgi; ea inquirere diligenter animus est. Anglario mane proficiscentes abbas Decianum usque comitatus est. Illuc ex condicto (ut putamus) legati Capresani nos studiose adierunt, ægre ferentes monasterio abbatis titulum subtrahi, abbatemque ipsum commendantes. Respondimus, quæ tempus & ratio deposcere videbantur. Inde profecti ea die Socium advenimus. Ibi sumus certiores facti abbatem de Carceribus advenisse, nostrumque opperiri reditum. Postridie mane pergentes ad nostrum monasterium Fontis-boni sexta septembris ab ipso & sociis ac reliquis gratissime accepti requievimus ibi. Continuo renuntiatum est nobis Hieronymum illum Pupii se continere, atque foveri a comite amico nostro. Ea re offensi scripsimus ad comitem, ut illum traderet nobis. Accepto responso, quo requirebat præsentiam nostram, ut coram tractare possemus, quia instabat Ἀρχιμεστιῶν dies, neque pergere ipsi valebamus, abbatem ipsum & Dominicum nostri itineris comitem cum literis & nuntio direximus, quo ut Hieronymum ipsum traderet nobis iterato petebamus, vel si id displiceret, suæ saltem ditionis solo illi interdiceret. Acceptis humaniter nuntiis nostris, primum illud exequi renuit dicens, se nolle contra fidem suam quidquam; dedisse illi conductum, atque ideo illum tradere nequaquam posse. Repulsi prima postulatione, ut saltem quod secundo loco petebatur, annueret, instabant legati nostri. Grate primum respondit, deinde Hieronymum ipsum, qui intra*

tra

ANN. CHR. 1432.

tra palatium servabatur, diu alloquutus, atque cum illo una rediens, præsentibus illis legatis inhibuit, si rebellis esset noster, in territorio suo morari. Ad hæc negare ille se hujusce criminis reum. Tum constanter abbas alloquitur comitem non ita inter se convenisse, asseverans illum non esse facti sui optimum judicem. Quid multa? Comes in sententia perstitit, atque ita discessum est, dum ille reo nostro interdicere territorio suo noluit. Relatus hic nuntius nos immodice contristavit, quod indigna nostra amicitia tantus vir perpetrasse videretur. Dehinc officia instituere in eremo atque in Fonte-bono perreximus ex more VIII. septembris. Magna ex propinquitate Hieronymi contentio inter eremitas orta videbatur, quod is, qui eligendus erat Major, Hieronymo studere videretur. Tandem compositis & pacatis omnibus, officiisque injunctis, ut sollemne est, ad monasterium ea ipsa die redivimus, officia itidem nostra dispositurі. His rite peractis, de consilio & consensu omnium Florentiam pergere instituimus, ut machinationibus Hieronymi possemus occurrere, qui scripsisse literas, conductumque postulasse, immo & impetrasse ferebatur. Hortati familiam die nona discessimus, comite nostri itineris abbate memorato. Sane antequam proficisceremur, non omisimus, quin comiti scriberemus plenas querimoniæ literas. Venimus ad Pratum-vetus, ibique visitato monasterio, post prandium adhibito notario, collationes tres exegimus, monasteriumque sancti Michaelis de castro Brittorum prope Bononiam (quod diutissime ab ordine subductum fratribus Gaudentibus cesserat, & modo, post obitum omnium, ab uno solo superstite sub pactione pecuniæ annuæ fratribus sanctæ Brigittæ consignabatur) domno Damiano contulimus, ut esset, qui causam monasterii atque ordinis gereret. Monasterium item sanctæ Christinæ de Tarvisio cuidam, quæ se pro abbatissa gerebat, abbate ipso consulente, & monasterium sancti Michaelis de Eremo socio itineris sui, provecto satis viro contulimus. Ipsa die ad monasterium sanctæ Margaritæ, ac postridie Florentiam hora ferme nona pervenimus, vigilia sanctorum martyrum Prothi & Hiacynthi, quorum corpora in ecclesia nostri monasterii nostro studio condita sunt. Ipsam celebritatem egimus cum fratribus nostris, a quibus comiter accepti fueramus. Literas dehinc a summo civitatis magistratu cum gratia impetravimus, quibus juberetur omnibus, ut favere nobis contra rebelles omnes maturarent. Multa tentata sunt, ut fundum nostrum Camertinum vendere, & pecunias creditoribus restituere quivissemus. Scriptum quippe fuerat nobis a fratre non deesse, qui quadringentos aureos mutuo darent ea lege, ut tamdiu fundi perciperent fructus, quoad pecuniam suam illis redderemus. Verum hæc & alia potior quoque conditio evanuit. Aggressi sumus magno studio agere negotium cum domno Benedicto initum, cujus nequicquam tentati instantia nostra indignitatem ægre ferebat prior sanctæ Margaritæ homo nobis amicissimus. Misimus primo abbatem nostrum de Carceribus, qui verbis ultro citroque multis frustra consumptis, vacuus rediit. Perreximus ipsi postmodum, hominisque pertinaciam verbis castigavimus, parati illum, si persisteret, cogere. Humiliter satis respondit, præsentibus abbate ipso, & ipsius monasterii fratre. Demum conclusum inter nos est, ut habita eremitarum deliberatione, ipsum ab omnibus absolveremus, pactamque pecuniam reciperemus. His diebus orta est nobis cum fratribus nostris de nostra potestate contentio, putantibus illis se a jure nostro per suas exemptiones fore alienos. Consilium super ea re accipere placuit, inventumque est illos longe falli. Neque enim præjudicarunt illorum privilegia constitutionibus ordinis & apostolicis literis, plenissimam auctoritatem generali religionis patri tribuentibus. Erat nobiscum abbas noster, quem diximus, videratque, quam esset necessaria nostra præsentia, benevo-

benevoleque satis admonuit, supersedendum profectioni nostræ ad eas partes; se paratum, quando opus esset, redire, & nobiscum illuc pergere. Ejus benevolentiam amplexi manere decrevimus. Multa contulimus secundum genus & speciem, nunc de religionis totius, nunc de singulorum monasteriorum statu. Eidem literas dedimus, ut suffraganeos quoque monasteriorum visitare posset, atque corrigere. Collectas quoque in illis partibus, ut exigeret, injunximus non reluctanti. Sicque cum bona gratia nostra profectus, literas nostras ad dominum Fantinum (Dandulum) *gubernatorem Bononiæ sancti Michaelis negotium commendantes, & ad alios plures detulit. Visitavimus nostra monasteria, fratresque ad bene vivendum, quibus modis potuimus, hortati sumus. Blande priorem nostri monasterii alloquuti diuturniorem præteritam moram nostram excusavimus. Plura sæpe de negotiis nostris cum illo contulimus honorandi causa, & ut præteritæ illum commotionis pigeret. Neque tamen profecimus quicquam; idem enim perseveravit postmodum, qui antea fuerat. Animadvertimus id apertis indiciis, hic ut inserantur, nequaquam necessariis, adeout acrius illius* ἀκρατίαν & τυφὸν, *coercendi animus fuerit. Prospeximus paci juniorum* καὶ τὴν ἡμετέραν ὕβριν *æqua mente toleravimus, acturi de illo, quod Dominus inspirare dignabitur. Conclusimus tandem negotium domni Benedicti pacifice, pecuniasque recepimus, absolventes illum ab administratione omni plene.* Ad mensem septembrem pertinent hæ Ambrosii epistolæ. Sexta septembris [a] ad Lucam Angelorum priorem de Rainerio non recipiendo in monasterium, quem definitores nuperrime damnaverant. Idibus septembris [b] ad Mariottum, quem iterum invitat, ne difficultate victus renuat suscipere curam puerorum. Decimo-septimo kalendas octobris [c] Paulum Venerium abbatem sancti Michaelis de Muriano, cujus monasterium laudibus extollit, excitat ad zelum pro ordine. Vigesima-quinta septembris [d] ex Florentia Francisci Foscari inclyti ducis Venetiarum præsidium postulat pro Sandello abbate Carcerum vicarium agente in partibus Venetiarum, quo religiosam disciplinam in monasteriis ejus ditionis reparare valeat.

ANN. CHR. 1432.

[a] *Lib.* XIV. *ep.* VIII.

[b] *Lib.* XV. *ep.* VI.

[c] *Lib.* XIX. *ep.* IV.

[d] *Lib.* VI. *ep.* I.

Florentia movit Ambrosius kalendis octobris, ipsaque die venit Socium, postridie ad Fontem-bonum. *His diebus literæ a Comite nobis redditæ*, inquit, *præsentiam requirebant nostram. Cum se, quocumque mallem, venturum polliceretur, maluimus adire illum humilitatis gratia. Animadvertimus ex familiari colloquio eum nonnisi bono animo & intentione pacifica Hieronymum detinuisse, & eatenus detinere, ut illi persuaderet humilitatem. Multa in hanc rem contulimus. Faciles ad ignoscendum invenit, si modo culpam suam ille vellet agnoscere. Ubi vero nequicquam sudatum est, neque monitis amici fideliter consulentis requievit, suæ illi ditionis interdixit solo. Conatos se capere arte elusit, aufugitque contectus veste muliebri, licet nostrorum quoque negligentia evasisse dici possit. Inde profectus se ad Balneum contulit, commovitque Gerardum & oppidanos omnes, ut ad nos legatos mitterent, poscentes primo, ut redire liceret ad eremum, vel si id displiceret, ibi in aliqua ecclesia remorari sineretur, postremo ut vel sua ei vestimenta mitteremus. Advenientes legatos & magna instantia postulantes ista responso rationabili fregimus, neque ulli hujusce conditioni acquiescere voluimus. Admonuimus tamen, si redire vellet ad cor, & veniam postularet, nos illius admissuros pœnitentiam. Postremo dominum oravimus, ut illum vel traderet nobis, vel suo territorio emitteret; quod benevole quamprimum fecit. Inde profugus & nusquam securus acquiescens ad Sarsinatem contendit episcopum, ad quem literas dedimus, utque rebellem nostrum in nostri contumeliam non detineret, exegimus caritatis jure. Rescripsit benigne, seque*

& ple-

ANN. CHR. 1432.

tra palatium servabatur, diu alloquutus, atque cum illo una rediens, præsentibus illis legatis inhibuit, si rebellis esset noster, in territorio suo morari. Ad hæc negare ille se hujusce criminis reum. Tum constanter abbas alloquitur comitem non ita inter se convenisse, asseverans illum non esse facti sui optimum judicem. Quid multa? Comes in sententia perstitit, atque ita discessum est, dum ille reo nostro interdicere territorio suo noluit. Relatus hic nuntius nos immodice contristavit, quod indigna nostra amicitia tantus vir perpetrasse videretur. Dehinc officia instituere in eremo atque in Fonte-bono perreximus ex more VIII. septembris. Magna ex propinquitate Hieronymi contentio inter eremitas orta videbatur, quod is, qui eligendus erat Major, Hieronymo studere videretur. Tandem compositis & pacatis omnibus, officiisque injunctis, ut sollemne est, ad monasterium ea ipsa die redivimus, officia itidem nostra dispositiuri. His rite peractis, de consilio & consensu omnium Florentiam pergere instituimus, ut machinationibus Hieronymi possemus occurrere, qui scripsisse literas, conductumque postulasse, immo & impetrasse ferebatur. Hortati familiam die nona discessimus, comite nostri itineris abbate memorato. Sane antequam proficisceremur, non omisimus, quin comiti scriberemus plenas querimoniæ literas. Venimus ad Pratum-vetus, ibique visitato monasterio, post prandium adhibito notario, collationes tres exegimus, monasteriumque sancti Michaelis de castro Brittorum prope Bononiam (quod diutissime ab ordine subductum fratribus Gaudentibus cesserat, & modo, post obitum omnium, ab uno solo superstite sub pactione pecuniæ annuæ fratribus sanctæ Brigittæ consignabatur) domno Damiano contulimus, ut esset, qui causam monasterii atque ordinis gereret. Monasterium item sanctæ Christinæ de Tarvisio cuidam, quæ se pro abbatissa gerebat, abbate ipso consulente, & monasterium sancti Michaelis de Eremo socio itineris sui, provecto satis viro contulimus. Ipsa die ad monasterium sanctæ Margaritæ, ac postridie Florentiam hora ferme nona pervenimus, vigilia sanctorum martyrum Prothi & Hiacynthi, quorum corpora in ecclesia nostri monasterii nostro studio condita sunt. Ipsam celebritatem egimus cum fratribus nostris, a quibus comiter accepti fueramus. Literas dehinc a summo civitatis magistratu cum gratia impetravimus, quibus juberetur omnibus, ut faverent nobis contra rebelles omnes maturarent. Multa tentata sunt, ut fundum nostrum Camertinum vendere, & pecunias creditoribus restituere quivissemus. Scriptum quippe fuerat nobis a fratre non deesse, qui quadringentos aureos mutuo darent ea lege, ut tamdiu fundi perciperent fructus, quoad pecuniam suam illis redderemus. Verum hæc & alia potior quoque conditio evanuit. Aggressi sumus magno studio agere negotium cum domno Benedicto initum, cujus nequicquam tentati instantia nostra indignitatem ægre ferebat prior sanctæ Margaritæ homo nobis amicissimus. Misimus primo abbatem nostrum de Carceribus, qui verbis ultro citroque multis frustra consumptis, vacuus rediit. Perreximus ipsi postmodum, hominisque pertinaciam verbis castigavimus, parati illum, si persisteret, cogere. Humiliter satis respondit, præsentibus abbate ipso, & ipsius monasterii fratre. Demum conclusum inter nos est, ut habita eremitarum deliberatione, ipsum ab omnibus absolveremus, pactamque pecuniam reciperemus. His diebus orta est nobis cum fratribus nostris de nostra potestate contentio, putantibus illis se a jure nostro per suas exemptiones fore alienos. Consilium super ea re accipere placuit, inventumque est illos longe falli. Neque enim præjudicarunt illorum privilegia constitutionibus ordinis & apostolicis literis, plenissimam auctoritatem generali religionis patri tribuentibus. Erat nobiscum abbas noster, quem diximus, videratque, quam esset necessaria nostra præsentia, benevo-

benevoleque satis admonuit, supersedendum profectioni nostræ ad eas partes; se paratum, quando opus esset, redire, & nobiscum illuc pergere. Ejus benevolentiam amplexi manere decrevimus. Multa contulimus secundum genus & speciem, nunc de religionis totius, nunc de singulorum monasteriorum statu. Eidem literas dedimus, ut suffraganeos quoque monasteriorum visitare posset, atque corrigere. Collectas quoque in illis partibus, ut exigeret, injunximus non reluctanti. Sicque cum bona gratia nostra profectus, literas nostras ad dominum Fantinum (Dandulum) *gubernatorem Bononiæ sancti Michaelis negotium commendantes, & ad alios plures detulit. Visitavimus nostra monasteria, fratresque ad bene vivendum, quibus modis potuimus, hortati sumus. Blande priorem nostri monasterii alloquuti diuturniorem præteritam moram nostram excusavimus. Plura sæpe de negotiis nostris cum illo contulimus honorandi causa, & ut præteritæ illum commotionis pigeret. Neque tamen profecimus quicquam; idem enim perseveravit postmodum, qui antea fuerat. Animadvertimus id apertis indiciis, hic ut inserantur, nequaquam necessariis, adeout acrius illius* ἀκρατίαν ϗ τυφὸν, *coercendi animus fuerit. Prospeximus paci juniorum* καὶ τὴν ἡμετέραν ὕβρην *æqua mente toleravimus, acturi de illo, quod Dominus inspirare dignabitur. Conclusimus tandem negotium domni Benedicti pacifice, pecuniasque recepimus, absolventes illum ab administratione omni plene.* Ad mensem septembrem pertinent hæ Ambrosii epistolæ. Sexta septembris [a] ad Lucam Angelorum priorem de Rainerio non recipiendo in monasterium, quem definitores nuperrime damnaverant. Idibus septembris [b] ad Mariottum, quem iterum invitat, ne difficultate victus renuat suscipere curam puerorum. Decimo-septimo kalendas octobris [c] Paulum Venerium abbatem sancti Michaelis de Muriano, cujus monasterium laudibus extollit, excitat ad zelum pro ordine. Vigesima-quinta septembris [d] ex Florentia Francisci Foscari inclyti ducis Venetiarum præsidium postulat pro Sandello abbate Carcerum vicarium agente in partibus Venetiarum, quo religiosam disciplinam in monasteriis ejus ditionis reparare valeat.

a *Lib.* XIV. *ep.* VIII.

b *Lib.* XV. *ep.* VI.

c *Lib.* XIX. *ep.* IV.

d *Lib.* VI. *ep.* I.

Florentia movit Ambrosius kalendis octobris, ipsaque die venit Socium, postridie ad Fontem-bonum. *His diebus literæ a Comite nobis redditæ*, inquit, *præsentiam requirebant nostram. Cum se, quocumque mallem, venturum polliceretur, maluimus adire illum humilitatis gratia. Animadvertimus ex familiari colloquio eum nonnisi bono animo & intentione pacifica Hieronymum detinuisse, & eatenus detinere, ut illi persuaderet humilitatem. Multa in hanc rem contulimus. Faciles ad ignoscendum invenit, si modo culpam suam ille vellet agnoscere. Ubi vero nequicquam sudatum est, neque monitis amici fideliter consulentis requievit, suæ illi ditionis interdixit solo. Conatos se capere arte elusit, aufugitque contectus veste muliebri, licet nostrorum quoque negligentia evasisse dici possit. Inde profectus se ad Balneum contulit, commovitque Gerardum & oppidanos omnes, ut ad nos legatos mitterent, poscentes primo, ut redire liceret ad eremum, vel si id displiceret, ibi in aliqua ecclesia remorari sineretur, postremo ut vel sua ei vestimenta mitteremus. Advenientes legatos & magna instantia postulantes ista responso rationabili fregimus, neque ulli hujusce conditioni acquiescere voluimus. Admonuimus tamen, si redire vellet ad cor, & veniam postularet, nos illius admissuros pœnitentiam. Postremo dominum oravimus, ut illum vel traderet nobis, vel suo territorio emitteret; quod benevole quamprimum fecit. Inde profugus & nusquam securus acquiescens ad Sarsinatem contendit episcopum, ad quem literas dedimus, utque rebellem nostrum in nostri contumeliam non detineret, exegimus caritatis jure. Rescripsit benigne, seque & ple-*

Ann. Chr. 1432.

& plena cum caritate suscepisse ignarum rerum excusavit, & solo suo jam interdixisse signavit.

Octobri & novembri mensibus has dedit literas Ambrosius. Secunda octobris [a] Matthæo camerario scribit ex Fonte-bono, & gravissime cæsum consolatur. Ad Hieronymum fratrem scribens IV. nonas octobris [b] memorat magistrum Paulum medicum, & Dinum canonicum Florentinum. Tertio nonas octobris [c] Sebastiano abbati Camalduli-Florentini, ne monachi soli circumeant civitatem. Nonis octobris [d] potestatem facit Jacobo priori sanctæ Mariæ Angelorum de Bononia, cum primum excesserit e vita prior Camalduli-Bononiensis, eligendi successorem. Eadem die [e] Romualdo priori sancti Damiani de Bononia mittit juniorem monachum bonis moribus instituendum. Ipsa die [f] Petrum priorem Camalduli-Bononiæ ad mortem justorum sibi comparandam dulcibus adhortationibus allicit. Ea die [g] Augustinum monachum ex Bononia mittit ad Vallem de Castro. Ugolinum ovem errantem [h] ad claustra invitat. Nona octobris [i] epistolam scripsit adhortatoriam ad Augustinum monachum Angelorum ad bene beateque vivendum. Quinto idus octobris [k] Gabrielem Landinum alterum Angelorum monachum in teporem lapsum excitat ad fervorem. Quintadecima octobris [l] Justo priori sancti Marci urbis Volaterrarum pecuniæ solutionem quamdam juxta capituli sanctionem facere præcipit; quod mandatum repetit sequenti epistola [m]. Decimo-septimo Kalendas novembris [n] Nicolai ducis (Fortis-brachii) auxilium & protectionem implorat pro jure monasterii Burgi-sancti-Sepulcri contra episcopum Castellanum, quod labefactatum erat, dum erat Romæ per sententiam cardinalis Rotomagensis; quæ tamen impedita fuerat a pontifice, permissa impediendæ executionis auctoritate cardinali sancti Xysti. Ipse episcopus Romam præiverat pro continuanda urgendaque causa; Nicolaus tamen dux pollicitus fuerat abbati Burgensi omne adjutorium contra episcopum. Eadem die [o] scribit Hieronymo fratri, & post biduum [p] eidem commendat Johannem Arretinum, quocum familiaritate magna usus fuerat in Urbe. Memorat in hac epistola Hieronymum præpositum hospitalis Lemmi Florentiæ. Undecimo kalendas novembris [q] Johanni cardinali protectori arduum restituendæ suorum monachorum disciplinæ onus exponit. Agit de Hieronymo Balneense ab eremo semoto, ab ordine transfuga, in se (Ambrosium) rebelle, qui ausus fuerat ad pontificem & ad concilium provocare, contra quem cardinalis opem implorat. Item [r] Hieronymo fratri ingentes animi sui æstus pandit. Nonis novembris [s] Francisco Sandello refert querimonias prioris sancti Mathiæ, a cujus monasterii visitatione, ut abstineat, hortatur. Ea ipsa die [t] priorem sancti Mathiæ declinare conantem vicarii Sandelli censuram, & de eo obloquentem arguit. Facultatem se ipsi fecisse jampridem vendendi prædia in Faventino agro. Licere quoque ei sibi subjecta suffraganea monasteria visitare, collectasque ab ipsis exigere. Dulci demum increpatione ad meliorem frugem reducere tentat; commoverat enim ipse prior Venetos complures patricios, ne visitaretur suum monasterium ab abbate Carcerum prioris generali vicario. Quare eadem die [u] dedit Ambrosius literas Quirino nobili Veneto patricio, demonstrans visitationem ejus monasterii demandatam fuisse Sandello a capitulo generali Uranensi, non a se, cœnobium illud nullam pati ex visitatione injuriam. Agat quinimmo ipse Quirinus, ut prior mores suos corrigat. Similes dedit [x] Antonio Cedroplano Veneto, qui commendaverat Ambrosio priorem sancti Mathiæ & Augustinum hujus monachum, declarans non esse audiendas eorum querelas. Pertinent ad hanc diem epistolæ [y] Hieronymo

a Lib. XVI. ep. XV.
b Lib. XI. ep. XLIII.
c Lib. XVII. ep. XVII.
d Lib. XXII. ep. XV.
e Lib. XXII. XIV.
f Lib. XXII. ep. XIII.
g Lib. XXI. ep. XIV.
h Lib. XXII. ep. XII.
i Lib. XII. ep. V.
k Lib. XIII. ep. XXIII.
l Lib. XVIII. ep. XIII.
m Ibidem ep. XIV.
n Lib. V. ep. XIII.
o Lib. XI. ep. XLIV.
p Ibid. ep. XLV.
q Lib. II. ep. VI.
r Lib. XI. ep. XLVI.
s Lib. XX. ep. VIII
t Lib. XXI. ep. XI.
u Lib. VI. ep. XXXIX.
x Lib. VI. ep. XL.
y Lib. XI. ep. XLVII.

nymo fratri, Augustino [a] monacho sancti Mathiæ, & Jacobo monacho [b], cui postremo cupienti regredi ad monasterium sancti Michaelis de Muriano annuit. Octavo idus novembris [c] ex Fonte-bono Paulo Venerio abbati sancti Michaelis scribens agit fusius de instauranda religionis disciplina. Ad arduum hujusmodi opus promovendum nequaquam se illos vocaturum affirmat, qui eam in cultioribus sanctioribusque monasteriis exercent; hinc apertissime se protulisse, ut nullus ad se sequendum linqueret monasterium Angelorum, ubi reclusio & disciplina monastica apprime florebant. Damnat simultates inter priorem sancti Mathiæ & inter abbatem Carcerum, damnandasque pronuntiat ab ipso Venerio. Jacobum monachum revertentem commendat. Plures nobiles Venetos scripsisse sibi ad favorem prioris sancti Mathiæ, & adversus abbatem Carcerum. Franciscum demum Barbarum & Hermolaum Donatum salutat; Maurum quoque monachum (Lapi) memorat. Septimo idus novembris [d] Hieronymo fratri nuntiat Hieronymum Balneensem muliebri indutum veste effugisse e manibus, Florentiam adiisse pro impetrandis literis ab amicis ad Romanam curiam. In otio suæ solitudinis traduxisse se homilias quinque Chrysostomi in epistolam primam ad Timotheum: In calce codicum legitur: *Absolvi* 11. *kalendas novembris* 1432. obsistentibus vero perturbationibus animi intactam adhuc reliquisse versionem operum Dionysii Areopagitæ. Sexto idus novembris [e] prælatis & prioribus suffraganeis, qui subjiciuntur aliis prælatis, edicit encyclicis literis, ut parere omnes & subesse curent suis prælatis majoribus. Idibus novembris [f] Sebastianum abbatem admonet, ut eremitis debita solvat, ipsumque illiberalem in hospites præsertim a se missos carpit. Decimo-septimo kalendas decembris [g] ex Fonte-bono significat Ricciardo abbati generali congregationis Vallis-umbrosæ molestissimam provinciam sibi fuisse indictam visitandi ejus monasteria intra Thusciam. Conatum se fuisse excutere hocce onus, cum erat Romæ, sed perstante in sententia summo pontifice, & volente cardinale Jordano Ursino ejus congregationis protectore, nequivisse abjicere hujusmodi sarcinam. Se tamen facturum omnia recte. Proxime conventuros Pupii eos, quibuscum sibi ea fuerat cura demandata, & de modo agendi tractaturos. Ea die [h] scribens Jacobo abbati Agnani dolet sibi non licuisse reluctari, coactumque suscipere hujus visitationis pondus. In idem argumentum literas dat ipsa die [i] Hieronymo fratri, cui nuntiat de ea re indignanti se jam scripsisse abbati generali Ricciardo familiaritate ceteroquin sibi juncto. Memorat in hac epistola Scipionem amicum, qui ad se miserat Digestum vetus. Post biduum [k] Ambrosius Fantino Dandulo Bononiæ gubernatori commendavit negotium monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum, quod juris erat Camaldulensis congregationis ex privilegiis Paschalis II. Anastasii IV. Alexandri III. aliorumque Romanorum pontificum. Commendatum etiam vult ejus humanitati Antonium de Prato-veteri JC. amicum suum (Minuccium); monasterium quoque Angelorum. Ea ipsa die [l] Victorini Feltrensis opem implorat apud Aldobrandum Bononiensem, qui extorris a patria Mantuæ tunc degebat, tenebatque dictum Bononiense monasterium, quod tradere intendebat fratribus sanctæ Birgittæ, qui jam impetraverant a Romano pontifice literas id permittentes legato Bononiensi. Memorat in hac epistola antiquissimam suam cum Victorino amicitiam. Demum [m] eadem die ipsi Jacobo Aldobrando super ea re scribit ostendens jura vetustissima Camaldulensis ordinis in idem monasterium. Scripsit etiam [n] Jacobo Bononiensis episcopi vicario pro priore sancti Damiani Bononiæ. Decimo-tertio [o] kalendas decembris cum Johanne-Philippo

a *Lib.* XXI. *ep.* XV.
b *Lib.* XXI. *ep.* XVII.
c *Lib.* XIX. *ep.* V.
d *Lib.* XI. *ep.* XLVIII.
e *Lib.* XVIII. *ep.* IV.
f *Lib.* XVII. *ep.* XIX.
g *Lib.* IV. *ep.* IX.
h *Lib.* XIV. *ep.* XVI.
i *Lib.* XI. *ep.* XLIX.
k *Lib.* II. *ep.* XXIX.
l *Lib.* V. *ep.* XXXV.
m *Lib.* IX. *ep.* I.
n *Lib.* II. *ep.* XXXVI.
o *Lib.* II. *ep.* XXII.

Ann. Chr. 1432.

lippo Negusantio episcopo Sarsinate conqueritur, quod in suo episcopatu pateretur commorari Hieronymum Balneensem eremitam, immo in honore, ut aliqui ajebant, teneret; quod non credit de episcopo integerrimo, qui velit nimirum fovere hominem perditum. Se primum eum destinasse ad monasterium Burgense, quem eremitæ relegatum maluissent Venetias; impatientem subjectionis Hieronymum implorata comitis illustris fide in ejus territorio sedem fixisse, comitemque eum in gratiam sui redire fecisse, seque ipsum recepisse, dummodo se humiliaret, sed negantem hominem superbum humiliari, a ditione ejus comitis repulsum fuisse, qui tunc ad alium dominum prioris hostem concessit, a quo etiam dimissus postea fuerit. Se paratum omnia condonare Hieronymo, si veræ humilitatis & pœnitentiæ signa exhibuerit. Ea die [a] Bartholomæum Anglariensem abbatem acrius corripit monachos se inconsulto e cœnobio dimittentem.

[a] Lib. XVIII. ep. IX.

Plura, quæ enuntiantur in his epistolis lumen majus accipiunt ab iis, quæ in Hodœporico leguntur. *Magna querimonia nobis contra priorem sancti Damiani fuerat exposita, quod institutus executor testamenti cujusdam male administrasset, & in se legata retorqueret. Conventus itaque literis nostris se se contulit ad nos, prospectisque rationibus suis, injuste calumniam passum deprehendimus, rescripsimusque honeste, quantum licuit, accusatori, & priorem ipsum a nobis cum gratia dimisimus multis verbis admonitum. Scripsimus per illum literas negotium monasterii sancti Michaelis, de castro scilicet Brittorum, commendantes. Vicinam sollemnitatem Omnium Sanctorum acturi Camaldulum redivimus. Eo nos adiit Dionysius noster Venetias profectus visitandi gratia, multas ad nos literas afferens nobilium priorem sancti Mathiæ commendantes. Orta erat illi cum abbate nostro de Carceribus simultas, & adversus illum indigna suspicio, quod vices nostras illis in locis agens putaretur hæc & illa contra monasterium & priorem memoratum velle. Neque cunctatus erat multa illi crimina objicere, idque in laicorum nobilium aures. Displicuit mire tanta insolentia, eamque compescere ex nostro instituto perreximus, datis ad illum literis ejus stultitiam castigantibus. Nobilibus item respondimus rationabiliter & humane. Attulerat literas item commendantes Augustinum quemdam improbum adolescentem, qui monasterio memorato projectus sua & prioris intemperantia, redire illuc omnino decreverat, & ut permitteretur, instabat, a nobis sæpe passus repulsam, locatusque subinvicem in duobus monasteriis ire neglexerat. Multa contulit nobiscum frater memoratus & de priore suo, & de abbate memorato, & de statu monasteriorum, ac de moribus monachorum, sollicitudineque cumulatos reliquit. Petebat plurima ex persona prioris; ex his, quæ honesta videbantur, indulsimus. Multa & de mœroris nostri causa inter nos & nostrum exorta monasterium, (quia inde veniebat) locutus est nobiscum, eique caute satisfacere conati sumus, literis Hieronymi fratris nostri admoniti, & ipsius morum non ignari. Dedimus ei literas ad Augustinum memoratum, mandantes illi, ut omni dilatione postposita se conferret ad nos. Quidquid postremo postulavit, indulsimus, auctumque nostra benedictione dimisimus. Interea fratris literis certiores facti fratres nostri, quanta essent adversus nos indignatione concitati, & maxime pater monasterii, & duo alii, consulere jurisconsultum de potestate nostra instituimus. Clarum itaque ipsius professionis virum dominum Stephanum Bonacursum literis monuimus, ut non nostram, sed justitiæ causam tuendam susciperet. Rescripto consuluit. Acri dolore cruciati sumus, animadvertentes hanc amori nostro vicem reddi; peccatisque nostris imputavimus, quod viscera nostra violenter a nobis sentiremus avelli. In hanc rem sæpius scripsimus fratri & ceteris, qui nobis scripserant, nostram illo-*

ANN. CHR. 1432.

illorumque mæstitiam consolantes. Inter hæc repetitis nostri comitis literis orati, ut diem locumque constitueremus colloquii nostri, Pupium secundo profecti sumus. Illic ab eo comiter, ut solebat, accepti, sarcinam gravem & permolestam adjectam nobis ingemuimus. Literis quippe pontificis Romani negotium visitandi Vallis-umbrosani ordinis injungebatur nobis. Id negotii Romæ præsentibus nobis attentatum excutere sæpius conati, securi jam acquiescebamus, nihil tale suspicantes. Doluimus quidem eam provinciam molestissimam nobis injungi; sed et comes ipse indoluit vicem nostram. Quippe solum Pupiense monasterium visitandum nobis injungi cupiebat. Cardinalis præterea Ursinus ejus protector ordinis ad hoc vehementer suis literis incitabat. Quid plura? Arcto in loco circumventi, neque exitum reperire valentes rescripsimus sociis nostris, si vellent hyeme præsenti visitare, nos illic affuturos, alioquin oriente vere, religionis nostræ negotia tractaturos. Per eos dies, cum ad nostrum monasterium rediissemus, adiit nos carissimus Thomas Perusinus literis nostris evocatus, & officio suo satisfaciens. Plurima cum illo contulimus, & præcipue de monasterio sanctæ Trinitatis, quod cardinalis de Comitibus restituere ordini intenderat, cujus etiam rei causa fuerat in primis accersitus. Monacho suo manuale nostrum quoddam prope lacum Perusinum contulimus sanctæ Mariæ titulo insigne, plenumque gaudii & bonæ spei dimisimus. Repulimus quemdam ex Prædicatorum ordine sui itineris comitem, volentem religionem nostram profiteri, & alium subinde Arretii hoc ipsum flagitantem.

Vigesima-prima novembris [a] scripsit Ambrosius ad Augustinum Angelorum monachum. Die sequenti ex Socio [b] Hieronymo fratri; agit in hac epistola de cardinalis protectoris defectione a Romano pontifice, quam tamen non credit, & ex pluribus causis veram non esse putat. Memorat etiam in ea JC. peritissimum Stephanum Bonacursum. Nuntiat Hieronymum Balneensem fugatum fuisse a comite Gerardo, & transiisse ad episcopum Sarsinatem. Paschasio abbati Burgensi tertio kalendas decembris [c] scribit se misisse Romam Ugolinum quondam abbatem Faventinum contra machinamenta episcopi Tiphernatis. Ipsa die ex Fonte-bono [d] Johanni de Lavagna procuratori in curia commendat causam dicti Burgensis monasterii contra eumdem episcopum. Scripturas omnes esse penes Leonardum Dathum cancellarium cardinalis Ursini; monasterium Burgense antiquissimum esse & venerabile, sed etiam oppidum ipsum integrum juxta imperatorum pontificumque Romanorum privilegia esse ditionis Camaldulensium. Idipsum scribit [e] Justino Planco advocato consistoriali. Pridie kalendas decembris [f] Dionysio priori claustrali sancti Mathiæ; kalendis autem decembris [g] literas dedit Paulo Venerio abbati. Eadem die ex Fonte-bono [h] cum Eugenio Romano pontifice excusat se misisse ad concilium Basileense Hieronymum Pragensem eremitam, expectasseque pluribus diebus illius decretum & voluntatem, cum repente ex Cosmo factus fuit certior, ipsum pontificem assensisse concilio Basileensi. Copiam itaque Hieronymo fecisse, ut iret, sed cum inhibitione, ne quid diceret in ipso contra Romanum pontificem, solique hæreticorum confutationi insisteret. Caussam insuper Burgensis monasterii oppressam ab episcopo Castellano commendat ipsi pontifici, quam post sententiam Rotomagensis cardinalis commiserat ipse cardinali sancti Sixti; episcopum Romam venisse, ut gratiam collatam infirmaret; se paratum totis nisibus eam tueri. Cepisse se traducere Chrysostomi homilias in Pauli epistolas, sed distractum visitatione Vallumbrosani ordinis intermisisse, cujus oneris proinde absolutionem humiliter deprecatur. Nonis decembris [i] ex Arretio Mariottum revocat ad clau-

a *Lib. XII. ep. VI.*
b *Lib. XI. ep. L.*
c *Lib. XVIII. ep. VI.*
d *Lib. V. ep. XXIV.*
e *Lib. II. ep. XXXIV.*
f *Lib. XXI. ep. VI.*
g *Lib. XIX. ep. VI.*
h *Lib. I. ep. IV.*
i *Lib. XV. ep. VII.*

ANN. CHR. 1432.

a Lib. XI. ep. LI.

b Ibid. ep. LII.

c Ibid. ep. LIII.

XIII. Visitat ordinem Vallis-umbrosæ de mandato Eugenii IV.

strum Fontis-boni, misso Paulo monacho ad Pupiense monasterium, quem Mariottum monachis vallumbrosanis Vicarium ad tempus constituerat. Abjicere se velle onus visitationis hujusmodi, Sociis suis se scripsisse, ut mittant Pupium, quem mittere instituunt. Octava decembris [a] ex Arretio angores animi sui aperit Hieronymo fratri; eidem [b] ex Fonte-bono quinta-decima decembris velle se dimittere onus ejus visitationis, & post biduum [c], se non futurum Florentiæ nisi post festa natalitia declarat.

HOC scilicet mense Socium biduo remoratus Ambrosius nuntio certior factus fuit socios sibi datos in ea visitatione adventasse Pupium, accessumque suum ad eos præstolari. *Profecti continuo die jam advesperascente pervenimus. Occurrit nobis Comes noster ad pontem, secuti sunt illum comites nostri aliquandiu expectati, sicque simul oppidum ingressi sumus. Plurimis inde sermonibus habitis cum Comite nostro, datoque initio rei, pertractatisque quibusdam ipse Socium redii, sociis intra monasterii claustra manentibus. Duo quædam instituerant absentibus nobis, quæ nequaquam approbavimus, juris-consultum & notarium assumentes absque conscientia nostra. Postridie redivimus summo mane, adorsique post prandium visitationis officium, quinque ferme perpetuos dies transegimus, & an aliquid profecerimus, incerti sumus. Nos in palatio Comitis hospitium per eos dies habuimus, humanissime accepti jugiter. Displicuit in sociis immodicus apparatus, neque continuimus, quin sententiam nostram, leniter tamen, explicaremus. Post examen diligentissimum, cum de instituendo ibi vicario sermo haberetur, & hunc ille, hic alium præferret, ut Mariottum nostrum ibi dimitteremus, impendio a nobis postularunt. Advenerat enim ad nos visitandi gratia, neque ipse modo, verum abbas quoque nostri monasterii Vallis-castri. Durum quidem visum est, sed orantibus nequaquam reluctari diutius consilium fuit. Itaque ut onus ipse subiret, imperavimus, fecitque satis voto nostro. Visitavimus Comitem, vidimusque omne palatium & cisternam valde mirabilem, ipso duce & præeunte, conspeximus, multamque ingenii ipsius elegantiam sumus admirati. Nihil enim non ferme manibus suis transigit.* De prosecutione visitationis monasteriorum ordinis Vallis-umbrosæ anno sequenti, cujus initio fuit continuata.

Accessit ad nos, dum adhuc ibi essemus, abbas noster sanctæ Mariæ de Agnano, multaque contulit nobiscum de dispositione sui monasterii, opem nostram implorans multum. Consolatum a nobis, quantum licuit, dimisimus. Adeuntes e Pupio Comes ipse aliquandiu comitatus est honoris gratia. Discessimus ab invicem ea conditione proposita, ut quam primum successorem Mariotto mitterent, ne invidiæ pateret aditus, quod alieni habitus vicarium ibi constituissemus. Orarunt, ut mox Florentiam pergerem, quod facturum pollicitus, inducias, donec Arretium pergerem, postulavi. Veni Socium, & inde Camaldulum. Redierat ad me non vocatus Ugolinus noster, causa satis probabili inductus. Occupati paucis diebus in dispositione domus, iter arripuimus eo consilio, ut Arretium primo, inde Castellionem, Anglarium postea, Burgumque peteremus. Accepti humanissime a Jacobo nostro abbate, paucis ibi diebus secum remorati sumus. Quo tempore, dum monasteria nostra viseremus, comperimus neglecta fuisse monita nostra &c. *Visitavimus fratres nostros abbatem sanctæ Floræ & monachos reliquos, & præcipue Hieronymum meum, fœderareque disjuncta, & disrupta ferme resarcire curavimus, bona cum gratia abbatis ipsius. Fratres item Montis-oliveti gratissime vidimus* &c. *Arretii dum essemus, visitavit nos legatus Florentinorum Rodulphus Piruccius amicus noster, cui etiam literas & ad pontificem, & ad cardinalem Ursinum dedimus, petentes absolvi a visitationis officio* &c. Dum

adhuc

adhuc Pupii essemus, adierunt nos Florentinorum exactores auxilium postulantes, inopia nostra nequicquam allegata, ducentos sextarios tritici dare tandem pacti sumus. Burgum ire properavimus; visitavimus continuo gubernatorem Rogerium (de Cajano commissarium apostolicum) *antiquum amicum & juris-consultum celeberrimum, a quo grate accepti sermonem diutius protraximus. Ubi vero nos cognovit ex nomine (nam aspectu non norat) tum vero mirifice gavisus est, eamque lætitiam suam & gestu, & verbis facile significabat ... Postridie, idest duodecima decembris, inde discessimus..., venimus ea die ad monasterium Deciani ... Sequenti die cum ob nimiam vim inundationis amnem transire absque periculo nequiremus, conscendimus propinqui castri collem asperum, ut trajicere commodius breviores aquas possemus; verum præceps torrens & saxa volvens, quo erat angustior, eo periculi plus habebat in transitu. Cunctatis aliquandiu, & hæc atque alia nequicquam tentantibus consilium tandem fuit ad pontem regredi, breviore quidem, sed præcipiti & stricto calle. Conscendimus montis cacumen ardui, perque ejus dorsum ferme quatuor millia passuum iter agentes. Egimus sollemnitatem Dominicæ nativitatis in eremo nostra. Oraverat nos & nuntiis, & literis abbatissa monasterii Prati-veteris, ut celebritatem monasterii secum ageremus. Itaque compositis negotiis nostris, ut pro tempore licuit (Florentiam enim visitandi Vallumbrosanæ religionis causa ire necessario compellebamur) septimo kalendas januarias contendimus ad Pratum-vetus, quo vix tandem die advesperascente pervenimus, acri ventorum vi maxime afflicti. Egimus festivitatem beati Johannis in ipso monasterio, multum consolati de bono instituto & honesto ancillarum Christi apparatu. Unam ex his secretioris vitæ desiderio & studio intra brevem cellulam se continentem, & orationis ac lectionis studiis deditam ipsius precibus victi, matre tamen monasterii comitante, visitavimus, & in opere Dei sacræque quietis instituto confirmare curavimus, admirati nimium ipsius hanc mutationem, & in ea benedicentes Dominum. Deinde hortati omnes ab bene regulariterque vivendum, quinto kalendas januarias profecti, ea die ad consuetum sanctæ Margaritæ hospitium venimus. Prius antequam nostro monasterio Fontis-boni moveramus,* (die scilicet XVII. decembris) *contuleramus ecclesiam sanctæ Luciæ de Ancona domno Johanni monacho abbatis Vallis-castri, cujus mihi solatium Dominus clementia singulari providerat, ut eum vices gerentem nostras in monasterio linqueremus, securi de illius fide ac religione singulari conjuncta prudentiæ. Venimus Florentiam quarto kalendas januarias. Sed antequam ingrederemur civitatem, consilium fuit explorare prioris nostri sententiam, vellet ne, ut monachum, an vero ut prælatum suscipere? Divertimus ea die ad monasterium sancti Benedicti, ubi certiores facti ipsius voluntatis, postridie urbem introire constituimus, visitaturi prius cardinalem Rotomagensem, ac tum demum ad monasterium nostrum profecturi. Excepti sumus honorifice a priore & fratribus nostri monasterii sancti Benedicti, offendimusque animum antecessoris nostri fractum ac debilitatum in sanctæ religionis instituto. Siquidem aperte protestatus est, se vitæ asperitatem ferre non posse, senem jam atque infirmum, multumque se commendavit nobis. Eum bona spe relevare studuimus, pollicentes nos, ubi honeste liceret, illi non defuturos. Multis tamen verbis eum ad perseverandum in Dei opere animare curavimus. Itaque tertio kalendas ingressi civitatem, prælatos ordinis nostri ad nos invitavimus, ut eis maxime comitibus, cardinalem amicissimum nobis adiremus. Roma clam ille discesserat, & præter pontificis nutum, concilium aditurus. Suscepit nos benigne & cum bona gratia. Inde digressi ad nostrum monasterium venimus. Occurrerunt nobis fratres nostri, ipseque monasterii pater, grate-*

Ann. Chr. 1432.

grateque acceperunt. Sero cum consueti cubiculi locum nos mutare oportere, nuntiante fratre, percepissem, monasterii patrem accersiri jussi, solusque soli omnem præteritæ commotionis causam exposui, & quid sibi vellet hæc repentina mutatio, sollicite inquisivi. Bene ille rationabiliterque plura expostulanti respondit, & veniam postulavit. Negotium visitationis protinus aggredi voluimus, sed paucis diebus superjedere coacti sumus.

Nota chronica carent sequentes epistolæ, quæ tamen hunc annum indicant. Ad Nicolaum [a], qua ipsi pollicetur, ut ejus adhortationibus obsequatur, se conversurum animum a curis totum ad sacras literas, jamque significat se tres homilias Chrysostomi in epistolam ad Timotheum ex quinque, quæ supererant, paucis diebus absolvisse, (absolvit eas pridie kalendas novembris) & iis completis duas reliquas aggressurum super utramque ad Thessalonicenses. Effiuit in Chrysostomi laudes, afferens nullum utilius neque apud Græcos, neque apud Latinos dicendi genus arripuisse, adhortationes illius ad mores optimos & studia pietatis nequire pro merito laudari. Suadet, ut Nicolaus stimulos addat Thomæ Sarzanensi viro modestissimo. Displicet ipsi tantum invidiæ adversus Cosmum ab ingrata civitate, nulla justa præcedente occasione, conflari. Græcum monachum, subdit, suis literis Aristotelicum volumen suum requisivisse quod cupit illi restitui, sicut etiam cardinalem Ursinum Plautum suum & Tertullianum recipere optare. Salutat Cosmum, Laurentium, Carolum Arretinum. Alia ad eumdem Nicolaum [b], qua indicat se accepisse indicem epistolarum Hieronymi, nihil novum in ipso repertum, nihil, quod hactenus sit ignoratum. Carpit vaniloquentiam illius, facile Poggii, qui apud se grandem esse Hieronymi epistolarum numerum effutiebat, quas ex variis locis emendicaverat, vel fratris Lupi Hispani ex ordine sancti Hieronymi, de quo hæc habet in epistola [c] ad Nicolaum Thomas Sarzanensis. *De epistolis Hieronymi, quas esse apud fratrem Lupum ajebas, non sum deceptus, quia ita semper existimavi. Quid enim his credendum est, qui nondum discernere norunt inter barbara & Latina.* Ad Johannem Ferro [d], quem vocat, ut alumnos Fontis-boni erudiat, ex Pisis, ubi tunc morabatur Johannes. Ad Maurum Lapi priorem claustralem Fontis-boni [e], cui commendat, ut monachis inculcet frequens sacramentorum exercitium. Ad anonymum [f] de re domestica. Ad Matthæum monachum [g], cui excommunicationis pœnam minatur. Ad idem tempus, commorationis scilicet suæ in Urbe referri potest Ambrosii epistola scripta nomine Eugenii IV. Romani pontificis ad monachos omnes ordinis sancti Benedicti [h], qua paterna adhortatione pientissimus pastor remissum disciplinæ monasticæ rigorem in ipsis excitat.

Hoc ipso anno Philelphus ex ædibus suis Florentiæ decimo-tertio kalendas februarias [i] Ambrosio monenti, a quibus sibi cavendum sit, instituto suo respondit: *Utar more meo, & ut nemini noceam, & lacessitus injuria me virum esse meminerim.* Ex oppido Genatiani pariter die decima-tertia augusti [k] Jacobus Languscus a secretis in curia Romana scripsit Ambrosio Nicolaum de Leonardis physicum, maximum Ambrosii amicum morbo affectum fuisse, sed ex morbo convaluisse. Literas scriptas ab eodem Ambrosio in commendationem spiritualis filii sui Eustachii summopere placuisse, & laudatas fuisse a pontifice. Ostendisse etiam eumdem summum pontificem magnam gratiam in Nicolaum. Rogare tamen ipsum Nicolaum, ut iterum Ambrosius commendet Eustachium, ne tepescat pontifex audita Nicolai infirmitate. Salutat Jacobus *oratorem summum* Leonardum Arretinum, & Nicolaum Nicolium *magnum investigatorem*. Nicolai

a Lib. VIII. ep. XLI.
b Ibid. ep. XIV.
c Lib. XXV. ep. III.
d Lib. XVI. ep. XXIX.
e Ibid. ep. XVII.
f Lib. XXII. ep. XXVI.
g Lib. XIII. ep. XXXV.
h Lib. IV. ep. VI.
i Lib. XXIV. ep. XLII.
k Lib. XXIV. ep. XXVI.

colai de Leonardis physici extat epistola ad Franciscum Barbarum, & ad Andream Julianum apud cardinalem Quirinum inter epistolas Barbari in Appendice pagina XXXVIII.

ANN. CHR. 1432.

DIE XXVIII. julii Camaldulenses perpetuo locarunt monachis Montis-oliveti commorantibus in monasterio sancti Michaelis in Nemore prope Bononiam, ecclesiam, oratorium & hortum sanctæ Annæ inter ecclesias sancti Antonii & sanctæ Agnetis ejusdem urbis, ubi hactenus resederant sanctimoniales, sub annuo censu unius libræ ceræ; ipsorum enim monasterium sancti Michaelis destructum fuerat ante biennium, quod reparatum fuit anno 1437. & ad perfectionem redactum anno 1454. Ambrosii literæ patentes ejus concessionis habentur tomo IX. tabularii ejusdem monasterii sancti Michaelis. Effectu facile caruit concessio & ad alias sedes translati fuere hoc ipso anno Montolivenses, ut legitur apud Lancellotum [a].

XIV. Historica aliquot monasteriorum.

[a] Pag. 141.

In pagina donationis factæ hoc anno a Nicolao marchione Estense monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres, & Francisco Sandello abbati ejus loci, legitur monasterium illud ab illustribus progenitoribus Estensis familias fundatum, dotatum, & privilegiatum fuisse. Donationis paginam exequutus est die undecima martii nobilis vir Christophorus quondam Jacobi de Condulmeriis Venetus camerarius & procurator marchionis.

Angelus Balderii prior sancti Leonardi de Volubrio districtus terræ Montis-fortini confirmavit electionem Bartholomæi Dominicutii de Eugubio monachi Font-avellanensis & prioris ecclesiæ sancti Juliani de Firmo in priorem sancti Quirici de platea Firmi factam a religiosis viris Petro Mariani priore sancti Petri de Apedone, & Francisco Colæ priore sancti Quirici de Cupedone comitatus Firmi. Actum in domo ecclesiæ sanctæ Mariæ de Martyribus posita in Monte-fortino; præsente Jacobo Francisci priore ecclesiæ sancti Salvatoris de sancto Angelo in Pontano &c. Erant hæ omnes ecclesiæ priorales subjectæ monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ.

Junctinus olim Johannis canonicus Arretinus subcollector cameræ apostolicæ in diœcesi Arretina constitutus a Dino de Pecoris canonico Florentino nuntio apostolicæ sedis in Thuscia, attendens, quod redditus hospitalis sanctorum Jacobi & Christophori de Silice una cum ecclesia sive hospitali sanctæ Mariæ-magdalenæ de Arretio membro prædicti de Silice devenerint ad cameram apostolicam, eo quod jamdiu rectore hospitale vacaverit, non obstante unione facta a Francisco de Monte-politiano episcopo Arretino ipsius hospitalis de Silice cum hospitale sanctæ Mariæ de Oriente extra & prope muros Arretii; quæ quidem unio non subsistit, non interveniente consensu capituli Arretini, qui de jure requirebatur, citato rectore hospitalis de Oriente, neque comparente, declarat hospitale de Silice devolutum esse ad cameram apostolicam; ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus [b].

[b] Num. 657.

Extabat in oppido Fractarum provinciæ Urbinatis ecclesia ampla, in qua reposita fuit imago Deiparæ Virginis, quæ antiquitus reperta fuerat in nemore Castanearum, ædificata ab hominibus dicti oppidi, qui exhibebant rectorem seu plebanum abbati Classensi instituendum ab ipso in ea ecclesia.

ANN. CHR. 1433.

ANTEQUAM Ambrosius hujus anni initio prosequeretur visitationem ordinis Vallis-umbrosani, hæc acta fuere, quæ ipse describit in suo Hodœporico. *Per eos dies adierunt nos plerique prælati, consultaturi nobiscum, quid facto opus esset in collecta indicta per primores civitatis clero. Multis ultro citroque sententiis pro ingeniorum varietate dictis, hæc fuit conclusio,* nego-

XV. Prosequitur visitationem ordinis Vallis-umbrosæ.

ANN. CHR. 1433.

negotium majori numero clericorum ac prælatorum esse tractandum. Convenimus in monasterio sanctæ Mariæ juxta condictum, placuitque omnibus, ut cardinalis imploraretur auxilium, petereturque a decemvirali magistratu, ut de voluntate pontificis fieret cleri solutio, dareturque dilatio ad novas fruges. Ipse ea legatione functus sum. Sed parum profecit ista nostra diligentia; ipso quidem ad omnia parato impendere operam & opem suam, verum rebus ita afflictis, ut neque ipse exauditus sit. Alteri quoque nobis a pontifice injuncto operi per eos dies incubuimus. Frequentes ad nos amicorum concursus fuere. Expostulare coram monasterii senioribus licuit de modo intemperantiæ præteritæ, fecimusque. In eam rem plurima utrinque dicta sunt, cum e consessu pater monasterii repente resiliit; ipsius commotionem blande postea corripuimus. Adhibitus est, qui negotia componeret juris-consultus amicissimus nobis. Opiniones de nobis falso præsumptas, quod quasi jura monasterii temerare vellemus, publice fratres omnes allocuti, resecare curavimus, quantumque in nobis fuit, omnium corda lenivimus oratione nostra, & simul omnes & seorsim singulos ad pacis indisruptum fœdus sectandum die noctuque incitantes, satisque miserante Christo profecimus. Adiit nos Vallumbrosanus abbas, commendavitque religionem suam, neque ipse solum, verum abbates quoque plurimi, & cum eo pariter, & seorsum singuli quique rem suam commendantes. Triduum ferme in nostro monasterio sancti Salvatoris remorati, ad pascua consueta redivimus. Literas a duce militiæ Florentinorum Nicolao secundo percepimus, abbatem monasterii de Anglario summa ope commendantes, neque ipsius modo, verum aliorum quoque precibus fatigati sumus. Responsum est omnibus rationabiliter. Demum dum hæc atque illa moliri diceretur, monasterii ipsius commodis consulentes, abbate ipso ad claustrum revocato, substituimus ei digniorem hominem, scilicet optime de nobis meritum Rainerium priorem sanctæ Mariæ de Balneo. Profectus ille pacificam monasterii possessionem cepit, cum postridie superveniens armata manu abrogatus ille eum inde deturbare voluit. Nihil tamen profecit, nam ut id significatum est nobis, literas ad ducem illum & a decemvirorum magistratu & a privatis civibus scribi fecimus, ipsique scripsimus, admonentes eum & infamis vitæ hominis, & honestatis suæ. Rescripsit placide & leniter, nihilque homini ultra auxilii impendit. Hominem quoque ipsum convenimus literis, sub anathematis pœna mandantes, ut se intra certum diem conferret ad nos. Parere contempsit, immo ne literas quidem accipere aut legere voluit. Ceterum has affigi valvis majoris ecclesiæ imperatum est, omnesque didicerunt, qua ille fuisset pœna conventus, illo in malis perseverante, neque proficisci ad nos consentiente. Dux militiæ Florentinorum Nicolaus existimatur ab iis, qui notas addiderunt epistolis Ambrosii, Nicolaus Marruccius Tolentinas; sed is nondum acceperat insignia, quæ recepit hoc anno die sancti Johannis-baptistæ. Videtur potius intelligendus Nicolaus Forte-brachius. Videatur epistola V. libri I. ad Eugenium mox afferenda.

Decimo-octavo kalendas februarii [a] ex monasterio sanctæ Mariæ Angelorum Ambrosius Matthæum camerarium Florentiam vocat, asserens se cupere domino civitatis alloqui, ne pro indicenda clero collecta supra modum & vires oneretur. Decimo-quinto kalendas februarii [b] Bartholomæo de Monte-gonzio scribit se literas dedisse cardinali de Comitibus, egisseque gratias, quod ordini restituerit monasterium sanctæ Trinitatis de Perusio: conditiones hujus restitutionis Bartholomæo committit; cardinalem Ursinum libere dimisisse monasterium Cortonense; ipse proinde cardinalis de Comitibus vel libere, vel cum pensione monasterium Perusinum restituat.

Sed

a *Lib. XVI. ep. VII.*

b *Lib. V. ep. XXIII.*

ANN. CHR. 1433.

Sed Hodœporicon prosequamur: *Vigesima ferme die postquam Florentiam veneramus, prælatos quosdam Vallumbrosanæ religionis in monasterio sanctæ Trinitatis adhibuimus, lectisque apostolicis literis, hortati omnes sumus ad zelum domus Dei, atque ad retegenda vulnera sua, ut posset per nos remedium congruum adhiberi morbis singulis. Abbatem Henricum ejus monasterii invenimus plane bonum virum & vitæ laudabilis. Triduum ibi visitando & necessaria disponendo consumpsimus. Inde ad monasterium sancti Pancratii profecti, biduo egimus, abbatem itidem boni testimonii hominem adhortantes, atque ad meliora provocantes, ibique item compositis rebus ad sanctæ Verdianæ monasterium, quia extra muros civitatis est, pergere instituimus. Offendimus ibi laudabilem ordinem, vitæque communionem, & in sexu fragiliore observantiam admirandam, & præcipuam honestatem. Exhortati eas sumus ad profectum, atque ad perseverantiam boni operis, & ad virginitatis illibatæ veneranda certamina. Quædam ibi quoque necessaria constituimus pro conservatione monasterii. Ancillas deinde Christi multum sane consolati reliquimus, atque ad aliud extra muros monasterium perreximus, ubi singularis observantiæ regularis bonum non minus vigere, quam in primo deprehendimus, licet ab hoc illud derivaret. Laudavimus Deum, quod præter spem expectationemque nostram tantum in vasis fragilibus divini amoris invenimus, hortatique ad meliora, & ad sancti certaminis perseverantiam animantes, nonnulla item salubriter statuentes inde discessimus, eas multum lætas & hilares dimittentes. Inde ad sancti Bartholomæi tendentes monasterium, quod Ripolis dicitur, triduum ibi remorati sumus, pluribus indignis de abbatis conversatione perceptis, ad quæ discutienda necessario id temporis consumpsimus. Multis pro illo & contra illum testimoniis acceptis inde discessimus ad monasterium sancti Salvii profecturi.* Ex monasterio pulcherrimo Ripolitano, quinto kalendas februarii [a] Hieronymo fratri significat Ambrosius Hieronymum Balneensem olim transfugam & rebellem paratum jam morem gerere. Ante tres dies [b] ex Florentia, Johanni Siculo priori sancti Pauli de Urbe scribit de visitatione Vallumbrosani ordinis, & an socii simul vel singillatim relationes de ea facere debeant Romano pontifici inquirit. Insuper sibi, & abbati Camalduli-Florentini & septem canonicis officium injunctum fuisse imponendi clero Florentino quinquies mille & ducentos aureos mercatoribus debitos; qui se nimium gravari putent, non esse exaudiendos. Johannem demum precatur [c], ut inducias sibi unius diei obtineat a Romano pontifice ad respondendum. Die sequenti [d] scribit Eugenio IV. non esse attendendas querelas clericorum circa collectam. Insuper se amovisse abbatem Anglariensem a regimine, qui patria Burgensis est; quia tamen timet, ne Nicolaus a Romano pontifice constitutus gubernator Burgi protectionem abbatis suscipiat, ideo ipsum orat, ne flagitationibus aurem præstet. Etiam ad hanc Ambrosii epistolam adnotatores Nicolaum hunc interpretantur Nicolaum Marruccium Tolentinatem in Florentinorum ducem creatum die sancti Johannis-baptistæ hujus anni. Nos melius credimus indicari Nicolaum Fortebrachium, cui in emphyteusim ab Eugenio IV. traditum fuerat oppidum Burgi anno antecedenti. Kalendis [e] februarii Jordano Ursino cardinali gratias agit pro restituto monasterio Cortonense. Ne audiat querimoniam clericorum, qui gravatos se sentiebant in collecta debita mercatoribus juxta partitionem factam ab octo-viris quique Romam miserant, qui conquererentur, atque opinio multorum erat ipsos adituros eumdem cardinalem. Deprecatur a se amoveri incœptam visitationem ordinis Vallis-umbrosani. Leonardum

a *Lib. XI. ep. LIV.*

b *Lib. IV. ep. IV.*

c *Lib. IV. ep. V.*

d *Lib. I. ep. V.*

e *Lib. II. ep. VIII.*

Ann. Chr. 1433. XVI. Eligitur legatus urbis Florentiæ ad concilium Basileense.

nardum demum Dathum juvenem optimum, amicissimum, ardentis ingenii ipsi cardinali commendat.

Dum *hæc aguntur*, sequitur Ambrosius in Hodœporico, *nuntius allatus est, qui nos præcepto pontificis & electione civitatis legatione fungi in Germania oportere, signaret. Ea res, licet laboris plurimum ac difficultatis habere videretur, obsistere nequaquam ausi sumus, simul & comparatione molestioris rei, grate a nobis admissa est. Venerat Florentiam & abbas noster, quem vicarium constitueramus, Eustachius nimirum abbas Vallis-castri, ut nos viseret, Hieronymumque fratrem, monasteriumque nostrum visitaret. Acceptus est gratissime ab omnibus, auctusque gratia nostra remeavit. Abbas insuper institutus Anglarii profectus ad nos, quæque acciderant, & quæ in rem nostram ipse egisset, aperuit, acceptisque mandatis, quid fieri vellemus, abscessit. Interea, quinam peregrinationis nostræ comites futuri essent, cum tractari cepisset, decretum tandem est, ut Burgensis abbas, domnus Ugolinus, prior sanctæ Margaritæ, domnus Dominicus, Benedictus cognatus noster & tres famuli nobiscum irent. Conventi a summo magistratu civitatis honorifice accepti sumus, & ut nos præpararemus ad exitum jussi. Tum vero fidem in nos amicissimi nostri Dini canonici benevolentiamque præcipuam experti sumus. Siquidem per seipsum, per nuntios semet & sua omnia nobis offerre perrexit, equos, argentum, pecuniam, vestes & cetera peregrinantibus in usum necessaria. Hoc ipsum & pater meus abbas Florentinus noster in visitando socius humanissime & liberalissime egit. Et Cosmus humanissimus ante omnes, ac Laurentius frater atque alii.* Extat epistola Ambrosii ad Gometium abbatem sanctæ Mariæ Florentiæ data idibus februarii [a] ob legationem sibi impositam ad concilium Basileense mutuas pro itinere poscentis pecunias. Hac profectione sua interceptum visitationis Vallis umbrosanæ negotium Romanus pontifex demandet ipsi (Gometio) & alteri ejus socio, vel alterum ipsis addat. Alia quoque [b] ad Dionysium priorem claustralem sancti Mathiæ, qua XVI. kalendas martias ei significat se proficisci legatum civitatis suæ ad concilium.

a Lib. IV. ep. VIII.

b Lib. XXI. ep. VII.

Intentis nobis atque ad iter expeditis, rumor allatus pontificem approbasse concilium Basileense, quod eatenus noluerat, indicavit. Itaque, ne diutius magno incommodo nostro remorari cogeremur, adito magistratu summo, ut revisere nostra liceret, oravimus, & cum benevolentia impetravimus. Sollicitarat absentes literis antecessor noster orans, ut sui misererer, ne deseserem, ut monasterium sancti Petri de Cerreto conferrem sibi, quod monasterio nostro annexum, nequaquam ultra juris nostri erat. Et cum a nobis rationabiliter hæc illius postulatio rejiceretur, institit tamen, ut pro illo intercederem, & se accersirem ad me. Id facere nequaquam consensi, ne auctor illius instabilitatis juste reprehendi possem, ceterum hoc illius arbitrio permisi. Venit ad nos multisque verbis cum fratribus nostris, cum quibus negotium agebatur, nequicquam consumptis, re tunc infecta discessum est.... Hieronymus ille refuga noster posteaquam contra nos tentarat omnia, Roma rediens, Florentiam venit. Ibique amicorum precibus, ut sibi parceretur, obtinuit. Adiit nos denique, veniamque supplex postulavit. Benigne acceptus est a nobis, Senasque ad nostrum monasterium de Rosa ire jussus. Obtulit nobis literas commendatitias amicissimi viri nobisque optime cogniti episcopi Cerviensis (Christophori a sancto Marcello referendarii summi pontificis*), quibus ille eum ita commendabat, ut totum tamen permitteret arbitrio nostro, nostræque illum, jussu quoque pontificis, subjiceret ditioni. Alium item Hieronymum fratri nostro abbati de Agnano vehementer infestum auctoritate*

ctoritate nostra repressimus, loco suo stare jussum, adjectis terroribus gravibus, nisi acquiesceret. Legati per eos dies a pontifice ad concilium missi Florentiam venerant, amicissimi nobis. Eos, ut erat officii nostri, visitare studuimus. Multa contulimus invicem, neque tamen bonæ spei quicquam reportavimus, ita desperata videbantur concilii negotia. Legatum æque visitavimus Bononiam a pontifice directum (Marcum Condulmerium pontificis nepotem Avenionensem episcopum suffectum gubernatorem Bononiæ in locum Fantini Danduli) *Ubi vero impetrata profectio fuerat, decimo-tertio kalendas martias sumpto prandio moventes nostro monasterio, ea die ad nostrum diversorium sanctæ Margaritæ pervenimus die jam advesperascente. Magna inundatio effecerat, ut itinera etiam planiora transitu difficilia fierent, adeout cum in quemdam campum necessario divertissemus itinere obstructo aquis, mula, cui insederamus, molli sabulo infixa penitus vix enatare posset, idque posteaquam descendissemus. Postridie monasterio ipso dubia tempestate discessimus, quippe nocte tota nix alta descenderat, priore nostro, ne usquam proficisceremur, hortante. Ubi vero ningere destitit, iter aggredi satius putavimus, veriti, ne si clementiorem aerem præstolari pergeremus, remorari illic plusquam vellemus, & plusquam satis esset, cogeremur. Nondum quingentis passibus a monasterio excesseramus, cum repente ingens venti procella exorta nos adeo vexare cepit, ut algere plusquam unquam alias inciperemus, præter quam quod ipsa vi flatus molestissima affecti ferebamur. Nivem deinde is turbo excussit adeo frequentem, ut nihil ad eam molestiam addi posse videretur. Et tamen etsi sæpius pœniteret movisse monasterio, colluctari cum ea tempestate delegimus, majoris mali metu. Adeo enim inhorruerat aer, ut hyemi tunc dari initium videretur. Afflictis asperiore cœlo, incommodi illud adjectum est, quod nix perpetua caligine adjuncta ita vias & itinera obsederat publica, ut nisi peritissimos eorum duces habuissemus, devia sequuti essemus. In tantam vero altitudinem excreverat nix, ut jumenta, quibus insederamus, per eos maxime montes, qui ad Prunum appellantur, enatare non possent, adeout sex fere passuum millibus emensis, desperatione victi ad monasterium, unde moveramus, redire cogitaverimus. Verum eam ipsam cogitationem & ipsi damnavimus. Itaque pertinaciore studio quam ceperamus, obstinatiusque contra tempestatem ferebamur. Maximo tandem labore & fatigatione pervenimus ad Pratum-vetus. Inde feria quarta cineribus acceptis inde digressi sumus, datis nobis ab amicissimo nostro Felice viris quibusdam, qui itinera montium aperirent, nivibus altissimis obsessa. Magno cum labore nostro breve illud itineris intervallum Mojonam usque peregimus; inde longiori ambitu venimus ad nostrum monasterium Fontis-boni.*

XVII. Epistolæ hujus anni.

Ex Fonte-bono datæ sunt literæ Ambrosii [a] ad Michaelem monachum Angelorum, quibus conqueritur de monachis Angelici monasterii sibi adversantibus, & paternæ in ipsum dilectionis affectum declarat. Epistola data est XII. februarii, sed ea die nondum Fontem-bonum pervenerat. Sexto nonas martii [b] ad Dionysium priorem claustralem sancti Mathiæ de rebus monasticis. VIII. idus martii [c] percontatur a Hieronymo fratre an spes liberationis sit a suscipienda legatione ad concilium, cum tamen summus pontifex urgeat ad exitum. Quarto idus [d] ab eodem iterum inquirit, an sibi eundum sit ad concilium, quod nescit. Ex Bononia nuncium se accepisse Venetos legatos Ferrariam oppetituros adventum suum. Iterum eidem scribit XIV. kalendas aprilis [e] cardinalem Ursinum sibi ex Urbe dedisse literas asserentes, quod pontifice decernente eundum sibi sit ad concilium, & civitatem Florentinam debere mittere legatos. Quod si non prius

a *Lib. XIII. ep. I.*
b *Lib. XXI. ep. VIII.*
c *Lib. XI. ep. LV.*
d *Ibid. ep. LVI.*
e *Ibid. ep. LVII.*

Ann. Chr. 1433.

prius, subdit cardinalis, nobiscum certe ibis, qui ad finem mensis istius Urbe movebimus; Leonardum Arretinum e contra affirmare civitatem ob ærarii penuriam non missuram legatos. Dinum canonicum nominat, & Johannem Guicciardinum, qui equos sibi miserant ad iter hujusmodi. Decima-sexta martii [a] ex Fonte-bono scribit Francisco Sandello; Vigesima-prima martii ex Arretio [b] Bernardo abbati Volaterrano; VIII. Kalendas aprilis [c] ex Fonte-bono Hieronymo fratri. Die sequenti [d] data est Ambrosii encyclica ad omnes prælatos Camaldulenses, qua eos adhortatur ad disciplinam restituendam, moresque reformandos in suis monasteriis, juxta ea, quæ tradita sunt in constitutionibus ordinis, & in libris de Moribus, ac etiam in novissimis decretis capitulorum Burgi & Urani annis 1430. & 1431. Nimirum de carnibus non comedendis, de camisiis lineis non deferendis, & ceteris, quæ pertinent ad honestatem vitæ. Statutum præterea factum in iisdem capitulis de quibusdam festivitatibus celebrandis modis omnibus servari vult, ut videlicet de sancto Ignatio episcopo & martyre duodecim lectiones fiant, de sanctis Cleto & Marcellino tres lectiones, de sancta Anna duodecim lectiones, de sancto Alexio tres lectiones, de sancto Basilio tres itidem lectiones, de Visitatione beatæ Mariæ sollemnitas plenissima absque octava. Præterea indicit, ut sequens generale capitulum, quod deinceps de triennio in triennium est celebrandum, fiat in monasterio Fontis-boni, ad quod prælati omnes conveniant sub pœna in postremo capitulo constituta, ut ibi possint necessaria quæque tractari pro reformatione religionis, & conservatione observantiæ regularis, ut fiat congregatio in laudem Dei & sanctæ religionis augmentum. Data est Ambrosii circularis hæc epistola in nostro monasterio Fontis-boni VII. Kalendas aprilis anno Domini M. CCCC. XXXIII. indictione XI. Quinto Kalendas aprilis [e] Hieronymo fratri scribit. Octava aprilis [f] Sandello abbati significat se adhuc ancipitem, an eundum sibi sit ad concilium, an vero continuanda visitatio ordinis Vallumbrosani. Ea ipsa die [g] Hieronymo fratri dat literas asserens definitum tandem fuisse non amplius esse sibi proficiscendum ad concilium; quare visitationes ordinis aggredi constituit. Quinto idus aprilis [h] Augustino Angelorum monacho, tertio idus Gaspari [i] alteri ejusdem loci ascetæ epistolas mittit. Decimo-septimo kalendas maji [k] Hieronymum fratrem certiorem facit in literis cardinalis Ursini alia prorsus contineri, quam profectionem ad concilium; quare solutum se ab ea cura, de visitatione peragenda monasteriorum ordinis cogitare. Decima-octava die aprilis [l] a Luca priore Angelorum visitationem auspicaturus exposcit duos sibi monachos itineris socios dari, quamvis obstet lex perpetuæ clausuræ. Duodecimo & decimo kalendas majas [m] scribit Hieronymo fratri; hac postrema die [n] Franciscum priorem sancti Benedicti orat, ut in socium sibi det visitationum Simonem monachum. Memorat Andream, qui Volaterris exercebat militaria studia. Die sequenti, octavo, septimo, & quarto Kalendas majas [o] idem de visitatione argumentum ad Hieronymum fratrem. Hac postrema die [p] Silvestrum Angelorum monachum literis alloquitur; ea ipsa die [q] Augustino monacho pollicetur, se interfuturum celebrationi primæ ipsius Missæ, si hæc differatur ad mensem septembris.

Commorans Ambrosius in Fontis-boni solitudine, nil antiquius habuit, quam ut inibi reformationem induceret. Itaque accito Mariotto ipsum in præceptorem & magistrum puerorum & novellorum germinum dedit. Quod describit in Hodœporico: *Et quoniam claustri reformandi*, inquit, *quod diu pessime fuerat gubernatum, cura nos acris urgebat, neque satis, qui*

ad

a Lib. XX. ep. IX.
b Lib. XVI. ep. XXXIII.
c Lib. XI. ep. LVIII.
d Lib. XVIII. ep. III.
e Lib. XI. ep. LIX.
f Lib. XX. ep. X.
g Lib. XI. ep. LX.
h Lib. XII. ep. VII.
i Lib. XIII. ep. XXIX.
k Lib. XI. ep. LXI.
l Lib. XIV. ep. VI.
m Lib. XI. epp. LXII. LXIII.
n Lib. XVIII. ep. X.
o Lib. XI. epp. LXIV. LXV. LXVI. LXVII.
p Lib. XIV. ep. XXIII.
q Lib. XII. ep. VIII.

ad eam rem idoneus esset judicio nostro occurrebat, aliquanto diutius eam cogitationem traximus. Placuit tandem ad eam rem accersire Mariottum illum, cujus supra facta est mentio, utpote quem votis nostris concordem deprehendissemus apertis indiciis, etsi nonnihil difficultatis obstare videbatur. Sublata tamen difficultate omni, quod cupiebamus, effectum est, venitque Camaldulum pariturus monitis nostris. Inde fugatis, qui pessime nutriti fuerant, quique corrumpere posse massam omnem fermento suæ iniquitatis videbantur, pueros sancte educari novos constituimus, eique operi initium dedimus, permissa omni facultate, liberaque in pueros auctoritate Mariotto ipsi ea intentione, ut majore quoque postea diligentia prospiceremus claustri ipsius perpetuæ tranquillitati, quod facere Christo propitio intendimus.

Ann. Chr. 1433.

Eodem tempore hospitale Patavinum contulit Leonardo monacho abbatiæ Carcerum, prioratum Cellæ Dominico, monasterium Prataliæ Johanni Arretino. Arretium contendit, ubi ipsum adiit abbas monasterii sanctæ Floræ, qui contra Hieronymum monachum suum (de Alleottis) expostulavit plurima, quem Ambrosius conventum secretius ad humilitatis institutum revocare curavit. Hilarianum abbatem Deciani, qui commutaverat abbatiam Deciani cum alia sancti Marci Volaterrarum, quam obtinebat Mariottus, præfecit monasterio Campriani, collata illa Deciani eidem Mariotto. Elegit priorem sanctæ Mariæ in Balneo, in qua electione jus sibi vindicabat comes Gerardus Gambicurta, cui restitit. Egit in eremo sacram hebdomadam. Eustachium abbatem Vallis castri, qui eatenus vicarium sui egerat in Fonte bono, ad monasterium suum dimisit una cum Fazino consanguineo suo, quem olim scribam suum a suo latere justis de causis amoverat Ambrosius.

XVIII. Visitat monasteria Bononiensia & Veneta.

Ubi *vero plusquam duos menses expectatum est, neque legationis nostræ negotio finis dabatur, ne tempus diu nequicquam tereremus, instituimus visitationes aggredi religionis nostræ. Verum antea Florentiam misimus abbatem nostrum cum literis ad magistratum summum civitatis, quibus significaremus, nos Venetias petere visitandi ordinis gratia, paratos semper & ubique civitatis obsequi jussis, quando illorum decretis aut iteris conveniremur. Indultum a præsulibus est, ut bona cum pace nostra & illorum gratia proficisceremur. Itaque compositis, quantum fieri tum potuit per inutile ministerium nostrum rebus, monasterio nostro movimus quarto kalendas majas, ipsaque die venimus ad Pratum-vetus. Ibi ancillas Christi visitantes ad bene vivendum sumus hortati, simul ut pro nobis orarent instantius postulantes. Vidimus & inclusam illam & ad perseverantiam boni operis animare curavimus. Inde moventes venimus ad nostrum monasterium sancti Petri de Luco, ibique itidem famulas Christi adhortati, nosque precibus illarum commendantes kalendis maji iter arripuimus, ut Bononiam proficisceremur. Euntibus literæ a nostro abbate de Carceribus redditæ sunt, tabellario nobis inter alpes obviam facto. Orabat mirifice abbas ipse, ut proficisceremur simul, & prioris sancti Mathiæ contra se intemperantiam quereretur, de quo, quia locus aptus occurrit, paucis exponendum est.* Hic narrat pluribus Ambrosius Angeli Cieræ prioris sancti Mathiæ pervicaciam, qui a vicario prioris generalis visitari monasterium suum detrectabat, contraque jura ordinis appellationem priorum sibi subjectorum ad priorem generalem impediebat, suoque marte vivens jugum excutiebat obedientiæ.

Tum prosequitur narrationem itineris sui. *Venimus prima mansione ad castellum munitissimum, quod Caurennum dicitur, & sequenti die Bononiam, ubi extra urbis mœnia in monasterio nostro sanctæ Mariæ de Camaldulino ea die remorati, postridie Bononiam, clam fere, ingressi sumus, consulto devi-*

Ann. Chr. 1433.

devitantes occursum amicorum, qui nobis ire obviam instituerant, divertimusque ad monasterium nostrum sancti Damiani. Adierunt nos illic frequentes amicorum conventus & nobilium, & studiosorum. Sed eminebat affectus nobilissimorum equitum Romanorum Stephani Porcii prætoris urbani, & Mariani mei illustris adolescentuli germani sui, qui omnium in nos officia superare studebant, & visitationibus crebris & significationibus gratiosissimis amoris penitus insiti. Plerique ex his munusculis quoque prosecuti, conviviis insuper nos excipere voluerunt. Sexta vero mensis monasterium nostrum sanctæ Christinæ visitationis inchoandæ gratia adivimus, ubi suscepti cum processione solita, juramentum obedientiæ a matre monasterii & monialibus ceteris exegimus, præmissaque exhortatione salutari, ea ipsa die examen incepimus. Exacta discussione sollemni, gratias egimus Deo, quod offendissemus institutionem satis opinione meliorem. Itaque illas multum exhortati ad bene vivendum, quædam utiliter ac necessario instituimus, eisque scripta & servanda reliquimus. Unam ex his novitiam in festivitate sanctæ Christinæ, legitimæ ætatis ac bonæ indolis sacravimus, magno cum gaudio, nemine omnino secularium intus admisso; quod & si grave aliquantum visum est, id tamen postea magno earum omnium consensu & affectu approbatum fuit, ita ut nunquam antea neque honestiorem, neque pulcriorem sollemnitatem se vidisse omnes faterentur. Indulsimus tamen, ut tibicines in vesperis admitterentur, ne consuetudinem omnino videremur aversari, in celebritate præcipua monasterii duplici, & tituli scilicet, & consecrationis. Unum illis grave visum fuit, quod eas parentum domos adire prohibuimus. Consueverant enim vel conventæ ab illis, vel sponte sua, interdum, immo & sæpe illuc ire. Eam legem earum oratu ita temperavimus, ut extremæ infirmitatis casu liceret, permittente matre monasterii, proficisci. Composito utcumque monasterio, ad sancti Damiani priorem visitandum profecti sumus. Scripseramus mox, ut Bononiam ingressi sumus, venerabilibus fratribus nostris abbatibus sancti Michaelis de Muriano & sanctæ Mariæ de Carceribus, significantes adventum nostrum, quia sic nobis convenerat, quod alter ex his exire nobis obviam constituisset, sed præreptæ literæ alterius fuerunt, ut ex eventu constitit nobis. Exacta discussione sollemni, renuntiare se velle in manibus nostris prior ipse testatus est, quod non legitime, neque per ostium sibi ingressus videretur. Admissa illius resignatione, denuo monasterium illi contulimus, quia revera prudens atque ad regimen aptus judicatus est. Fuerat adversus illum gravis orta querimonia, priusquam iter istiusmodi arriperemus, vicario episcopi Bononiensis multa objiciente illi per literas, quod hæreditatem Bononiensis civis, cujus ipse exequutor supererat, in usus suos convertisset. Eo nuntio concitati priorem ipsum ad nos convocare decrevimus, literis illius hominis leniter respondentes. Advenientem protinus & jura sua ostendentem, ubi nequicquam falsa calunnia vexari deprehenderamus, absolvimus, rationi consona scribentes vicario memorato. Quibusdam ergo tunc pro tempore constitutis in suo monasterio, Camaldulini quoque priorem eadem ratione visitavimus. Abstinuimus ex industria a visitatione monasterii sanctæ Mariæ de Angelis, eam ad nostrum reditum reservantes. Peractis omnibus Bononia proficisci, cum nullus ex Venetiis occurreret, constituimus. Sed antequam inde moveremus, amici cujusdam nobis optime cogniti, sumus relatione multum afflicti asserentis, nihil nos veritatis exculpere quivisse de nostro monasterio sanctæ Christinæ; &c. Eas res, quantum mœroris attulerit, fari satis haudquaquam possumus, de illis ea dici audientes, quibus contraria nos invenisse gaudebamus, neque fidem ejus accommodavimus dictis, non plus illi, quam experimento nostro credere volentes.

lentes. Erant plurima, quæ adversarentur ejus dictis, & inprimis diligentia & peritia summa divini cultus, officiorumque sacrorum & alia, quæ præsentes notavimus ab his, quæ ferebantur, prorsus dissonantia. Amicus is Ambrosii videtur fuisse Romæus Foscararius, cui postea scribens[a] ostendit lenitatem necessariam in monastica disciplina sibique propositam, qua lenitate non mediocri profectu se usum in eo parthenone componendo significat, quod ille notaverat. Expostulaverat siquidem Romæus Ambrosium tertio jam profectum Bononiam vulneri remedium non apposuisse, remissum vel negligentem fuisse, severiusque ultum non esse. *Studiosius item veteris amicitiæ jure & officio pietatis visitavimus Gasparum nostrum, nuperrime religionem ingressum, atque ex Philosopho seculi Christi militem factum. Eum quantum inspirare dignatus est Dominus, in sancto instituto confirmare curavimus, magna tum ab ipso, tum a ceteris fratribus caritate suscepti.* Prædicatorum ordinem ingressus fuerat Gaspar.

Ann. Chr. 1433.

Dum Bononiæ commorabatur Ambrosius, tertio nonas maji [b] nuntiavit Paulo Venerio se Bononiam venisse, affuturum Venetias post paucos dies. Die sequenti [c] Mariotto scribit se venisse Bononiam die secunda maji. Eadem die [d] Eustachio abbati Vallis-castri refert se divertisse secunda die maji ad monasterium Camalduli-Bononiensis; justis de causis se noluisse ire ad alterum sanctæ Mariæ de Angelis. Commendat ipsi familiam suam, cujus eum vicarium constituerat. Septimo idus maji [e] Hieronymo fratri narrat se Bononiæ sacrasse in asceterio sanctæ Christinæ sacram virginem nomine Laurentiam. Pridie idus maji [f] scribit eremitis & Majori; ipsa die [g] Mariotto. Die iduum [h] Hieronymo fratri significat falsum se reperiisse rumorem, qui percrebuerat, de monasterio sancte Christinæ. Laurentiam & Annam sanctimoniales libellum orationum vernaculo sermone scriptum expetere. Accepisse se literas a Hieronymo de Praga ex Basilea. Crastina demum die se Bononia profecturum Venetias versus.

Itaque, prosequitur in Hodœporico, XVIII. *kalendas junii mane Bononia movimus, præsente, neque prius quam ascendissemus mulam, abscedere volente Stephano Porcio, & plerisque nobilibus, qui secum ad nos salutandos advenerant. Non potuit persuaderi Mariano meo dulci atque illustri adolescentulo, ne pergere nobiscum vellet, sed aliquot millibus passuum ingenti affectu, honoris causa deduxit abeuntes. Vix tandem emensis quinque milliariis, eum e complexu nostro dimisimus, ipsaque die Ferrariam venimus. Statueramus visere principem civitatis* (Nicolaum marchionem Estensem) *ex officio nostro, atque salutare, & una Guarinum antiquum amicum nostrum cum plerisque studiosis. Sed ubi comperimus principem concessisse Venetias, rati nobilitatem omnem secum profectam, id officii genus differre instituimus ad reditum nostrum. Obvios ex itinere habueramus Dionysium, & monachum alium sancti Mathiæ a priore ad hoc ipsum missos, ut nos Venetias cum honore suo sumptu ducerent. Animadvertimus statim literas a nobis ad abbatem de Carceribus missas a priore ipso fuisse interceptas. Multa illi de dispositione prioris optima referentes, lenire commotionem animi nostri conati sunt. Blande ac leniter, quæ afferebantur, accepimus.* Ex Ferraria XVII. kalendas junii [i] data est Ambrosii epistola ad Hieronymum fratrem, qua ei significat humanitatem nobilium virorum Stephani & Mariani Porciorum sibi adhibitam Bononiæ, & in itinere versus Ferrariam, ubi jam pervenit, sed absentem principem visitare nequivit. Mox se arripere iter Venetias versus.

Itaque postridie Ferraria profecti, ad portum venimus, cui Francolino voca-

[a] Lib. IX. ep. IV.
[b] Lib. XIX. ep. VII.
[c] Lib. XV. ep. IX.
[d] Lib. XVI. ep. II.
[e] Lib. XI. ep. LXVIII.
[f] Lib. XVI. ep. XX.
[g] Lib. XV. ep. X.
[h] Lib. XI. ep. LXIX.
[i] Lib. XI. ep. LXX.

Ann. Chr. 1433.

vocabulum est, quinto lapide distantem. Ibi conducta navicula iter arripuimus, Venetias biduo profecturi. Fregit nos navigatio insolita, & adversa vis venti fecit, ut triduum jactaremur. Venimus prima mansione Lauretum, secunda Prænestinam, tertia demum Venetias, consultoque divertimus primo ad nostrum monasterium sancti Johannis-baptistæ de Judaica, multum renitentibus ducibus nostris, & ut ad monasterium sancti Mathiæ proficiscere-mur instantibus. Obstitimus rationabiliter, quod illic abbatem sancti Michaelis antiquum & venerabilem patrem præstolari vellemus. Exierat obviam nobis prior ipse recto itinere, sed quo facilius ac melius navigaremus, a recto tramite in altum mare detorseramus. Amissis itaque vestigiis nostris subsequutus est nos, invenitque adhuc in ipso monasterio quiescentes. Acceptis honorifice, monasterii ipsius prior graves querimonias exposuit contra sancti Mathiæ priorem. Mox primo congressu jurgari orsus, quid nobis de reliquo sperandum foret, admonuit. Expostulare protinus de Bononiense negotio cepit. Repulimus illius insipientiam responso pleno rationis commotius forte quam par erat, inter ipsa salutationis auspicia. Inter eos sermones nuntiatur abbas noster sancti Michaelis venisse. Profecti obviam complexi sumus senem optimum, satis dolentes cum virum illa ætate tot simul vexari morbis, osculatique diu de illius collo pependimus, cum illi nos quoque vicissim præcipuo foveret affectu. Inter hæc, ubi aliquandiu consedimus, inter abbatem ipsum atque priorem oborta contentio est, utrum nos monasterii adire prius oporteret. Allegantem antiquitatem sui monasterii priorem abbas constantissime repulit, antiquius esse suum ac dignius verissimis rationibus docens. Inclinavimus in ejus sententiam facile, abbatisque nostri naviculam cum illo una ingressi, ceteris subsequentibus, ad sancti Michaelis monasterium venimus. Ubi accepti ex more cum processione, atque in ecclesiam inducti, servatis omnibus legitimis, obedientiæ sollemne juramentum præstitum a cunctis est. Jam vero quo affectu, quo honore ab omni illa sancta congregatione fuerimus accepti, quis referre sufficiat? Exsatiati aspectu nostro, affectuique suo satisfacere non posse videbantur; ita certabant officiis. Quadraginta ferme dies illic mansimus, cum uberiore semper caritate tam a patre monasterii, quam a congregatione omni sumus accepti, singulari apparatu. Magna nos illic nobilium amicissimorumque nostrorum turba visitavit, magnoque ab his omnibus studio venerationis suscepti sumus. Eminebat affectus Francisci Barbari, Leonardi Justiniani, Marci ac Laurentii fratrum suorum, gravitate summa hominum, Bernardi quoque filii, adolescentis & illustris & eruditi, Marci Lippomani & ceterorum, qui summa observatione latus nostrum sempre fere ambiebant. Fantinus (Dandulus *) quoque antiquus amicus noster, protonotarius, comperto adventu nostro nos festinus adiit, officiosissimeque recepit. Frater item nobis modo optime cognitus, qui ex Hebræis crediderat, arte medicus ingenti studio quæsivit colloquium nostrum, nobisque postea familiarior factus nos frequens adiit. Suadentibus amicis, ut antequam visitare inciperemus, ducem ejusque consilium visitare officio nostro pergeremus, nona, postquam eo adveneramus, die id executi sumus, magna nos & nobilium & religiosorum turba prosequente. Suscepit nos humanissime & reverenter princeps inclytus, (* Franciscus Foscari *) ac juxta se collocans, cum illi adhortatione Barbari mei, causam adventus nostri Latine explicassem, tam grate, sic prompte, adeo dulciter sapienterque respondit, ut maximam moverit admirationem, egregieque consolatum a se dimiserit, hortatus cœpto & instituto operi ardenter insistere, opemque suam ubique pollicitus.*

Interea temporis quinto-decimo kalendas junii [a] Venetiis ex sancto Mi-

a *Lib. XI. ep. LXXI.*

Michaele Hieronymo fratri scripsit se die quarta-decima maji Bononia recessisse, Ferrariam die XV. pervenisse, inde Venetias, ubi ad sancti Michaelis consedit. Decimo-tertio kalendas [a] Eustachio abbati Vallis-castri, Mariotto pariter [b] significavit adventum suum Venetias. Undecimo kalendas [c] Hieronymo fratri se propediem ducem Foscarum visitaturum, inde officium visitationis monasteriorum suscepturum. Venetamq; rempublicam legatos ad concilium Basileense mittere, idque Venetos instituisse significare Florentinis. Famam esse Venetiis se Florentiam accersendum, ut eodem legati munere fungeretur pro republica Florentina ad ejusdem concilii patres. Nono [d] kalendas idipsum notum fecit Eustachio abbati. Quarto kalendas [e] iterum scribit Mariotto, & [f] Eustachio. Tertio vero kalendas junii [g] Nicolao Nicolio iter suum describit ex Camaldulo Bononiam, inde Venetias. Se interea vertendo Dionysio occupatum, aliis incumbere versionibus nequire. Visitasse Bononiæ Gasparem ex præceptore seculi factum Christi discipulum, evoluisse ibidem bibliothecam patrum Prædicatorum. Inde Venetias concessisse exceptum a Barbaro, Leonardo Justiniano & ab aliis. Offendisse Cyriacum (Pizzecolium) Anconitanum antiquitatis studiosum, qui sibi ostenderit aureos & argenteos nummos Lisymachi, Philippi & Alexandri; scrupulum tamen inesse, an sint regum Macedonum; & effigiem Scipionis junioris in lapide onychino. Adiisse quoque se physicum quemdam magnæ opinionis virum, qui habet penes se nonnulla Græca volumina, & in primis Pauli peritissimi medici libros septem, Galeni & Plutarchi quædam. Fecisse physicum hunc secum verba de Paulo medico Florentino perito & diligenti. Per ora hominum ferri se iturum legatum ad concilium. Franciscum Barbarum, Marcum Lippomanum & Hermolaum Donatum salutationis officia ad ipsum (Nicolaum) mittere. Scire vero cupit a Nicolao, an ipse probaverit proemium suum in Laertii traductionem. Eadem die [h] commendat Romæo Foscarario Bononiensi monasterium sanctæ Christinæ ejusdem urbis injuste vexatum. Quoad Diogenem Laertium, cujus versionem ante multos ab hinc annos curandam susceperat, ipsam hoc anno Cosmo Mediceo [i] nuncupavit Ambrosius, manu Michaelis monachi scriptam.

ANN. CHR. 1433.

a Lib. XVI. ep. III.
b Lib. XV. ep. XI.
c Lib. XI. ep. LXXII.
d Lib. XVI. ep. IV.
e Lib. XV. ep. XII.
f Lib. XVI. ep. V.
g Lib. VIII. ep. XLV.
h Lib. IX. ep. II.
i Lib. XXIII. ep. X.

Sed monasticam visitationem in cœnobio sancti Michaelis de Muriano prosequamur. *Continuo monasterium ipsum nostrum, ubi hospitabamur, visitare aggressi, paucis diebus absolvimus, maxime delectati religione summa & sanctitate vitæ, quam ibi comperimus, mira patris peritia & solertia singulari. Indicem quoque confecimus rerum omnium, admirati nimium, ex quibus ruinis in quantam amplitudinem pater ipsum monasterium auxerat, cum præter fratrum optimorum numerum, præter extructiones parietum (nam ipsum ferme a fundamentis erexerat) tanta & tam varia suppellex ubique enitebat, ut stupori nobis esset. Quædam tamen illic constituere ad incrementa decoris volentes, pater grate admodum admisit. Magna suspicio comites itineris nostri pervaserat, omnesque suadebant, ut in ipso monasterio priorem ac monachos sancti Mathiæ visitare pergeremus, neque nostri solum comites, verum & plerique nobilium, & in primis Fantini nostri id auctoritas admonebat. Dura res visa est, neque admittenda facile, quod apertum animum prodere & patere non injustæ querimoniæ videretur. Consilium tandem fuit abbatis nostri & aliorum fidelium amicorum (socii suspicione vel inani laborantibus) consulendum, quod inferret hujusce suspicio plena sollicitudinis jugem cruciatum. Quæsita igitur occasione verisimili, quod locus ille adventantibus civibus utpote propinquior atque aptior esset, quodque abbas noster nonnihil operis injunxisset nobis, ratione caritatis, cui commode*

Ann. Chr. 1433.

mode nusquam alibi possemus insistere, nostram in monasterio sancti Mathiæ moram excusavimus. Accesseramus illuc primum causa possessionis ex more capiendæ, susceptique cum processione, sollemne exegimus ab omnibus obedientiæ sacramentum, ipsiusque monasterii fabricam pulcherrimam & religioni aptissimam inspexeramus, jamque tum subjerat miseratio, quod tale tantumque cœnobium hujusmodi capite niteretur, cogitatioque incesserat ipsius relevandi. Ægre tum a priore, tum a Dionysio admissa occasio, aperte querentibus se negligi, & nos opinione iniqua laborare. Resistere tamen nihil ausi, illuc singulatim discutiendi accesserunt. Mœroris materiam copiosam invenimus, neque minus hic doloris, quam lætitiæ & ædificationis in sancti Michaelis monasterio offendimus &c.

Per eos dies visitavimus celebriora urbis loca, sumusque a religiosis omnibus fratribus gratissime accepti. Magna nobis cum Laurentio Justiniano religiosissimo viro facta consuetudo est, cum quo æstus omnes cordis nostri communicantes, multum inde consilii sani reportavimus. Vicissim ipse plurimum delectatus est nobis, & cum ob vitæ meritum Venetiis episcopus a pontifice fuisset datus, abnuit, nostroque & patris nostri abbatis consilio, ne diutius eluctaretur, inductus, non tamen tunc votis & adhortationibus nostris acquievit. Ejus monasteria & aliaque pleraque celebriora, ut dictum est, vidimus, & præcipue fratrum nostrorum Montis-oliveti, ubi etiam die monasterii præcipua (tertia nimirum feria Pentecostes) *ab eis rogati, Missarum sollemnia celebravimus, comitantibus nobiscum semper aliquibus ex nostro monasterio sancti Michaelis monachis senioribus. Adivimus & Fantini nostri domum, ab eoque accepti humanissime diem ibi totum exegimus, quocum & Johanne Cornelio vicino suo plurima urbis loca visitavimus, & Sanctorum corpora vidimus honorifice condita, ipsiusque Johannis domum splendide instructam, & bibliothecam non ignobilem sumus admirati.*

Tarvisium his diebus contendimus, ut & monasterium sanctæ Christinæ visitaremus ex instituto nostro, & quædam vestigaremus diligentius, quæ ad nos tum de abbate nostro de Carceribus, tum de priore ipso & de aliis quibusdam nonnulli detulerant. Illo die, sancti Parisii, (cujus corpus ibi conditum venerati sumus, vitamque conscriptam, simpliciter licet, nobiscum asportavimus) cum pervenissemus, in vicino monasterio mansimus. Antiquum namque monasterium, quod fuit celeberrimum extra muros civitatis, bellorum motus ad solum usque diruerant, & nunc in domo minus idonea intra civitatem remorantur. Illic adiverunt nos plurimi nobiles & literati, Barbari mei literis moniti, nosque officiosissime acceperunt &c. *Dum illic essemus, rumor fuit, milites domum monasterio contiguam conduxisse. Id cum, matre conquerente, accepissemus, non ante destitimus cum amicissimo viro cancellario, quam inde amoti illi sunt, quorum erat propinquitas infamis ac periculi plena. Visitare curavimus presbyterum senem, nobis optime carum, Beltramum, cui extra urbem sedes erat, a quo item accepti perhumane & reliqua celebria religionis loca vidimus.* Beltramus Ferrariensis in agro Tarvisino monasterium sanctæ Felicitatis de Romano gubernandum acceperat, abeuntibus monialibus, a Stephano Carrariense episcopo Patavino anno 1404. & eo loci aliquot sociis sibi adjunctis congregationis novæ sub patrocinio sancti Hieronymi exordia posuerat, duoque alia eremitoria excitaverat in eodem territorio. Consulatur [a] Sajanellus.

[a] Pag. 150.

Confirmatis itaque mulieribus illis, præceptisque sibi in scriptis traditis ac perlectis de clausura, de secularibus intus non admittendis, & aliis pluribus, inde discessimus tertia, postquam adveneramus, die, confecto rerum omnium indice. De eo monasterio scripserat ad nos inter ipsa nostri officii

primor-

primordia Dionysius noster, oraveratque, uti possessiones ejus, mulieribus inde fugatis, monasterio sancti Mathiæ adderemus. Nos tunc ignari rerum, sententiam ad nostrum illuc adventum consulto distuleramus. Et cum illuc proficisci instituеremus, multum institerat, ut nobiscum iret, quod nos justis ex causis omnino renuimus. Revertentes medio ferme itinere nuntius excepit, qui sollicitudinem ignaris incuteret; venisse enim, qui literas ad nos Florentia perferret: plerique ex nobis profectionem ad concilium eis literis indici putaverunt. At ubi monasterium sancti Michaelis attigimus, literas ab antecessore nostro (Benedicto olim priore generali *) missas offendimus, quibus significaret monasterium sancti Zenonis vacare, abbate ipso vita functo, orabatque sibi monasterium ipsum conferri. Nos ancipiti aliquandiu sententia fluctuantes sententia senis nostri confirmavit, utque monasterium illud conferremus, obtinuit, posteaquam illi motus omnes nostros exposuimus. Itaque collationem ipsam ad eum, ut postularat, manu propria misimus, admonentes secretius, ut ab accessu illicito se contineret, ne inde antiquum refricaret errorem; id enim nos nulla ratione passuros. Scripsimus & Hieronymo fratri, ut illum item admoneret.*

Accessimus ad monasterium sancti Mathiæ postridie quam Tarvisio redieramus, priore nos evocante ob monasterii negotia quædam, eaque ipsa die reversi ad consueta cubilia, tractare cum abbate nostro cepimus, quid facto opus esset. Consilium illius tandem fuit, ut illic nihil contra prioris personam ageremus, ob evitandos motus omnes, qui tunc orituri verisimili ratione credebantur, si quid ageremus, differendumque nobis alio & loco, & tempore, sibi enim placere, ut inde amoveretur, sed suo tempore & loco. Adolescentem ipsius propinquum, multa in ejus laudes prosequentem fregimus responsione congrua & gravi. Adiit nos inter ceteros & Cyriacus Anconitamus, multaque nobis ostendit antiquitatis, cujus studiosissimus indagator erat, monumenta, tum epigrammata vetusta, tum signatos nummos argenteos & aureos, tum signa. Petrus item medicus & Græca quædam peregrina volumina, & nummos item ejusdem generis, & alii plerique nobiles itidem. Franciscus autem meus (Barbarus *) duo Græca volumina dono dedit; prophetas scilicet omnes sexdecim, & opuscula rariora Nazianzeni, utrumque pulcherrimum.* Petrus medicus vel physicus est Petrus Thomasius Venetus.

Hæc ipsa magis illustrantur ex epistolis Venetiis datis ab Ambrosio. III. itaque die junii [a] Paulum Venerium abbatem & monasterium sancti Michaelis de Muriano exemit a vicariorum potestate, ut quieti & tranquillitati ejus monasterii præsertim prospiceret. Die quinta [b] Hieronymo fratri scribens ait, Franciscum Barbarum sibi donasse XVI. prophetas antiquissimis & pulcherrimis literis scriptos, & Gregorii Nazianzeni triginta opuscula; eumque a se impendio postulasse vitas sanctorum patrum, ancillarum Christi commodis profuturas. Ipsum Barbarum præterea & Leonardum Justinianum aliosque cupere vitam Chrysostomi. Octavo idus [c] junii Nicolao significat Petrum physicum adtulisse ad se volumina sua, nempe Paulum Eginetam peritissimum medicum septem libris Græca lingua scriptis de toto medicinæ corpore, qui floruerit sub Juliano Cæsare; volumen musices Ptolomæi libris tribus cum commento Porphyrii, Plutarchum de musica, Plutarchi moralia in duobus voluminibus chartaceis, velleque divertere ad eos. Franciscum Barbarum esse condimentum totius humanitatis, Georgium Trapezuntinum virum peritum Græcarum & Latinarum literarum se collaturum Florentiam, si honestum salarium vel a publico, vel a privatis personis inveniret, longeque illum fructuosiorem futurum, quam Philelphum, cum ardeat ingenio, nil habeat fucatum aut fi-

[a] *Lib. XIX. ep. VIII.*

[b] *Lib. XI. ep. LXXII.*

[c] *Lib. VIII. ep. XLVI.*

Ann. Chr. 1433.

a Lib. XI. ep. LXXIV.

b Ibid. ep. LXXV.

c Lib. VIII. ep. XLVII.

ctum, plusque agat quam loquatur, & aptissime imbueret adolescentes tam in Græca, quam in Latina lingua. Decimo-sexto kalendas julii [a] Hieronymo fratri excusat se habitationem recepisse, dum erat Bononiæ, apud moniales sanctæ Christinæ. Decimo-tertio kalendas [b] iterum in idem argumentum scribit eidem Hieronymo. Vitam insuper Chrysostomi concupiri a Barbaro pluribusque aliis viris; Paulum Venerium abbatem sancti Michaelis de Muriano optare historiam Casinensis cœnobii, & dialogum Desiderii sibi transcribi. Duodecimo kalendas [c] Nicolao promittit se otium habentem Dionysii versioni operam daturum. Tarvisii nil reperiisse peregrinum, sed Augustini dumtaxat epistolas Gallicis literis in pulcro volumine scriptas, aliaque in hunc modum. Dum Ferrariam pervenisset, principem non reperiisse absentem tunc ab urbe, & una cum eo absentem & Guarinum, qui Venetias scilicet profecti erant. Mane summo discedentem se Ferraria principem invenisse brevi limbo pervectum, post quem Ugccio vastiore ornatissimoque ferebatur navigio cum aliis nobilibus, inter quos erat idem Guarinus, qui Veronam rediturus est. A Fantino Dandulo se exceptum convivio, cum quo plura lustravit Venetiis, & potissimum Johannis Cornelii comptissimam bibliothecam, in qua tamen nil novi, sed omnia volumina ornatissima. Eundem Dandulum mirifice adfici Nicolao, ipsumque destinasse dare se otio, & sacrarum literarum exercitio. Petrum physicum locupletem & per totam urbem celeberrimum esse, qui tamen Græcas literas non didicit plane, eumque habere in optatis venire Florentiam ad visendum Nicolaum, & Paulum medicum, facturumque ipsum copiam omnium suorum Græcorum voluminum. Se nondum adiisse domos Barbari & Justiniani occupatissimorum in reipublicæ negotiis. Cyriacum Anconitanum Venetiis abiisse Orientem petiturum. Animadvertisse se quid sperandum sit in urbe Florentia de Georgio Trapezuntio; lacrymabilem insuper tragædiam ejus urbis se mœstum legisse, & ferre iniquo animo tantum valuisse hominis insolentiam, ut cives liberos periculo cruciatus fere exponeret. Hermolaum Donatum legatum civitatis Venetæ ire ad concilium cum Francisco juris-perito (de Capitibus-listæ Patavino). Firmam ibidem esse opinionem de proxima coronatione imperatoris, & de pace cum Venetis. Effigiem auream Berenicis videre se curaturum, & simul chrystallinam Alexandri, quamquam illa attestatione Barbari jam ab urbe Veneta evolaverit. Salutat Cosmum & Laurentium, Carolum & Pontanum (Thomam), quem admodum dolet admotum equuleo. Propediem se iturum Patavium, Veronam & Vicetiam, in qua postrema urbe, paulo antequam Venetias veniret, antistes Petrus Æmilianus obierat diem suum, daturumque se operam, ut illius pulcherrimos libros, & præsertim psalterium Græcum pulcherrimum & ornatissimum, qui tunc erant Patavii, videret. Obiit Æmilianus die xx. maji, pro quo & ad hanc diem anniversarium officium celebramus in monasterio sancti Michaelis de Muriano.

Cetera acta Venetiis, omnia plane monastica, consulto omittimus. Prosequimur autem Hodœporicon. *Postea vero quam deliberato discessu in anteriora pergere constitueramus, amicos omnes revisere, & ducem denuo visitare decrevimus. Ipsum itaque intra cubiculum adire & colloqui placuit, ubi accepti humanitate summa, illi, quæ compereramus, & utriusque monasterii statum expressimus, ut si quando placuisset aliud, non esset ignarus nostræ sententiæ. Gratissime pollicitus nunquam se nobis defuturum. Offendimus cognatum suum Andream Donatum antiquum amicum nostrum, a quo item grate excepti, duci demum valefecimus. Nostram inde profectionem Barbarus noster prævenerat literis, ut quocumque tandem iremus, grate suscipere-*

peremur. Die ante profectum suum, hoc est octavo kalendas julii [a], Hieronymo fratri scripsit se discessurum crastina die Patavium versus. Nuntiat insuper nummum Berenicis reginæ unciam & semis appendere; Alexandri crystallinam imaginem a possessore distractam fuisse ad regiones remotas. Eadem die [b] Mariotto significat se quadraginta diebus fuisse Venetiis, tunc proficisci Patavium. Lætatur de novello adolescentulorum grege in monasterio Fontis-boni, & prædicat cœnobium sancti Michaelis præstantissimum ob sapientiam ducis & peritissimi magistri Pauli Venerii abbatis.

ANN. CHR. 1433.

a Lib. XI. ep. LXXVI.

b Lib. XV. ep. XIII.

At cum pręparararemur ad iter, tum vero abbas noster sibi ipsi nequibat satisfacere. Denique non contentus humanitate præterita, quam quadraginta diebus exhibuerat, sanis atque infirmis mira diligentia providens, abeuntes munusculis quoque prosecutus est, eisque gratissimis. Amplexati prius omnem congregationem & exosculati ad navem descendimus necessariis omnibus onustam, abbate nostro nos deducente cum lacrymis, & a conspectu amplexuque nostro ægre se evelli patiente. Tandem datis itineris fidissimis sociis, vigesima-quinta junii Venetiis movimus, valefacientes abbati ac fratribus omnibus, rectoque itinere Patavium tendebamus, fratre abbatis nostri de Carceribus duce; ita enim ille constituerat. Miseramus, priusquam Francolino moveremus, jumenta nostra ad monasterium nostrum sanctæ Mariæ de Vangaditia, ut illic alerentur, scribentes abbati ipsius monasterii amicissimo & benevolentissimo nostro. Suscepit ea vir ille cum famulo singulari affectu, ibique per omne illud tempus, quo Venetiis sumus remorati, adhibita est eis summa diligentia. Ubi vero Patavium ingressi sumus, quia fama exierat episcopum civitatis Petrum Donatum veterem amicum nostrum, postridie profecturum ad concilium, visitare illum continuo decrevimus. A quo accepti gratissime, multis verbis de concilio ipso ultro citroque habitis, sero tandem discessimus ea lege, ut sequenti die secum pranderemus. Primo itaque divertimus ad abbatis nostri de Carceribus domum pulcherrimam atque amplissimam, egregieque instructam, magnificeque suscepti a fratre, qui nostrum operiebatur adventum, ea ibi nocte requievimus. Mane vero misimus, qui jumenta nostra eo adducenda curaret, advenitque illuc abbas noster & alii quidam prælati religionis nostræ. Illis comitibus adivimus denuo episcopum nostrum, ubi finito prandio domum omnem episcopatus mirifice instructam ad usque pinnas, unde non solum civitas, sed omnis circum regio prospectaretur, episcopo ipso duce lustravimus. Negotium religionis, ne ad synodum evocaremur contra jura nostra, illi, vicarioque suo, abbate instante, commendavimus. Inde, ubi remeavimus, a nonnullis religionis studiosis visitati affectu præcipuo sumus, maximeque ab episcopo Signiense juvene piissimo, & quem Venetiis familiarissime noveramus, & in causa episcopatus sui (nam nuperrime fuerat assumptus) illum & pontifici Romano, & aliis quibusdam commendaveramus. Triduum illuc remorati loca religionis cuncta vidimus, & in primis monasterium sanctæ Justinæ, quod celeberrimum erat, visitare curavimus. Accepti officiosissime offendimus religionem laudatissimam, tamen opinione non majorem. Vigilia apostolorum episcopus noster prandio nos accepit, neque reluctari diutius licuit. Ejus dum quædam evolvere nobis proposita pergimus, invenimus septem Antonii epistolas eatenus nobis incognitas, celeberrimas tamen. Aderat Marinus amicus noster Dalmata, sanctarum literarum inprimis studiosus. Exegimus jure amicitiæ, ut eas nobis transcribendas curaret, grateque pollicitus est. Postridie adivimus sancti Michaelis ecclesiam, abbati nostro subditam, Missarum sollemnia celebraturi. Bonus ibi præerat vir. Offendimus illic etiam episcopum nostrum. Inde ad visendam domum hospitalem prioris de Orbisio comitis nostri profecti redivimus ad diversorium nostrum. Visitavimus monasterium de Porcilia, cui præerat prior mo-

naste-

Ann. Chr. 1433.

nasterii Montis-crucum, vidimusque corpus beati Antonii Peregrini. Ibi rerum indice confecto, sequenti die monasterium Montis-crucum adire perreximus, comitantibus nobiscum fratribus abbatis nostri (de Carceribus e familia Sandellorum) *Hieronymo & Ludovico. Ubi ad monasterium venimus, aptissimum religioni offendimus locum. Collis enim eminens, vite, olea & arboribus consitus, silva quoque cædua ex latere vestitus, in sui vertice id monasterium habet, ædificiis honestis & necessariis instructum; si adesset, qui religiose vellet vivere. Delectari primum amœnitate loci, miserati sumus miseram conditionem, quod aptitudo hujusmodi esset inanis, neque habitatoribus idoneis frequentaretur. Solum quippe ibi priorem quidem honestæ vitæ comperimus, sed magna sociorum adversus illum orta est querimonia, quod esset avarissimus, neque necessaria provideret, possessionesque & monasterium ipsum negligeret. Quod verum esse & ipsi præsentes notavimus. Admonito graviter, & quæ fieri vellemus, injunctis sibi, trigesima junii inde profecti sumus, animo prospiciendi monasterio, si Dominus juverit, eaque ipsa die ad nostrum monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus per Montem-silicis & Estense oppidulum venimus.* Sexto kalendas julii [a] Hieronymo fratri ex Patavio significavit Ambrosius se exceptum fuisse ab episcopo Patavino Donato, sed morari in domo amplissima monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus. Quarto autem kalendas [b] adventum suum Patavium, & humanitatem episcopi exceptoris sui per literas nuntiavit Paulo Venerio. Sexto nonas julii [c] ex monasterio Carcerum iterum scripsit Hieronymo fratri, narrans visitationes suas factas in monasteriis Montis-Crucum & Carcerum. Die sequenti [d] Nicolao scripsit se Venetiis convenisse Benedictum Dandulum, nummumque Berenicis penes ipsum vidisse, Alexandri autem imaginem, Barbaro narrante, didicisse distractam, vel possessoris metu occultatam, ne pretio subriperetur. Franciscum Pistoriensem, auctore ipso Dandulo, multa in Syria, ubi hominem illum hic invenit, quærere Nicolai nomine. Ostendisse etiam sibi eumdem Dandulum nummos aureos & argenteos Constantini & Constantis repertos in urbe Constantiensi. Multa id genus numismata Venetiis servari, quæ videnda cives attulissent, si ii antea didicissent sui adventum. Venisse se Patavium exceptum a Petro Donato antistite, visitasse bibliothecas patrum Prædicatorum & Minorum, vidisse pulcherrimum volumen epistolarum Hieronymi. In volumine autem Langobardo, quod erat penes Marinum studiosum & sacrarum literarum peritum, septem Antonii M. epistolas, & aliud opusculum nusquam alias a se visum, epistolas concinne scriptas & Marinum utrumque opus manu propria exscripturum.

a Lib. XI. ep. LXXVII.

b Lib. XIX. ep. IX.

c Lib. XI. ep. LXXVIII.

d Lib. VIII. ep. XLVIII.

Visitationem monasterii Carcerum ex Hodœporico describimus: *Suscepti ab abbate nostro atque a congregatione omni cum processione sollemni, præstitoque ab omnibus gratissime obedientiæ sacramento post exhortationem brevem, quia jam dies declinabat in vesperam, Placidus puer orationem in honorem nostri memoriter recitavit constanter & commode pro ætate. Delectati sumus mirifice studio ac diligentia nostri abbatis; decem quippe pueros monachos ita educandos curaverat, ut nihil in eis puerile, præter ætatem, deprehenderimus. Unam ibi diem quiescentes, kalendis julii visitare ex officio nostro aggressi sumus. Quædam ad nos de abbate ipso fama perduxerat, quæ caute ac subtiliter inquirentes falsa fuisse deprehendimus, multumque ædificati non dissimulavimus, quin lætitiam nostram venerabili patri abbati sancti Michaelis & Hieronymo fratri literis nunciaremus.* Epistola ad Venerium data est quarto nonas julii [e], laudemque monasterii & abbatis, ac monachorum Carcerum continet; in eadem constitutiones quasdam mittit

e Lib. XIX. ep. X.

eidem

eidem Venerio servandas in ejus monasterio, arbitrioque ipsius temperandas, commendans postremo ejus attentioni monasterium sancti Mathiæ de Muriano. In idem argumentum eidem literas dedit [a] sexto idus julii, adjiciens, ut adsumeret in sui adjutorium pro reformando dicto sancti Mathiæ cœnobio plebanum sanctæ Mariæ de Muriano. Sed narrationem prosequamur. *Examinatis omnibus, puerisque ipsis adhibitis singulatim, quatuor ex omnibus, qui erant majores natu, abbate volente ad professionem admisimus quinta julii magno cum gaudio omnium. Quædam fuerat inter abbatem ipsum, & vici, cui Vighizzolo vocabulum est, homines oborta contentio de sacerdote, qui illis Missarum sollemnia celebraret. Quia enim subditi monasterio sunt, remoti ferme tribus millibus passuum, ad quos adiri ex monasterio non facile, hyemis maxime tempore, potest, petebant illi sibi sacerdotem dari perpetuum, qui apud se remoraretur. Abbas ratione nitebatur tueri monasterii sui jura. Ea partium tandem conventio fuit, abbate maxime instante, ut staretur judicio nostro. Non inviti in eam sententiam jerunt. Auditis itaque diligenter, quæ afferebantur, aditoque loco ipso, ut oculis quoque conspiceremus ecclesiam, attendimus in pariete ecclesiæ ipsius inserta saxa antiquis insculpta literis. Epigrammata pervetusta erant. Inde profecti ad monasterium rem omnem ita composuimus, ut licet a principio quidam reclamaverint, pacati tamen quietique discesserint, nobisque gratias egerint postmodum. Adhibitis postremo, ut sollemne est, ad capitulum fratribus, post absolutionem & exhortationem, quam inspirare dignatus est Dominus, præcepta, quæ scripseramus, omnibus legimus, & servanda mandavimus, nemine non libenter accedente. Hortati sumus abbatem nostrum, ut plures nutriret pueros, cum præcipue haberet parata omnia, magistrum idoneum Nicolaum optimum juvenem & industrium monachum, qui alios erudisset, habitationem aptissimam, amplosque monasterii redditus. Pollicitus est facturum omnia libentissime. Cumque jussis pontificis omnes illarum partium prælati ad concilium ire cogerentur, & abbas noster una cum ceteris, vices illi nostras publico instrumento permisimus, eademque die & nos Orbisium, & ille Patavium ivimus. Offendimus in loco angusto & solitario priorem boni testimonii hominem, tenui victu secum tres socios alentem. Mirum est, quanta omnium erga illum observantia, quæ dilectionis vis, quæ commendatio fuerit. Nobiles, ignobiles, rustici, seculares, clerici, uterque sexus mira de illo prædicabant. Visitationis officio peracto blande illius inopiam consolati, & quæ sibi essent agenda, proponentes, eadem die ad monasterium Carcerum remeavimus. Placuit medio ex itinere, veluti ex cuniculo, deflectere paulisper, ut Francisci Petrarchæ tumulum in villa Arquà cerneremus. Vir enim nobilis ætate nostra & literis deditus, a quo ferme sunt excitata studia humanitatis, ut mausoleum suum visere cuperem, facile de me obtinuerat. Eo salutato, precibusque pro illius requie fusis, contendimus ad monasterium. Compositis ibi rebus, nona julii inde progressi abbate comite, ad Vangadiciam contendebamus. Occurrit nobis plusquam mille passibus abbas ipsius monasterii* (Antonius Ferro Parmensis, qui fuerat prior generalis) *conjunctus olim nobis pietate singulari; transitoque Athesis amne, prior ad nos transmeavit, simul itaque profecti ad monasterium venimus. Nulla ibi servata consuetudo est, quia revera absque ordine jamdiu viventes monachi, quid in hujusmodi soleret fieri, prorsus ignorabant. Suscepti sumus magnifice ac splendide, contra quam nobis fuerat a nostro abbate prænuntiatum, qui ajebat mira de hominis miseria. Quamquam non in eo solo, verum quando egressi inde sumus, & in aliis quibusdam in eo viro optime nobis caro desideravi-*

ANN. CHR. 1433.

[a] *Lib. XIX. ep. XI.*

ANN. CHR. 1433.

ravimus fidem ac temperantiam. Resalutatis nobis abbas ipse post biduum ad suum monasterium rediit. Interea cum fama percrebuisset nos eo advenisse, adierunt nos plerique loci illius honestiores viri laici, commendantes nobis monasterii ipsius disciplinam, multaque contra monachos gravia proponentes. Magistratus quoque solliciti quidnam facturi essemus, expectabant. Accepto ab omnibus ex more obedientiæ juramento (a quo tamen abbas ipse ideo abstinuit, ne juri suo præjudicium ullum gigneretur; fuerat enim prænuntiatus Ferrariensis episcopus, verebaturque, ne si se subjiceret juramento, jus amitteret episcopatus; neque ea ratio sua, cum se totum libere permitteret nobis, a nobis improbata est) visitare cepimus, neque sanitas ulla inventa est. Multa invenimus, quæ emendatione opus haberent & quidem acri, ut animadverterimus non inanes fuisse secularium virorum querimonias. Ubi omnes discussi sunt, contulimus secretius cum abbate ipso, quæ inveneramus, dolentes nimium ipsi tales inesse socios. Doluit & ipse nobiscum vicissim, utque remedium excogitaremus, oravit, se per omnia sequi paratum monita nostra, & obsequi jussis. Itaque, citra observantiam regularem tamen, constituere, monasterium aggressi, ea omnia mandata in scriptis dedimus, quæ & antiquum dedecus tollere, & religionis formam aliquam, & initium dare posse, si servarentur, videbantur. Ea omnia & cetera statuta nostra, quoniam alibi notavimus, hic nequaquam putavimus inserenda. Judicio abbatis ipsius atque omnium probata consensuque parili admissa grate sunt. Ex eis quosdam amovimus, reliquos admonuimus graviter, abbate ipso præsente & adstipulante dictis nostris. Scripta illis reliquimus præcepta nostra, & ea inviolabiliter servanda mandavimus. Sæpe cum abbate ipso contulimus nostra, religionisque negotia. Fuerat enim in gradu nostro annos plures, & judicio quidem nostro injuria amotus, plurimaque edoctus videbatur.

XIX. Mantuæ congreditur cum Victorino Feltrensi.

INDE septima postquam eo adveneramus die profecti (abbate ipso ægre nos abire permittente, multumque, ut in reditu nostro se reviseremus, orante,) Mantuam pergere constituimus. Per hanc occasionem monasterium religionis nostræ prope Bononiam sancti Michaelis de castro Brittorum, ante centesimum fere annum quidam religionis novæ homines pervaserant, & hactenus incubant. Ex ea religione superstes unus Bononiensis civis, qui partium studiis exulabat Mantuæ. Eum (quoniam pacisci cum alia religione velle, sumpto stipendio annuo, acceperamus, & hujus rei gratia Bononiensi legato Fantino nostro literas jam sæpe dederamus, cui fuerat negotium a pontifice Romano permissum) adire & alloqui, secumque coram tractare negotium, consilium fuit. Itaque decima-sexta julii moventes monasterio, Mantuam vespere venimus. Postea vero quam Victorino Feltrensi amicissimo nostro, qui hujus quoque rei gratia laboraverat plurimum, literis nostris admonito, adventus noster innotuit, mira benevolentiæ suavitate nobis occurrit. Nusquam ferme plus humanitatis invenimus. Per se ipsum denique, per discipulos, bonos viros & eruditos, ut facile de illius ludo esse noscerentur, nobis ita obsequutus est, ut nullam officiosissimi hominis partem in se desiderari pateretur. Volumina quædam primo peregrina, ut nobis essent solatio, misit, munusculisque dignissimis prosequutus est, & a latere nostro, quantum illi fas erat, nunquam discedebat. Didicimus continuo hominem illum, cujus gratia adveneramus, abesse, quem Victorinus noster, misso nuntio celeri, convocavit. Biduum illic integrum fuimus, dum illius expectatur adventus, cum lautius semper a Victorino suscepti sumus. Adire illum, visendæ bibliothecæ illius gratia, ubi perreximus, occurrit nobis cum Mantuani principis filiis, quos instituendos acceperat, aliisque nobilibus ac studiosis, ab-

que

que his omnibus deducti, expositam Græcorum voluminum struem evertimus, ibique non nihil peregrinitatis offendimus. Nam præter ista communia Platonis, Plutarchi, Demosthenis & ceterorum tum philosophorum, tum oratorum, tum poetarum, tum historicorum, orationes quasdam Juliani cæsaris, Homeri vitam ab Herodoto scriptam, Quintiliani musicam & alterius senis de Musica opus, & Augustinum de Trinitate & quædam alia notavimus, eaque protinus Nicolao nostro per literas significavimus Victorini ipsius amicissimo; reginæque Berenicis imaginem ex aureo nummo Venetiis expressam misimus. Delectati sumus maxime humanitate viri, studioque mirabili non solum adultis, verum pueris atque puellis Græcitatem conciliandi. Denique principis filiam (Cæciliam *) octo ferme annorum ita imbuerat, ut legeret jam & scriberet, Græcaque & nomina, & verba inoffense declinaret, non sine admiratione nostra. Pueros præterea plures eadem ratione docuerat, & si quos forte boni ingenii animadverterat, eos, si essent pauperes, educabat & instruebat, magnum se reputans fructum ex eorum profectu reportare. Placuit Cartusienses fratres nostros visitare, a quibus invitati fueramus. Accepti ab eis affectu summo, post prandium remeavimus, novo inspecto monasterio, quod erat euntibus pervium. Reversum virum illum diutius, Victorino præsente, necquiquam sumus allocuti. Nam præter verba retulimus nihil, alioque itinere aggredi, si vita comes erit, instituimus. Inde cum proficisci ante lucem pararemus, prævenit nos Victorinus noster eques cum sociis, nosque tribus ferme passuum millibus deduxit abeuntes, cum amovere eum a nostro comitatu nulla ratione possemus. Totus illi sermo de literis, de probitate, de modestia, de religione, de viris nostræ ætatis illustribus. Vix tandem illum e complexu nostro lacrymantem dimisimus, quo die Veronam hora ferme nona pervenimus.*

Ex Mantua datæ sunt sequentes Ambrosii epistolæ: Hieronymo fratri decimo-septimo kalendas augusti [a] scribit se visitasse monasterium Vangadiciæ; abbatem ejus loci avidum esse reformationis. Inde concessisse Mantuam, adiisse Victorinum Feltrensem virum humanissimum, & optimum institutorem filiorum principis. Accepisse se literas summi Florentinorum magistratus commendantis sibi Andream Volaterranum monachum virum militarem. Victorinum misisse ad se Augustinum de Trinitate in Græcam linguam traductum a Maximo Planude, & volumen pulcherrimum Platonis de legibus & de republica cum epistolis tredecim. Quoad Andream monachum extat hujusmodi dominorum Florentinorum commendatitia epistola [b] in Appendice ad epistolas Ambrosii data ex Florentia die decima junii. Videatur alia Ambrosii de ipso Andrea ad Bernardum abbatem Volaterranum [c] die decima-septima maji. In epistola autem ex Mantua sub die decimo-quarto Kalendas augusti [d] ad Nicolaum habetur laus de Victorino & de ejus discipulis; unum ex his vitam Camilli transtulisse, Æsopi fabellas, & Chrysostomi quædam. Vidisse apud eum Augustinum de Trinitate, Platonis leges, epistolas, & de republica, & Chrysostomi volumen. *Meliorem illo virum*, inquit, *ausim dicere nescio, an unquam viderim. Tui certe & amantissimus & observantissimus est. A latere meo avelli nisi ægre non potest, atque inter sermones nostros lacrymas illi excutit gaudium, ut ex verbis atque ex gestu suo facile prospici potest, quanto studio afficiatur bonis, qui me non mærentem tanto prosequitur affectu. Donat quotidie egregiis xeniis, & instituto vitæ nostræ accommodatis, nullamque officii partem vir omnium humanissimus prætermittere permittit. Ejus ope atque opera negotium religionis meæ satis grave, cujus gratia adveni, conficiendum felici exitu spero.*

a Lib. XI. LXXIX.

b Lib. XXIV. ep. XVI.

c Lib. XVI. ep. XXX.

d Lib. VIII. ep. XLIX.

Ann. Chr. 1433.

Paucis de Victorino egi tecum, neque enim permittit horæ brevitas prolixius scribere. Servabimus reliqua, dum licebit solitas audire & reddere voces. Nedum, addit, se accepisse ex Patavio epistolas Antonii M. Die sequenti [a] eidem Nicolao reliqua affert de Victorino, qui sibi occurrit cum filiis principis maribus duobus, & puella septem annorum, majorem ex iis undecim, minorem quinque esse annorum; duos quoque pueros decennes filios aliorum dominorum sub eo studiis operam dare. Vidisse singillatim triginta ferme volumina Græca, offendisse de musica volumina Claudii Ptolomæi, & Quintiliani cujusdam bene eruditi, ut ex stylo animadvertit, & Bacchii senis; aliud volumen orationum quatuor Juliani cæsaris; sympostum sive Saturnalia de gestis imperatoris vel laudes Constantii; laudes Eusebiæ reginæ, vitam Homeri ab Herodoto scriptam; Johannis cujusdam consulis volumen de variis quæstionibus; complura Aristotelis; de vocabulis, de grammatica, Herodotum, Thucididem, Arrianum, poetas etiam plurimos & Plutarchi parallela. Novem esse pueros apud Victorinum, qui scribunt adeo venuste, ut admiratus sit. Vidisse Chrysostomi traductionem ab uno ex ejus discipulis factam, quæ satis placuit. Eadem die [b] alia Victorini volumina prosequitur ad Nicolaum Ambrosius, nempe Latinum volumen Augustini de musica, & categorias Augustino inscriptas; Acronis commentum in odas Horatii; Julii item Firmici matheseos libros octo, quos transcribi accuratissime jussit, sicut etiam obtinuit ab eodem Victorino, ut Nicolai nomine transcribendos curaret libros orationum Juliani, vitæ Homeri, Quintiliani & Bacchii. Cras summo mane se Veronam contendere.

a Lib. VIII. ep. L.

b Lib. VIII. ep. LI.

XX. Ambrosii gesta Veronæ.

DIVERTIT Ambrosius *Veronæ ad monasterium sancti Salvatoris, cui Gregorius præerat vir amicissimus & nobis optime cognitus: a quo accepti humanissime cum post refectionem multum diei superesse videretur, visitare ex officio nostro perreximus præfectum civitatis Marcum Justinianum* (Leonardi fratrem) *virum amicitia nobis conjunctum singulari, animi religiosissimi atque piissimi. Accepit nos ille inæstimabili gaudio, diutiusque complexatus atque allocutus non aliter a se dimisit, nisi abeuntes deduceret. Obvium habuimus & prætorem, a quo itidem aliquantulum deducti, vix impetravimus, uti verecundiæ consuleretur nostræ. Itaque utroque dimisso, pergere ad monasterium sancti Zenonis, quia celeberrimum ferebatur, constituimus, licet longe distaret. Vidimus ecclesiam amplam satis ac speciosam, reliquum monasterii non satis conceptæ opinioni respondere deprehendimus. Bibliothecam sacrorum voluminum copiosam evolvimus. Reversi ad monasterium, quod supra Athesim est, noctu requievimus. Postridie a præfecto urbis data opera* (*nam ita inter nos convenerat*) *ecclesiæ majoris bibliothecam* (*erat autem celeberrima*) *vidimus. Plurima ibi erant volumina miræ vetustatis, quæ singulatim discussimus omnia, nihil tamen fere, præterquam consueveramus, invenimus. Adiit nos ad ipsum sancti Salvatoris monasterium abbas quidam bonæ religionis vir Vallumbrosanus, multisque precibus, ut ad se pransuri postridie diverteremus, obtinuit. Nobiles plerique & studiosi nos visitarunt. Ipse præfectus quandiu ibi fuimus, magnifice habuit nos. Legimus ibi & casu quodam* (*nam Venetiis, dedita licet opera, videre datum non fuerat*) *Isocratis orationem* περὶ τῆς βασιλείας *a Bernardo Justiniano illustri adolescente ex Greco conversam, maximeque sumus admirati pueri ferme ingenium, nobiscumque habere voluimus*. Extat ipsius Bernardi Justiniani epistola ad Ambrosium, qua ipsi gratias habet pro laudibus datis suæ Isocraticæ orationi scripta Venetiis [c] quarto idus octobris. Bernardus vero filius erat Leonardi, cujus

c Lib. XXIV. ep. XXV.

cujus nomine Ambrosium salutat in ea epistola. *Inde postridie profecturi, visitare denuo instituimus amicissimum nostrum Marcum Justinianum. Cum quo diutius collocuti ad nostrum monasterium non aliter, quam ipso comite, redire potuimus. Est in ipsa ecclesia conditum beati Gualfardi corpus, cujus vitam & miracula ibi legeramus. Ignarum eatenus ejus rei praefectum ad sepulcrum sancti viri duximus, vitamque illius ei ex parte legimus, pileolumque suum (nam servabatur intra sacrarium) illi ostendimus. Posito genu, ipsum capiti suo imponi vir nobilissimus postulavit; fecimus satis ipsius votis, a nobisque dimisimus. Consilium fuit, quoniam Vicetiam eramus profecturi, ne Clementem frangeret equitatio, ipsum Veronae relinquere navi secuturum una cum Benedicto cognato nostro, atque ad monasterium Vangadiciae profecturum.*

Itaque vigesima-tertia julii mane summo Verona moventes, Vicetiam recto itinere petebamus; ad monasterium nostrum sancti Viti vespere venimus. Praeerat illi domnus Marcus Venetus, de quo nos cum adhuc Venetiis essemus, indigna plurima compereramus. Invenimus illum obvoluto capite febrem sive patientem vere, quod tunc putavimus, sive simulantem, quod, postea rei exitus docuit. Plurima contra illum a secularibus objecta, eisque suo monasterio obnoxiis, his, quae Venetiis acceperamus, ut fidem haberemus, effecerunt. Sed res plena difficultatis. Ne quid tunc decernere possemus, obstabat simulata infirmitas, monasterii ipsius res admodum tenuis, hominum caritas; neque enim quem abrogato subrogaremus, facile occurrebat. Satisfecimus delatoribus, quantum licuit, bono animo esse jubentes, rationesque probabiles dilationis nostrae afferentes. Ingressi oppidum, episcopum (Maripetrum Æmiliani successorem *) visitare perreximus. Accepti comiter, sermonem de concilii rebus protraximus diu, valeque illi facientes, obvium habuimus hominem studiosum nobis optime cognitum. Reversi ad monasterium vespere, adiit Gregorius noster Vicetinus illustris adolescens, Florentiae superiori tempore cum Fantino remoratus, functusque nobis aliquando exceptoris officio, cum Chrysostomi quaedam converteremus ex Graeco (* Fuerat is Florentiae cum Fantino Dandulo, atque ejus manu exaratae extant sex Chrysostomi homiliae super Titum ab Ambrosio in Latinum conversae, & septem super Timotheum.) *Amplexi gratissime juvenem observantissimum nostri, ex eo primum didicimus Fantinum nostrum ea illuc die advenisse, atque extra urbem in agello remorari, multum orante, ut illum viseremus. Nos, quia in alia intenderamus animum, nuntiusque allatus, quod Basileam nos ire Florentinorum magistratus decrevisset, episcopi Vicetini fuerat assertione firmatus, remorari diutius passi non sumus. Plerique nos adiere nobilium & eruditorum, cum adventum nostrum comperissent, Barbari nostri praemoniti literis, quantumque permittebat hora (nam declinabat in vesperum) humanissime sunt allocuti, bonaque cum gratia nostra discesserunt. Compositis ibi modice rebus, mane summo proficisci constituimus. Placuit mirifice Vicetinus ager, qua maxime Verona petebatur. Vite enim atque olea, pinguique solo, & leniter acclivis collibus, aerisque temperie, praeter reliquas regiones amoenus est. Vidimus & monasterium proximum sancti Marci, cui praeerat dudum religionis nostrae monachus. Sed & intra urbem inspexeramus monasterium Praedicatorum, bibliothecamque evolveramus. Aderat nobiscum Gregorius prior. Itaque conducto homine, qui nos ad monasterium duceret, breviore via iter aggressi ante lucem, devia secuti sumus per imperitiam ductoris nostri, Marco ipso Vicetino priore comitante, qui pridie decubabat lectulo, ceterosque praeeunte. Venimus ad ipsum monasterium hora ferme nona. Illic die ipsa quiescentes, cum abbas ipse vera*

Ann. Chr. 1433.

ra esse, quæ de profectione nostra afferebantur, assereret, properare adhuc magis instituimus. Itaque postridie abbati valefacientes ad monasterium de Vangadicia, Gregorio duce, perreximus.

XXI. Ambrosius Ferrariæ & Bononiæ.

Magno *honore & quidem majore quam prius, abbas noster nos acceperat; proficiscentibus a se necessaria nobis duo volumina constitutionum nostrarum tradidit. Prosequuti sunt nos Philippus monachus & alius cancellarius ipsius abbatis, & Johannes de Ferro aliquot passuum millibus, transvadatoque amne navi venimus ad villam Arquam.* Tum describit iter suum per Paduam, & adventum Ferrariam. *Adiit nos continuo Guarinus noster amicissimus, eoque ipso comite ac duce principis filium Leonellum adolescentulum mitis & clari ingenii, salutatum perreximus. Humanissime accepti sermonem diutius protraximus, hortati docilem juvenem religionis in primis ac studiis humanitatis operam dare. Ab eo ubi discessimus, Guarino commendato (sic enim ille petierat) Jacobum Ziliolam, qui coram aderat, resalutavimus. Cœnavit nobiscum Guarinus ipse; xenia a Jacobo missa cœnulam honestarunt nostram. Postridie summo mane profecti cum sexdecim ferme millibus passuum processissemus, & in hospitio modice adquiesceremus, advenit Johannes monachus Vangaticiensis, quem amotum literis ab ecclesia, cui præerat, Bononiam ire jusseramus, inducias postulans, dum fruges colligerentur. Annuimus illius votis, lætumque remisimus. Inde Bononiam profecti, ea ipsa die ad monasterium sanctæ Mariæ de Angelis venimus, ipsumque monasterium visitare constituimus tertio kalendas augustas. Adeo vero invaluerat æstus, ut summitates brachiorum mirifice sensimque amitterent corium. Socium itineris nostri Benedictum Ferrariæ liqueramus, ut navi cum sarcinulis nostris nos sequeretur. Alium item ex sociis, cum Faventiam ire se velle signaret, dimisimus libere, ut nos expectaret, injussusque non rediret, illi in mandatis dantes. Subsequutus est nos triduo ferme, postquam illo advenerамus, Benedictus æger; febris enim eum pervaserat, forte quod vehiculo aliquot millibus fuisset adductus, confractusque immodica agitatione esset. Languor ejus viginti ferme dies nos occupavit, conducto medico, qui illius curam haberet.*

Per eos dies crebri ad nos fuerunt conventus amicorum. Sed & monasterium nostrum sanctæ Christinæ crebro visitavimus. Impetravit a nobis monasterii mater, ut monasteria viseremus sibi subdita duo, sancti Andreæ, & sanctæ Christinæ octavo extra urbem lapide. Profecti laute suscepti sumus, matre ipsa procurante. Vidimus amœnissimam regionem, & sanctæ Christinæ monasterium vetustum conspeximus. Ibi conditum est sanctæ Luciæ corpus. Ejus cum vitam legere vehementer cuperemus, nullam adesse scriptam comperimus. Erat hoc celebre illius vulgatumque miraculum. Adamaverat illam quippe speciosissimam juvenis nobilis, adibatque frequens monasterium, visendæ ejus gratia. Nam cum esset clausa cellula ecclesiæ conjuncta, per fenestram sancta Missarum sollemnia audire consueverat. Hac juvenis hora captata eo adveniebat ejus inspiciendæ tantum gratia. Id ubi advertit virgo pudicissima, fenestra damnata, sese intra cellulæ secreta continuit, Patri, qui in abscondito videt, placere desiderans. Juvenis amore ebrius, cum spem omnem ejus potiundi sibi sublatam cerneret, desperatione victus, sese ad remotiores barbarasque nationes contulit. Interea virgo felix migravit ad Dominum. Cum juvenis a Saracenis captus fidem negare aut mortem oppetere cogebatur, inclusus carceri & compedibus vinctus, ut solet intellectum auditui dare vexatio, recordatus est Luciæ sacratissimæ virginis, compunctusque corde: O, inquit, Lucia virgo Christi, si quid apud Deum prævales, adjuva me, atque his necessitatibus libera. In his verbis somno cor-

corripitur, experrectusque prope monasterium ferme ad jactum lapidis, vinctus compedibus, consueti signi sonum haurit auribus. Apparuit illi per visum virgo Christi, & ille ad ejus aspectum admiratus: Vivis ne, inquit, Lucia. Et illa: Vivo veram vitam, ait. Unde & compedes istos ad sepulcrum meum defer, Deoque gratias age, qui te de imminenti periculo liberavit. Paruit ille jussis. Eos nos compedes vidimus, neque desunt, qui asseverent eos nulla unquam ratione inde potuisse amoveri. Reversi monasterium sancti Michaelis prope castrum Brittorum, de quo supra fit mentio, vidimus desolatum & destitutum. Inde Bononiam reversi perturbatam civitatem intestina seditione deprehendimus. Multa his diebus tractata cum amicis & religionis nostræ hominibus. Procuraverat miro studio Augustinus, quem habitum mutasse prædiximus, ut redire ad ordinem liceret. Id sibi omnino denegatum ubi intellexit, proposito destitit. Illuc se ad nos retulit, cum aliquandiu præter spem remoraremur, Ugolinus socius noster. Ejus adventus ingrate acceptus, toleratus tamen. Vidimus per eos dies denuo bibliothecam Prædicatorum refertissimam voluminibus sacris. Ibi præter notiora volumen invenimus, ubi gesta conciliorum veterum descripta erant, & in primis Chalcedonensis synodi per actiones distincta pulcherrimis & antiquissimis literis. In eo volumine erant libri, nisi fallor, quindecim Facundi cujusdam de ipsius concilii gestis contra detrahentes, pleni facundia & eruditione, ut nomini illius respondere plane viderentur. Vidimus pleraque civitatis monasteria, bibliothecasque evertimus, sed nihil peregrinum præterea offendimus. Admirari libuit Stephani Porcii prætoris sapientiam, quæ in civili tumultu maxime enituerat. Nam cum arma utraque factio & plateam occupasset, etsi nedum plene morbo, quo plures jam dies tenebatur, relevatus, sese medium ingessit, neque prius destitit, oratione suavi conciliatos animos mulcens, quam arma deponerent. Visitavimus illum ex officio nostro, ejusque germanum illustrem adolescentulum Marianum, cujus tanta est indolis gratia, ut sexdecim annos agens oraverit publice, vicesque fratris strenue impleverit. Quandiu licuit, nos certe nunquam deseruit, mirifice observans nostra omnia. Sigilla ærea duo miræ artis & vetustatis dono dare voluit, sed ut convenientiora sibi, admittere noluimus, & gratias egimus. Ancillas Christi sæpe vidimus, & coram exposuimus filiæ nostræ causas doloris nostri præteriti. Sic illa satifecit nobis, ut nulla suspicio remaneret. Adhortati & omnes simul & seorsim singulas, idque sæpius, pleni bonæ spei inde semper abscessimus. Per eos dies plerique nos & nobiles, & religiosi ac studiosi adierunt, & officiosissime salutavere. Animus fuit monasterium Nonantulæ visere, viginti fere passuum millibus remotum, Mariano meo comite, sed abbatis sive invidentia, sive imperitia obstitit asserentis nulla ibi esse volumina, cum plurima miræ vetustatis illic pulvere & situ jacere demersa ex auctoribus certis comperissemus.

Vigesima fere postquam illuc veneramus die, obvium habuimus virum religiosi habitus, qui nobis literas & a Lucensibus dominis, & a Hieronymo germano nostro redderet. Postulabant illi, ut monasterio Cantiniani, cui socium itineris nostri Dominicum præfeceramus, secularem sacerdotem bonæ vitæ (ut ajebant) quod sibi esset carus & fidelis, abbatem daremus, quia Florentinum omnino habere nollent. Rationabiliter & nuntio (nam apertius ille longe quam literæ Lucensium intentionem exposuit) & literis ipsis a nobis obviatum est; esse in religione nostra quamplures idoneos ex alio quam Florentinorum solo, qui possent ad id commodius & honestius assumi. Fieri namque contra honestatem constitutionum nostrarum, jurisque communis, si sacerdos secularis repente assumatur abbas. Ad hæc electum a nobis

Ann. Chr. 1433.

bis Florentinum non esse. Ea ratione nostra nihil motus ille in sententia perstitit. Ea tandem conclusio fuit, nos brevi affuturos, eamque rem coram melius quam absentes acturos. Fratris literæ præsentiam maxime requirebant nostram, nescientis eatenus, ubinam essemus (neque enim literas nostras, quas plures illi scripseramus, acceperat) imminere ferme exitium nostris rebus, nisi maturaremus ire. Placuit nequaquam ultra remorari, dimissoque Benedicto adhuc imbecilli, neque apto ad equitandum, postridie Bononia profecti sumus. Unica extat inter editas epistola Ambrosii ex Bononia scripta quarto nonas augusti [a] Eustachio abbati Valle-castrensi, qua ei significat adventum suum in eam urbem. Profectus autem ex Bononia [b] severiori increpatione perditos quosdam monachos, acriori monitione Jacobum abbatem Agnani castigat, quod institutus in monasterio religiosissimo & sacratissimo mores suorum monachorum corrigere negligeret, susciperetque monachos passim absque suis literis.

a Lib. XVI. ep. VI.

b Lib. XIV. ep. XVII.

XXII. A Sigismundo imp. obtinet confirmationem privilegiorum.

Sed Hodœporici narrationem persequamur. *Florentiolam prima mansione venimus; inde ad nostrum monasterium sancti Petri de Luco tertia diei hora pervenientes, post cibi & somni modicam refectionem cum jumentis jam insedissemus Florentiam petituri, literæ a filio nostro Augustino allatæ, quibus Hieronymum fratrem gravi morbo laborare signabat, animum sollicitarunt nostrum, atque iter aggressi, quod reliquum erat, multis curis & cogitationibus macerati peregimus. Divertimus ad nostrum monasterium vigesima & secunda ferme hora. Occurrit nobis tam prior, quam omnis congregatio, magnoque gaudio accepti quærebamus Hieronymum fratrem visere. Is comperto nostro reditu contra infirmitatem nitens, ocyor atque anxius advolat, atque in amplexus nostros & oscula ruit. Scripseramus illi ex Venetiis modice expostulantes, cur aliquando inter scribendum quædam insereret nos inconstantiæ culpantia, idque ipsius commodis prospicientes, idque extremis illis literis fecerat, quibus urgebat ad reditum. Sed plane bono id animo affectuque mirabili faciebat frater amantissimus atque dulcissimus. Nihil enim in nobis nisi summum, nisi perfectum aut esse, aut fingi cupiebat. Ejus tunc leviter maxillam ferientes, causam tantæ concitationis quærebamus. Satisfecit ille sermone purissimo, mitissimoque responso. Quarta fere postquam eo adveneramus die novitium Jacobum bonæ indolis adolescentulum a priore requisiti ad professionem admisimus. Offendimus negotia nostra opinione se habere deterius. Itaque continuo institimus cum amicis, & summo item magistratu civitatis, ne quid jura nostra violarentur, tuncque præter quotidianos tractatus nihil actum est. Volebant a nobis solvi in subsidium civitatis majorem pecuniæ summam, quam tenuitas facultatum nostrarum pateretur. Multis ultro citroque verbis nequicquam consumptis (jam animos in alia intenderant, quod postea rei exitus docuit) cum imperatorem Ferrariæ breviter affuturum fama esset, visum est nobis, prælatis nostris approbantibus, illum, quod esset nostra religio Romanorum imperatorum beneficiis ac privilegiis aucta, ex officio nostro visitare; Hieronymo maxime fratre, ut id faceremus, instante. Multum admirationis justique doloris ceperamus, quod vicarium a nobis, antequam Venetias proficisceremur, institutum diutius a sedibus nostris abfuisse didicimus, conquestique sumus, quod per hanc ipsius absentiam incommoda multa pervenisse domui nostræ verisimili ratione putavimus. Dolentes hanc ipsius absentiam neque suis, neque aliorum literis vel nuntiis nobis fuisse signatam, ut prospicere possemus necessitatibus nostris. Adiit nos, priusquam inde moveremus, Mariottus noster, pluraque retulit, quæ mæstitiæ adderent causas. Sic afflicti & attriti, sumpto nobiscum volumine, quod traductam a nobis Chrysostomi*

mi vitam contineret, dono imperatori dandum, profecti Florentia ſumus ſecundo nonas ſeptembris. Undecimo kalendas ſeptembris [a] ſignificaverat Mariotto ſe advenisse Florentiam. Vigeſima-ſexta auguſti [b] Bernardo abbati Volaterrano ſcripſit ſe invitum permiſiſſe Andream monachum ſervire in militia Florentina, quem ſibi commendaverant primores urbis. Pridie kalendas ſeptembris Mariotto nuntiat [c] ſe quam primum iturum Ferrariam pro confirmatione privilegiorum imperialium, atque proinde ei demandat, ut ſibi tranſmittat privilegium patris ſive avi imperatoris, hoc eſt Caroli IV. a ſeptuaginta annis indultum, aliaque inſtrumenta. Quarto nonas ſeptembris [d] Lucenſibus præſulibus reſpondet ſe paratum obſequi eorum votis pro monaſterio Cantiniani, ideoque propoſitum ſibi ſecularem ſacerdotem non renuere. Rationi tamen conſonum magis videri; ſi ex ſuis Bartholomæus de Burgo-ſancti-Sepulcri antiquus ordinis monachus & alias prælatus, cujus patruus ejuſdem monaſterii abbas dudum fuit, vir magnæ reverentiæ præficiatur monaſterio, præſertim cum Bartholomæus literis quorumdam principum fuerit ſibi commendatus. Se veniſſe Florentiam intentione viſitandi eorum excellentiam; ſed indictam ſibi neceſſitatem eundi ad imperatorem Ferrariam. Sin vero in eorum opinione permanſerint ſufficiendi ſacerdotem ſecularem, vices ſuas ſe tradidiſſe Benedicto abbati ſancti Zenonis Piſarum, ut ad illos ſe transferret, & vel Bartholomæum, vel ſacerdotem expetitum eligeret juxta eorum placitum, a ſe poſtea confirmandum. Legantur ea die ſcriptæ epiſtolæ [e] Ambroſii ad eumdem Benedictum abbatem, cui vices ſuas tradit, & alia ad Franciſcum Pupii comitem [f], cui ſcribit ſe commendaſſe Lucenſibus civibus Bartholomæum præficiendum Cantiniani monaſterio juxta ipſius & magnifici domini Nicolai (Forte-brachii) vota & preces.

ANN. CHR. 1433.

[a] Lib. XV, ep. XIV.
[b] Lib. XIV. ep. XXXII.
[c] Lib. XV. ep. XV.
[d] Lib. V, ep. V.
[e] Lib. XVIII. ep. XII.
[f] Lib. V. ep. IX.

Deinde deſcribit Ambroſius iter ſuum Ferrariam, ſed prius hæc habet: *Conſtitueramus Mariottum, qui vice noſtra præſideret, & eremi ſollemnia mutaret officia. Placuit ad Laurentium noſtrum* (Mediceum) *primo divertere, a quo accepti in villa ſumma cum gratia, peracto prandio, inde illo quidem renitente perreximus, eo die Caurennum profecturi, luſtratis tamen prius habitatiouibus ſingulis, & ſalutatis omnibus, eaque ſponſione data; ut in reditu noſtro biduum illic ſecum moraremur. Dato itaque ſocio itineris, qui ignaros deduceret ad proximum caſtrum, ea ipſa die, ut conſtitueramus, Caurennum pervenimus, poſtridieque Bononiam. Ibi certiores facti imperatorem non prius quam poſt quartam diem Ferrariam ingreſſurum, eam diem expectare decrevimus, ut impendio parceremus. Egimus feſtivitatem nativitatis beatæ Mariæ virginis in noſtro monaſterio ſanctæ Chriſtinæ, ubi animos omnium in ſancto inſtituto confirmare curavimus. Prius autem quam Florentia proficiſceremur, accepto nuntio, quod abbas monaſterii ſancti Petri de Rotis diem obiiſſet, convenimus priorem ſanctæ Margaritæ, ut eum ibi præficeremus abbatem. Verum renuente illo, domnum Dominicum ſocium noſtrum mature conſtituimus, ut periculis occurreremus. Inſtabant enim nobiles quidam, & in primis Rodulphus Pirucius defuncti abbatis frater, ut nepoti ſuo puero adhuc traderetur, jamque inde Romam ſcripſerat, eventus, ut fatebatur eatenus ignarus. Cujus nos cum fregiſſemus conatus rationabiliter obviantes, quod abbas illic jam eſſet inſtitutus, neque ulla ratione liceret, ſervata dignitate noſtra, id permittere, ut præficeretur puer ſecularis, polliceremurque, ſi puerum nobis traderet imbuendum, fore, ut ſuo tempore amicitiæ quoque rationem habuiſſe videremur, avertit ſe ab inſtituto curriculo, & favere pollicitus electo abbati per omnia, diſceſſit a nobis. Et quoniam proficiſci nos illuc nequaquam poteramus negotiis aliis intenti,*

Ann. Chr. 1433.

tenti, placuit mittere abbatem sancti Zenonis una cum priore memorato & abbate electo, qui electionem monachorum, a qua se ipsi sua temeritate privassent, qui contra instituta nobis absentibus eligere unum ex numero suo quaesissent subdole, impedirent, & huic monasterii possessionem pacificam vice nostra darent. Obsistentibus aliquandiu minae additae; mira enim stultitia id negotium impedire conati sunt, & nostram eludere auctoritatem quaesierunt, ita ut Florentiam quoque consultandi gratia mitterent. Verum ubi nostris & literis absentes, & verbis praesentes coerciti sunt, sana tandem mente recepta, se se nobis permittentes, eum ipsum elegere, quem praeferamus. Itaque peractis omnibus, cum illi rediissent, secretius abbatem sancti Zenonis arguimus, quod monasterium de Buldrone, postquam electus a nobis fuerat, plusquam semel adiisset, pernoctassetque ibi. Haec atque illa allegantem admonuimus graviter, & ne ad illud vel ad aliud monasterium ultra iret, interdiximus. Libere pollicitus est se obsequuturum. Iveramus ad monasterium ipsum, inquisituri veritatem rei, eamque simplici abbatissae confessione, licet negasset primo, postea tamen expresseramus. Non pepercimus, quin custodem quoque monasterii graviter insectaremur, qui neglexisset parere monitis nostris. Abeunti a nobis verbo primum, post autem & scripto vices nostras injunximus, ut Lucam se transferret, cum literis nostris ad praesules civitatis, negotiumque Cantinianensis monasterii prosequeretur, conditionibus his sibi praescriptis a nobis, ut videlicet curaret proponere quosdam a nobis denotatos. Quod si illi non cederent, inquireret de persona sacerdotis, & si honestae quidem vitae aetatisque legitimae deprehendisset, tradito sibi primum religionis habitu, admissoque ad professionem, monasterium traderet gubernandum. Ex Bononia quinto idus septembris [a] significavit Ambrosius Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano se Ferrariam imperatorem adire pro privilegiis confirmandis.

a Lib. XIX. ep. XII.

Bononia movimus comitantibus fratribus nostris prioribus Camaldulini, sancti Damiani, & sanctae Mariae de Angelis decima septembris, vespereque pervenimus Ferrariam, dimidia fere hora, postquam imperator advenerat. Ea ipsa die adiit nos Guarinus noster cum plerisque de suo ludo studiosis. Conati sumus alloqui amicos, & Uguccionem in primis, qui secundo loco post principem (Nicolaum marchionem Estensem *) erat, sed ipsa die non licuit. Sequenti die domum illius adivimus, causas adventus nostri exponentes, & ut ipse captaret horam, qua regem alloqui possemus commodius, orantes. Benigne suscepti pollicitus est facturum omnia, ut voti nostri compotes essemus. Brunorum virum magnificum, & quo apud Caesarem nullus plus posset, alloquuti, Uguccione agente, eo ipso duce imperatorem adivimus, humaniterque accepti, cum diutius eum alloquendi copiam legati Venetorum, qui eodem fere momento supervenerant, ademissent, ipso nobis rege benigne innuente, ut rediremus, velle enim nobiscum colloqui, discessimus postridie mane redituri. Vidimus majorem ecclesiam, ubi amicum veterem invenimus modulandi peritissimum de Foro-livii, a quo & aliis plerisque ad nostrum hospitium deducti, episcopum quoque nostrum Signiensem ad nos visendos properantem sumus amplexi. Mane summo profecti ad palatium, cum prae foribus imperatoris praestolaremur exitum, admissi intus, gratissime accepti sumus, & post salutationis verba sollemnia, causam adventus nostri exposuimus; nos scilicet visitandi tantum gratia venisse Florentia. Adiecimus religionis nostrae primordia, per quae non indignos esse, qui audiremur, sub imperatorum semper tutela fuisse, cujus rei aperta essent indicia privilegia latissima nobis indulta cum a ceteris augustis, tum in primis ab ipsius patre piae & augustae memoriae Carolo; productumque privilegium*

vilegium illi in conspectum dedimus. Acceptum ille in manibus, sua sponte, se confirmare velle asseveravit, & cancellario adstanti tradidit. Addidimus nos ex debito officii nostri auctorem fautoremque nostrum in Italia positum visitasse, quem & in remotioribus constitutum visitare debuimus, & cum sollemne esset munera afferri patronis, nos ex instituto nostro inopes, quibus nec aurum esset, neque argentum, munusculum congruum & religioni nostræ & pietati suæ, vitam scilicet Chrysostomi a nobis ex Græco traductam attulisse, prolatumque libellum ipsius imposuimus manibus, orantes, ut hunc benigne susciperet, quodque sponte fuerat pollicitus, exhiberet, patrisque confirmaret gratis privilegia. Ista ferme orationis capita fuere, quam postea scriptam cum legisset Anna filia nostra sibi detinuit. (Incipit oratio: *Veni Ferrariam.*) *Accepit munusculum grato animo humanissimus princeps, clementerque allocutus diutius, a se bona cum gratia dimisit, multum exhortatus, ut ad concilium, quo ipse tendebat, vel mitteremus, vel certe ipsi pergeremus. Prosecuti principem sumus euntem ad ecclesiam, ibique Missarum sollemnia secum audivimus. Ipsa die reversi ad palatium, imperatorem, ut vale illi faceremus, optavimus alloqui. Albertum protonotarium ex nobili familia civitatis nostræ amicissimum nostrum, & alium item protonotarium cardinalis Ursini salutavimus, negotiumque nostrum conficiendum Leonardo Florentino cubiculario regis commendavimus. Et cum obstarent plurima, ne quod cupiebamus, efficere in præsentiarum possemus, decrevimus die sequenti inde proficisci, ut redimeremus tempus, & impensæ parceremus. Itaque duodecimo mensis proficisci paravimus.*

ANN. CHR. 1433.

XXIII. Quid pro Mediceis pulsis ab urbe Florentia egerit Ambrosius?

JAM *ascenderamus equos, cum sævus rumor aures perculit nostras, Cosmum scilicet nostrum Florentia extorrem agi edicto publico. Monstro simile id visum, cum ante profectionem nostram ipsum & in palatio dominis congredi familiarissime vidissemus, & ex Laurentio nostro nihil ejusmodi percepissemus. Bononiam itaque contendere maturato curavimus, ut veritatem certius indagare possemus. Divertimus itaque ad monasterium nostrum sancti Damiani, ibique Johanne Corbizo cive nostro advocato vera esse, quæ fuerant allata, cognovimus, neque de Cosmo solum, sed de Laurentio quoque fratre ita fuisse decretum accepimus, nisi quod Cosmus triennium, Laurentius vero annum exulabat. Concidimus animo non tantum amicissimorum hominum casum (licet is multum urgeret) quantum nobilissimæ civitatis & patriæ florentis occasum miserati. Animadvertebamus veluti ex specula celsiore vastitatem imminentem patriæ, neque ut dolore temperaremus, a nobis ipsis impetrare poteramus. Et quoniam res ambigua erat hactenus, oravimus Johannem memoratum, ut nos redderet per singula certiores. Adjectum malum & prorogatum terminum ex eo ipso cognovimus. Et quoniam Laurentius inde transiturus brevi sperabatur, adventum amantissimi filii expectare perreximus, ut abeuntem salutare, & prosequi lacrymis ex officio nostro possemus. Cosmum enim detineri clausum Florentiæ fama erat. Itaque tertia, postquam eo adveneramus, die, vespere jam propinquante, Laurentius appulit solus ferme. Adivimus illum noctis jam incumbentibus tenebris. Venientes ad se & de casu suo mœrentes consolari vir magnanimus cepit: Non sibi soli, sed aliis ante se plurimis hoc ipsum accidisse, nos admonens, ut bene de civitatibus meriti exules agerentur. Ita nos exanimatos ferme animavit, ut Deo uberes gratias ageremus, quod illi talem inspirare animum dignatus esset; profecisse enim ex hac vexatione satis & ipse fatebatur, & nos facile animadvertimus. Oravit, ut Florentiam pergeremus, fratrique, ubi commode possemus, opem ferremus. Instituimus, & quidem præter sententiam nostram (eo enim proficisci nequaquam volueramus, ne fœda rerum facie offende-*

Ann. Chr. 1433.

remur, neu orbatam optimis civibus patriam videre cogeremur) illius monitis obsequi, Florentiamque petere continuo intendimus. Reliqueramus Hieronymum nostrum ferme integrum, sanumque inventuros putabamus, cum repente nuntius allatus majore nos sollicitudine cumulavit, deterius enim habere comperimus, quam cum inde proficisceremur. Biduum in nostro monasterio remorati, cum abbatem nostrum de Carceribus Basileam ivisse pro comperto haberemus, vicarium nostrum in illis partibus fratrem nostrum abbatem sancti Michaelis instituimus, gesturum in omnibus vices nostras, manuque propria conscriptas literas misimus, privatis cum literis orantes, ut laborem hunc sumere dignaretur. Et quoniam negotia consummandi privilegii liqueramus infecta, consilium fuit mittere priorem sancti Damiani, qui sollicitaret rem ipsam. Mantuam itaque mittere satius putavimus, quod illic imperator iturus communi consensu omnium diceretur. Ante vero quam Ferraria proficisceremur, allocuti Jacobum Ziliolam, eo suadente, principem civitatis visitare institueramus. Eaque ipsa die, cum aliquandiu expectavissemus, eum postea in palatio sumus allocuti, filiumque illius Leonellum, gratissimeque accepti fueramus. Literas itaque ad imperatorem ipsum & ad Victorinum nostrum scripsimus, prioremque dimisimus sequenti, postea quam Bononiam adveneramus, die. Extat ipsius Ambrosii epistola ad Sigismundum imperatorem data Bononiæ die XII. septembris [a], qua ipsum precatur, ut privilegia eremi Camaldulensis nulla facta solutione firmentur, quod & coram supplex oraverat, cum Caroli patris diploma in conspectum dederat, suamque vitæ Chrysostomi versionem obtulerat, excusans discessum suum repentinum ex Ferraria.

a Lib. V. ep. I.

Didicimus priorem sancti Mathiæ contra præcepta nostra egisse cum Venetiis, tum Bononiæ. Miserat enim, qui monasterii sanctæ Mariæ de Angelis sequestraret fructus, sed quod penderet appellatio, re infecta ille redierat. Literis item monachi Antonii querimoniarum plenis exercere tyrannidem in monasterio audiveramus. Moti indignitate rei, scripsimus abbati nostro literas, cujus illum correctioni per omnia subjeceramus, ut admoneret hominem, præciperetque illi, ne de negotio illius monasterii absque nostra permissione, contra priorem ipsius monasterii aliquid agere auderet sub excommunicationis pœna, quam ipso incurreret facto, & a qua nisi a nobis non posset absolvi. Duos ex monachis prioris ipsius corripuimus, eo præsente, in monasterio nostro sanctæ Christinæ, quod ludere assidue ferrentur ludos parum honestos. Inhibuimus sæpius, ne ad monasterium ipsum ulla ratione ire præsumerent, ancillisque Christi, ne venientes susciperent, præcepimus. Magna fuit per eos dies illarum instantia, ut sibi permitteretur ex more parentum adire domos. Obluctantes id tandem consensimus, ut quoties opus fuisset per biennium, semel ire, matre permittente, cum alterius prælati licentia possent. Priori sancti Damiani permiseramus, ut bona quædam monasterii venundare poset, convertenda in evidentem monasterii sui utilitatem. Abbati item nostro sancti Michaelis hoc ipsum permiseramus Venetiis. Confirmatis itaque ancillis Christi exhortatione salutari, eisque valefacientes, decima-sexta septembris inde discessimus. Offendimus extra portam civitatis Matthæum de Bardis Florentiam tendentem, sociumque itineris grate amplexi ceptum iter prosecuti sumus, biduoque Florentiam venimus.

Hieronymum fratrem gravior solito morbus premebat. Fuerat ejus cura permissa nostro Paulo fidelissimo medico, nihilque profecto ille unquam omisit diligentiæ. Recidisse ferebatur in morbum anteriore graviorem. Et quidem jam tunc pulsavit animum nostrum dira suspicio, neque poteramus conquiescere, dum tristem rerum faciem versaremus animo. Ferebamur varii,

neque

neque tamen nisi mœsta occurrebant. Exceperunt nos molestiæ variæ atque multiplices, ut quo nos vertere possemus, ubi quietis aliquid inveniremus, omnino non esset. Salutatis fratribus nostris, quia jam vespere pervenera-mus, mane sequentis diei præsules civitatis adivimus, bonaque cum gratia admissi, servata in oratione modestia, & dignitatis illorum ratione habita, nihil consilia damnantes, quod hujusce homines pellendos civitate statuissent, sed affectum solummodo miserationis præferentes, quod amicissimos nostros & de republica, ut putabamus, optime meritos tam tristis casus excepisset. Neque mirari prudentiam illorum debere nos in conjunctissimis id hominibus pati, quod in extraneis quoque & a nostra familiaritate alienis humanitatis ratione pateremur. Miserati fortunæ variam mutationem, ut qui paulo ante fuissent potentissimi & opulentissimi, omnique gloriæ splendore conspicui, hi subito (quod gravissimum omnium atque acerbissimum est) excidissent patria, gloria omni ac dignitate, facultateque nudati. Commendare deinceps Cosmum ipsis perreximus, orantes, ut qui se totum illorum auctoritati permisisset, imperioque parere vellet, eum liberum a custodiæ injuria, quo decreverant, ire innocuum paterentur. Consulerent gloriæ suæ, miseriamque hominis misererentur, neque sinerent, ut per hanc ejus custodiam, quæ plena erat curarum & molestiarum, vel intus maceraretur sollicitudine majore, vel periculum decoctionis incurreret. Excusare demum, quod profectionem ad imperatorem nostram illis non significassemus ea ratione, quod electis jam legatis, qui eo proficiscerentur, superfluum id minimeque necessarium arbitrati essemus. Accepisse tamen Ferrariæ grandem admirationem sublimium virorum & amicissimorum civitatis, ægre ferentium, cur legatos illi ad imperatorem intra Italiam constitutum non mitterent, ad quem omnium civitatum concurrerent legationes. Postremo orare, ut Cosmum ipsum visere & alloqui consolandi gratia permitteremur. Grate accepta fuit oratio nostra, benignumque responsum retulimus. Nequaquam ægre ferre magistratum summum, immo & cum gratia suscipere affectum miserationis nostræ, quippe cum ipsos quoque virorum misereret; quando tamen meliore ratione civitas ita statuisset, ferendum æquanimiter. Se Cosmi mature liberandi habituros rationem. Profectionem ad imperatorem nostram si præscissent, nobis quædam injuncturos, ipsius majestati exponenda civitatis nomine. Jam tamen constituisse, qui pergerent legatione functuri. Cosmum vero alloqui & grate quidem permisere. Interea dum expectamus, privatos etiam ex civibus quosdam amicis nostris infestos, nobis vero amicissimos, allocuti intra palatium, emollire illorum animos conati sumus, atque ad misericordiam flectere. Bona ex omnibus verba retulimus. Ubi vero Cosmum ipsum vidimus ita servari, maximo quidem dolore commoti sumus, & præsentem rerum faciem & præteritam fortunam volventes animo. Temperavimus tamen a lacrymis, quantum potuimus. Verum tantam in illo offendimus magnitudinem animi, tantum & præteritæ fortunæ suæ, totiusque mundanæ gloriæ contemptum, ut majorem certe non desideraverimus. Idem cultus, eadem oris dignitas, eadem gratia perseverabat, ut miserari potius afflictam civitatem, quam suas reputare injurias videretur. Denique post longum nostrum sermonem, qui consolaturi adveneramus, consolationis plurimum cepimus, jamque magis miserati civitatem sumus, quæ hujusmodi homines tam fortes, adeo magnanimos & constantes, tantæque in patriam pietatis amitteret, a quibus servata sæpius civitas ipsa fuisset. Vale illi itaque facientes, nihilo segnius operi cepto incubuimus. Accendebant studia nostra amicorum preces, qui ad nos omni ex parte confluentes, miro affectu & propensiore cura negotium nobis commendabant. Se utpote suspectos factionis, peri-

Ann. Chr. 1433.

Ann. Chr. 1433.

pericolosius loqui pro illis posse, nos ratione habitus ac religionis & amicitiae, profuturos plurimum assiduitate nostra. Idipsum & Hieronymus frater meus impendio postulabat. Cujus languor varius, neque unquam in eodem statu constans, inter spem & desperationem agebat medios, ut sine sollicitudine & metu essemus nunquam. Ubi vero Venetorum legati advenerunt (namque affuturos continuo ex Cosmo ipso quoque facti eramus certiores) illos, amicis quoque urgentibus, protinus adivimus, negotiumque quanta cura & diligentia licuit, commendavimus, instructioresque reddidimus. Gratissime admissa fuere verba nostra, namque erant amicissimi, & ad negotii, pro quo venerant, maturam exequutionem conducebant. Itaque plenos bonae spei a se dimisere. Voluimus alloqui & Raynaldum Albizum equitem Florentinum nobis justis ex causis amicum, Cosmo vero ultra omnes infestum. Conspectum in curia & salutatum, nosque benigne resalutantem affari datum non fuerat. Itaque captata hora profecti ad illum sumus, antequam se conferret ad curiam. Accepti comiter commendavimus illi quam opportunius & commodius licuit negotium amici, maturamque liberationem, ita ut intelligere plane posset, quanto id affectu posceremus, ut non esset vulgaris putanda nostra commendatio. Videbamur enim jure nostro, quae vellemus, de illo postulare posse, quia & ille Romae usus esset opera nostra, & quidem diligenti in re sua, pontificemque ipsius causa, cum senator esset, sumus plusquam semel allocuti, negotia sua illi commendantes. Repulit, ut est ferocioris ingenii, preces nostras, causasque inimicitiarum atrocium professus minime probabiles: Quod metuisset, ne hoc ipsum sibi Cosmus faceret, illumque & sapientissimum, & praeter omnes, quos unquam vidisset, potentissimum, invidiose testatus fuisset, cujus etiam majores familiae suae fuissent infestissimi. Postremum se auctorem totius cladis contestatus id intulit: Se contra quam postulabamus & egisse, & acturum pro viribus, neque Cosmum prius liberandum, quam propinquum ejus confines exilii sibi assignatos nuntiarent attigisse. Tum se auctorem futurum, nostri quoque gratia, ut emittatur. Tolerabilius esse, si decoqueret ille quam civitas (fuerat enim a nobis facta mentio decoctionis) Venetos praestare, si negotiis suis intenderent. Florentinos melius intelligere sua, quam illos, civitatis suae negotia, qui misissent legatos ejus eripiendi gratia. Displicuit mire amici intemperantia, & cum mollioribus verbis mol ire concitatum hominem pergeremus, nequicquam laboravimus. Dissimulato itaque dolore discessimus. Adierunt nos legati Venetorum, ut consolarentur expectationem ac sollicitudinem nostram, spem sibi a magistratu summo datam proximae illius ereptionis confitentes. Perreximus, ut uxores quoque amicissimorum hominum afflictas moerentesque consolaremur ex officio nostro, & ut eas cura levaremus, quae gesta erant, nuntiavimus. Concinnata calumnia subornati testis, hominis nequam, effecerat, ut periculo adjectum esse videretur, adeo ut Venetis absolutionem viri postulantibus responsum sit. Inustam confessionem delatoris infamiam inquiri primum & purgari oportere. Ejus esse generis crimina, ut liberationem impedirent. Non destitere legati quoad illis permissum est, nihil severius in eum decernendum. Neque pepercere, quin Raynaldo haec & illa repetenti, quae nobis antea dixerat, aperte satis insinuarent, se commenta ista intelligere, ducique suo scenam omnem detegere paratos. Id ex eorum postea sermone didicimus. Jam illis paratis ad exitum, cum amici omnes trepidi haererent, nos, ne infecta pergerent, precabamur, sed acceptam illi a magistratu fidem allegantes abire perrexerunt. Scripsimus amicis, quos eramus ante allocuti, & Raynaldo ipsi negotium intente commendantes.

dantes. Responsum grate est. Perreximus & secundo præsules alloqui, negotiumque denuo commendare. Grato responso relevati, Cosmum alloqui precario postulavimus. Ex eo certius didicimus τὰ χρήματα celerioris ereptionis causam fore, dolente altius rempublicam venalem. Multis verbis hinc inde consumptis discessimus. Cum paucis post diebus Deo miserante quarta ferme noctis hora dimissus est. Postridie vero quam profectus ille fuerat, cometes in cœlo visus animos multorum sollicitavit. Egimus gratias Deo, qui & illum aperto periculo, & nos perpetua cura sollicitudineque levavit.

Miraculum nos subjerat, quod de negotio Lucensis monasterii (quod in profectione nostra abbati sancti Zenonis permiseramus) nihil accepimus, factumne, an infectum esset. Itaque scripsimus abbati memorato, nullumque responsum accipientes, magis ac magis admirati sumus, ut ferme illuc ire decreverimus, nisi fratris obstitisset infirmitas. Accessit ad nos per eos dies abbas monasterii Vallis-castri, quem vicarium constitueramus nostrum. Conquestus familiariter est, nos contra illum scripsisse eremitis. Nos justæ commotionis nostræ rationes allegantes, quod nihil ille nobis de sua significasset absentia, ut providere negotiis domus nostræ possemus, ille in eremitas crimen intorsit. Quid multa? pacifico illum a nobis emisimus pectore postulantem, ut ratione futuri capituli generalis in monasterio celebrandi, domum redire permitteremus. Expostulantes, quod Bononiæ nos non bene visitasse dixisse ferebatur, ita placavit, ut diceret, non eis se usum verbis; verum leniores fuisse, quam crimina quorumdam postularent. Personas exquirere pergentibus, priorem sancti Damiani asseruit non fuisse punitum pro noverca, quam retinebat domi. Ejus nos objectioni ita obviavimus, ut diceremus ante omnia nihil nobis de eo crimine fuisse exploratum, nec sic tamen eam ibi reliquisse, immo ab eis avulsam, & viro traditam fuisse. Ita a nobis profectus est.

XXIV. Obitus Hieronymi fratris Ambrosii.

INTEREA *Hieronymus frater amantissimus acriore morbo cepit urgeri. Adhibiti sunt curæ illius & alii plerique medici, Paulo ipso non modo nihil renuente, verum & approbante multum. Per eos dies literæ a priore sancti Mathiæ ad nos scriptæ injuriarum plenæ, ut ei juxta suam insipientiam responderemus, effecerunt. Eas abbati nostro nostris inclusas literis misimus, ut ejus frænaret contumaciam monentes. Verum quid agimus? Quasi dolorem nostrum differre aut evitare alia narrando possimus, hæc atque illa colligimus, & quasi scopulum sequentes luctus nostros orationis nostræ fragilis cymba formidat? Quid diu moramur? Sentiebat dulcissimus frater a nobis quoque commonitus, corporis se virtute destitui, neque diutius posse in vita remorari. Et amore cœlesti atque christiana pietate flagrans peccata sua nobis confiteri voluit, nostrisque ex manibus religionis sacramenta percipere. Morem fraterno desiderio gessimus, multum affectui reluctantes, magnamque vim, ut lacrymis temperaremus, nobis inferentes. Denique ipsi illum inunximus, ipsi tunc sollemnia munera cuncta peregimus. Et cum ingravescente morbo, propinquaret ad exitum, interrogatus a nobis, ut sese haberet? exhilarata facie & oculis illis puritate mirabili præditis innuens, bene se habere respondit. Cum post duas ferme horas, me adstante, & animam illius sollemni prece commendante, fratribus præsentibus & orantibus, felici sorte migravit ad Christum tanta quiete animi, & eo statu corporis, ut dormienti suaviter quam mortuo similior videretur. Flentes fratres & præcipue juniores ab eo educatos, desideriumque illius ferre non valentes, consolari blanda exhortatione & certa ratione studuimus, atque ad imitationem virtutis accendere. Obiit nonis octobris tertia ferme noctis hora, ætatis anno trigesimo-sexto. Composito autem & ex more prolato cadavere, psalmi*

usque

Ann. Chr. 1433.

usque dum sepulturæ traderetur, nunquam defuerunt, vicissim sibi succedentibus fratribus. Mira in facie gratia, mira dignitas perdurabat, omniumque in se rapiebat affectum. Nos, quæ ceperamus fratri reddere, extrema humanitatis officia cuncta percurrimus. Namque & Missarum sollemnia ipsi celebravimus, & consuetas in eum preces exsolvimus, adstantes juxta feretrum, & dilecti faciem intuentes absque gemitu & lacrymis, cum lacrymarentur omnes, & mirarentur nos siccis perstare oculis, non ignorantes cujusmodi essemus destituti solatio, quam forte amisissemus auxilium, quam fidele consilium, atque adeo maxime nos miserantes, quod sentire incommoda nostra minus videremur. Ceterum nos & juniorum dolori prospicere cupientes, ne ex nostris lacrymis acrius ingemiscerent, & fidei nostræ ac dignitatis habentes rationem, mœrorem insitum, quo transfixa erant præcordia nostra, tegere intus ac premere magna intensione curavimus, itaut sepulturæ traderemus, & iremus atque rediremus absque lacrymis. Enituit maxime Sebastiani abbatis in nos & in defunctum fratrem pietas prope singularis. Namque & amare illacrymatus est funeri, & nos deserere vel ad punctum temporis passus non est, ne solitudo mœrori fomenta suggereret. Ipse ubique consolari, cogitationemque nostram in alia convertere, atque a dolore evocare animum, omni studio & arte conatus est. Constitueramus ea ipsa die discedere, ut mæstitiæ causas omnes frequentiamque adeuntium sub consolationis obtentu vitaremus, sed detinuit nos fratrum ac filiorum nostrorum caritas, crudele esse dicentium, si se tam cito desererem. Minus quam ratio poscebat, in patre monasterii caritatis offendimus. Nam cum illi causas nostri doloris exprimeremus, monasteriumque non præmissi fratris gratia deserturos adderemus, sed majore etiam, quam soliti essemus, caritate complexuros, commendaremusque juniores quosque, minus grate admisit, quæ dicebamus, frequentioremque nostrum eo accessum formidare visus est. Ejus nos pusillanimitatem blande corripuimus, & curare perreximus, dolentes ex animo tantum in illo modestiæ desiderari.

Cohærenter his, quæ ex Hodœporico exscripsimus, sequentes dedit per hos dies epistolas Ambrosius: Decimo-tertio kalendas octobris [a] Paulo Venerio significavit infirmitatem Hieronymi fratris sui. Mittit inclusas literas dandas Laurentio Mediceo, qui exul indignissime venit ad vos, quemque eidem Paulo abbati commendat. Eamdem ægritudinem fratris sui ipsa die [b] tristis notam facit Mariotto, sicut etiam exilium Cosmi & Laurentii. Sexto nonas octobris [c] iterum Paulo Venerio graviorem fieri morbum Hieronymi scribit, idipsum [d] Dionysio priori claustrali sancti Mathiæ. Quinto [e] & quarto [f] [g] nonas tertia & quarta vice periclitari salutem fratris sui significat eisdem Mariotto & Paulo Venerio, cui postremo nonis octobris [h] refert ipsa die secutum obitum, diffluitque in ejus laudes: *Hieronymus*, inquit, *dilectissimus germanus meus dignationis tuæ filius hac hora tertia ferme noctis migravit ad Dominum ..... frater erat genere, affectu filius, sollicitudine pater. Vigebat in illo disciplinæ regularis studium, fraternus amor, & omnium in se provocabat affectum. Quis illo ad obedientiam pronior? Quis eo purior? quis innocentior? Elucebat in ipsis oculis virgineus pudor, qui usque exhalationem animæ gratiam non amisit.* Amicis Francisco Barbaro, Leonardo Justiniano, & Laurentio Mediceo nuntiari vult a Venerio ejus obitum. Consentanea sunt, quæ leguntur in Hodœporico. *Ea ipsa, qua defunctus fuerat nocte Bononiæ ac Venetiis significavimus obitum fratris amantissimi, suffragia precum illi postulantes. Quamquam ea fuit illius vita sic religiose, tam pie exacta, ut nihil illi omnino metuamus. Fuerat ab ipso pueritiæ limite ut alter Samuel*

a Lib. XIX. ep. XIII.
b Lib. XV. ep. XVI.
c Lib. XIX. ep. XIV.
d Lib. XXI. ep. IX.
e Lib. XV. ep. XVII.
f Lib. XIX. ep. XV.
g Lib. XV. ep. XVIII.
h Lib. XIX. ep. XVI.

muel enutritus in templo Dei, nihilque hauserat, præter sanctimoniam & religiosos mores. His innutritus atque inversatus, ita in Dei famulatu profecerat, ut integerrimus monachus omnium judicio haberetur, & fidelis ac prudens servus Domini sui. Nullus in tota vita illum unquam iratum vidit, nunquam tristem. Induerat misericordiæ ac pietatis viscera, ut nullius lapsum absque lacrymis audire posset, nullius non miseraretur errores, quantumque in se esset, semetipsum opponeret murum contra faciem Damasci pro domo Israel, seque ingereret, occurrens esurienti cum pane, & cum aqua sitienti. Adeo vero fuit obediens, ut in illo venerabili cœnobio nullus ulla ætate, consensu omnium, in ea virtute magis eluxerit. Neminem unquam vel levi sermone offendit. Norunt ista, qui nobiscum ibi vixerunt, fratres, utque, quia caro nostra est, quam parce illa attingam, omittamque plurima, testes optimi sunt. Functus est annos plurimos officio novitios educandi, partim mecum, partim solus tanta gratia, tantaque cura, ut omnes genuisse videretur. Mixta erat severitati lenitas mira, ut & patrem, & nutritium affectu mirabili prosequerentur, & magistri tamen censuram meruerent. Quid vero de illius puritate & munditia persequar? Elucebat in ore atque oculis virgineus pudor, & veluti per fenestras animæ nitor penetrabat. Nullus, quod pace reliquorum dixerim, illo innocentior, purior, sanctior. Prudentiam illius admirare maxime hi possunt, qui eo familiarius sunt usi. Nos certe quantum amiserimus, experimur quotidie, cum ejus consilium desideramus, dum præsidia consueta requirimus. Educatus quidem ille fuerat a nobis, quod sine nostri invidia nominis dictum sit, verum gloria nos & meritis longe anteibat. Didicerat a puero artem pingendi acu, in qua supra omnes ætatis nostræ eminebat. Parva sunt hæc comparatione majorum, cum ingenium excellens nactus esset, expolitumque satis liberalibus studiis, & literis maxime sacris exercitatum. Urebat præcordia illius zelus domus Dei, cujus ab infantia decorem majore semper studio ac intentione dilexit. Me miserum atque infelicem, postea quam scelera mea e quiete monasterii in occupationum infestum injecere pelagus, avulsusque sum a formosæ Rachelis complexu, dulcique fratris optimi contubernio privatus, ita miseratus est, ita vices nostras indoluit, ut omnium ferme curarum & cogitationum nostrarum accederet particeps, omnia metueret nobis, etiam quæ tuta esse viderentur. Imbiberat a puero verum in nos & germanum prorsus affectum, verebatur ut patrem, diligebat ut fratrem, fovebat ut filium, paternam sibi sollicitudinem vindicans. Mea penitus scelera, ut tanto bono diutius frui non mererer, causa fuerunt. In quo mihi post te Hieronyme suavissime requies? Ad quem aspiciam ultra destitutus te dulci solatio, & unico vitæ meæ præsidio? Ad quem scribam & effundam æstus omnes cordis mei? Quis me jam consolabitur mœrentem? Heu miser! Nec jam expectabo literas tuas, jam fraterni amoris indicia referam nulla. Sed alius lamentationis servatur locus. Non tacebimus, quod illi in extrema illa valetudine contigit. Juvenis ferebatur mederi febribus, easque intra paucos dies medicamentis amovere. Adhibitus est, pollicitusque quatuor diebus incolumem futurum. Cepit ille nescio quid edendum dare, quod videri nollet. Subiit repente suspicio, ne carminibus fortasse uteretur, & cum id simplici illius confessione didicisset, exhorruit, neque passus est ultra ad se accedere, mori malens quam ita liberari. Fidei suæ hoc extremum indicium dedit. Sed ab hoc jam mœstiore curriculo deflectentes reliqua enarrare pergamus. Sorori nostræ scripsimus consolatorias literas, cognatumque ad eam misimus, nam ruri morabatur, & de industria non fuerat evocata, ut coram illi sola ministraret.

Adve-

Ann. Chr. 1433.

Advenerat Florentiam abbatissa nostri monasterii de Prato-veteri, curandæ malæ valetudinis causa. Eam ipsa die (nam in proximo erat monasterio) visitare curavimus, abbate nostro comitante. Inde redeuntes, cum secum ire ad monasterium suum Sebastianus hortaretur, ibique paucis diebus requiescere, non acquievimus, polliciti sequenti die illuc proficisci. Noctem illam in monasterio egimus, certatimque advenientes fratres consolari studuimus, nostrum semper dissimulantes dolorem. Mane ad monasterium sancti Salvatoris profecti, ipsam diem ibi egimus, abbate nostro nos solatii gratia extra civitatem deducente, monasteriumque tum sui, tum nostri quoque jure ostendente. Officiosissimum illius animum grate amplexi, noctem illam ibi requievimus. Postridie requisiti, ut pontifici summo Antonium Arretinum commendaremus (petebatur enim ad episcopatum Arretinum) sumpto prandio abbate renitente discessimus, sequenti die mane summo profecturi. Satisfecimus postulantium precibus, literasque ad pontificem scripsimus. Interfueramus & celebritati filiorum nostrorum Euphrosyni & Augustini, cum primas celebrarent Missas. Accessit ad nos prior sancti Damiani ab imperatore rediens, privilegiique afferens confirmationem, ut petieramus, gratis indultam. Attulit nonnihil solatii angoribus nostris adventus ejus, laudavimusque diligentiam. Mire tam ipse, quam ceteri religionis nostræ homines indoluere vices nostras, consolarique studuerunt. Advenerat ad nos frater ex monasterio Montis-crucum, nobisque exposuerat, priorem monasterii memorati, quæ sibi fuerant injuncta per nos, nequaquam servasse. Ad quem scripsimus, illius corripientes intemperantiam, & denuo, quæ fuerant injuncta per nos, illi servanda mandantes. Cupientem proficisci ad monasterium Cantiniani priorem sancti Damiani, fratremque suum nobis commendantem, bonæ religionis virum, plenum bonæ spei dimisimus a nobis.

Decima demum die mensis monasterio profecti, priori & fratribus valefacientes venimus ad nostrum sanctæ Margaritæ diversorium, ubi accepti a priore, gratissime casus nostros miserante, & nos consolante, ea nocte requievimus. Postridie tempestate dubia moventes venimus ad Pratum-vetus. Acceperunt nos humaniter ancillæ Christi, & de fratris obitu consolari studuere mœrentes. In devia incideramus ego & Clemens, famulo a nobis longe remoto, & Dominico recto itinere sequente, donec a muliere forte obvia itineri sumus restituti. Obvium item habueramus fratrem Martinum Florentiam cum literis, nos adeuntem, quæ nobis sollicitudinem incuterent. Quo Florentiam misso (nam alterius quoque rei causa ibat) accessum nostrum adhuc maturavimus, nam ea nocte in monasterio Poplenæ agentes, infirmum enim in diversorio monasterii Prati-veteris offenderamus Cataneum propinquum unius ex sororibus, admonueramusque, ne ipsa illi assideret in ministerio, sed secularis mulier & gravis adhiberetur. Sequenti die mane redivimus, duas ex his confiteri volentes admisimus, hortatique omnes, Socium inde contendimus, ubi remorati modice vindemiam proximæ vineæ inspeximus, & ad nostrum monasterium contendimus. Multum indoluere nostris casibus omnes, magno nos cum gaudio suscipientes. Mariotus aberat, puerique omnes ferme in parentum domos abierant. Adivimus eremitas nostros, lectisque literis ex Arretio scriptis ad nos, post primos congressus & verba consolatoria de morte fratris, ea tandem sententia omnium fuit, nobis eo mature pergendum, ut negotiis consuleremus nostris. Missus quippe a pontifice Romano, qui reformaret clerum, collectasque imponi solitas renovaret, sollicitos fecerat, ne quid forte per absentiam nostram fieret in præjudicium nostrum. Itaque protinus ire studuimus. Deduxit eo tendentes aliquandiu Camerinus noster, ipsaque die quinta-decima mensis Arretium venimus.

nimus. Et cum aliquantulum diei superesset, visitavimus monasterium nostrum sancti Benedicti, commendantesque fratris animam, & ad bene vivendum hortantes, profecti inde adire institueramus, & visere apostolicum legatum, ferebatur enim esse familiaris noster, & conspectum nostrum colloquiumque desiderare. Occurrit forte euntibus, salutatusque a nobis & blande resalutans nos, paucis ultro citroque verbis datis & redditis, dimisit a se ea lege, ut postridie secum pranderemus. Reversi ad nostrum monasterium sancti Michaelis, comitantibus prælatis nostris, conferre cepimus invicem, quid facto esset opus. Ea tandem fuit sententia, ut postridie summo mane conveniremus omnes, & singuli, pro captu suo, in ea re quid sentirent, exponere pergerent. Accessit ad nos amicus noster Antonius Rodulphus salutandi causa, cœnavitque nobiscum. Adoardus quoque Azarolus nos officiosissime salutavit. Mane, ubi conveneramus, ea sententia fuit, admonendum esse virum immunitatis nostræ, hortandumque, ut rationibus & calculis cleri visendis insisteret, ceterum ab imponenda seu verius innovanda libra abstineret. Super ea re extat Ambrosii epistola [a] data ex Poplena decimo kalendas novembris Eugenio Romano pontifici, qua innuit illum misisse, qui clerum Arretinum reformaret, ejus cleri quartam partem esse eremitas, *habet enim*, subdit, *ibi religio plura monasteria, ita ut cum indicta fuerit collecta clero Arretii vel a pontifice maximo, vel a Florentinis, pro rata quartam partem solvant Camaldulenses.* Sed quia non recta fiebat distributio ab exactoribus, orat, ut ipsi Camaldulenses inter se dividant. Scripsisse se insuper jam ad ipsum, ut pacem tractaret cum Nicolao Forte-brachio. Hieronymum demum fratrem suum significat mortem oppetiisse. Eadem die [b] nuntiat obitum fratris sui in anno ætatis XXXVI. Jordano cardinali Ursino, cui præterea significat Tertulliani volumina brevi in Italiam deferenda, quibuscum mendosissimum ejus corrigere valeret. Ante biduum [c] ex Fonte-bono alias Augustino Angelorum monacho literas dederat eumdem super morte fratris dolorem refricantes. Nono kalendas novembris [d] Hieronymi jacturam deflet in epistola ad Justinum Plancum advocatum consistorialem, cui etiam commendat Ugolinum abbatem negotiorum gestorem pro religione Romam missum. Denique egestate pressus orat, ut dilatam ad bullas redimendas solutionem purget apud Angelum de Monte-politiano. Ipsa die [e] Poggio scribit in ejusdem argumenti capita, additque alterum dolorem suum ob exilium Cosmi & Laurentii Mediceorum. Sexto kalendas [f] iterum Augustino monacho super obitu Hieronymi fratris, de quo etiam in epistola ad Sebastianum abbatem Camalduli-Florentini tertio kalendas novembris [g] æstus animi & doloris sui aperiente. Tertia die novembris [h] gratias agit Romæo Foscarario ob consolatorias literas ab eo receptas in morte fratris, similesque agit pridie nonas novembris [i] ex Fonte-bono Paulo Venerio.

Ann. Chr. 1433.

a Lib. I. ep. VI.
b Lib. II. ep. IX.
c Lib. XII. ep. X.
d Lib. II. ep. XXXIII.
e Lib. II. ep. XXXII.
f Lib. XII. ep. XI.
g Lib. XVII. ep. XIII.
h Lib. IX. ep. III.
i Lib. XIX. ep. XVII.

XXV. Iter ejusdem in Æmiliam.

PERACTA *omnium Sanctorum celebritate movimus monasterio nostro secundo nonas novembris, ut in agrum Flaminium contenderemus, visitationis ceptæ munus exacturi. Ipsa die venimus ad monasterium nostrum Insulanum, sed cum emenso ferme itinere perdifficili (namque e regione monasterii rupes alta & præceps eminet, castellum habens loci situ munitissimum) ipsa declivia & prærupta evicisse gratularemur, ipso brevi intervallo ancipiti periculo tentati sumus. Ubi enim ad plana ventum est, duo amnes e diverso venientes in unum coeunt, horum altero transvadato, cum alterum transire ductorum, qui nos pedites anteibant, nullus auderet, quod nimia inundatione præter solitum intumuissent, sequuti duces ipsos, callem arduum & flexuosum, quia pons petebatur, lo-*

ANN. CHR. 1433.

corum ignari ingressi sumus. Tum vero plusquam antea nos animus liquit. Namque ubi modice in eo calle processimus, animadvertimus possibile non esse, sine aperto periculo, ad summum evadere, quippe in arctissimo & tortuoso tramite, quatuor subinvicem equites scandebamus, & pluvia perpetua effecerat, ut ascensus ille argillæ præberet speciem, cui vix inniti jumenta possent, emensoque tandem colle difficillimo, saltu in superiorem planitiem evadendum erat. Quid agendum esset, haud facile conspicari poteramus. Nam neque retro redire faucium angustiæ illæ permittebant, cum sese ferme jumenta contingerent, neque descendere fauces ipsæ sinebant. Tandem mutuo hortati, calcaribus plus solito jumentis concitatis, Deo miserante scopulum illum prætervecti sumus, ponteque superato, ad monasterium venimus. Videatur epistola ipsius scripta Mariotto ex monasterio Insulano quinto idus novembris [a]. Suscepti ab ipsius monasterii abbate lustravimus omnia, ruinasque ingentes miserati sumus. Ipsam noctem ibi egimus. Cum postridie ex Galiata (ubi pueri quondam educati eramus) adierunt nos plurimi, partim abbatis ipsius culpantes negligentiam, partim inopiam excusantes. Decrevimus jam tunc monasterio ipsi aptiorem dare, qui & ingenio, & nervis plus valeret. Ea die amicis comitantibus ad Sanctam-Sophiam; inde Galiatam die advesperascente pervenimus. Hospitium in domibus ecclesiæ habuimus, suscepti humanissime ab ecclesiæ ipsius sacerdote. Convenerunt ad nos amici plures visitandi gratia, multumque humanitatis impenderunt. Acceptis ibi querimoniis contra V.., quod sororem a viri latere ablatam secum domi haberet, scripsimus ad eum literas increpantes graviter ipsius nequitiam, & ut uxorem viro restitueret, mandantes. Ibi etiam certiores facti sumus abbatem de Morona fundum pro fratribus emisse, quod ad nos fama vulgante pervenerat. Sequenti die comitante nos leviro, inde profecti Civitellam venimus, inde Cluserculum, ubi a comite Galeoto antiquo amico nostro accepti gratissime ipsa die Ricoum applicuimus. Visitato ecclesiæ ipsius priore, rebusque dispositis, inde postridie movimus, pervenimusque ad Castrum-carum. Ibi sollemni visitatione peracta ad Forum-livii tendebamus. Occuparat omnia bellici tumultus metus. Propinquantes oppido gubernatorem civitatis episcopum nobis optime cognitum (Thomam Thomasinum) offendimus adequitantem muro, & infirmiora munimenta resarcienda sollicite curantem. Cogniti ab eo atque gratissime accepti, urbem ingressi sumus. Visitare prius instituimus ancillarum Christi monasterium, comperimusque rem satis opinione meliorem. Namque & monasterium egregie institutum, & majorem monialium numerum, quam usque alibi vidimus, licet ædificiorum aptitudo deesset. Ibi utiliter multa constituimus. Nam & monasterii matrem, cum fuisset ab antecessore nostro, sine conventus electione sollemni, ordinata, querelaque facti hujus pervenisset ad nos, eam renunciare monuimus, adstante conventu. Electione tamen ex more celebrata, singularum votis secrete exploratis, non alia suffragiis omnium electa est. Confirmatæ a nobis multum auctoritatis accessit. Moniales ibi tres monasterii antiqui sanctæ Christinæ jam destructi, seorsim ferme viventes, ipsi monasterio sancti Salvatoris univimus, ita ut possessionibus applicatis monasterio unum ex duobus monasterium fieret. Inquietam quamdam corripuimus, multisque pro tempore opportune ordinatis & priori Camaldulini resarciendi monasterii cura permissa, ad visitandum priorem Camaldulini accessimus &c. Priorem ipsum hominem diligentissimum & bene religiosum ex ipsa visitatione collegimus. Contra vero priorem alterum sancti Paterniani de Ferracciano negligentissimum & ferme secularem, adeout amovere hunc animus fuerit, quod nihil religionis præter habitum, nihil religiosæ industriæ deprehenderimus, etsi alias

a Lib. XV. ep. XIX.

alias honestus & pudicus haberetur. Correptum acriter consulto dimisimus, minati, nisi impleret, quæ illi in scriptis mandata dederamus, severius in illum animadversuros. Et quoniam in domo monasterii intra oppidum juxta alterius prioris ecclesiam morabatur, cum memorato priore illum esse ac morari communiter jussimus. Prius autem quam eam urbem ingrederemur, adierat nos ex monasterio sancti Mathiæ monachus senex, multas contra priorem ipsius monasterii querimonias afferens, & orans, ut periclitanti monasterio succurreremus. Turbati mœstiore nuncio, quid facto opus esset, cogitabamus, bonaque spe relevatum senem a nobis dimisimus. Visitavimus gubernatorem civitatis amicum nostrum, acceptique humanissime contulimus æstus nostros, & an priorem sancti Mathiæ detinere vellet, si a nobis fuisset illuc evocatus, percontati, ubi pollicitationem ejus & quidem gratam accepimus; scripsimus jam dicto priori literas, mandantes sub gravibus pœnis, ut se ad ipsam urbem conferret intra præscriptum diem, criminibus objectis responsurus. Ancillas Christi interdum adivimus, doctrinaque salubri pro viribus instruere curavimus, atque ad perseverantiam sancti instituti animare. Inde cum proficisci pararemus, prosequuti sunt nos priores ambo equites, & Mercurialis quidam religiosus amicus noster. Faventiam recto itinere pergere animus erat. Sed cum ad portam, qua illuc itur, venissemus, egredi nequaquam valuimus, necessarioque ad patentem januam venimus, murum civitatis circuire necessario coacti, dum ad priorem portam pervenimus, modico illo itinere geminum discrimen incurrimus. Namque anfractus sequuti angustum tramitem atque interruptum ingressi sumus. Jumentorum saltu metum evasisse lætabamur, cum in interiora tendentes, majore periculo ferme exanimati sumus. Sociis namque inferiora petentibus & ripæ fluminis adequitantibus, mula nostra recto pergebat itinere, tum vero in cœcam foveam, cœnique voraginem anteriores injecit pedes. Inde surgere strenue valens animal cum vellet, posterioribus pedibus cœno immersis in altera foveæ parte in genua procubuit. Anceps urgebat malum, nam si jumento quidem insidere perstitissemus, metus erat, ne saltu se inde extricare mula contendens sessorem excuteret; sin autem descendere maluissemus, calcaribus panno, quo mulæ sella tegebatur, implicatis, periculum erat, ne in ipso conatu mula assurgens equitem secum traheret pede suspensum. Tandem miserante Deo ubi strenue descendimus, mula surrexit, nos nihil læsi sumus. Accurrerunt socii metum pallore testantes, & posteaquam illæsos videre, mirati sunt, Deoque gratias in communi egimus. Legatur & epistola [a] ad Augustinum monachum Angelorum, in qua & periculum prope monasterium Insulanum, & visitationem monasterii sancti Salvatoris de Foro-livio, ac colloquium cum Thoma episcopo urbis gubernatore nuntiat ex Foro-livio decimo-quarto Kalendas decembris. Idibus quoque novembris [b] scribens Paulo Venerio ipsum vicarium constituit in partibus Venetiarum, pluribus agens in epistola & de obitu Hieronymi, & de rebus monasterii sancti Mathiæ. Ex Foro-livio pariter decimo-tertio kalendas [c] decembris scripsit Rainerio abbati Anglariensi, quem vicarium constituerat in Fonte-bono. *Consilio prioris nostri mutato proposito, ad Castrum-carum divertimus, Faventiam inde petituri, quod jam cepto itinere haudquaquam tuto ire posse videbamur ob palantes milites, quibus ne prædæ essemus, modice de curriculo divertimus. Noctem illam cum Hieronymo egimus, a quo postridie deducti Faventiam venimus. Illic nos mæstissimus excepit nuntius Eustachium abbatem Vallis-castri, cum quo nobis carissima conjunctio fuerat, migrasse ad Dominum literis ex Fabriano scriptis agnovimus, quibus id nobiscum agebatur, ut electionem de juvene monacho factam approbare, & nostra auctoritate confirmare vellemus. Ingens se cali-*

a *Lib. XII. ep. XII.*

b *Lib. XIX. ep. XVIII.*

c *Lib. XVI. ep. XXXVII.*

ANN. CHR. 1433.

go offudit oculis, & post obitum sanctæ memoriæ Hieronymi fratris, hoc nobis solatium, quod maximum erat, ereptum ingemuimus, judicia in nos divina non quidem reprehendentes, sed manum tamen Domini super nos gravem non sine dolore sentientes, solitudinemque nostram magis ac magis miserantes. Venerant ad hoc duo, monachus unus ex monasterio ipso, laicus alter ab oppidi ipsius missi domino. Nos electionem conditionariam nequaquam approbantes (quippe ex monacho clam perceperamus juvenem illum bonæ quidem indolis, utpote abbatis Eustachii alumnum, ea conditione, jubente domino loci, electum, ut quando esset requisitus, officio cederet, sibique successor daretur unus ex nepotibus domini) & scenam itaque caute cælavimus, & quid facto esset opus cogitantes, electionem monachorum sine nostra vel vicarii nostri præsentia contra religionis instituta celebratam abrogavimus, ac jure nostro venerabilem fratrem Thomam Perusinum, hominem probatæ vitæ & ætatis legitimæ abbatem præfecimus. Datis autem ad dominum literis, quibus ætatem electo objiceremus, indignum asserentes tam nobili religionis nostræ monasterio adolescentulum præfici, simulque orantes, ut electum a nobis dignaretur admittere, quem & matura ætas, & vitæ merita commendarent; monachos etiam compescuimus literis, quod contra formam eligere ausi essent, mandantes, ut quem ipsi abbatem præfecissemus, reverenter exciperent. Literas item electionis ad memoratum dominum misimus per eum Thomæ tradendas, ut vel hoc officio nostro delinitus gratius electioni nostræ consentiret, videreturque auctor ipse fuisse, ut hic potissimum eligeretur. Sed parum ista nostra diligentia profecimus, ut mox docebitur. Ex Castrocaro undecimo kalendas decembris [a] pericula sua in urbe Foro-liviensi Augustino Angelorum monacho descripsit, cui etiam præcepit, ut Michaelem monachum urgeret ad complendam vitam Chrysostomi, & Nicolaum similiter adolescentem monachum ad perficiendam exscriptionem chronici cœnobii Casinensis, & dialogi abbatis Desiderii pro abbate sancti Michaelis de Muriano, significans quoque Franciscum Barbarum, qui consolatorias ad se dederat literas pro morte Hieronymi, expetere vitas patrum a se traductas. Ex Faventia quinto kalendas decembris [b] etiam Mariottum certiorem fecit de periculo suo in urbe Foro-livii; & pridie kalendas [c] Rainerio abbati Anglariensi vicario suo significavit nuntium sibi allatum de morte Eustachii abbatis Valle-castrensis, & substitutionem a se factam Thomæ prioris sancti Severi Perusii.

[a] Lib. XII. ep. XIII.

[b] Lib. XV. ep. XX.

[c] Lib. XVI. ep. XXXVIII.

Dimissis a nobis mature tabellariis visitationis munus exequi cepimus, accepti magna cum gratia tum amicorum, quos ibi frequentes offendimus, tum domini civitatis. Monasterium sancti Hippolyti primo adivimus, antiquum plane atque regulari instituto maxime idoneum, sed ita vel temporum culpa, vel abbatum negligentia desolatum, ut ruinæ proximum videatur. Abbatem ibi solum deprehendimus cum duobus pueris, ipsumque infirmum. Omnes fere monasterii officinas occupaverant milites. Flevimus miseram conditionem, & sortem nostram indoluimus, qui ruinas tam nobilis monasterii cernere cogeremur, neque remedium ullum possemus adhibere. Coacti sumus in domo amicissimi ac propinqui nostri Ugolini de Villiarana remorari, sed & plerique ex amicis nos excepere convivio, & in primis abbatis Silvæ-mundæ frater, neque licuit non illis morem gerere. Monasterium cellæ sancti Maglorii postea adivimus &c. Visitavimus & sancti Johannis-baptistæ monasterium aptissimum plane ac dignum, ubi regularis vigeret observantiæ decus. Priorem ibi ferme solum invenimus, præceptisque illi ex more traditis, quæ opportuna visa sunt, profecti sumus. Episcopum civitatis adivimus, (Johannem ex ordine Minorum) *abque illo officiose accepti; monasterium*

quoque

quoque insigne sanctæ Mariæ visitare perreximus; sepulcrumque Petri Damiani in antiqua & ornata, atque ab illo (ut ferebatur) constructa basilica venerati sumus. Codicem illic vetustum ipsius, ut ferebatur, manu scriptum, in quo omnia opuscula ejus haberentur, in conspectum dedere. Eum nos ad nostrum hospitium tulimus, diligentius inspecturi. His diebus, quibus ibi remorati sumus, controversiam veterem inter canonicos & abbatem sancti Hippolyti componere nequicquam sæpius conati, negotium ipsum Ugolino amicissimo atque hospiti nostro permisimus. Illic nobis remorantibus, advenit legatus Venetorum Fridericus Contarenus vir strenuus & nobis optime cognitus. Eum studiose salutatum perreximus. A quo gratissime accepti sermonem habuimus de priore sancti Mathiæ. Hortatus est, uti negotium exequeremur, licet Venetiis id oportere fieri assereret, quod ingrate Veneti civem suum extra terminos suos judicari admitterent. Suam opem eo libentius pollicitus, quo se auctorem fuisse, ut promoveretur, asseruit, & ægre ferre non eum sententiæ atque extimationi suæ respondisse. Visus est vera prosequi, & jam tunc Venetias iterato petere animus fuit. Ne tamen ceptis desisteremus, neu fortasse priores nostræ literæ redditæ illi non fuissent, scribere secundo instituimus, mandantes, ut intra præscriptum diem se conferret ad nos, crimina sibi objecta diluturus. Et cum tabellarius, qui ferret literas, non esset, ipsi Bononiam petere decrevimus, ut monasterium sancti Eustachii, quod intra Imolam est, visitaremus. Movimus inde sumpto prandio decimo kalendas decembris, Imolamque profecti cum abesset prior, Bononiam ipsa die pervenimus. Ibi postridie literas mensariis mittendas mane dedimus, ipsoque ferme momento missæ sunt. Egimus sanctæ martyris Catharinæ sollemnitatem in nostro monasterio sanctæ Christinæ. Vicem nostram miseratæ sunt ancillæ Christi, & de obitu fratris optimi, ut ante per literas, ita coram nos consolari studuerunt affectu singulari, & nos humanitate præcipua refoverunt. Faventiam redivimus, & ne in reditu quidem priorem sancti Eustachii invenimus Imolæ. Nocte ipsa remorati in hospitio nostro, multis contra priorem ipsum acceptis querimoniis, literas conscripsimus ipsi, cum rediret, tradendas, quibus ut Faventiam veniret, jubebamus. Post biduum ferme subsequutus est nos, & acriter a nobis increpitus cum multum excusaret, ætatem decrepitam miserati, illum a nobis emisimus, quid fieri vellemus, mandantes. Faventiæ substitit Ambrosius saltem usque ad diem ultimam novembris [a], qua literas dedit ad Augustinum Angelorum monachum.

a *Lib. XII. ep. XIV.*

XXVI. Ravennatum monumentorum descriptio.

RAVENNAM *ire visitationis exequendæ causa constituimus. Tum vero amicorum fides maxime eluxit. Namque nos illuc usque itineris ignaros deduxerunt, Ugolino nostro Venetias proficiscente legato Faventini domini. Accepti a Classensis monasterii abbate sumus gratissime, amicisque Faventiam redeuntibus biduo remorati, ecclesiam principalem civitatis, licet maxima vi luti impediti, aliasque itidem basilicas vidimus. Offendimus rem dignissimam, & in qua eluceret antiquitatis tum magnanimitas, tum diligentia. Nullam ferme usquam (ne Romæ quidem) lectiorem aut ornatiorem basilicam vidimus. Nam præter exteriorem ornatum, qui vel insignis est, vestiunt intus parietem fani varii marmoris sectæ ad lineam crustæ, stant ordine gemino utraque ex parte columnæ ingentes ex marmore, neque desunt porphyreticæ per templum tum columellæ, tum tabulæ ita lucentes, ut speculi in morem imagines referant. Altare argenteum columnis sex suffultum, ciborium tegit argenteum itidem columnis porphyreticis & ophiticis sustentatum. Cingit altare ipsum chorus ex marmore condido, cujus prominentia capitella argento vestivit antiquitas. Musivum opus interiorem ædem*

Ann. Chr. 1433.

ædem totam tegit speciosissimum. Sacrarium visere libuit, ac bibliothecam, quæ ibi singularis esse ferebatur. In altero plurima vetustatis insignia vidimus, alteram opinione deteriorem longe invenimus; vix enim ibi quidquam dignum memoria, præter unum Cypriani volumen, invenimus antiquis literis, in quo plurima quam usquam antea ipsius opuscula notavimus. Sollicite, an aliquid librorum scriniis conditum esset percontati, nihil esse didicimus, dato in conspectu vetustissimo de conciliis codice, in quo Nicæni concilii fidem in membranis purpureis & aureis literis legimus. Esse intra ecclesiam locum, qui chartophylacium diceretur, professi sunt, in quo privilegia plurima junco inscripta servarentur. Eo cum nos duci avidissime experemus, custodem abesse didicimus. Itaque profecti tunc sumus alias redituri, & inspecturi diligentius omnia. Vidimus & baptisterium ecclesiæ propinquum antiquo & mirando opere. Transivimus ad contuendum sancti Vitalis martyris templum permirificum rotundum & omni genere ornatus insigne. Cingunt ambitum sectæ discoloris marmoris ingentes tabulæ, columnæque per gyrum altissimæ ex candido & vario marmore peripatum sustinent, ut nihil admirationi desit. Aram fani sumus vehementer admirati. Nam cum lapis ipse palmi fere crassitudinem habeat, quidquid fuerit altera ex parte applicitum, pars altera refert, vitri tenuis instar. Nihil minus ibi, quam musivum opus desideratur. Ædiculam prope fanum vidimus sepulcra regum ex marmore candido ingentia habentem squamatis operculis. Musivum nusquam nec tenuius, neque elegantius inspeximus. Circuivimus & ecclesias alias atque monasteria, quantum vel pluvia, vel lutum permisit. Salutavimus & civitatis dominum, & ab eo atque ab ejus conjuge muliere & prudente, & erudita grate accepti sumus. Exegimus amicitiæ jure, ut hospitale intra urbem, quod a patre religioni datum primo, postea ablatum fuerat, restituerent nobis. Nihil cunctati, quod postulabamus, exequuti sunt, confecto ipsius donationis instrumento. Nos eis vicissim salinas monasterii, quas tenebat, annua pensione confirmavimus. Puellam annorum ferme duodecim uxoris ex viro altero filiam evocarunt, quæ præter sexus consuetudinem & conditionem fortunæ suæ literatura imbueretur, Græcumque a nobis alphabetum sibi scribi postularet. Quod grate egimus.

Ravennæ cum esset Ambrosius[a], ubi venerat septima die decembris, post biduum Bartholomæo de Viarana scripsit, ut restitueret abbati sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ volumen operum Petri Damiani, quod secum ad monasterium sancti Hippolyti jampridem detulerat. Instat etiam, ut canonici Faventini stare velint conditionibus illos inter & cœnobitas sancti Hippolyti a se statutis, demum salutat Gajum Hebræum. Sexto idus decembris [b] Rainerio abbati Anglariensi vicario suo in Fonte-bono nuntiat se hodie pergere Fabrianum, quia dominus ejus civitatis renuit recipere Thomam Perusinum electum a se in abbatem Vallis-castri. Die sequenti [c] ex Ravenna idipsum significat Mariotto; stimulos insuper illi addit ad tironum curam & educationem. Tertio idus decembris [d] iterum scribit Rainerio vicario suo. Die duodecima [e] Augustino Angelorum monacho præcipit, ut dicat Michaeli alteri monacho, quod mutuo det Saxo Pratensi medici Laurentii Saxoli filio Phalaridis epistolas. Parentem dulcissimum filium defunctum memorat, ob cujus obitum literas consolatorias se daturum pollicetur Catharinæ spectatissimæ & sanctissimæ ipsius matri. Comitem in pluribus itineribus se Ambrosio addiderat clarus adolescens Parens, optime scribebat, sed in ipso adolescentiæ suæ flore hoc anno decesserat. Eadem die [f] Nicolao Nicolio describit fuse vetustissima templa Ravennæ, & præcipue majorem ecclesiam; narrat igitur se ingressum

a Lib. X. ep. I.

b Lib. XVI. ep. XXXIX.

c Lib. XV. ep. XXI.

d Lib. XVI. ep. XI.

e Lib. XII. ep. XV.

f Lib. VIII. ep. LII.

gressum bibliothecam basilicæ Cypriani volumen perlegisse copiosius ceteris, quæ legit; vidisse insuper & legisse privilegia in papyro Caroli Magni cum aurea bulla; locum quoque adiisse, cui Cartulegio vocabulum est, ubi magnum volumen offendit conciliorum, in quo Nicænæ synodi fides in membranis purpureis & aureis literis est scripta. Deinde describit altare argenteum columnis argenteis quinque suffultum cum ciborio argenteo, & marmorea capitella circum altare prominentia vestita ab antiquitate argento. Fatetur ne Romæ quidem se perspexisse pulchriores ædes. Columnas ingentes ex marmore suo stare ordine, interiora ædium maximas contegere marmoris discoloris porphyretici lapidis tabulas. Baptisterium juxta principem ecclesiam ornatissimum inspexisse. Postea transiisse ad spectandum mirificum & magnificentissimum sancti Vitalis martyris templum, rotundum id quidem & omni genere superioris ornatus insigne musivo, columnis cingentibus ambitum fani, marmoreis crustis variis parietes interius vestientibus, sed habere suspensum, columnisque innixum peripatum & aram ex alabastro tam lucidam, ut speculi instar imagines referat. Sacellum fano propinquum Placidiæ augustæ & Valentiniani senioris sepulcra magnifica servare ex marmore candido. Tantam illic musivi operis speciem offendisse, ut accedere nihil posse *videatur*. Se deinde contulisse ad visendum sancti Johannis evangelistæ templum speciosissimum, & quod a memorata Placidia & Theodosio augustis constructum incisæ marmore Græcæ literæ testantur. Transiisse ad contuendum Classense monasterium suum tribus fere milliaribus ab urbe remotum, & flevisse uberrime ingentes ruinas, ecclesiam tamen integram durare omni ornatu conspicuam. Pinicam silvam octo ferme millibus passuum se porrigentem juris ejusdem monasterii & visisse & adequitare libuisse, dum ad monasterium, quod sanctæ Mariæ in Portu dicitur, & ipsum permagnificum dignumque miraculo veniret; ubique libros desiderasse. Plerasque in hunc modum basilicas hanc civitatem servare. Sed tantam luti vim esse, ut domo egredi vix nisi equitibus liceat, itaut redire ad majorem basilicam hactenus datum non fuerit. Sepulcra plurima ex marmore ingentia quidem per omnes ferme ecclesias conspici, & ex his pleraque squamatis operculis. Minus hic signorum & statuarum quam Romæ esse, sed cetera ferme esse paria, immo audere dicere majore hic cura servata. Non deesse epigrammata plerisque locis incisa; ex his pauca secum deferre. Visurum item diligentius sacrarium majoris basilicæ, & si quid lucrabitur, ad ipsum se continuo scripturum. Prosequitur se nondum recepisse ex Patavio epistolas Antonii M. negligentia abbatis Carcerum, qui profectus fuerat ad concilium. Candidum insuper pollicitum sibi fuisse quædam Græca volumina, & gratulatur, quod ipsi Candido non exciderit, quod receperat. Grata sibi fuisse, quæ Nicolaus scripserat de repertis voluminibus vel ab episcopo Mediolanense jam vita functo (en verus annus mortis archiepiscopi Mediolanensis Bartholomæi Capræ) vel a Thoma Sarzanense, vel ab Aurispa. Nil se novi mittendum habere, nisi Lactantii Phœnicem versu elegiaco, quam raptim scripsit ante paucos dies Bononiæ sibi traditam a studioso adolescente. Stephanum Porcium Bononiæ prætorem anulum sibi donasse onychinum cum imagine candida prominente Hadriani affabre insculpta. Fabrianum se proxime contendere.

Ann. Chr. 1433.

Quoad pollicitationem Petri Candidi, hic ante annos Ambrosio promiserat quædam Græca volumina; quare Ambrosius literis datis [a] gratias habet, ac se suaque illi offert. Postea hoc anno [b] idem Candidus Ambrosio

[a] *Lib. II. ep. XLII.*
[b] *Lib. XXIV. ep. LXIX.*

Ann. Chr. 1433.

brosio misit aliquos ab eo expetitos codices, qui penes se erant, reliquos autem subdit præsto esse, cum voluerit, nempe Job & Salomonem, item psalterium, cujus lectione delectabatur ejus genitor Ubertus. Meminit in hac epistola Petrus se puerculum adhuc Emmanuelem Chrysoloram sæpius admiratum esse, cum literas edoceret in sua urbe (Ticinensi) quique habuit familiaritatem cum patre suo. *Tanta illi*, subdit, *erat virtutis æmulatio, bonorum caritas, literarum studium, ut non hominem videre, sed Angelum quempiam intueri sæpe numero existimarem. Hujus igitur præclari viri hæ reliquiæ sunt, nulli justius debitæ quam tibi, qui & vita prior, & scientia par omnibus bonis quasi speculum virtutis habearis*. Reliquos autem libros accipiet Ambrosius per Laurentii Medicei viri clarissimi nuntios. Novisse se Laurentii famam, ejusque casus, quibus proficiet peregrinatione ad amicos noscendos ab æmulis, & melius fortunæ fidendo.

Quoad anulum Ambrosio a Porcio donatum legatur ejusdem Ambrosii epistola [a] ad Laurentium Mediceum, qua ei significat Stephanum Bononiæ prætorem ante mensem dono sibi dedisse anulum aureum cum onyche effigie habente pulcherrimam, & orasse, ut digito gestaret. *Licet autem*, subdit, *meæ consuetudinis non sit anulatum procedere, quia tamen aliqui hanc meam in hoc genere continentiam non probant, & hi ipsi viri graves, satis dicentes convenire ferre anulum, loci, quem indignus teneo, gratia*, ipsum ad eum mittit, ut denuo ligari ad formam digiti sui in auro faciat.

a Lib. VII. ep. XVI.

Duodecima decembris [b] ex Ravenna Bartholomæo de Viarana commendavit iterum Ambrosius concordiam inter canonicos Faventinos & monasterium sancti Hippolyti. Denuo salutavit amicos & Gajum Hebræum, quem cuperet fonte baptismatis regenerari.

b Lib. X. ep. II.

XXVII. Prohibetur ire in Picenum.

De suo itinere Fabrianum versus, quod tamen perficere nequivit, hæc habet in Hodœporico: *Paucis ibi peractis diebus, cum visitationi initium dare cuperemus, literæ ad nos ex Fabriano scriptæ, ut illuc ire maturaremus, impulere. Quippe dominus oppidi datum a nobis abbatem monasterio Vallis-castri quibusdam rationibus renuens, ut eo iremus, vehementer instabat. Nos itaque, ne rem tanti ponderis neglexisse videremur, & officio nostro defuisse, eo perreximus ea constantia, & ad id obfirmato animo, ut ei hac in re dumtaxat nunquam cederemus. Itaque & domino, & amicis valefacientes, idibus decembris profecti sumus, abbate Classense nos deducente, iterque nostrum comitante. Prius vero quam inde moveremus, monasterium ipsum Classense ab urbe dissitum tribus ferme millibus passuum adieramus, miserati ruinas ingentes & ecclesiam maximam, & speciosissimam admirati. Indeque per pineam silvam monasterii, quæ ferme octo millibus passuum tenditur, ad monasterium sanctæ Mariæ in Portu contenderamus a Theodosio & Placidia augusta constructum, ubi nihil præter structuram, quod miraremur, invenimus. Dederunt in conspectum vas porphyreticum speciosum sane, & quod stulto errore unam ex hydriis esse dicerent, in quibus aquam in vinum Salvator convertit. Itaque Ravenna, ut diximus, moventes hora ferme jam tertia per silvam nostram & per maris litus Ariminum diei hora vigesima-secunda pervenimus, Fabrianum inde petituri. Sed cum extra urbem haberemus hospitium, ex mulionibus inde venientibus certiores facti sumus Picenum agrum omnem ardere bellis, atque ab hoste vastari. Quippe Franciscus comes*, (Sfortia vicecomes Cotiniolæ, & dux exercitus ducis Mediolanensis) *qui juxta Livii forum, cum adhuc ibi moraremur, instructus militari acie transiverat, cuncta ejus regionis ecclesiæ subducta sibi applicabat. Eo perterriti nuncio, ac rebus certis admoniti, mutato*

tato proposito redire ad Forum-livii constituimus, priorem sancti Mathiæ præstolaturi, vel certe deliberaturi, quid facto opus esset. Postridie ad ecclesiam sancti Andreæ profecti, priorem visitavimus, admonitumque secretius ad bonam frugem hortati sumus. Adierunt nos illuc exules nostri Bernardus & alii, quos ante paucos menses partium furor urbe una cum Cosmo nostro deturbarat, multumque solatii ex congressu nostro ceperunt. Abbas item sancti Juliani amicissimus noster vir bonus atque eruditus nos humanissime excepit convivio. Ex Arimino idibus decembris [a] Rainerio abbati Anglariensi vicario scripsit se bellis Fabrianensium interceptum, Arimini supersedisse. *Inde post biduum profecti ad castrum, quod Lonzanum dicitur, venimus. Multas ibi contra abbatem sancti Theomnisti querimonias hausimus, orantibus plurimis atque abbate ipso, cujus id monasterium suffraganeum est,* (Classense sancti Apollinaris) *ut illum amoveremus, aliumque præficeremus. Nos qui antea quoque hujusmodi pulsati querelis visitari abbatem ipsum jusseramus, alterum quidem implere polliciti sumus, ut eum abrogaremus, ceterum institutionem abbatis ei, cujus interesset, permissuros asseruimus. Quod & fecimus postea. Venimus ipsa die Savinianum, ibique nocte illa quiescentes, visitationis munus exegimus. Abbatem inutilem omnino deprehendimus, jamque tunc animus fuit providere, ne res penitus rueret. Multa ex converso didicimus, qui omnia administrabat, quæ providentiam nostram desiderare viderentur. Domum fere omnem occuparat militaris manus. Inde postridie abbate comitante profecti Cæsenam tendebamus. Obvios habuimus, cum propinquaremus oppido, vicarium nostrum & priorem Arcus. Ingressi civitatem divertimus ad religionis hospitium. Ibi postquam ex vicario quidnam afferret, accepimus, convenientiaque respondimus, causas adventus sui a priore percontati, eas ex amicorum literis, quarum grandem fascem tulerat, animadvertimus poscentium, ut eremum ad Vivum priore suo destitutam sibi conferremus. Præclarum illi testimonium non modo literæ absentium, verum præsentes quoque prælati vel sex reddiderunt. Eorum auctoritati cedendum arbitrati, quod petebat, impendimus, instructumque diligenter a nobis emisimus. Concurrerunt ad nos amici salutandi studio, humaniterque ab omnibus accepti sumus. Visitavimus Augustinum* (de Favaronibus Romanum ordinis eremitarum sancti Augustini archiepiscopum Nazarenum) *patrem veterem amicum nostrum, civitatis episcopum, blandeque habiti ab illo sumus.* Erat Ambrosius Cæsenæ quinto-decimo kalendas januarii, qua die [b] ex eo loco literas dedit Mariotto, ipsum obfirmans contra adversa omnia. *Britonorium inde sequenti die contendimus visitandi studio. Peracta inquisitione sollemni, acriter abbatem corripuimus, quod plures & graves querelæ contra illum nobis propositæ fuerant. Abbas autem Classensis, qui per eos dies nobis comes individuus fuerat, inde profectus est cum gratia nostra, ut festivitatem propinquam dominicæ Nativitatis in monasterio suo celebraret, ea conditione, ut post exactam sollemnitatem Fabrianum concederet cum nostris ad dominum literis, acribus quidem, & quæ rationabiliter expostularent, cur datum a nobis monasterio abbatem renuisset admittere, objectaque illius omnia refellerent, & magnam constantiam testarentur, postulantes postremo, ut electionem nostram prævalere permitteret: idque abbati in mandatis dantes, ne alium assumi annueret.* Dominus Fabriani erat Baptista Clavellus, cui [c] zelo plenam epistolam misit excusans, quod per se non venisset prohibitus bellicis tumultibus, qui Picenum invaserant, sed dolens, quod Thomam Perusinum a se electum in abbatem Vallis-castri nequaquam admisisset. Hic enim non consanguineos habebat, neque nepotes, sola sibi superstite matre decrepita,

ANN. CHR. 1433.

a *Lib. XVI. ep. XLI.*

b *Lib. XV. ep. XXII.*

c *Lib. V. ep. XI.*

ANN. CHR. 1433.

neque de illo suspicio erat, ut adoptare in genus suum extraneos & nihil ad se pertinentes vellet, qui monasterii redditus devorarent; erat enim ejus integritatis, ut mori mallet, quam istiusmodi scelus admittere. Neque negotium facessere debebat, quod Thomas esset in monasterium excepturus tum cives, tum exules; monasterium enim Valle-castrense ejus generis erat, ut perviis omnibus hospitalitatem tribueret; quod cum promiscue fecisset Eustachius abbas ejus antecessor, neque sibi, neque oppidi domino crimini datum fuerat. Quinimmo Perusinus cum esset Thomas, Perusinos maxime irritandos, si adverterint civem suum quæsitis coloribus ab oppidi Fabrianensis domino repudiatum. Quod postremo allegabat Clavellus episcopum Camerinensem cupere monasterii ipsius sibi jura usurpare, subinfert se potius vitam cum sanguine expositurum, quam id patiatur, ut monasterium illud sibi subripiatur, quod venerandæ memoriæ Eustachius abbas tamquam suffraganeum sæpe resignare voluit in manibus suis. Quæ prosequitur intrepida ecclesiastica libertate, literas mittens per abbatem Classensem.

Profectum (abbatem Classensem) *a nobis, e vestigio ferme subsequuti, ad Forum-livii ipsi contendimus, dominicam nativitatem ibi peracturi, decimo kalendas januarii*. Die sequenti [a] ex ea urbe scripsit canonicis Faventinis in causa ipsos inter vertente & monasterium sancti Hippolyti diu agitata, eos hortatus, ut pacis studio æquas a se, dum erat Faventiæ, propositas conditiones reciperent. Bartholomæo quoque de Viarana ipsa die [b] scribens eamdem causam terminandam urget. Salutat canonicos Faventinos, & præcipue Bartholum, & Hebræum Gajum. Eadem die [c] Paulo Venerio per literas aperit contumaciam prioris sancti Mathiæ. Quam primum addit se ad illum missurum chronicon Casinensis monasterii & dialogum Desiderii, quorum exscriptio eo mense erat absolvenda a filiis suis. Precatur, ut Laurentium & Cosmum Mediceos soletur. Arimini se constitisse ob motus bellicos, qui invaluerant in agro Piceno. Octavo kalendas januarii [d] Laurentii Medicei consolatoriis literis ob mortem Hieronymi fratris sui respondet. Se si per occupationes liceret, libenter profecturum ad ipsum, ejusque fratrem. Arimini vidisse Bernardum aliosque Florentinos exules, quos etiam fuit consolatus. Mandat septimo kalendas [e] Dominico abbati sancti Petri de Rotis, ut Magdalenam, sanctimonialem olim sanctæ Christinæ, nunc sancti Salvatoris de Foro-livio, in asceterium transferat sancti Maglorii de Faventia, cui in abbatissam data est, cum senior abbatissa ob ætatem & negligentiam in ordinem fuerit redacta. Cæciliam item virgineo velo ornet & consecret.

a Lib. II. ep. XXXV.
b Lib. X. ep. III.
c Lib. XIX. ep. XIX.
d Lib. VII. ep. XV.
e Lib. XVI. ep. XLIII.

XXVIII. Motus in urbe Foro-liviensi.

UBI *illic* (Foro-livium) *venimus, literæ nobis & ex Ravenna, & ex Venetiis redditæ significarunt, priorem sancti Mathiæ præceptis nostris obtemperare noluisse, atque ad protectorem religionis nostræ, qui in concilio agebat, a nostra citatione appellasse; ejusque citationis exemplar ad nos misit abbas noster sancti Michaelis, orans atque obsecrans, ut eo mature pergeremus, alioquin monasterii nobilissimi desolationem sequuturam. Eam appellationem & Ravennam miserat, & publicari majori in ecclesia fecerat. Nos rei indignitate commoti, gubernatorem civitatis adivimus salutandi gratia, simul ut consilium expeteremus. Verum summus in urbe motus effecerat, ut minus otiosum reperiremus, neque fas fuit, quidquam illi rerum nostrarum nuntiare. Ignari licet quid tum esset futurum, ex perturbata rerum facie collegimus maximam futuram novitatem, multumque illius indoluimus vicem, quod expositum periculo jam tum videre videremur, neque dissimulavimus, quin adstanti cuidam ex amicis perturbationem nostram aperire-*

Ann. Chr. 1433.

viremus. Peracta vero Dominica Nativitate, cum postridie, videlicet septimo kalendas januarii, in monasterio sancti Salvatoris mane essemus, repente ingens tumultus exoritur, & primum quidem clamore sublato populari æra infestius resonant, armataque protinus civitas concurrit, vocibus & telis infesta. Palatium obsident, & ecclesiæ imperium detrectantes, dominumque suum Antonium Ordelaffum conclamantes, episcopum nostrum nihil tum tale suspicantem invadunt, tenent, vinciunt, & de civitate ac civibus optime meritum injuria & ludibriis agunt. Expilata omni domestica suppellectili, omnique thesauro asportato, vir ille bonus ad supplicium poscitur, mulieribus ipsis in illius cædem conspirantibus. Ac nisi quorumdam minus sævientium obstitisset modestia, qui illum alieno habitu indutum duxere medium, nimia bacchantium rabie ferme discerptus interiisset. Liber itaque a furore populari cuidam ex civibus traditur custodiendus, cujus frater & propinquus Venetiis inclusus tenebatur. Is in episcopum aliquandiu sævus mitior postmodum fuit, spe recuperandi fratris illectus. In chronico Foro-liviensi auctore Jacobo Moratino filio Ludovici alterius Jacobi, edito a Muratorio [a] legitur: *Anno 1434. die 26. decembris in die festivitatis sancti Stephani de mane ante Tertias, qui dies forte deberet poni in anno præterito, videlicet 1433. Foro-livienses facto tumultu in plateis, repellunt dominium ecclesiæ, prædantur palatium, capiuntque reverendissimum Thomam episcopum Traguriensem, tunc dictæ urbis gubernatorem indignum, male suasum & consultum in ipsa gubernatione, qui tandem consignatus in manibus familiæ Pauli de Latiosis, ut faceret liberare Paulum & Johannem Latiosos retentos in carceribus Venetiarum de mandato ejusdem gubernatoris. Et accersito Antonio Ordelaffo Lugi commorante, in libero dominio urbis præmissæ reponitur, recuperata arce Ravaldini cum omni comitatu.* Sequitur Ambrosius. *Ferebatur vulgo episcopum urbem Venetis tradere voluisse, eamque causam novarum rerum afferebant solam, sed ea plane per quam fallax fuit, nihil in se habens solidæ veritatis, atque adeo eam refellere nihil opus est. Sola vulgi mobilitas & inconstantia, cupiditasque rerum novarum avaritiæ conjuncta in causa fuit. Paucis post diebus & arx munitissima, quæ interim ecclesiæ nomine custodiebatur, in ditionem civitatis concessit. Nocte insequente tumultus diem accitus Antonius ipse, dominus a populo acclamatus est. Non defuerunt simulata auxilia, Faventino domino prope murum accedente cum exercitu, sed nihil præter ostentationem armorum inferente. Nullum telum jactum, nullus districtus gladius, nihil bellici operis actum. Denique levi nuncio monitus Faventiam rediit. Nos metu perterriti, monasterio prodire in tanta perturbatione rerum ausi non sumus, nisi prælatis nostris nos deducentibus, & jumenta nostra secum agentibus. Profecti ad monasterium Camaldulini triduum ferme quievimus, nusquam inde progressi, nusquam abire præsumentes. Plena erant terroris omnia, neque defuit ex nostris, qui factiosus nimium acclamaret cum populo, atque una telis armatus accurreret. Eumdem postea scelus confitentem corripuimus. Adierat nos Ugolinus abbas Faventiam petens, ut celebritatem ibi cum fratre & propinquis ageret. Multa exponentem, opemque nostram postulantem bona cum spe dimisimus a nobis. Inde cum partim metu periculi præteriti, partim literis moniti Venetias ire instituerennus, prosequuti sunt nostri, & alii plerique, atque in Faventinum agrum deduxerunt: Ravennam petere animus fuerat, ut inde per litus Clugiam usque tenderemus. Verum fama tumultus militaris exterriti, Bononiam ire satius duximus, neque Faventiam ingredi voluimus, ne illic dies plurimos detineremur. Oppidum circumire coacti, quin ingrederemur, declinare nequivimus. Inde tamen maturius nos extricantes, & a nemine*

[a] T. XXII. col. 217.

ANN. CHR. 1433.

mine cogniti Imolam ea die perreximus, ibique tumultuantem civitatem offendentes, in nostro monasterio sanctæ Christinæ remorari necessario coacti sumus, fracti & fatigati tum itinere, tum præterito & præsenti metu. Miris nos obsequiis ancillæ Christi resoverunt, multumque aspectu nostro recreatæ sunt. Confluxere ad nos amici plurimi, plurimumque solatii mœstis attulerunt. Negotium monasterii & controversiam cum cive quodam potentiore convenere, qui componerent, noster Stephanus Porcius, Romæus & complures alii, neque tum quidquam actum est, illo parum honesta postulante. Per eos dies abbas quoque Classensis divertit ad nos, quem ut Venetiis nobis occurreret hortati a nobis dimisimus. Bernardus quoque monachus nuncium attulit priorem monasterii sancti Viti excessisse e vita, & tam amicorum literis, quas plurimas tulerat, commendatus, quam per seipsum orans multum cunctantes, & juvenis levitatem suspectam habentes, tandem ut se promoveremus, evicit. Admonitus a nobis est graviter, adjectæque minæ, si delinqueret, nos minime toleraturos, eum ita dimisimus. Monasterii matrem, & seniores quasque ac juniores, simul omnes & singulas seorsim allocuti, ad observationem sancti instituti, ac præcipue ad observanda inviolabiliter claustra monasterii magno affectu hortati, nosque illarum precibus commendantes profecti sumus. Magnam certe amicorum & nobilium in nos charitatem sumus experti. Gasparem nostrum consilium de nobis flagitantem ac titubantem in sanctæ religionis instituto, quod ferme positurus videbatur, fratrum suorum evicti precibus confirmare curavimus. Cum tamen allegaret infirmitatem atque imbecillitatem oculorum, aliaque plura, & ipsum ut desisteret, & fratres, ut eum dimitterent, hortati sumus. Postea tamen absentibus nobis professus est religiosam vitam. Secularem item honesti ingenii adolescentem propositum religionis arripere cupientem admotis fomentis animavimus, patre illius bono viro admonito, ne illi, unico licet, impedimento esset religiosum propositum arripere cupienti; quod & factum est. Et ex Ravenna & ex Foro-livio, & ex locis fere omnibus scripsimus fratribus nostris, Augustinoque filio nostro in primis & amicis reliquis, exponentes omnia nostra. Epistola ad Augustinum data est ex Foro-livio quarto kalendas januarii [a]; in ea narrat, se Fabrianum adire nequivisse ob bella ibidem exardescentia, Venetias quam primum profecturum ob contumaciam prioris sancti Mathiæ. Hortatur, ut cum suis sociis quiete monastica, unde ipse avulsus est, fruatur. Hac die se iter arripere Faventiam versus. Phœnicem Lactantii missam Nicolao Basileæ fuisse repertam. Die sequenti [b] ex Foro-livio, sed melius ex Faventia, scripsit Sebastiano abbati Camalduli-Florentini ipsum solum sibi superesse post obitum Hieronymi fratris, in quo spem suam reponat. Agit de reformatione ordinis, qui decidit a primæva sanctitate. Vexato Piceno bellorum tumultibus, se ex Arimino reversum Savinianum, Cæsenam, inde Foro-livium venisse, ubi festis natalitiis populus totus armis sumptis ejecit gubernatorem maxima cum injuria, a quo ipse fuerat humanissime receptus, & antiquum dominum suum revocavit. Literis demum se postulari Venetias pro compescendo contumaci priore sancti Mathiæ.

Ad hunc annum spectant sequentes Ambrosii epistolæ, mense & die carentes. Sub anni initium [c] ad Marianum Porcium, cujus literas elegantes laudat; quarum complures sibi dederat ex Urbe. Ei ad pietatem & virtutem stimulos addit. Juris-consultorum veterum potiusquam recentiorum lectionem ei commendat, & imitationem proponit; recentiores aurum vocat commentatores ignaros & imperitos, cum e contra veteres habeant plurimum dignitatis & elegantiæ. *Placet*, subdit, *ut juri plane des* ope-

a Lib. XII. ep. XVI.

b Lib. XVII. ep. XIV.

c Lib. V. ep. XVIII.

operam, *sed Latinæ linguæ & cultioris musæ te damnum nolo perpeti*. Salutat ejus fratrem Stephanum, quem factum Bononiæ prætorem didicit. Sequenti epistola [a] mirum suum amorem in utrumque fratrem pandit; hinc Mariani suaviores epistolas & pietatem, hinc Stephani egregiam animi vim ac industre ingenium Bononiensium turbarum periculo maxime probatum extollit. Ad Basileense concilium se iturum arbitratur a civitate sua designatum, pontificis quoque voluntate, & cardinalis Ursini adtestatione, qui postremus, si non alias, secum ad concilium proficiscendum scripserat. Eidem Mariano Stephanoque ejus fratri [b] commendat Angelum aurificem dispendia fraudemque perpessum. Ugolinum abbatem olim Faventinum eligit [c] in abbatem Silvæ-mundæ. Ex Fonte-bono [d] Angelum priorem sancti Mathiæ de Muriano durius increpat. Legantur & epistolæ Ambrosii [e] ad Antonium monachum, in quibus agitur de Philelpho & Poggio, quarum tamen textus vitiatus videtur, cum non probe exculpi possit sensus earum.

ANN. CHR. 1433.

a *Ibid. ep. XIX.*

b *Ibid. ep XX.*

c *Lib. XVIII. ep. XV.*

d *Lib. XXI. ep. XII.*

e *Lib. XXII. epp. XXVII. & XXVIII.* XXIX.

Aliorum epistolæ ad Ambrosium.

QUOAD Philelphum hic sexto nonas majas [f] Florentiæ ex ædibus suis scripsit Ambrosio se fidem adhibere ejus adtestationi quoad animum Cosmi in se, gaudetque ex multo Ambrosii sermone amicissime de se sentire Cosmum; sed mirari, quod Laurentius Cosmi frater, quoties in se incidit, semper obliquet faciem, & salutatus non respondeat, sed quoniam de Cosmi fide certus esse debet, se æquo animo laturum aliorum mores. Excusat, quod ad eam diem distulerit versus Latinos facere inserendos versioni Diogenis Laertii; id quod contigit tum occupationibus suis, tum ob continuas invidorum in se insidias; propediem tamen Ambrosio se morem gessurum, cui etiam Diodorum Siculum jam dederat. Prodiit nimirum hoc anno Ambrosiana Diogenis Laertii versio, cujus proemium placuerat Nicolao, cujusque totum opus dicavit Cosmo Mediceo, sed prodiit sine carminibus Latinis, quæ addere receperat Philelphus. Id maligne & contra fidem a Philelpho negatum; primumque versus Latini additi fuere in editione Benedicti Brognoli anno 1475. De malignitate Philelphi legatur Poggii invectiva in ipsum, qui e contra sanctissimum & humanissimum appellat Ambrosium, doctissimum & vitæ integritate præstantem, quique Latinæ linguæ errores emendabat & corrigebat ipsius Philelphi, atque proinde ingratitudinis nota inurit ipsum Philelphum.

f *Lib. XXIV. ep. XLIII.*

Jacobus Nicolinius abbas sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio manu Hieronymi Aleotti ejusdem monasterii monachi [g] petit ab Ambrosio uti opera Vincentii conversi Camaldulensis, qui adhæserat abbati sancti Michaelis de Arretio.

g *Lib. XXIV. ep. XII.*

Inter ceteros Venetos patricios, qui pro priore sancti Mathiæ literas dedere ad Ambrosium, dedit & Leonardus Justinianus, qui ex Venetiis XXVII. martii [h] monasterium sancti Mathiæ & Angelum priorem virum humanissimum & reliquos fratres suos vita & moribus commendandos ipsi putavit, tum ne impediretur a venditione possessionum, quas habebat in agro Faventino, ad hoc ut pecunia deponeretur in montem *Imprestitorum*, tum ne turbaretur injuste ipsius jurisdictio in alterum monasterium sanctæ Mariæ-angelorum Bononiæ. Excusat insuper Leonardus cum Ambrosio silentium suum anni præteriti ob præturam Foro-juliensem; nunc autem patriæ restitutus ad pristinum literarum morem redit. Quinto-decimo autem kalendas januarias [i] idem Leonardus erigit mœrorem Ambrosii conceptum in morte Hieronymi monachi ejus germani fratris. Ugolinum de Viarana Faventinorum legatum intra collegium Venetorum visum & auditum laudat, ejusque suavissimos mores & modestiam. Invitatum vero Ambrosii

h *Ibid. ep. XXII.*

i *Ibid. ep. XXIII.*

Ann. Chr. 1433.

sii literis familiarius deguſtaſſe ſe ejuſdem Ugolini ingenii amœnitatem & elegantiam. Prudentiæ Ambroſii remittit nobilis cœnobii ſancti Mathiæ morbi curationem. Demum Franciſcum Barbadicum libentiſſime exſcripturum Hieronymi quamdam epiſtolam, ſi ejus titulus aut materia expreſſius ſignificetur. Salutat Ambroſium nomine Marci fratris & Bernardi filii.

Extat ſub hoc anno de Ambroſio elogium apud Albertum Sarthianenſem in epiſtola ad Nicolaum Nicolium data ex Urbino XXII. octobris M.CCCC.XXXIII. [a] qua ei mittit libellos duos, quos mittere decreverat Neapolim acceſſurus anno præterito, quoſque reverſus ex eo regno conſignat bajulo, qui pro rebus gerendis illuſtris comitis Urbinatis Florentiam accedebat. Alterum ex ipſis confecerat Albertus ante triennium convaleſcens ab ægrotatione (erat contra Poggium), alterum vero elaboraverat invitus, habitum publice ad populum Urbe-vetanum in capite quadrageſimæ, epiſcopo ejus urbis flagitante. Hos itaque libellos, dum judicio Nicolai, Andreotii & Ambroſii doctiſſimi monachorum perpendendos derelinquit, poſtremum appellat abbatem digniſſimum, religione conſortem, ætate fratrem, dignitate parentem.

a Lib. XXIV. ep. XXIII.

XXX. De Hieronymo Pragenſi vocato ad concilium Baſileenſe.

MANDATUM fecerunt patres concilii Baſileenſis fratri Hieronymo de Praga ordinis Camaldulenſis Theologiæ profeſſori, & Decretorum doctori, dictæque ſynodi oratori, quem Baſileam evocaverant anno præterito, ut moneret auctoritate ejuſdem ſynodi omnes archiepiſcopos, epiſcopos & abbates regni Poloniæ, quatenus perſonaliter ad ipſam accederent, terminumque præfigeret. Pendet plumbea bulla, datumque eſt ſub die XXI. aprilis. Die ſequenti eadem ſynodus aliis patentibus literis univerſos Chriſti-fideles rogavit, ut eumdem Hieronymum, quem pro arduis negotiis univerſalis eccleſiæ pacem regni Poloniæ & Ruthenorum concernentibus mittebant ad illas gentes, benigne tractarent & reciperent. Utrumque reperitur in tabulario Fontis-boni [b]. Dum in concilio Baſileenſi morabatur Hieronymus ſcripſit luculentum ſermonem ad clerum de Corpore Chriſti contra hæreticos Huſſitas; alterum Dominica *Quaſi modo*; gravem etiam libellum contra Bohemorum errores Alberto Baſileenſis Cartuſiæ priori dono datum, in qua domicilium habebat. Ad preces etiam fratrum ejuſdem domus Cartuſiæ repetiit ſermonem de ſancto Romualdo, quem confecerat anno 1430.

b §. *Brevia A.* 5. 13. A. 1. 14.

Privilegium Sigiſmundi imperatoris pro congregatione Camaldulenſi, de quo ſuperius diximus, accedente etiam concilio ſacri imperii ſignatum eſt in eodem Fontis-boni archivo ex Ferraria anno Domini M. CCCC. XXXIII. die XVI. ſeptembris, regnorum noſtrorum Hungariæ &c. anno XLVII. Romanorum XXIII. Bohemiæ XIIII. imperii vero primo, cum magno imperiali ſigillo.

XXXI. Hiſtoria aliquot monaſteriorum Camaldulenſium.

DUM Ravennæ eſſet Ambroſius, magnificus miles Oſtaſius de Polenta donavit ipſi Ambroſio priori generali & Aloyſio de Puteo abbati Claſſenſi ſancti Apollinaris hoſpitale de Miſericordia, ſive ſancti Bartholomæi, in quo etiam erat altare in honorem ſancti Lazari, quod hoſpitale olim dederat Johanni de Bononia vicario generali monaſterii Claſſis Opizo de Polenta ejus pater. Mandatum itaque fuit Jacobo Cavallo, qui ad præſens morabatur in dicto hoſpitali, ut ipſum dimitteret liberum Ambroſio priori generali congregationis Camaldulenſis. De hac donatione verba facit etiam Rubeus [c].

c *Lib. VII. pag.* 617.

Paulus Venerius abbas ſancti Michaelis de Muriano, obtenta facultate ab eodem Ambroſio prioratum ſanctæ Mariæ de Mandria territorii Patavini tradidit ſpectabili militi & J. V. D. Johanni-franciſco de Capitibus-liſtæ

ſtæ nobili Patavino, mediis quinque mille ducatis *Impreſtitorum*. Legantur de hujuſmodi permutatione plures paginæ ſimul collectæ in Appendice. Hæc tamen permutatio licet hoc anno inchoata integre completa non fuit, niſi anno 1442. ad diem tertiam octobris poſt reditum Johannis-franciſci a concilio Baſileenſi, ubi oratorem agebat pro dominio Veneto. Poſt mortem Pauli Venerii monachi ſancti Michaelis ob læſionem contractus reclamarunt; hinc prolatæ fuere variæ ſententiæ tum pro parte monachorum, tum pro parte dominorum de Capitibus-liſtæ a delegatis apoſtolicis, ſed nunquam terminata fuit lis, itaut & præteritis, & præſenti ſeculis repetita fuerint acta a monachis ad prætenſa jura continuanda, quæ monaſterium ſancti Michaelis habere arbitratur ſuper dictum prioratum, qui eorum cœnobio adjunctum fuerat anno 1407.

Angelus Ciera prior ſancti Mathiæ de Muriano elegit Petrum de Fano in priorem ſanctæ Mariæ de Rhua territorii Patavini, mandans Johanni de Ferro priori Montis-crucum, ut ipſum in poſſeſſionem induceret.

Aloyſius de Puteo Venetus abbas Claſſenſis, quem vidimus Fabrianum miſſum ab Ambroſio ad electionem abbatis Vallis-caſtri loco Euſtachii poſtremi defuncti abbatis], ſuffecit initio anni ſequentis Johannnem Cicchi de Foſsato priorem ſanctæ Luciæ de Ancona, qui Valle-caſtrenſem abbatiam ad plures annos pacifice tenuit.

Die xxvi. aprilis coram novem cleri Arretini officialibus ad impoſitiones deputatis, Blaſius olim Fini de Florentia prior ſancti Clementis & ſindicus pro eremo Camaldulenſi, abbatia Pratallæ, monaſterio ſancti Quirici de Roſis, & membris eremi jura ſua produxit, quibus viſis cum relatione Bartholomæi Jacobi de Crotonio vicarii Franciſci epiſcopi Arretini abſolutus fuit ab omnibus impoſitionibus.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi M.CCCC.XXXIV. *ad annum* M.CCCC.XXXVI.

ANN. CHR. 1434.

I. Visitatio monasterii S. Mathiæ de Muriano.



ONONIAM venerat initio hujus anni Ambrosius Venetias contra priorem sancti Mathiæ profecturus. Ibidem constitutus secunda die januarii [a] literas dedit Francisco Sandello abbati sanctæ Mariæ Carcerum gratulaturus de ejus regressu a concilio Basileensi. Se quamprimum Venetias futurum ad coercendam contumaciam ejusdem prioris, cui stimulos addere, & contra se armare audit Hieronymum Pragensem eremitam similiter reversum a concilio, & habitatorem dicti monasterii. Pariter cum Venetiis erit se provisurum electioni prælatorum monasteriorum sancti Viti de Vicetia, & sancti Michaelis de Lemmo in Histria vacantium ob mortem prioris & abbatis. Nunc vero ex Hodœporico Ambrosii Venetam, prolixam quidem visitationem proferamus. *Bononia movimus secundo nonas januarii, comitante nobiscum & priore nostro Angelorum, triduoque ad nostrum monasterium de Vangadicia venimus. Suscepti grate ab ipsius monasterii abbate, modice ibi requievimus. Inde ad Carceres euntibus occurrit Paulus Parentinus Bernardi illius cognatus, quem sancti Viti priorem constitueramus, magnas referens gratias, multumque deferens nobis. Venerat vir ipse Bernardi comes Britonorium usque, ut nos reperiret, sed cum officio suo, quod præcipuum erat Venetiis, diutius abesse non posset, remearat. Nos illum gratissime vidimus, eoque præsente priorem admonuimus, ut religiose se haberet. Scripserat nobis abbas ipse de Carceribus orans, ne cuiquam, & huic maxime monasterium ipsum conferremus. Sed prius ille ad nos venerat, quam abbatis literæ nobis redderentur, neque tamen ei obsequi tunc animus fuit. Monasterium insuper sancti Michaelis de Lemmo abbate suo destitutum, ut Nicolao ipsius monacho tunc conferremus, obtinuit. Salutatis pueris nostris, Vicetiam pariter profecti sumus. Et quoniam defuncti res, episcopo maxime agente & abbate de Carceribus, penes laicum depositæ fuerant, quarum tamen indicem tenebamus, aberatque tum civis ipse, placuit primo visitare episcopum civitatis, permissa nostro abba-*

[a] Lib. XX. ep. XI.

ti Dominico cura tradendæ priori memorato pacificæ possessionis. Accepti ab episcopo humane (is erat Franciscus Maripetrus ex Castellano Vicetinus electus episcopus post mortem Petri Æmiliani antecedenti anno secutam.) *sermonem in multam horam produximus. Libros quosdam vita functi prioris, quos habebat penes se, consignavit nobis. Testamentum prior ipse fecerat frustra. Exegit a nobis episcopus ipse, ut mulam defuncti prioris sibi mutuo daremus ad concilium proficiscenti, quod & libentissime fecimus. Constitutis tunc rebus Patavium profecti sumus, Paulo nostro nos nusquam deserente. Divertere extra oppidum ad nostrum monasterium* (Porciliæ scilicet) *animus fuit. Sed cum eo profecti neminem invenissemus, urbem ingredi, atque ad domum nostri abbatis divertere coacti sumus, Paulus valefaciens nobis Venetias contendit, cum prius exegisset, ut quo die ipsi pergeremus, occurreret nobis. Patavii paucos dies remorari consilium fuit. Quia enim prior ipse, cujus causa proficiscebamur, protectorem appellarat, juris-peritos consulere necessarium existimavimus, ne res ipsa carere fundamento videretur, sed digne loco nostro & secundum jura procederet. Adiit nos illic prior Orbisii, opemque nostram contra abbatem sancti Nicolai in litore molestum nimis exactorem implorabat. Quippe vel ad concilium pergere, vel pecuniarum certam summam proficiscentibus usui futuram solvere compellebatur. Abbatem memoratum convenimus literis, utque pauperi non valenti molestus esse desineret, amice exegimus. Literæ ad nos ex Tarvisio allatæ sollicitarunt animum nostrum, monasterii matre multa conquerente, & quædam postulante. Priorem memoratum eo constituimus mittere, vice nostra perfuncturum, eumque cancellario civitatis amicissimo nostro commendavimus. Prior item monasterii, quod extra oppidum est, ad nos profectus, ut eo diverteremus, oravit, fecimusque satis votis ejus. Adiit nos illuc abbas Classensis, qui ex condicto Venetias concesserat. Ubi civem illum Vicetiam rediisse comperimus, abbatem nostrum de Rotis & priorem sanctæ Mariæ de Angelis misimus, qui res ipsas inspicerent, atque ad indicem conferrent. Sed inanis fuit illa profectio, cive illo multa allegante, prioreque ipso, quantum conjicere potuimus, non simpliciter, nec pure incedente, negotio infecto rediere. Consuluimus Paulum quemdam juris-peritum, juvenem quidem, sed plane eruditum, bonumque virum, & nostris imprimis officiis deditum.* (de Arretio, qui legebat in jure canonico Patavii) *Inspectis ille constitutionibus nostris, quibus cavetur quidem, ut a patre religionis ad protectorem appellare liceat, si quis præter debitum aut contra formam se gravari arbitretur, & verbo primum, & postea scripto etiam respondit: Hujusmodi appellationem & irritam, & nullam esse, neque memorato priori quicquam adversus nostram auctoritatem opitulari, immo & obesse contumaci plurimum, gravioreque censura ipsius gratia plectendum.* Ex monasterio Carcerum tertio idus januarii [a] scripta est epistola Ambrosii ad Silvestrum Angelorum monachum, qua se ire Venetias significat.

Venetias itaque tertio, postquam eo veneramus, concessimus die, portantesque nobiscum Attici Pomponii vitam ab Hermolao nostro Barbaro acceptam, cum quibusdam aliis navigantes, conscribere cepimus, Nicolao nostro mittendam. Ubi vero propinquavimus, occurrit nobis Paulus Parentinus, atque in suam acceptos navim ad nostrum monasterium sancti Michaelis cum bonore deduxit. Occurrit nobis abbas noster festivus & lætus, atque cum omni congregatione reverenter excepit. Priorem Angelorum ex Patavio Bononiam remiseramus, multum se ac negotium suum, quod cum memorato priore sancti Mathiæ illi erat, commendantem nobis, cui Decretales ex Vicetini prioris spoliis postulanti ad usum monachi Johannis libentissime indulsimus.

ANN. CHR. 1434.

a Lib. XIV. ep XIX.

Ann. Chr 1434.

mus, abbati nostro de Rotis breviarium & libellum alium permittentes. Ubi consilia nostra cum abbate contulimus, animadvertimus opinione a nobis dissidere, quasi possibile non esset, in priorem triste aliquid decernere propter appellationem interpositam, propter consanguineos nobiles, & alia plurima, quæ longum esset retexere, nobis non satis probabilia. Suadebat, ut ad monasterium aliud ordinis, sive extra ordinem transferretur, rem esse in præsentiarum factu difficillimam, dilationem intercessuram necessario, ipsum ex præcepto ducis ad concilium oportere proficisci. Expostulare ipse non modice, quod monasterium sancti Michaelis, quod alteri ipse promiserat, instante & petente abbate de Carceribus, nos alteri dedissemus. Vicarii se officio perfunctum misisse Vicetiam, & a memorato abbate præventum non potuisse munus initum exequi. Postremo nolle vicem famuli implere, ut absente abbate de Carceribus, vicarius esset, præsente vacaret. Conciderunt brachia quidem, atque primo: Neque nobis displicere, diximus, ut priori aliud daretur monasterium, facturos omnia polliciti, dum assequeretur, quod vellet, si ad hoc intentionem ille dirigeret; monasterium autem illud idcirco contulisse alteri, quia nobis nequaquam voluntas ejus explorata antea fuisset, alioquin facile ac libenter illi concessuros. De officio sibi a nobis indulto vicarii, quandoquidem ejus gratia controversia exorta esset, deliberaturos, & omnia acturos, quæ ad laudem Dei & consolationem suam pertinerent, quantum Dominus donare dignaretur. Adire ducem primo sententia fuit, ut ejus ope negotia nostra prosequi felicius possemus, sed nescimus quo pacto impediti, episcopum civitatis Laurentium Justinianum virum sanctum atque integrum nobis carissimum visitare perreximus. Accepti lætissime, profectionis nostræ exposuimus rationem, consilium flagitantes. Adhiberi placuit vicarium suum juris-peritum, ut consultaremus. Fuit ea tum utriusque sententia priorem esse coercendum, appellationemque illam suam nihil sibi suffragari. Consilium Pauli nobiscum Patavium allatum ipsi vicario dedimus inspiciendum. Adierunt nos illuc amicissimi nostri Cosmus atque Laurentius, quos urbe pulsos supra memoravimus, obortisque lacrymis in mutuos amplexus effusi consedimus, sermonemque protraximus diu, dum aspectu mutuo atque colloquio exsatiari non possemus. Tum vero plusquam antea sapientiam virorum admirati sumus atque constantiam. Nihil antiquæ dignitatis, nihil prioris in patriam benevolentiæ posuerant, affectus mirabilis ad civitatem toto orationis contextu apparebat, non indigne casus suos tulerant, non acerbe suæ dejectionis insectabantur auctores, sed modice ac leniter innocentiam pandebant suam verius, quam admissum in se arguerent facinus. Suspirantem patriam Laurentium blande admonuimus, quidnam Bononiæ primum nobis in congressu mutuo dixisset. Nihil sibi constare cetera, non patriam, non opes, si modo germanum recuperare posset. Venetias sibi pro Florentia esse, ubi volente ac disponente Deo, relegati plus honoris quam unquam in patria essent consequuti. Notavimus benevolentiam in eos totius civitatis admirandam & prope singularem. Nullus Venetiis natus & nutritus majore unquam cum dignitate deductus est, ut civitatis principes intelligere quivis potuisset. Post prolixum sermonem amantissimos nostros deduximus renitentes licet, ipsique ad monasterium nostrum remeavimus. Multa cum abbate nostro conferebamus & sponte, & ab eo acciti, fermeque sermo omnis suus nobis erat majoris causa supplicii, dum modo in abbatem alium ut ingratum & ambitiosum invehi, modo ea de nobis postulare videretur, quæ indulgere nequaquam tuto possemus. Expostulavit item abbas de Carceribus, cur ipsum vicarium constituissemus? cum se & generale capitulum primo instituisset & nos postea confirmassemus literis nostris. Fregimus illum rationabiliter, nos

nihil

nihil præter debitum, nihil illo inconsulto (hac in re dumtaxat) egisse memorantes. Quippe antequam ad concilium pergeret, cum de substituendo sibi vicario sermo esset ortus, hunc ceteris prætulisset. Non potuisse vicarium institui sine literarum nostrarum testimonio, in quibus, si non expressa mentio facta fuisset absentiæ suæ, parceret nostræ, si non suæ verecundiæ. Neque enim honestum fuit neque tutum abbatem senem, patrem ac magistrum suum vicarium sub conditione constituere, qui libere se id munus subire nolle protestatus esset, & quem nonnisi absentes, ut subiret, impulimus precibus. Destitit tunc, sed postea tamen, procuratore fratre suo instituto, aperte protestatus est nolle se officio abrogari sibi a capitulo permisso. Neque id nobis tantum, verum & abbati ipsi.

Verum, ut unde cepit redeat oratio, triduum ferme Venetiis egimus, antequam prior ipse ad nos iret. Revertentibus nobis ab episcopo, & monasterio propinquantibus ipse monasterio egressus jam navim conscenderat, monasterium suum rediturus. Conspectis nobis expalluit, descendensque navi nos intra monasterium sequutus est. Seorsum allocuti sine testibus eo nos gratia sui concessisse diximus, ut quoniam ad nos vocatus ipse non venerat, nos ad illum proficisceremur. Multa excusantem, cur non venisset, metumque allegantem, quod sibi literis significatum esset, nos eum custodiæ tradere velle, fregimus rationibus veris, & an vera essent, quæ relata fuisset nobis, exploraturos asseruimus, ac secundum ipsius merita judicaturos, neque passuros, ut monasterium adeo nobile pateretur occasum. Appellationem suam allegantem magna severitate corripuimus, quod stultissimus omnium hujusmodi præsidium occupare delegisset, & quod saluberrime ad relevandos oppressos fuisset institutum, injustitiæ patrocinium arbitraretur. Experimento suo brevi cogniturum rectene, an perperam egisset. Eadem illi postea, abbate nostro præsente repetentes, magnum illi incussimus metum. Octo ferme dies in ipso monasterio egimus, cum abbas ipse duram prioris cervicem, ut se libere permitteret nobis, appellationique suæ renuntiaret (id quod sibi unicum remedium superesset) inclinare non potuit, ne Johannes quidem sacerdos senior nostri amantissimus. Placuit denuo episcopum nostrum, atque ipsius vicarium visere. Neque dubium fuit priorem quoque ipsum eo concessisse, quod ex eo tunc animadvertimus, quod ipsius vicarii a priore instituto & rigore relaxata videbatur intentio, cunctabundusque respondit. Et verbis prioris ipsius certiores rei ipsius facti postmodum sumus, consultationem Pauli se apud eum vidisse testati. Placuit Fantinum virum optimum amicissimumque invisere, ut ejus quoque in re nostra consilio uteremur. Est enim præter peritiam juris summam, bonus ac religioso animo & pio. Ei cum post salutationis verba sollemnia singularemque nobis præstitam humanitatem, negotium omne exposuissemus, sententiamque Pauli nostri JC. legisset, eam approbavit, agendumque nobis cum priore severius censuit, modice nobiscum expostulans, quod Vicetino priore vita functo nimium usi essemus leniter, morique sine pœnitentia permisissemus. Satisfecimus illi rationabiliter, quod eo profectis multa ejus merita plerique dixissent, nullusque ferme adversus eum tulisset testimonium. Accedebat, quod tunc vel simulata infirmitate, vel vera vexato, uti inclementius non licuisset. Consilio tantorum virorum rem gerere cupientes, fregit abbas noster, dum ea nos lactaret spe, priorem se nobis nostroque permissurum arbitrio. Accessit ad nos illuc & Hieronymus eremita noster, qui tunc e concilio reversus morabatur in sancti Mathiæ monasterio. Amovere illum ex eremo animus erat, quia contra pontificem Eugenium, & quidem a nobis inhibitus, multa egisset. Susceptus tunc tamen benigne a nobis est, pontificisque & nostras injurias dissimulavimus, quas ex literis abbatis nostri

Ann. Chr. 1434.

ſtri de Carceribus didiceramus. Sexto ferme poſtquam adveneramus die, nuntius effertur priorem ſe fugæ velle committere. Tunc vero non jam ulterius diſſimulandum rati, abbati non ſine commotione, quæ in noſtram notitiam venerant, nunciavimus, & velle experiri, quid facere poſſemus, adjecimus. Poſtridie mane ſummo inclementiore cælo navigio illuc advecti, comitantibus abbate de Carceribus & priore Orbiſii una cum ſociis noſtris, priorem & omnem congregationem convocavimus, adhibito & Johanne ſacerdote ſeniore. Præmiſſa ſollemni exhortatione cauſam noſtri adventus aperuimus, quietoque animo, & voce placida, & infamiam ad nos de eo allatam, & literas nomine conventus miſſas, ſuſceptaſque plurimorum manu, querelaſque ingentes expoſuimus, quibus commoti priorem ipſum ad Forum-livium evocaſſemus diſtrictiore præcepto, a qua ille citatione appellaſſet ad præſentiam protectoris, oſtendenteſque ex appellationis forma fruſtra fuiſſe appellatum; priorem ipſum monuimus blande, uti appellationi interpoſitæ renuntiaret, atque veniam poſtularet culpæ, ſimulque ut ſe permitteret in omnibus arbitrio noſtro. Ad hæc ille conſurgens inducias ad deliberandum poſtulavit. Nos ad hæc: Itane mora ad deliberandum, an humiliari prælato debeas, videtur neceſſaria? Siccine te docuit religioſum, quod profiteris, inſtitutum, ut an tibi venia ſit errori poſtulanda, cunctabundus inquiras? An tu non erraſti, qui monitis noſtris frivola, immo maligna tergiverſatione parere neglexeris? Certe ſi nihil deliquiſſes aliud, vel iniqua iſta cunctatio tua ſeveriore cenſura punienda erat. Damus tamen recogitandi ſpatium, atque monemus, ut ſalubriter cogites. Dimiſſa tum congregatione, ad ſeparatam nobis cellulam conceſſimus, pauloquepoſt priorem non adeſſe cognovimus. Venetias clam ille ſeceſſerat metu perterritus, ut imploraret amicorum opem; quod ex eventu comprobatum eſt. Redeuntem veſpere dure increpuimus, cur irrequiſitis nobis uſquam diſceſſiſſet? Poſtridie convenere plurimi nobiles cauſas adventus noſtri & crimina priori objecta inquirentes. Aderat cum ceteris Johannes Venerius prioris propinquus adoleſcens parum moderatus. Eum in monaſterio ſancti Michaelis multa garrientem rationis pleno reſponſo repreſſeramus prius, & modo concilio abeſſe juſſimus, ne clamoribus obtunderet nos; nam fremere jam ceperat. Id & ſi moleſte ille tulit, ab omnibus tamen approbatum eſt. Nobilibus illis grate reſpondimus, & quam ob cauſam adeſſemus, aperuimus, ut ſcilicet periclitanti monaſterio, quod eis eſſet cariſſimum, opem ferremus. Crimina priori objecta non poſſe a nobis honeſte detegi; parceret, qui iſtud poſtularat, verecundiæ noſtræ; iſtud ne ab eo quidem licite inquiri; ceterum quando fieret inquiſitio diligens, ſi cauſæ patrocinium ſumere quiſquam illorum vellet, aut pro priore teſtimonium ferre, grate ac perlibenter admittendum. Non deerat illic JC. vir gravis, qui una cum ceteris nobilibus noſtram conſtantiam valde probaret, & eum, qui iſtud poſtularat, leniter corriperet. Protrahentibus in multam horam amicum ſermonem (delectabat enim nos virorum gravitas ſingulari conjuncta comitati) intervenit Marcus Dandulus unus ex primariis civitatis, homo ſeverus ac integer. Is ubi nos in hoc intendiſſe animum vidit, ut de reo inquireremus, (fuit ea ſemper noſtra ſententia) priorem ipſum juſſu ducis ad concilium proficiſci oportere ait; & ferme nobis ulteriorem proceſſum interdixit. Nos ad hæc, & ducem, & civitatis principes vereri, atque in honore habere diximus, ceterum iſtud injuſſu ſummi magiſtratus atque ipſius in primis ducis nequaquam gerere, quippe quibus priore illo adventu noſtro in re iſta ſpecialiter opem ſuam non defuturam dux ipſe benevolentiſſime eſſet pollicitus. Mirari hujuſmodi hominem, certe nulla in re excellentem, hac tempeſtate ad concilium mitti. Non hujuſce defenſoribus tempus egere. Ad hæc

ille

ille cum ceteris leniter arridens in sententia perstitit tamen. Tota sermonis nostri ratio, qui tribus ferme horis protractus est, illa fuit prospiciendum esse monasterii integritati & conservationi, quod nobilissimum certe, & ipsi plurimum diligerent, & cui gratissime afficerentur. Ita prioris personæ ac dignitati consulendum, ut pluris tamen constaret religionis decus. Nos bujus rei tantum gratia illuc advenisse, ut monasterio jam labenti opem ferremus. Facturos id miserante Deo, si impedimenta de medio fierent; nempe si ipsi (quod minime arbitrabamur) obstitissent, monasterii ruinam sibi imputandam. Orare, uti opem suam potius ferrent, nostramque juvarent voluntatem. Superbiam prioris nequaquam tolerandam, qui evocatus a nobis, nulla legitima impediente causa ire noluisset, nosque necessario illuc ire compulisset, blandeque a nobis ad humilitatem provocatus deliberandi inducias postulasset; facturos ut eum facti sui pœniteret. Ipsi decernerent, an religionis præfecto subditi esset toleranda superbia & contumacia, qui certe in reipublicæ suæ pulcherrima & severissima administratione in contumaces durissime animadverterent? Postremo nostro labori parcerent, neque aut irritum, aut infructuosum vellent. Ad hæc illi gratissime magnaque cum gravitate responderunt, propositum nostrum atque voluntatem præcipuo affectu venerantes, qui, ut monasterio succurreremus, quod ipsi summe diligerent, tantum laboris assumere voluissemus. Prioris superbiam se exhorrescere, qui vel initio nequaquam nobis paruisset, vel humiliari sponte oratus renuisset. Hunc se verbis ita castigaturos, ut plane posset advertere se deliquisse. Orare, uti ejus misereremur, si se sponte sua humiliare, nobisque ex toto permittere vellet. Inquisitionem bujusmodi interim omitteremus, ne in aures secularium religionis dedecora penetrarent, ne qui ædificari ex nobis debuerunt, scandalum sumerent. Curaturos, ut erratis suis veniam postularet. Ceterum id de nobis precari, ut si se libere nostræ potestati omnino abrogata appellatione committeret, in officio prioris esse permitteremus. Nos cum id polliceri blande renueremus, e consessu surreximus. Deduxerunt nos viri illi summi humanitate præcipua, nostramque humilitatem ultra merita summe venerati sunt, & in primis Marcus ipse Dandulus, facile civitatis princeps, Jacobus Donatus & Ursatus Justinianus meus. Salutati officiosissime priorem accitum verbis & contumeliis egerunt, inque illius superbiam acriter invecti exegerunt, uti nostris per omnia monitis obtemperaret; si cunctari pergeret, quos patronos habuisset, adversarios & hostes habiturum. His ille territus & ferme exanimatus facturum omnia pollicitus est. Postridie redeuntes memorati viri secum adhibuere Cosmum & Laurentium amicissimos nostros, quibus nihil a nobis denegandum merito sperare poterant, & nostris omnino & exulibus. Victi tandem omnium votis ita demum cessimus, ut aperte simus protestati priorem ipsum nihil ex iis, quæ polliceretur, acturum, pœnitentiamque illos postremo subituram, quod nos precibus flexerint, neque permiserint rigore instituto uti. Eum hac ratione pœnitentem suscipere, ut abrogata sollemniter appellatione postulans veniam se omnino permitteret nobis, monasteriique dispositionem omnem, causam præterea Bononiensis monasterii, sententiam, quam adversus priorem contumax, & jussis nostris non obtemperans, obtinuisset in dedecus nostrum, conscinderet. Hæc omnia illis insistentibus acturum pollicitus est. Volebant viri illi rem celeriter transigi. Nos ad hæc rationabiliter excusantes, toto adstante conventu hæc omnia fieri oportere respondimus. Neque enim fas esse publice admonitum secretius pœnitere. Placuit omnibus ratio nostra, sicque ut fieret, orarunt. Remorati dies aliquot præstolabamur, dum prior, quæ admonitus fuerat, exequeretur, cum propinquorum consiliis immutatus secrete in dies hæc atque illa moliretur,

ANN. CHR. 1434.

retur, & verba tumoris plena jactaret. Non itaque ulterius differre visum est. Aderant nobis, qui antea semper, abbates nostri. Eis primo adbibitis, quid facto esset opus agitantes, convocata congregatione omni, priorem ipsum, tabellione parato, quidnam tanto intervallo deliberasset, inquisivimus. Tum ille, se adbuc cogitare velle respondit. Indignati, quod tam stulte nobis illuderet, tabellioni, ut cunctum rei ordinem & nostras inquisitiones & illius responsiones scriberet, jussimus. Objurgantes illius procacitatem, quod tam licenter ac petulanter ageret nos, postulavit, ut modice permitteretur egredi consultaturus, & brevi rediturus. Abiit, rediit, positoque genu, veniam, inquit, si erravi, postulo. Ad bæc nos commoti magis, veniam si non peccasset, minime necessariam diximus, atque ad omnes conversi, quam pulchre iste jocatur, qui nobis ac si pueris utitur: Scribe tabellio istius verba. Et nos te ab officio suspendimus, ad priorem conversi diximus, excommunicatumque pronuntiamus, conventuique præcipimus, ne tibi in aliquo obaudiat, excipiente tabellione sententiam nostram. Ille, appello, inquit ad protectorem; Scribe tabellio. Et nos appellationem istam tuam, ut frivolam & nullam non admittimus; excipe tabellio. Postea priore abire jusso, neque usquam monasterio egredi, Dionysium, qui vice prioris fungeretur, constituimus; congregationemque brevi ac necessaria exbortatione bortati sumus, ut orationi insisterent, remque nostram divinæ pietati commendarent. Dimisso cœtu, Leonardum nostrum Justinianum offendimus nos præstolantem. Complexi amicissime bominem, cunctam rei seriem illi exposuimus. Et quoniam agebat in rebus, oravimus, ut impedimentis amotis nostram juvaret intentionem. Libentissime opem atque operam pollicitus suam, ut Venetum ibi priorem, illo amoto constitueremus, admonuit, invidiæ declinandæ causa. Die ipsa consueta in cellula colloquentibus nobis (aderant autem omnes ferme nostri) Johannes Venerius, quem supra memoravimus, una cum fratre & aliis quibusdam repentinus ac turbidus irruit, & importunis clamoribus manibusque violentis ostia ferme perfregit. Admissus intus, præter injectionem manuum, nullo contumeliæ genere abstinuit, verba in nos plena injuriarum ac dedecoris evomens, & ubinam esset inclusus prior inquirens, quem custodia detentum comperisset. Inserere dicta furiosa proximus videbatur insaniæ, nibil enim ille, quod furenti in buccam veniret, omisit. Nos furibundo illo, & ceteris, qui advenerant, itidem frementibus amoveri jussis (nam aderant nobiscum plures nostras injurias ægre ferentes) pulsis mandari jussimus, nos quidem istiusmodi non mereri contumelias, neque quoniam Veneti non essemus, arbitrari nobis justitiam in civitate justissima denegandam. Injurias nostras dominio renuntiandas, & vindicari permittendas. Ad bæc illi metu perterriti, sana tandem mente recepta, ut denuo intromitterentur orabant. Repulsa bæc illorum postulatio diutissime est. Admissi tandem vix (nam se non aliter discessuros asserebant) provolutique genibus nostris veniam sibi a nobis magna cum bumilitate postularunt. Benigne respondimus, atque remisimus, trepidos tamen. Displicuit omnibus bæc illorum intemperantia. Prior ipse profectus ad nos multum excusabat se auctorem ejus rei non fuisse, displicere sibi plurimum, orare, ut boc illi non imputaremus. Paucis redditis verbis abire jussimus. Advenerat per eos dies ad monasterium Uguccio vir magnificus & nobis in primis carus. Hujus quoque perquisita suffragia sunt. Nam cum in domo essemus Cosmi nostri, misit, qui instantissime priorem ipsum nobis commendaret, sibi acceptum referendum istud beneficium asserens. Nos & Laurentio præsente & aliis quibusdam veniam dari non posse nolenti & renuenti respondimus, facturos cuncta libentissime, dum tanto viro, & optime de nobis merito morem gereremus,

mus, modo ille congruæ humilitati consentiret. Ea ipsa die illuc quoque adjerunt nos amici, quos supra memoravimus, qui & in monasterio quoque ad nos ante convenerant, causam tantæ mutationis & perturbationis inquirentes. Nos quid de priore polliciti eis essemus, admonuimus, facturum scilicet nihil ex his, quæ promisisset, cunctumque rei gestæ ordinem deinceps aperuimus. Obstupuere vesaniam hominis, nihilque jam nobis imputantes, ipsum conviciis castigare pergunt. Nos inquisitionis negotium prosequi, atque usque ad privationem procedere velle protestati, ad amicos ideo concesseramus, ut & satisfaceremus officio, uxoribus quoque illorum visitatis ac liberis, & ducem salutatum iremus, omne illi negotium expositurі, & uti ne priorem ipsum ad concilium ire sineret, postulaturi. Interceptum istud officium nostrum est, non aliis quam amicis aditum nobis obstruentibus, qui dum comitari euntem profitentur, introgressi, ducem occupatissimum audire nos non posse retulerunt. Redeuntes ad monasterium adiere, vicissim ibi succedentes, atque impendio postulantes, uti pœnitentem priorem reciperemus, primasque conditiones non renueremus. Victi tœdio ita consensimus, ut eos ruinæ monasterii auctores fore protestaremur, qui nos non sinerent ulcisci in contumacem. Sibi imputarent, si res non bene succederent. Demum congregatione omni adbibita confitentem crimen, veniamque postulantem primum ab excommunicationis absolvimus vinculis, & officiales in monasterio constituentes principales, ita illi administrationem restituimus, ingrate id quidem omnibus fere admittentibus, & se migrare inde velle asserentibus; id quod fore nobilibus illis prædixeramus. Egimus ibi purificationem beatæ Mariæ, Missarumque sollemnia celebravimus. Displicuit id factum fere omnibus nostris, sed aliter tum fieri non potuisse confessi sunt, obsistente hinc nobilium instantia, inde prioris pœnitentia & humilitate, quam tunc solum vidimus, & despicere nequaquam valuimus, præcipue cum si converti ad bonam frugem vellet, industriam illi non defuturam sciremus. Alia ex parte indicta sibi ad concilium profectio urgebat, quam avertere ipsi nequaquam potuimus. Johannis Venerii dona consulto respuimus, (nam magnifice donaverat nos) ne placati muneribus sententia decessisse videremur. Magna civium gratulatio, præcipueque nobilium illorum orta est, multumque se debere nobis fatebantur, vades se sponte offerentes, priorem in bonum virum evasurum, & omnia nobis grata peracturum; si quando desisteret, nullos ei futuros infestiores inimicos.

II.
Alia Ambrosii gesta Venetiis

Donis nos plerique prosequuti sunt, & in primis Marcus Dandulus vir magnificus, & Johannes Cornelius. Per eos dies Bernardus quoque Justinianus Leonardi nostri filius egregiæ indolis adolescens uxorem duxit, & alii plerique nobilium. Complures amici tum veteres, tum novi magno nos affectu susceperunt. Andream Julianum veterem amicum nostrum & ipsum cum filio suo nuper uxorato tunc primum vidimus, abque illo officiosissime suscepti sumus. Vitas omnes absolvimus Patavio advectas, ipsasque cum duabus Hieronymi epistolis ex codice Francisci nostri Barbari sumptas Florentiam misimus. Priorem ipsum sæpius ac secretius alloquuti ad bene vivendum hortati, vix unquam bonæ aliquid spei reportavimus, ingenio illius explorato vario & inconstanti. Monachos omnes & præcipue nostrum Dionysium hortati ad perseverantiam salutaremque tolerantiam, nequicquam studuimus & blanda promissione relevare, cum omnes hunc sibi præfici graviter ferrent. Paulus Parentinus sæpe honestis munusculis nos honoravit. Annulum nostrum Stephani Porcii donum, innovandum curavimus venustissime. Visitavimus & Thomam episcopum, Traguriensem scilicet, olim Foro-livii gubernatorem, ejus liberationi gratulati plurimum, acceptique sumus benignissime.

Ann. Chr. 1434.

ſime. Menſem ferme integrum remorati, pridie quam inde proficiſceremur adivimus abbatem noſtrum valefacturi. Advenerunt illuc amiciſſimi noſtri Coſmus & Laurentius, ſermonemque diutiſſime protraximus, cum ab invicem ſeparari non poſſemus. Non defuerant ex noſtris, qui nobis ſcriberent pleroſque Florentiæ exiſtimare, nos eo conceſſiſſe viſendorum tantum gratia, ac per id invidiam nobis conflatam eſſe. Reſpondimus continuo, falſamque opinionem confutavimus, non eſſe tam leves admonentes, ut hyeme media aſperrimo cœlo, eos viſum pergeremus, quos animo ſemper videbamus. Non fuiſſe falſa, quæ ſcripta fuerant, reverſi poſtea didicimus, quæ ſuo tempori reſervamus. Laurentio nos ſeorſum orante, uti exploraremus, ſi qua ſpes pateret reditus, amicos a nobis emiſimus flentibus flentes. Abbati cum profectionem noſtram aperuiſſemus, moleſtiſſime tulit, dolens ſibi ſpatium alloquendi datum non fuiſſe. Plurima neceſſario nobiſcum conferre oportere. Nos adventum pontificis ad noſtram civitatem, qui mature affuturus ſperabatur, allegantes, cui occurrere ex officio noſtro inſtitueramus, hac demum ratione placavimus animum illius. Quid de vicariatus officio ſibi a nobis collato fieri vellemus percontanti, ætatemque excuſanti reſpondimus, nos quidem cupere, ut injunctum perageret munus, ſuo tamen arbitrio totum permittere, ſive integre ſive ex parte officium implere vellet, ſive ex toto dimittere. Grate enim omnia laturos, quæ ille geſſiſſet. Aderat ſermonibus noſtris & Johannes archipresbyter ſenex. Is, eo a nobis edito reſponſo, abbatem intuens, non poterat, inquit, pater iſte noſter neque melius, neque aptius, neque tuæ voluntati convenientius reſpondere. Abbate ipſo hoc ipſum confitente ſurreximus. Egit gratias abbas, quod prioris verecundiæ conſuluiſſemus. Ei nos viciſſim priorem monaſteriumque commendavimus. Deducti ab eo, cuncta nos congregatione proſequente magno affectu ſumus, oſculatique omnes, & ſuper eos benedictione fuſa, nos orationibus eorum commendantes, ad navem deſcendimus, abbate ipſo illuc uſque proſequente, rurſuſque cum lacrymis amplexante nos ac deoſculante. Profecti cum presbytero noſtro ad ſancti Mathiæ monaſterium venimus, noctis jam incumbentibus tenebris. Inſtrumentum totius exacti negotii publicum petebamus; cum tabellio formam ipſius afferens legendum nobis dedit, minus longe, quam oporteret, plenum repudiavimus, presbyteroque illi (aderat enim) tradentes, quidnam ipſe ſentiret, inquirebamus. Atque in priorem invecti acrius, cur adeo perverſe ageret, neque vel pœnis admonitus, acquieſcere vellet, ac reſipiſcere, ſed aſtu & arte nobis illuderet, quærebamus; delenda omnia, quæ facta eſsent, remque prioribus terminis reſtituendam. Ille perterritus, & hæc atque illa allegans, tandem ut ad noſtrum arbitrium corrigeret inſtrumentum, tabellionem admonuit. Ita demum compoſitis rebus inde diſceſſimus decimo-tertio kalendas martias.

Dum Venetiis morabatur Ambroſius, Sebaſtiano abbati Camalduli, & abbati ſancti Felicis de Florentia die XVI. januarii [a] mandavit, ut aditum omnem obſtruerent Hieronymo Pragenſi redeundi ad eremum, eo quod in concilio Baſileenſi contra pontificem & verbo, & facto egiſſet, agereque in præſentiarum non deſiſteret, atque proinde ipſi Hieronymo ſe prohibuiſſe reditum ſub pœna excommunicationis; caverent propterea, ne per amicorum opem tumultum excitaret Florentiæ, ſed quatenus opus eſſet, carceri manciparent. Vigeſima-quinta januarii [b] ex ſancto Mathia Bartholomæo de Viarana ſcribit negotium canonicorum Faventinorum permiſſum tractandum Ugolino ejus fratri. Putabat excidiſſe illi & ejus amico memoriam ſermonis de laudibus Scripturæ divinæ; ſe tamen nunc occupatiſſimum ſatisfacturum illis commodius, cum plus ſibi aderit otii. Quinto kalen-

a *Lib. XVII. ep. XVI.*

b *Lib. X. ep. IV.*

Ann. Chr. 1434.

kalendas februarii [a] Augustino monacho Angelorum refert perturbatissimam rerum faciem in monasterio sancti Mathiæ de Muriano. Eadem die [b] Nicolao scribit, se Patavii offendisse opuscula peregrina penes Hermolaum Barbarum illustris indolis adolescentem, quæ navicula advectus Venetias versus ceperat jam transcribere, ex iis transcripsisse epistolam pulcram pro- fecto Hieronymi, Pomponii Attici vitam M. Catonis & aliorum. Cosmum & Laurentium fratres valere optime, eum ipsum affectum & amorem in patriam nutrientes. Salutat Carolum Arretinum, Paulum medicum reliquosque. Quarto nonas februarii [c] iterum de Cosmo & de Laurentio, quos Venetiis vidit, sermonem instituit in epistola ad Augustinum monachum. Die sequenti [d] confirmat Mariotti constantiam eloquentiæ vi. Ea ipsa die vetat [e] Raynerio abbati Anglariensi & vicario Camalduli recipi in eremum utrumque Hieronymum Balneensem & Pragensem. Quinto idus februarii [f] ex Muriano Mariotto commendat Stephanum & Marianum Porcios, qui illo decedente jam ex prætura Bononiensi cupiebat eremum Camaldulensem visere, & ad aliquod tempus in quiete Socii commorari. Postera die [g] Silvestro monacho Angelorum, qui ipsum admonuerat, ne quid de Cosmo in alterutram partem loqueretur, plerosque putare ipsius dumtaxat visendi causa illum Venetias concessisse, rescripsit, se ob religionis negotia, non Cosmi gratia Venetias ivisse. Celebri insuper opinione addit viguisse Venetiis pontificem vel Florentiæ esse, vel propediem venturum. Si id fit, cito se reversurum Florentiam. Fantinum Dandulum consuetum capparim monasterio Angelorum missurum. In idem argumentum [h] decima februarii scripsit Augustino monacho de adventu pontificis Florentiam. Ipsa die [i] literas dedit Benedicto alteri Angelorum monacho.

a Lib. XII. ep. XVII.
b Lib. VIII. ep. LIII.
c Lib. XII. ep. XVIII.
d Lib. XV. ep. XXIII.
e Lib. XVI. ep. XLII.
f Lib. XV. ep. XXV.
g Lib. XIV. ep. XX.
h Lib. XII. ep. XIX.
i Lib. XIII. ep. XXVII.

III. Patavium & Bononiam proficiscitur.

Decimo-tertio itaque *kalendas martias Venetias discessimus*, *comitante nobiscum Petro monasterii monacho*, (ex Bolduccia patritia gente) *ut Vicetiam ex Patavio iret; fuerat enim grandis de rebus præteriti prioris Vicetini controversia, priore sancti Mathiæ allegante omnia ad suum pertinere monasterium, unde ipse illa secum asportasset, qui omnem sui monasterii substantiam habuisset in manibus, & contra Vicetinis civibus sancti Viti esse asserentibus. Egerat prior ipse, ut literæ a duce scriberentur præfecto Vicetino, ut quæ deposita erant, nulli traderentur, idque postea quam ipsi jure nostro, depositario mandari jusseramus, ne res ipsas aliis quam nobis, aut cui ipsi juberemus, assignaret. Fuerat demum ista concordia, res omnes præter libros priori loci consignandas, libros Venetias mittendos futuros apud abbatem nostrum, donec definiretur, cujus essent, credita si qua reperirentur pecuniarum, sancti Mathiæ monasterii esse. Increpitus a nobis, & dure quidem, fuerat prior ipse, quod gesta per nos dominii literis retractare ausus fuisset. Vasa vitrea pulcherrima, Bartholomæi summi opificis, priorisque munus, & medicatum zinziber ac theriacam, salsumque piscem nobiscum ferebamus. Ipsa die Patavium venimus, divertimusque ad consuetum hospitium. Postridie abbatem nostrum de Rotis cum Petro monacho & famulo nostro Vicetiam misimus, perspecturos res ipsas, & libros secum perlaturos. Nos ibi remorati sumus reditum eorum præstolantes. Hermolaus noster Barbarus nos & adiit officiosissime, & convivio quoque excipere voluit, multaque de suis rebus nobiscum contulit. Redeuntes nostri libros detulerunt, & quædam ex spoliis defuncti, quæ ingrato priori ferme extorserant invito ac renitenti. Subsequutum e vestigio priorem objurgavimus, ingratitudinem exprobantes, quod ignarus consuetudinis, atque humanitatis expers vilia quædam nostris denegare ausus fuisset. Excusantem, veniamque postulantem dimisimus.*

ANN. CHR. 1434.

ſimus. Multa Franciſcus converſus contra abbatem ſancti Michaelis loquutus nobis ſecretius coercitus eſt, quia improbe & perturbate loquebatur. Eidem abbati ſancti Michaelis ex Patavio decimo-tertio Kalendas martias [a] literas dedit una cum ſtatutis quibuſdam in monaſterio ejus ſervandis.

a Lib. XIX. ep. XX.

Movimus Patavio decimo kalendas martias, ipſaque die ad monaſterium noſtrum ſanctæ Mariæ de Carceribus venimus. Abbatem ad concilium proficiſcentem procuratorem rerum noſtrarum inſtituimus, puerisque noſtris ſalutatis, & abbate multum exorato, ne illos ſine magiſtri ſolatio relinqueret (ipſum enim ſecum velle ad concilium ducere profitebatur) profecti ſumus. Venimus ad monaſterium de Vangadicia octavo kalendas martias, ibique a noſtro abbate lautiſſime accepti quædam emendare perreximus. Plerique illic nos convenere. Remorati biduum neceſſario ſumus, dum res noſtræ navi ex Patavio adveherentur. Inde cum honore deducti, cum ipſa die Bononiam pertingere poſſe putaremus, ad caſtrum, cui Cento nomen eſt, itineris malignitate pervenimus, duodecim fere millibus paſſuum a Bononia diſparatum. Sed enim antequam moveremus monaſterio, ſcriptis ad Uguccionem literis oravimus, ut ex marchione literas impetraret, per quas ſalvis cum ſarcinulis noſtris per omne ditionis ſuæ territorium tranſire liceret. Tranſitus literas hujuſmodi appellant. Ille non modo, quæ petebantur, indulſit, verum ipſe quoque ſcripſit ſuo nomine literas, mandans omnibus, per quos tranſituri eramus, uti nos haberent honorifice, & itineris comites, ſi poſtularentur, accederent. Miſit præterea fidiſſimum ex ſuis hominem, qui nobis occurreret caſtello cuidam juris ſui propinquantibus, noſque ſuſciperet apparatu permagnifico. Ubi eo venimus, quod intempeſtivum eſſet, ſimul ut conſtitutum conficeremus iter, manere vel modice paſſi non ſumus; gratias tamen egimus tanto in nos affectui ſummi viri. Ea nocte ibi remorati apud monachum noſtrum, acceptique laute ſatis ac ſplendide ſequenti die Bononiam venimus. Ibi, a noſtris maxima gratulatione ſuſcepti, poſtridie famulum & jumenta ad abbatem noſtrum de Rotis, qui in Vangadiciæ monaſterio neceſſario reſtiterat, miſimus, hortantes & orantes literis, ut maturaret reditum. Data eſt Ambroſii ad Dominicum abbatem epiſtola IV. kalendas martii [b], ubi etiam innuit pontificem ante paſcha Florentiam venturum. *Divertimus autem ad monaſterium noſtrum Angelorum, ubi frequentes ad nos amicorum & maxime nobilium fuere concurſus. Albertus, Carolus, Romeus, Bornius & complures alii exſatiari conſpectu noſtro colloquioque non poterant. Multum certe in illis humanitatis offendimus, quam indiciis illuſtribus præſeferebant. Aderat tunc Franciſcus Soderinus legatus civitatis noſtræ vir perquam ſane gratus & facundus. Eum alloqui cupientes, ut ad eccleſiam ſancti Damiani proficiſceretur, oravimus. Paruit lubentiſſime perhumanus juvenis, ſermonemque prolixum habuimus. De revocandis amicis noſtris an ſpes ulla eſſet rogatus, rem factu perdifficilem pluribus rationibus dixit. Multa in hanc rem contulimus, nihilque ſpei retulimus. Licet ille, ut aliis Florentiæ congrederemur, admonuit, ſuum in hac re judicium non pluris faciendum, quam ceterorum, dicens. Paucis ibi diebus commorantes fratres noſtros ſancti Dominici viſitare curavimus. Ancillas item Chriſti in monaſterio ſanctæ Chriſtinæ adeuntes in timore Dei & ſanctæ profeſſionis inſtituto pro viribus confirmare ſtuduimus, non tacentes, quæ Venetiis comperiſſemus, atque ad Angelicæ puritatis imitationem provocantes. Admiſſa eſt maxima cum gratulatione noſtra exhortatio, mirumque in modum ex noſtro ore pendere videbantur. Juſſa noſtra de monaſterii clauſura clauſtrique exequuta comperimus, atque in Dei rebus proficere in dies hortati ſumus. Vidimus per eos dies ſacras civitatis ædes.*

b Lib. XVI. ep. XLIV.

SCRI-

ANN. CHR. 1434.

IV. Stephanus & Marianus Porcii hospitio excepti apud Socium.

SCRIPSERAT *ad nos Stephanus Porcius, cum adhuc Venetiis essemus, orans, ut domum nostram, quæ Socii est, Bononiensi decedente magistratu permitteremus; cupere enim tantisper vivere in otio. Sero redditæ literæ effecerant, ut tardius rescriberemus. Itaque nostris omnibus mandavimus, ut memoratum Stephanum ita susciperent, ne quid diligentiæ desideratum in eis possemus deprehendere. Domum ipsam non solum usibus ejus permitterent, verum necessaria omnia præpararent, lectos, vinum, hordeum, paleas & cetera usibus amici necessaria. Profectus ille est, non expectatis literis nostris, quippe hyems urgebat, quæ multum inhorruerat. Sed tamen a nostris, licet minime admonitis, accepti gratissime sunt, & in primis a Mariotto nostro, qui quod eum nobis carissimum sciret, nihil agere omisit, quamquam minus, quam vellemus, actum, ipsemet postea literis admonitus excusaverit, sibi non fuisse suo tempore redditas. Moratus est ibi vir amicissimus tanta cum gratia, ut omnem circa regionem effecerit ferme juris sui, omnesque vero illum venerationis prosequerentur affectu, senes, juvenes, mares, puellæ, & ipsi postremo pueri atque infantes. Nihil in eo nisi plenum auctoritatis & gratiæ. Denique menses ferme quinque remoratus grande sui desiderium reliquit omnibus, deduxereque abeuntem juvenes ferme centum. Devinxerat sibi omnes benignitate, liberalitate, modestia, pudore, specie, comitate. Nullas ibi rixas, nulla jurgia eo præsente conserta certum est. Veteres discordias & inimicitias, antiqua odia non prius destitit, quam sustulerit omnia. Nihil in eo insolens, nihil impudicum, nihil indecorum verbo, facto, signo unquam deprehensum.*

V. Aliæ ab Ambrosio monasteriorum institutæ visitationes.

VERUM, *ut eo, unde parumper aberravit, redeat oratio, Bononia deducentibus claris equitibus Romeo atque Carolo, & nostris septimo idus martii profecti, die ipsa Florentiolam venimus. Inde postridie ad nostrum monasterium sancti Petri de Luco, ubi accepti grate visitationis officium exercere instituimus diutius omissum ea profectione nostra Venetias, quam supra exposuimus. Peracta inquisitione sollemni multa pro tempore utilia ibi constituimus, & servanda mandavimus. Jurgiosas quasdam, & garrulas atque inquietas corripuimus acriter. Ut quinque puellas vel quatuor susciperent mandavimus, non generis nobilitatem, sed ingenuitatem indolis eligentes, easque ipsas Gerardæ mulieri gravi in disciplinam darent educandas religiose & graviter. Stipendium annuum, quia ex toto nequivimus vel medium tulimus, grave licet id quibusdam sit visum. Compositis ad laudem Dei, quantum ipse donaverat, rebus, eis valefacientes & suadentes persistere in disciplina Domini & in religioso, & sancto instituto, profecti sumus. Rem illarum præfecto regionis A. Azarolo antiquo amico nostro commendare perreximus, cum illum adiissemus visitandi gratia. Ab eo accepti gratissime prolixum sermonem habuimus de negotiis publicis.* Ex Luco scripsit Ambrosius pridie idus martii [a] Augustino monacho narrans refrixisse opinionem de adventu pontificis Florentiam. Petit ab eo, ut sibi mittatur vita Chrysostomi a multis nobilibus viris expetita, & chronicon Casinense. Ex eodem loco idibus martii [b] adhortatus est Gabrielem alium monachum Angelorum ad spiritualem profectum. Decimo-octavo Kalendas aprilis [c] Paulo Venerio significavit se citius missurum volumen in membranis chronici Casinensis & dialogi Desiderii. Evanescente autem fama pontificem Florentiam iturum, mutasse se consilium, velleque insistere visitationibus ordinis. Esse aliquos Florentiæ, qui dixerint se profecturum ad concilium legatione cleri Florentini. Die sequenti ex Luco [d] Nicolao retulit pontifice Florentiam non veniente, se quoque Florentiam non iturum. Bononiæ vero se vidisse Nicolaum Ferrariensem ejus amantissimum; Gasparem vero Bononiensem religio-

a *Lib. XII. ep. XX.*
b *Lib. XIII. ep. XXIV.*
c *Lib. XIX. ep. XXI.*
d *Lib. VIII. ep. LIV.*

ANN. CHR. 1434.

ligionis habitum velle deponere clericum futurum. Ea ipsa die [a] queritur cum Mariotto epistolam suam illi non redditam, qua Porcios fratres commendabat; iis quidquid nondum officiorum est impensum, jubet imposterum impendi. Quinta-decima [b] martii hujus anni, melius quam sequentis, ex monasterio sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ potestatem facit Sebastiano abbati Camalduli-Florentini componendi simultates exortas inter duo monasteria occasione venditionis prati Camprenæ. Decimo kalendas [c] aprilis & tertio idus iterum negotium illud frustra diu a se tentatum eidem definiendum committit. Gregorio seni Angelorum monacho ex Fonte-bono XVII. kalendas majas [d] & pariter X. junii pium affectum erga illius monasterium declarat. Tum adventum deinde suum Florentiam & alias a se institutas visitationes referre prosequitur in Hodœporico, quas libenter omittimus, sicut etiam litem quamdam de fundo Monticuli.

a Lib. XV, ep. XXV.
b Lib. XVII, ep. XXI.
c Ibid. epp. XXIII. & XXIV.
d Lib. XIV, ep. XXVII.

VI. Et præcipue Burgensium, ejusque inibi acta.

VERUM, subdit, *ad curriculum temporis, unde modice detorsimus, redeat oratio. Florentia profecti obvios habueramus Senenses nobiles, qui ad Stephanum Porcium pergerent, eum prætorem suæ civitatis electum. Hi posteaquam Camaldulum concesseramus, una cum Stephano ad nos venere. Eramus tunc in eremo, quo illi videndi gratia, simul ut nos salutarent, conscenderunt, grateque pro loco & honorifice accepti, omnibus lustratis ad monasterium Fontis-boni rediere, ibique noctu quiescentes electionem adstantibus nobis celebrarunt. Comitem amicissimum nostrum ex officio nostro perrexeramus salutatum, multumque ac varium sermonem cum eo habueramus. Exegimus autem in eremo ex nostro instituto dies sacros, ipsi fratrum omnium pedes abluentes & officia cuncta peragentes magna cum recreatione animi nostri, cunctorumque lætitia. Peracta sollemnitate paschali institutæ visitationi operam dare perreximus, atque ad Burgum-sancti-Sepulcri profecti sumus. Monasterium primo sancti Johannis-evangelistæ visitavimus, discussisque diligenter omnibus, ex monachis quosdam corripuimus publice, multaque ad honestatem vitæ pertinentia ibi instituimus, & tam abbati quam ceteris servanda præcepimus. Abbatem ipsum secreto corripuimus, quod irrequisitis nobis tentare aliquid de permutatione cum Britonoriensi abbate facienda præsumpsisset, aditumque omnem obstruximus rationabiliter, quod neque sibi, neque monasterio conduceret ista mutatio. Camerarium ibi Simonem priorem sancti Nicolai plena cum potestate constituimus. Adierunt nos illuc Henricus & Benedictus de Mutiliana amici nostri, & pro domino terræ Nicolao (* Fortebrachio *) agentes. Hi nobis fratrem suum B.. commendantes orabant, uti abbatem ipsi monasterio præficeremus; placere enim id domino oppidi. Injusta postulantes blande repulimus, indignitatem rei documentis apertissimis pandentes. Abbatem enim virum bonum & populo acceptum removere iniquum esse; verum longe injustius fore, si secularis, & qui nulla unquam religione instructus fuerit, substituatur, magnumque omnibus scandalum inde oriturum. Ne ipsi quidem fratri suo conducere, si abbas præficiatur. Nam si quidem opes quæreret, monasterium non esse opulentum, quod monachos plures sustentare necessario oporteret divina officia die noctuque celebrantes, neque posse sine gravi scandalo summoque dedecore aliter fieri. Si quietem appeteret, nihil monasterio ipso inquietius, quippe cum præter communes & perpetuas occupationes monasterii abbas ipse ordinarius oppidi sit, ad quem omnia negotia referri opus sit. Si honorem, est illud quidem honorabile monasterium, sed nisi cautissime agatur, pro honore parere ignominiam. Si voluptates, non esse habitum religionis appetendum, quippe cum religiosum institutum, cujus gratia habitus sumitur, sit voluptati adversissimum & infensissimum. His rationibus & aliis pluribus, amicis ut desisterent, ægre persuasi-*

suasimus. Venerat & ipse Bifolus eadem flagitans, quem benigne acceptum itidem fregimus, & nostri & sui honoris rationem habere admonentes, placide a nobis dimisimus. Comitem nostrum (nam & ipse tunc aderat) visitatum pergentes & ipso comitante ad monasterium remeavimus. Plura invicem amice contulimus, deque persona ejus & meritis, qui præficiendus poscebatur, ea ex ipso didicimus, quæ animum nostrum vehementer commoverent, & si qua fuisset ejus ad aliquid aliud promovendi intentio, tota abvolavit. Ea parcens legentium auribus referre omitto. Amicissime, ut semper, admonuit honoris nostri rationem haberemus. Advenerat eo & Castellani episcopi frater cum literis ipsius, quibus & expostularet, cur post sententiam trinam pro se latam contra monasterium, abbas ordinarii vice perfunctus esset, postularetque, ut sibi interdiceremus, literas exequutorias & compulsorias mittens terrores intonantes. Aderat Comitis nostri cancellarius ab eo ad hoc missus, ut quid responderemus, referret ad Comitem. Nos & apostolicas literas revereri diximus, neque episcopo, quin jura sua inquireret, impedimento esse. Ceterum non ignorare dignationem suam, post ultimam sententiam me instante Romæ causam in pristinum gradum a domino summo pontifice fuisse restitutam, curamque cardinali sancti Xysti tunc permissam, impediendi executionem sententiæ contra causam indefensam latæ. Multis hanc in rem verbis ultro citroque habitis, episcopo convenientia rescripsimus, & ita, ut ex literis nostris occasionem nullam querelæ aucupari posset. Verba tum de hac re habuimus cum ipso Comite. Et cum postularet episcopus ipse, ut ambo Pupium contenderemus, & cognitore Comite jura nostra vicissim proferremus, Comesque ipse ita faciendum arbitraretur, nos, quod jura nostra Romæ omnia ferme remansissent, impossibile id tum quidem esse respondimus. Daretur spatium scripturas illas adhibendi, nihil nos detrectaturos. Ceterum si exposita librorum strue, ut pollicebatur, jura tantum sua allegare pergeret, nosque utpote ipsius rei rudes nihil objicere contra possemus, nobis maximum præjudicium fieret. Vix Comiti satisfecit nostra ista ratio, & contra quam putaveramus, in proposito perstare cognovimus. Visitato Burgense monasterio, votisque civium plurimorum, quos ad hoc vocari feceramus, exploratis, atque ex illorum testimonio abbatem rite præesse, ac sollicite munus suum exercere noscentes, & plebi opportune satisfacere, lætiores facti, Deo gratias egimus. Convenere plerique civium causam monasterii cum episcopo Castellano intensissime nobis commendantes. Polliciti sumus omnem operam exhibituros, nihilque omissuros diligentiæ, dum jura sua monasterio inviolata servarentur, bonaque spe esse jubentes, abire permisimus. Transivimus ad visitandum sanctæ Margaritæ monasterium, quod extra oppidum est, breve quidem, & ferme dixerim inutile. Mulieres ibi satis multas invenimus pro qualitate loci. Visitatis eis, omnibusque discussis diligenter, illarum inopiam blande consolati sumus, & admonitis de pace ac tranquillitate mutua sollicite servanda, & officio divino dicendo, quamdam procaciorem denotavimus, atque dure corripuimus. Post hæc alterum sanctæ Catharinæ monialium asceterium, aliudque virorum sancti Nicolai in eodem Burgo visitavit. *Rebus Burgi compositis Decianum venimus, ibique abbatem monasterii ipsius invenimus Mariottum nostrum. Venerat ille primum cum pueris nostris, dum Burgi essemus, & ibi tunc nostrum præstolabatur adventum. Accepti grate sumus, omnemque monasterii reparationem ipsius industria & opera a primis suæ promotionis auspiciis factam collaudavimus.* Ex Deciano data est Ambrosii epistola pridie kalendas maji [a] Sebastiano abbati Camalduli-Florentini, quo ipsi potestatem facit velandi, vel abjiciendi, prout melius judicaverit, duas virgines parthenonis Quercetani.

[a] *Lib. XVII. ep. XVII.*

Ann. Chr. 1434.

Ea ipsa die [a] Augustino Angelorum monacho scribens anhelare se ad quietem significat. *Inde discussione sollemni celebrata, datique & accepti ratione posita profecti ipsa die Camaldulum venimus. Stephanum Porcium prius Socii salutavimus, a quo & anulo donati specioso, pyxidulam onagrini ossis contra venena potentissimi,* (abbatis nostri sancti Michaelis donum) *sibi largiti sumus.* Ibidem rationes suas eremitis exposuit, cur utrumque Hieronymum Pragensem & Basileensem ex eremo sustulisset, deditque etiam literas cardinalibus protectori, sancti Angeli, Bononiensi & Firmano, aperiens, quid contra Eugenium pontificem in concilio Basileensi egisset idem Hieronymus Pragensis. Epistola Johanni cardinali sancti Petri ad Vincula ordinis protectori data est ex eremo die decima maji [b], in eaque rationem reddit, cur Pragensem, qui in concilio steterat contra pontificem, literis autem ad cardinalem Bononiensem prosciderat Ambrosii famam, abjecerit ab eremo, ablegaveritque Venetias ad sancti Mathiæ monasterium. Ea ipsa [c] die Francisco Sandello abbati Carcerum scripsit in idem argumentum; in qua etiam epistola asseritur dominum sancti Eustachii (Alphonsum Carillium) diem obiisse, itidem Rotomagensem & Placentinum; imperatorem quoque graviter decumbere; Romæ vero defunctum dominum Notariensem (lege *Novariensem*, Ardicinum scilicet de la Porta, seniorem) Sed fallax fuerat hujusmodi fama de Rotomagensi & Placentino cardinalibus, qui ad plures annos superfuerunt. Pridie idus maji [d] ex Fonte-bono adhortatoriam Augustino Angelorum monacho dedit epistolam.

a *Lib. XII. ep. XXI.*

b *Lib. II. ep. VII.*

c *Lib. XX. ep. XII.*

d *Lib. XII. ep. XXII.*

VII. Abusus tollit in monasterio Prati-veteris.

Adventus *ad nos nostri Dionysii sollicitudinem addiderat nobis, quem priorem claustralem reliqueramus in sancti Mathiæ monasterio. Is a priore cum haberetur negligentius, plane contra nostram intentionem fuerat inde profectus, monasteriique pessimum statum nuntiaverat nobis. Quo nuntio (ut par erat) perculsi, repente scripsimus ei, quem sibi vicarium prior, dum ad concilium iret, instituerat, dolorem nostrum aperientes, atque ad conservationem familiæ hortantes. Abbati quoque sancti Michaelis literas dedimus, orantes, uti ne monasterii ipsius semel sibi a nobis permissam linqueret curam. Dionysium ipsum remorari in eremo cupientem, cum reditum ad antiquum nostrum monasterium nequicquam tentasset, blanda pollicitatione relevare curavimus. Per eos dies, cum negotia nostra multum urgerent, ac plurimum difficultatis habere viderentur, convocare ad condictam diem prælatos omnes vicinos studuimus consultandi gratia, ut ad reparationem labentium rerum nostrarum, quo nobis itinere pergendum esset, exploratis singulorum sententiis deliberare possemus. Convenere ad quindecim ferme, concilioque acto, præsentibus eremitis (nam adesse voluerant, solliciti, ne quid contra se proponeretur), quæ erant in causa exposuimus, capita plura proponentes, eisque ut responderent singuli, & sententiam suam explicarent, jure caritatis exegimus. Deliberare inter se primum ac tractare cupientes non ingrate admisimus, indultoque respondendi spatio, quænam illorum esset mens, postea & verbis & scripto edocti sumus. Ea omnia tractantes apud nos, majori ex parte approbavimus, & quantum donaret Dominus, instituimus exequi. Ad monasterium Prati-veteris in ipsius præcipua sollemnitate orati concessimus, Missarumque sollemnia celebravimus, Comite nostro cum omni familia adstante. Displicuit nobis immodica frequentia ex veteri licet consuetudine profecta, religiosæ tamen gravitati & honesto instituto minime congrua. Quippe patefactis foribus omnes passim ingredi, prout cuique libitum fuerit, pergunt, salutationibus & poculis vacant, quod summe iniquum & nefarium duximus. Ac licet ancillæ Dei spectaculis istiusmodi non adsint, non possunt tamen non pulsari memoria consuetudinis veteris, daturque tentationibus aditus. Multa*

eo

eo die cum Comite nostro colloquuti sumus tum de Burgensis monasterii cum episcopo Castellano controversia, tum de negotio commutationis supra memoratæ, rebusque aliis seriis. Neque dissimulavimus, quin introductam consuetudinem carperemus. Sed & cum matre monasterii nobis præsentibus sermonem ille varium habuit. Dimissa celebritate, postridie convocato cœtu omni dolorem pectoris nostri aperuimus, consuetudinemque vitiosam & periculosam vituperavimus, nostræ intentionis non esse, asserentes, ut hujusmodi mos ultra observetur, qui sit vituperandus, & a sanctitatis instituto prorsus alienus. Hortati sumus ad honestioris æmulationem instituti, & ad congruam professionis suæ gravitatem, monasterii claustra nemini patere admonentes, corroboratisque nostra admonitione discessimus. Die XVI. maji [a] Silvestro Angelorum monacho juvenem quemdam commendat.

ANN. CHR. 1434.

a *Lib. XIV. ep. XXIV.*

Advenit per eos dies a nobis evocatus Sebastianus abbas noster senex negotium commutationis cum Comite acturus, adjuncto sibi priore sanctæ Margaritæ, paucisque diebus nobiscum grate & comiter vixit. (Videatur epistola XXXV. libri XVII. data ex Fonte-bono XX. maji qua eum accersit; aliaque data die sequenti [b], qua condolet de ejus monachis indisciplinatis.) *Socium primo concessimus pariter, ibique ipsi eorum reditum expectare decrevimus simul, ut si opus esset, evocari e proximo facilius possemus. Interim cum nostro Stephano morati, sermonem habuimus varium. Reversos a Comite nostro & inde nobiscum proficiscentes cum prius modica potione recreasset, Stephanus ipse deduxit officiosissime, magnamque sui admirationem Sebastiano reliquit, non sufficienti oris gratiam, sermonis gravitatem, habitusque & gestus dignitatem admirari. Regressi ad nostrum monasterium Sebastianum ipsum post biduum a nobis cum priore dimisimus.* Ex Fonte-bono [c] decima-octava maji a Michaele Angelorum monacho Ambrosius petiit per epistolam breviationem Donati de octo partibus orationis. Vigesima ejus mensis [d] in alia ad Augustinum monachum laudat Mariotti zelum in educandis pueris. Tertio kalendas junii [e] ex Fonte-bono eidem Augustino Angelorum monacho se optime valere significat.

b *Lib. XVII. ep. XXXVI.*

c *Lib. XIII. ep. III.*

d *Lib. XII. ep. IX.*

e *Lib. XII. ep. XXIII.*

VIII. Occurrit Pisis Eugenio pont. max. ex Urbe fugienti.

EXACTIS *tandem plurimis & expeditis, quæ pro tempore emerserant, ceptæ visitationi insistere, quam modice intermiseramus, constituimus. Confirmato ad id animo Arretium per vallem Arni petebamus, ut expectationi prælatorum & officio nostro satisfaceremus, simul ut amico nostro præfecto Vallis congrederemus expetenti plurimum adventum nostrum. Sed dum eo pergimus, medio ex itinere (credo inspirante Deo) mutato consilio Pisas ire instituimus. Et quoniam exactores cleri a civitate constituti præsentiam nostram requirere studiose perceperamus, murum urbis circumivimus, dum ad nostrum sancti Salvatoris monasterium veniremus. Ibi noctem illam quiescentes, mane nonis junii propinquam portam civitatis, qua Pisas itur, clam egressi, sero tandem ad nostros fratres Nicosienses (est autem monasterium quatuor ferme millibus passuum a Pisis separatum) pervenimus.* (Monasterium erat situm in valle Calcis territorii Pisani conditum pro canonicis regularibus ab Ugone Nicosiæ Cypri episcopo anno 1268.) *Accepti ab eis plenissimo caritatis officio monasterium omne lustravimus, & religioni aptissimum ac decentissime constructum judicavimus. Fratres omnes illos ante annos plurimos in nostro monasterio & per nostram operam hospitium, quando Florentiam venissent, habere solitos, atque ideo a nobis cognitos & pro vitæ merito carissimos amplexi, mane Pisas contendebamus. Et cum portæ civitatis propinquaremus, offendimus abbatem sancti Zenonis muro adequitantem. Is nobis nequaquam conspectis urbem introgressus fuerat. Placuit remorari extra oppidum, donec mitteremus, qui nostrum prælatis adventum nuntiarent,*

Ann. Chr. 1434.

tiarent, ut ubinam primo divertere sollemne esset, scrutaremur, simul ut occurrerent nobis. Eis ut ad monasterium sancti Zenonis primo iremus, inde ad sancti Michaelis deducendi monasterium visum fuit; sicque factum est. Caute abbatum illorum scrutari gesta animus fuit, quia & multas hauseramus querimonias, & expectabatur noster eo adventus, disquirendi & corrigendi actus illorum gratia, neque quicquam illorum confessione exculptum est. Adhibere studuimus secretius laicos aliquos, graviores viros, & ne sic quidem profecimus quidquam, sive illi metu cederent, sive indulgerent gratiæ, sive falsa ad nos de illorum gestis permanarant, quod optandum, quam sperandum visum est. Animus fuit huic quæstioni instare acrius, modosque adhibere alios, sed fregit istiusmodi propositum rumor allatus. Quippe antea Romæ vinctum detineri pontificem summum a Romanis obscœna fama vulgaverat, tum vero effugisse proditorum manus, Pisasque contendere nuntiabatur, & singulis diebus affuturum. Conjuraverant adversus tanti meriti virum, patrem ac pastorem omnium consceleratі cives, ac nisi Deus omnipotens illum servasset ex impiorum manibus, actum fuisset de illius vita & salute. Innotuere pontifici insidiæ perfidorum, seque observari ubi didicerat, ex palatio sancti Petri, editiori scilicet atque munitiori ad ecclesiam sanctæ Mariæ trans Tiberim contulit, ut arte illorum impios conatus eluderet. Inde captata hora, cum jam rapiendus esset, posito pontificali habitu & cultu monachi cucullam sumit, & uno tantum comite ejusdem habitus (Arsenio) in hortos concedens & quidem contra suorum sententiam, ad Tiberim pervenit, paratamque cymbam ascendens, summo remigum impulsu ferebatur. Ubi vero innotuit elapsum esse pontificem, id etiam sceleribus suis addiderunt, ut persequi jamjam fugientem pergerent atque evadentem, irritos dolentes fuisse conatus suos, jaculisque impetebant eminus. Sed illum omnipotens Deus mirabiliter atque misericorditer & inter persequentium tela servavit illæsum, dum ille tandem ex minore scapha in triremem ad id præparatam scandens, paucis diebus Liburnum venit. Quorum principaliter scelere Romani tantum facinus aggredi voluerint, quia anceps sententia est, ipsi nequaquam definire volumus. Pisis ubi innotuit Liburnum applicuisse pontificem, congrui ad eum suscipiendum, quantum angustiæ temporis sinebant, apparatus fiebant. Qua vero die affuturus expectabatur, ipsi ante lucem obviam illi ire perreximus, & decimo ferme lapide equitantem cum paucis offendimus pontificem summum, nudum ferme. Miserati præsentem rerum faciem, & Deo tamen gratias pro illius ereptione referentes resoluti in lacrymas sumus. Jumentis lapsi, ubi ille appropiaverat, accurrimus, illiusque sacra osculati vestigia & manus, ad oris osculum suscepti sumus, ille gratissime nos accipiente & benignissime resalutante, Deoque in commune gratias egimus, neque tum lacrymis temperatum est. Salutavimus & reliquos itineris comites, & Cerviensem episcopum imprimis optimum virum, & antiquissimum amicum nostrum. Is Basilea tum rediens (namque fuerat a pontifice ad concilium missus) jam fugienti occurrerat, ignarus rerum, secumque proficiscebatur. Tum vero inter familiares sermones nostros, cum de Hieronymo illo nostro, qui fuerat ad concilium profectus, incidisset mentio, vera esse, quæ abbas noster de Carceribus scripserat, animadvertimus. Namque & commotionem quorumdam ex principalibus retulit, quod redire hunc ad eremum probibuissemus, & se benevolissime ac rationabiliter factum nostrum excusasse professus est. Ubi vero Pisis appropinquavimus, populus omnis & magistratus civitatis accurrit cum laudibus & gaudio inæstimabili. Præcedebant pueri redimiti tempora lauro atque fronde varia & floribus, laudesque concinentes & inclamantes pacem pontifici, & omnibus fletum excussere.

fere. Sequebantur viri suo ordine, umbraculoque exceptum pontificem in civitatem deduxere, primoribus viris fræna equi regentibus dextera atque læva, & illi obambulantibus jugiter. Tum vero omni ex parte oppidi, qua erat transiturus, turba innumerabilis confluens effecerunt, ut esset perdifficilis transitus. Matresfamilias & pueri atque innuptæ puellæ e fenestris ac tectis prospectabant, donec in principalem ecclesiam est introductus, archiepiscopo civitatis & clero omni occurrente ex more. Ibi oratione fusa in palatio archiepiscopi sedem habuit. Nos postridie quam advenerat, illum salutare atque orare perreximus his verbis. „ Ante omnia, pater beatissime, quæso, ne mihi impingat negligentiæ crimen tua sancta dignatio, quod quasi officii oblitus ad visendam sanctitatem tuam tam sero redierim. Est testis mihi Deus cordis nostri inspector & arbiter, quam alto sinu quantaque benevolentia tuæ sanctitatis memoriam foveam atque complectar, utque tristium omnium, quæ sanctissimo domino nostro contigerunt, accesserim particeps, nullaque ferme jacula persequentium vel manibus, vel longius intorta in te fuerint, quin præcordia famuli tui ante transfixerint. Verum ego quid ista apud sanctitatem tuam pluribus agam, cum non ambigam affectum in te meum non minus tuæ pietati exploratum esse, quam mihi? Tenes certe pignora, neque illa obscura, nostræ caritatis & animi jampridem tibi deditissimi. Egi gratias Deo, pater beatissime, quod sanctitatem tuam vel sic probare pressuris variis tamquam in fornace aurum permiserit ad totius posteritatis exemplum, vel inter pressuras ipsas tantum tibi constantiæ benignus indulserit, vel tuam pietatem his tam mirabiliter, quam potenter eripere dignatus sit, ut plane confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Et si enim tristis rerum facies concussit viscera mea, cum sanctissimum dominum meum nudum ac ferme fugientem primum inspexi, excussitque lacrymas, & præteritæ gloriæ & præsentis ærumnæ collatio, non potui tamen non grate admittere, non Deo gratias ex corde referre, vel nudum suscipiens dominum nostrum præteriti consideratione periculi. Exhibuisti nobis aliquid antiquæ historiæ exemplo fugæ tuæ. Quippe sanctæ memoriæ Innocentium II. Roma similiter excessisse, Pisisque se recepisse legimus. Sed dignior est hæc tua, quam illius fuga, minusque in se periculi habens. Ille enim scissa ecclesia teterrimo schismate, a pontificatus culmine disturbatore Anacleto ejectus est, tu ut sapientissimus David furentis populi insaniam arte elusisti. Illi laus, illi gloria, illi gratiarum actio, qui sanctissimum dominum nostrum, ecclesiæ sponsum integrum atque incolumen restituit nobis, & inter varia pericula sua gratia servavit illæsum. Equidem, pater beatissime, ita intueor faciem tuam, ut novum sydus a cœlo lapsum me intueri putem, supplexque oro, ut dignetur pius Dominus noster Jesus serenum jam ex nubilo facere, & omni tempestatis nube discussa, terris candidum tranquillitatis jubar infundere. Me ipsum certe inutilem famulum tuum tuæ sanctitati obstrictum & obnoxium ita sentio, ut si hoc denuo profiteri voluero, verendum sit, ne crimen ambitionis incurram. Utere arbitrio tuo, & nisi superbum sit, experire, an idoneum ministrum elegeris; verbis enim beati Laurentii uti libet, quibus ille interpellat antecessorem tuum Xystum beatissimum. Omnia ab caritatem tuam tolerare paratus sum, vitam denique ipsam, si opus erit, cum sanguine fundam. Sed excessi vereeundiæ, ut vereor, terminos, qui tam multa de mea in te voluntate dixi. Dabis veniam amori, pater beatissime, qui modum servare nescit, & me famulum tuum benigne suscipies, quem tui juris esse ac perpetuo fore intelligis. " Qua finita placidissime nos accepit, atque cum inter loquendum Hieronymi jam dicti ultro mentionem fecissem, & quidnam actum esset eatenus, explicassem, sententiamque expectarem suam, quid fieri juberet, ipse ut est clementissimus: Et si, inquit,

 bonum

Ann. Chr. 1434.

bonum fuisset, quod fecit, contra me agendo, quia tamen egit contra praeceptum tuum, male egit, petivitque, an poeniteret illum ita egisse, & cum perversam illius intentionem ex me accepisset, facito, inquit, pro arbitrio tuo. Et cum doleret se Chrysostomi vitam a me traductam, sibique dedicatam Romae amisisse, assereretque se praeterita quadragesima illam secundo percurrisse. At, inquam, adest ipsius operis volumen aliud (nam mecum ipsum tuleram) prolatumque codicem gratissime suscepit, apertumque cepit continuo legere. Anulum praeterea pulcherrimum nostri Stephani Porcii munus, cum prominente onyche dono illi tunc obtuli, & cum aliquandiu renuisset, tandem ut illum susciperet, impetravimus, sacroque dexterae illius digito immisimus. Ex Pisis die decima julii [a], melius junii, Ambrosius Francisco comiti Puppii commendat Poggium secretarium pontificis, quem captivum detinebat Nicolaus Forte-brachius, dictus etiam a Stella.

a *Lib. V. ep. X.*

IX. Visitat monasteria Lucensia & Pisana.

Cum *vero illic paucis diebus remoraturus putaretur, Lucam ire visendi novi abbatis gratia, monasteriumque Cantinianense visitandi consilium fuit. Ad hoc, dum illius requireremus assensum, multusque praecessisset de religione nostra sermo, benigne annuit, sponsione accepta nos mature redituros. Perreximus itaque, & apud canonicum illum, qui ad nos ejus monasterii gratia secundo jam venerat, hospitati, abbatem quoque vidimus facie rusticana, sed tamen testimonio plurimorum bonum virum, & in primis laboriosum & reparandi materiali aedificio monasterii aptissimum. Accepti honorifice a canonico ipso sermonem prolixum habuimus, quo pacto Puteolanum monasterium nostrum recuperare possemus, illi pollicentes ipsius titulum, possessionemque permissuros etiam sine mutatione habitus, ita ut & monasterium sancti Georgii & nostrum simul haberet, fieretque utriusque connexio. Utiliter fieri id videbatur, quia nostro monasterio destructo, suum integrum & religioni aptissimum esset. Spem dedit conficiundi negotii, dieque subsequuta Cantinianum perreximus, ruinasque miserati ingentes, abbatis tamen nostri industriam laudavimus, qui magno studio dirupta quaeque resarcire conaretur. Multum loci situs placuit nobis ad religionem summe aptus judicatus. Ibi accepto ex more obedientiae juramento, abbateque pro tempore de omnibus diligenter instructo remeavimus. Et quoniam ad recuperationem memorati monasterii intenderamus animum, ex officio nostro magistratum civitatis visitavimus, auxiliumque implorantes suo tempore, benignum consensum reportavimus.*

Pisas regressi, cum vehementer abbatem sancti Zenonis ageremus, ut confiteretur sponte, quod nobis innotuerat, suae incontinentiae scelus, nihil quivimus exculpere, illo pertinaciter negante omnia. Vidimus ecclesiam ornatissimam columnis, pavimento, musivo, & quod gratissimum est, proportione structurae decentissima. Coemeterium item permagnificum ingens, testudine constans, picturasque habens artis admirandae. Nihil in re maesta excogitari neque laetius, neque magnificentius potuit. Campum-sanctum appellant, quadratum ferme, columnisque marmoreis insigne. Prolixius opus nusquam vidi neque gratius. Praeterfluit civitatem Arnus fluvius, tribusque pontibus lapideis speciosissimis ex altera transitur ad alteram ripam. Nihil eo amoenius aspectu. Habet utraque ripa veluti pomoerium viam latam, aedes speciosissimas atque celsa palatia ab amne distinguentem, ubique perpetuum emporium est, namque est ea profunditas alvei, ut grandiores quaeque naves tuto adveniant. Arcus speciem praefert ille conspectus. Arcem quoque civitatis munitissimam visere placuit, acceptique grate ab amico illo praefecto cuncta lustravimus. Adivimus & nobile feminarum monasterium, alloquutique matrem & antiquiores sorores, plurimum bonae aedificationis reportavimus, polliciti

polliciti redire; ita enim oraverant. Quod tamen nequaquam implevimus pontificis repentino discessu prohibiti. Ibi scenam unius ex nostris accepimus, amicis quibusdam querimonias unius monasterii nobis exponentibus, & ut corriperemus orantibus. Et cum nullum ibi tale monasterium nobis esse didicissent, abbatem sancti Michaelis illius curam prætendere mirati sunt. Displicuit mire id factum, abbatemque ipsum severius convenimus, omnem illius monasterii aditum curamque penitus interdicentes. Dolor lateris per eos dies nos secundo jam graviter afflixit, a quo tamen mature, miserante Deo, convaluimus. Advenerunt ex Florentia plures tam prælati, quam nobiles, ut pontificem deducerent; cardinali sancti Xysti advenienti occurrimus, solusque ex cardinalium numero pontifici Florentiam tendenti affuit.

ANN. CHR. 1434.

X. Pontificem comitatur Florentiam.

MOVIMUS *Pisis vigesima junii pontifici adjuncti, ipsaque die sex ferme passuum millibus processimus. Nos ad sanctum Miniatem ea die perreximus eo consilio, ut in crastinum ante lucem in occursum ejus rediremus. Inquisivit nos sollicite, ut dictum est nobis, & cum nos præcessisse responderetur; At vidimus, inquit, illum, cum huc applicaremus. Corripuimus monasterii illius matrem, quod est extra oppidum, quod tam diu suscipere visitationem nostram renuerit, & postridie subito mane iter ingressi pontificem parum abesse (equitarat enim ante lucem) didicimus. Descendit ad sancti Jocundi ecclesiam pontifex, aliique, recreatis omnibus modice. Ipso die ad Montemlupum venimus. Susceptus est in ædibus ecclesiæ pontifex, nos cum Fesulano episcopo sumus hospitati, viro simplicioris ingenii, & de nobis bene eatenus merito,* (Benotio Federighio) *Ibi enim a consanguineis suis ille fuerat exceptus. Mane ante lucem equitantes Florentiam petebamus. In villa Angeli civis Florentini, qui secum equitabat, modice quievit. Jam vero portæ civitatis propinquanti, quæ vastissima tunc tota patuit, omnis nobilitas obviam venit, totusque clerus cum insignibus ornamentis occurrit. Omnis ætas, sexus uterque, omnisque conditio sese pec itinera quaquaversum diffuderat, ut nusquam transire ferme pontifex posset, fueritque necesse disseminare pecunias, quacumque iter ageret, ut iis colligendis occupati a pressura desisterent. Tecta ferme omnia ipsæque fenestræ spectantes vix capere poterant. Mulieres, matresfamilias, puellæque innuptæ præcipuo muliebri mundo compositæ editioribus in locis residentes magnum plerisque sui præbuere spectaculum, suosque in unum populos tunc vere prospexit civitas. Ad principalem ecclesiam civitatis per illustriora urbis loca ea pompa deductus, oratione fusa inde ad habitationis suæ locum eadem frequentia & celebritate reductus est. Pontificalibus infulis ornatus, & equo candido insignibus phaleris exultante invectus. Quæ omnia, priusquam urbi appropinquaret, obtulerat civitas. Ita ætate nostra Florentia profugos pontifices duos, Johannem scilicet* XXIII. *atque Eugenium IV. sinu suo suscipere ac fovere promeruit, Et inter hos medium Martinum V. annum fere & semis tenuit, immo ut verus esset pontifex & indubitatus effecit, quando illuc ad ejus vestigia, qui judicio multorum injuste abrogatus fuerat, Johannes accessit, verumque Christi vicarium & Petri successorem confessus ipse minoribus contentus officiis perstitit.*

Romani, postquam pontificem evasisse didicerunt, mœsti, quod res illis nequaquam ex voto successerat, ad prædam conversi, omnia illius expilare pergunt furore inaudito, compluresque curiales violare pergunt, & imprimis nepotem pontificis Franciscum tituli sancti Clementis presbyterum cardinalem, & reliquis ægre dimissis, illum arctissimæ custodiæ tradunt, vix sibi cujusquam colloquium permittentes, ingentemque pecuniæ summam & castellum munitissimum, quod sancti Angeli appellant, Ostiamque petunt. Enituit pontificis

Ann. Chr. 1434.

tificis constantia summa, dum neque affectu nepotis potuit vinci. Et quidem cum se plurimi orarent, & frequentibus literis illius pulsaretur, ut aliquid ex his, quæ postulabantur, indulgere acquiesceret. Sum ipse quoque hanc ipsius magnitudinem animi summe admiratus, cum se orantem, ut saluti juvenis consuleret, responso rationis atque gravitatis pleno compescuit dicens: Nihil referre, uter alterum præcederet se nepos, an ipse nepotem, cum conditione communi in vitam ambo essent ingressi: præstare, si nepos ecclesiæ succumberet causa. Se non posse salva conscientiæ integritate & dignitate sua ea efficere, quæ postulabantur. Denique cum hujus rei gratia postea Senas ipse concesserim ab eo missus, & ea afferrem, quæ nequaquam viderentur respuenda, ne sic quidem acquievit, sed rigorem constantiamque servavit, ita ut hanc ipsius severitatem plerique carperent, crudelitatemque interpretarentur. Deo tamen dirigente negotia, consilium sententiamque pontificis approbarunt omnes, dum & ille liber evasit, & sub ditione ecclesiæ cuncta perstitere. Præbuit se spectandum populis in celebritate sancti Johannis-baptistæ principali, sedens editiori in loco; & ipse quoque spectans processionis sollemnia, admiransque magnificentiam singularem & ordinem, dignam profecto miraculo rem, & quam nisi conspectam credere quisquam aut capere non posset, longeque difficillimum esset enarrare. Tam multa, tam miranda, tam varia vidimus, namque & ipsi cum pontifice spectabamus, sed ea narranda relinquimus ceteris; ipsi ad contextum narrationis nostræ redimus.

Ipsa die vigesima-quinta junii [a] Ambrosius Francisco Sandello scripsit, ut puellam invito fratre canonico Tarvisino susceptam in monasterio sanctæ Christinæ Tarvisii ipsi fratri restitui faceret, præsertim cum inhibuisset ipse, juxta generalis capituli decreta, ne ulla deinceps mulier susciperetur in eo monasterio; scripsisse se ea super re asceterii hujus matri. Quinto kalendas julii [b] ex Florentia literas dedit Alberto Bononiensi (facile de Albergattis) quem suadet ad componendas turbas Bononienses, & ad obsequium erga pontificem. Laudat ipsius affectum erga se, & Baptistæ Canetuli præcipui & primarii civis Bononiensis. Quod autem parum fauste successerit ibi negotium pertractatæ cum illo concordiæ, acceptum refert imminenti, asperæ admodum atque ancipiti necessitati, non deficiente in Canetulo honesta voluntate, sed temporis opportunitate, ita ut se multum conditionis ejus misertum fuerit, quod laqueis hinc inde positis ille se expedire nequiverit, & in veram libertatem asserere, summique pontificis consilia & monita sequi. Sed quod tunc effectu caruit, sperat meliorem sortem viris magnis & eminentibus illustri marchioni Ferrariensi (Nicolao), & Placentino cardinali (Brunde Castellionæo); qui negotia pacis ineundæ & ardentissime tractent, & conclusuri mature sperantur. Deinde subdit. *Quam vellem magnificum virum Baptistam nostrum studii plurimum impendisse, & sese ex animo permisisse pontifici, auctoremque hujusce fœderandæ pacis sese inprimis præstitisse. Id quod fortasse factum est post meam a vobis profectionem. Ita enim cum domino Galeoto* (Baptistæ fratre) *in extremo congressu nostro conclusum est, ut ad illustrem ducem* (Philippum-mariam Vicecomitem Mediolanensem ducem) *mitteret, pacisque cum pontifice habendæ consilium consensumque flagitarent.* Nominat in hac epistola Ambrosius Cl. JCtum Johannem de Lignano, ejusque uxorem, quibus indulgentiarum promeruerat a Romano pontifice beneficium. Deturbis Bononiensibus legenda est historia Miscella Bononiæ apud Muratorium [c], quæ tum illustrationem dat Ambrosii epistolis, tum ab his illustrationem recipit.

Sed Hodœporicon prosequamur: *Crebro, dum adhuc minus frequens esset*

a Lib. XX. ep. XIV.

b Lib. IX. ep. IX.

c T. XVIII. ep. 139.

set curia ipsius sanctitatem adivimus, & cum inter familiares sermones de religionis nostræ dispositione loqueremur, ordinem & modum enutriendorum puerorum a nobis institutum vehementer approbavit, atque ita, ut opem quoque ferret, dato in conspectum suæ sanctitatis Mariotto nostro carissimo fidelissimoque socio puerorum nutritore, qui brevi oratione facta multum commode & intente auditus est, & currenti sua sponte pontifici addidit stimulos, plusque illi placuit nostrum institutum. Venerat Pisas visitandi pontificis gratia noster abbas Florentinus (Gometius abbas sanctæ Mariæ-majoris de Florentia), *ambobusque verba de visitatione a nobis cepta Vallumbrosani ordinis fecit, satis admirans, cur nos rei nobis a se delegatæ non institissemus. Et cum humiliter inbibitos fuisse respondissemus, aquievit, & velle se, ut cepta prosequeremur, asseruit. Eadem quoque Florentiæ replicavit, neque excusare diutius licuit, sed rem tamen differre consulto statuimus. Occurrerat pontifici Pisis religionis illius pater,* (Ricciardus abbas generalis) *equumque album pulcherrimum, ut gratiam illius emeretur, dono dederat, sed nihilo ille decessit sententia, id quod nos abbati ipsi amice suggessimus. Cupientem Placidum monachum cubicularium pontificis* (ex Pavanella familia Patavina) *adire nostram eremum, & loca Alverniæ & Vallumbrosæ, impetrata a pontifice missione, deducimus. Is mihi, dum iter ageremus, aperuit, pontificem monasterium nostrum de Rosa prope Senas postulare a me instituisse suggestione sua, & illius applicare religiosis. Verum cum ejusce rei prorsus ignarus ad pontificem ingressus fuissem, incidissetque mentio ipsius monasterii, & me ad ipsum reformandum penitus intentum didicisset ex verbis meis, verbum nullum inde voluisse facere; immo & sibi post discessum nostrum, quidnam egisset, sciscitanti respondisse, quæ nam esset sententia nostra, & inhibuisse verbum inde ulterius fieri. Venimus prima die ad monasterium nostrum sanctæ Margaritæ, susceptique honorifice, postridie priore nostro nos deducente ad Alverniæ montem perreximus, cunctisque lustratis, eadem die Socium venimus, ibique in domo nostra remorati sumus, & sequenti die ad nostrum monasterium Fontis-boni pervenimus. Ibi susceptus a Mariotto nostro Placidus monachus, ex conspectu puerorum nostrorum & ordine, ac disciplina multum ædificatus, eremum petiit, ibique biduum ferme remoratus, eremitas nostros multum hortatus, bene ædificatos reliquit.*

ANN. CHR. 1434.

XI. Quam operam pro componendis turbis civium Bononiensium præstiterit Ambrosius?

HUCUSQUE exemplar ms. Hodœporici, quod contulimus cum eo, quod extat in bibliotheca sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, iisdem ferme diebus, quibus quæ gesta sunt, enarrantur, conscriptum, quod anno 1681. impulsus Antonii Magliabecchii edidit ex bibliotheca Medicea Nicolaus Bartholinus Bargensis clericus regularis congregationis Matris Dei; quo deficiente, Ambrosii actiones ex epistolis dumtaxat ipsius prosequimur. Tertio kalendas julii ex Florentia [a] commendat Guidoni Manfredio Faventino domino monasterium & priorem sancti Johannis-baptistæ ejusdem urbis, ne interea locus invedatur ab alio. Eadem die [b] Michaeli abbati sanctæ Jucundæ scribit, ut graviter, non injuriose tueatur jura sui monasterii. Tertia julii Romæo Foscarario Bononiensi ex Florentia [c] literas dedit adhortatorias, ut paci patriæ studeret. *Audita sunt apud nos*, inquit, *quæ in illa vestra inclyta civitate contigere, factionesque seditiosas & turbulentas ingratis auribus hausi. Pulsos cives fere primarios vidi, alios cæsos mœstus accepi, ecclesiæ legatum a vobis inclusum teneri, & alia, quæ tumultus intestinus excitare solet, indolui, atque eo magis, quod sanctæ matris ecclesiæ filii præcipuo quodam amoris privilegio ista admisistis.* Deinde: *Te oro, vir amicissime atque præstantissime, exeras omnes ingenii vires, quod excellens divino munere accepisti, causamque matris ecclesiæ ac vestræ civitatis*

a *Lib. V. ep. VI.*

b *Lib. XVIII. ep. XXVII.*

c *Lib. IX. ep. V.*

ANN. CHR. 1434.

tatis ita tuearis, ut & filium optimum & patronum singularem, atque invictum propugnatorem decet. Gratulemur per tuam maxime opem atque diligentiam pacem redditam rebus, Bononiamque illam pulcram, illam egregiam, illam nobilissimam in antiquam faciem remeasse gaudeamus, & sub pontificis summi & patris indulgentissimi umbra & protectione acquiescere. Dissipentur tuo in primis studio perniciosæ factiones, quæ urbem populosissimam jampridem ita exhausere civibus, ut civitas fere tota migrasse videatur, & urbs solitudinis ac deserti speciem præseferat. Post hæc scripta se adiisse Romanum pontificem Eugenium, & a quodam ex amicis communibus audiisse illum (Romæum) auctorem in primis novarum rerum, pontificis summi jura non fovere, sed verbo & opere illi adversari, civiumque animos ab ipsius benevolentia abducere. Quæ de ipso vix credit, qui inter mutuos secum sermones verborum constantia Romani pontificis dignitatem tueri perrexerit. Commendat insuper Romæo Innocentium monachum & sacerdotem monasterii sanctæ Christinæ, ut ad lectionem aliquam publico sumptu conducatur. Demum salutat cl. equitem & humanissimum virum Carolum. Die sequenti [a] ad Albertum scribens civiles Bononiæ tumultus cladesque miseratur, & defectionem civitatis a Romano pontifice deflet. Ipsum urget, ut in tanto periculo civitatis partes suas inferat sua auctoritate, quæ in curia & senatu amplissima est, ac revocet cives ad obsequium Eugenii. *Habet enim Bononia eos viros, quibus præter humanitatis totius condimenta Dei timor non desit, eximiaque religionis reverentia. Placet enim omittere, quod plura illic ordinis nostri monasteria sunt, ut necessitas urgeat ipsam civitatem amare, fovere, atque in deliciis habere. Taceo, quod situs ipse amœnitasque ipsius urbis quam grata mihi sit, explicari non potest. Indolui plusquam dici potest, quam nuperrime accepit cladem, cives partim extinctos miseratus, partim fugatos, sed illud gravissimum existimavi, quod Bononienses sanctæ matris ecclesiæ præ ceteris peculiari quadam gratia fidelissimos filios ejus detrectare imperium, ejus decreta convellere renuntiatum est nobis, neque sub pontificis summi gubernatione acquiescere, resque novas & periculi plenas moliri.* Nisi angustiæ rerum prohiberent, scriberet ipse aliis nobilibus. Salutat denique equitem Carolum, & Bornium.

a *Lib. IX. ep. VIII.*

Tertio nonas julii [b] Paulo Venerio gratulatur, quod acceperit chronicon Casinense a se missum. Breviationem Donati accipiet propediem. Multa miscet de ejus monasterio, & de illo sancti Mathiæ. *Ut audisti, pontifex Florentiam venit, summoque cum honore susceptus est. Nos illum ex Pisis sequuti sumus, sermonemque plurimum cum ejus sanctitate de te & de tuo monasterio, ejusque egregia disciplina habuimus. De monasterio sancti Mathiæ ejusque priore multa contulimus, satisque illi displicet tam nobile monasterium meliore capite non regi.*

b *Lib. XIX. ep. XXII.*

Decimo-sexto kalendas augusti [c] iterum Romæo Foscarario scribit, cujus apologiam, quod se non immisceat turbis civitatis, excipit; *neque enim facile probari poterat Romæum, judicio meo, integerrimum, & suæ civitatis inter paucos ferme principem ita potuisse desipere, ut ita saperet, matrisque catholicæ vel fastidiret, vel detrectaret imperium.* Se egisse ejus causam apud pontificem Eugenium *non quidem ita accurate ac diligenter, ut ipse de te fecisses, vir ætate nostra in Oratoria summus, sed bona plane fide, atque ita ut pontifex ipse opinione sinistra, si quam de te conceperat, posita, sponte jerit in sententiam nostram, & te sibi devotum ac summe deditum confessus sit.* Iterum ipsi commendat negotium Innocentii monachi.

c *Lib. IX. ep. VI.*

Eodem

Eodem tempore [a], sed sine mense & die, scripsit Ambrosius Alberto, hortans eum, ut ejus auctoritate, quæ summa est in foro, & in senatu Bononiense, & apud ipsum civitatis principem (Baptistam Canetulum) discutiatur omnis urbis tempestas. Scripserat Albertus injunctam urbi necessitatem per intemperantiam ducis Gattamelatæ cogendi militem infestum quieti, & ecclesiasticæ paci inimicum, eumque non tam libenter, quam necessario a Bononiensibus tolerari, vastantem licet agrum Bononiensem, dum adversas vires per hujus operam frangere liceat; oppida ipsis auferri, jumenta diripi hostili manu, pueros a parentibus abstrahi, eaque omnia fieri post speciosum pacis optatæ nomen. Ad quæ illacrymaverat ipse Ambrosius, qui ipsius (Alberti) literas detulerat legendas pontifici; sed cum eæ veteres essent, aliusque e Bononia venisset nuntius, qui alia detulerat, pontificem miseratum esse civitatem, sed non dubitasse in Bononienses retorquere calumniam, qui huic direptioni materiam præstiterunt, & equos ipsius ducis inceperunt diripere. Adhortatur, ut confirmet Baptistam summum virum & omnem populum ad perseverandum in devotione pontificis, & ad excipiendum legatum missum, & ad amovendum militem Mediolanensis ducis. Se fecisse verba pontifici pro relaxatione ejus nepotis, quem aut dux Gattamelata, aut legatus liberabunt. Salutat Gasparem. Appetere Eugenium volumen quoddam de Chalcedonense synodo vetustissimum, quod eodem Gaspare præsente ipse (Ambrosius) notaverat in bibliotheca conventus fratrum Prædicatorum; & est synodus celeberrima tempore Marciani augusti & Leonis papæ conflata, in qua sexcenti triginta episcopi ex toto orbe confluxere, per actiones digesta, quam sequuntur Facundi cujusdam sanctissimi viri libri XIV. super ipsa synodo. Pontificem ea de re scribere priori & conventui, ut mittant ad se codicem illum legendum, vel etiam transcribendum & restituendum, quem codicem non solum pontifex, sed etiam ipse cupit.

a Lib. IX. ep. X.

Septimo kalendas [b] augusti eidem Alberto significat se deliberando ejus nepote verbum fecisse cum Romano pontifice, ejusque ereptionem a non invito impetrasse, & institisse, ut scriberentur breves literæ pontificiarum copiarum duci Gattamelatæ. Sed cum Bononiam proficisceretur Johannes Vitelleschus a Corneto, vulgo patriarcha Alexandrinus & episcopus Recinetensis, functurus officio legati in ea urbe, & amicissimus sui, satius visum esse commendare ipsum illi; quod & instantissime fecit. Urget iterum negotium convehendi ad Eugenium pontificem pervetustum codicem, ubi gesta Chalcedonensis concilii per actiones digesta continentur cum commento Facundi, quem codicem quis sit, probe callet Gaspar amicus ejus.

b Lib. IX. ep. XI.

Sexto kalendas augusti [c] ex Florentia Mariotto gratulatur, quod prudenter tironibus dispensaverit eleemosynas pontificis. Negotia, quæ ipse agit nomine pontificis, prohibere se, ne eremum petat. Hieronymum de Aleottis Arretinum monachum sanctæ Floræ, qui cupiebat in Fonte-bono sibi adhærere, & ipse secum habere desiderat, cujus ope & studio multum solatii laboribus suis accederet. Clerum exemptum decrevisse non pecunias, sed argentea vasa dare pontifici. Se statuisse immorari in monasterio sancti Salvatoris Florentiæ.

c Lib. XV. ep. XXXVI.

Octavo idus augusti [d] ex monasterio Angelorum Florentiæ Christophoro episcopo Cerviensi summi pontificis referendario mittit supplicationem quamdam monachorum Montis-oliveti. Post biduum [e] Mariotto addit animos, ne pusillanimitate deficiat in instruendis nutriendisque pueris.

d Lib. III. ep. I.

e Lib. XV. ep. XXXVI.

Decima augusti [f] præfato Johanni Vitellesco literis commendat liberationem nepotis prædicti Alberti, quem voce ante commendaverat, cum pro-

f Lib. II. ep. XXIII.

Ann. Chr. 1434.

proficisceretur ex Florentia Bononiam, quoniam ita pontifici Eugenio placebat, qui responderat velle, ut ipse legatus sponte sua in ea re memorato civi gratificaretur, & injunxerat sibi Ambrosio, ut id ipsi legato scriberet. Mulam, quam mutuo ipsi commodaverat, tradendam vult priori sanctæ Mariæ de Angelis. Orat demum legatum, ut salvum-conductum pro inferendis in urbe victui necessariis præstare dignetur monasteriis sanctæ Christinæ, sancti Damiani, sanctæ Mariæ de Angelis & Camalduli Bononiensis. Ipsa decima die [a] ad Jacobum priorem Angelorum de Bononia (de Poetis) scribens refert se omnem operam suam impendisse pro Stephano Poeta nepote Alberti e vinculis eripiendo. Jubet mulam ad se mitti a Recinetense episcopo legato restituendam. Eadem die [b] Albertum monet, se denuo dedisse literas legato pro liberatione ejus nepotis. Commendat ipsi domum quamdam spectantem ad monasterium sanctæ Annæ, quam Johannes-chrysostomus senior amicus suus immodica auctoritate fiduciaque amicitiæ occuparat, gratissimumque sibi facturum, si per ejus opem abjecta inde militari manu recuperabitur. Hæc vero habet de gubernatore a pontifice Bononiam misso: *De gubernatore ad vos misso & a vobis suscipiendo, non equidem illum approbans, quem nunquam satis probavi, sed paci vestræ, immo totius Italiæ consulens, videbam in motu esse omnia, putabamque esse satius pontificis obsequi votis, qui illum præferret virum, quem præter se nemo fere est, qui probet, quam reluctando diutius inexorabili bello initium dare. Verum quid agimus, cum unius arbitrio aguntur omnia, qui sit maxime suæ sententiæ tenax, neque ab ea amoveri facile possit?* Gubernator est vel Marcus Condulmerius missus anno antecedenti, quem inclusum tenebant Bononienses, neque ipsius regimen pati volebant, vel qui missus est anno sequenti, Daniel Scotus episcopus Concordiensis alter pontificis ex sorore nepos; Vitelleschus autem est legatus is, cujus arbitrio omnia agebantur. Demum pietatem Alberti in consulenda pace christiana laudat. Decima-tertia augusti [c] fert ægre legatum nondum liberasse ejus nepotem, immo asserere nihil in mandatis recepisse a pontifice summo de eo liberando. Se continuo curasse, ut Brevia scriberentur super ea re duci Gattamelatæ. Die sequenti [d] hæc Ambrosius ex suo monasterio Angelorum Eugenio Romano pontifici in gratiam Bononiensium scripsit. *Bononiense negotium, ut commendarem sanctitati tuæ, multi & primarii cives vehementer orarunt, quippe in quo, si bene ac rite agatur, consistit Italiæ totius & imprimis civitatis nostræ & tuæ sanctitatis salus, sicuti contra si negligentius tractetur, belli inexorabilis & perniciosissimi seminarium pariet. Videtur plurimis (in quam sententiam & ipse eo) eam rem non vi & armis, sed consilio & lenitate tractandam, non exasperandos Bononiensium animos minis atque terroribus, sed blanditiis mulcendos, promissionibusque, & spe meliori relevandos. Concedendum facile desideriis eorum, & maxime in electione legati non contristandos. Non placet eis, quem sanctitas tua misit; mittat, quem volunt, modo in fide sanctitatis tuæ ac devotione persistant. Dissimulandum est sæpius, Eugeni beatissime, & ubi majoris incommodi periculum imminet, sententia facile decedendum. Nihil magis probatur in principe, quam lenitas, & consiliis salubrioribus acquiescere. Diligo equidem virum illum, quem illuc misit tua sancta dignatio, quoniam abs te diligitur, conatusque sum literis mollire Bononiensium animos, ut eum grate ac libenter excipiant, quod ex literis Alberti, quas ad te misi, advertere potuisti. Sed si illi hunc nolunt, num ideo bellorum tumultu permittendum est, ut quatiatur Italia?... Culpant plurimi hunc hominem, atque ad pacis componendæ studia minus idoneum arbitrantur. Idque nomini tuo* invi-

a Lib. XXII. ep. XVI.

b Lib. IX. ep. XII.

c Lib. IX. ep. VIII.

d Lib. I. ep. VII.

invidiam parit, quod istum hoc tempore hujusmodi functurum munere miseris, per quem timent omnia perturbanda, pacemque desperandam rebus .... Si in Mediolanensis ducis potestatem civitas illa tam singulariter illustris deveniret, certe quam grave scandalum inde concilium sumeret! quam uberem materiam lacessendi, atque invidiosis vocibus carpendi tuam sanctitatem se invenisse gauderet! Audisse se, subdit, cardinalem sanctæ Crucis a Basileense consilio mitti ad sanctitatem suam, & vix quit fraudem hic non suspicari. *Advenit abbas sanctæ Justinæ, tollitur alio colore memoratus cardinalis, tuo præsidentes nomine, & tuæ sanctitatis propugnatores. Quis prohibeat tetrum aliquid adversarios in Dominum nostrum machinari?...* Precatur demum, ut bullam irritare & revo caredignetur inhonestissimam contra Arretinum clerum, qua permittitur, ut clerici carceri mancipentur, graventurque in bonis ecclesiasticis & patrimonialibus, & redditus sollemnes sequestrentur, insuper excommunicentur & suspendantur, & priventur, ut fœneratori cuidam persolvatur certa summa, cujus minutam legerat apud Poggium. Legisse se apud eumdem & aliam minutam, quam sanctitas sua scribit officialibus Montis, inhibendo justissime, ne quid ultra exigere audeant, & insuper quæ post adventum pontificis in Etruriam exegerunt, restituant; cujus clausula Ambrosio videtur a sua sanctitate temperanda, satisque fore, si in futurum abstineant, nisi jam accepta & creditoribus assignata restituant, & hoc pacis servandæ & evitandi scandali gratia; neque debere sibi dissentire sententia, ut vexatoribus Arretini cleri permittat sanctitas sua, quod hujusmodi officialibus prohibet, nempe si discutiantur mercatorum, sive potius fœneratorum libri, reperientur summam principalem bis terque recepisse.

Decimo-quinto kalendas [a] septembris electa a se abbatissa sancti Benedicti de Sancto-Miniato Michaeli abbati sanctæ Jucundæ scribit Ambrosius se per eam electionem nullum velle præjudicium inferre ejus monasterio, cui antiquo jure subjectum est illud sancti Benedicti, sed renuntiatum jampridem in manibus Antonii de Parma sui prædecessoris prioris generalis. Quare commisisse se Dominico abbati Rotensi, ut electam in possessionem induceret. Eadem die [b] Alberto animi sui fluctus indicat Ambrosius pontificem quidem bono animo certe videri, & cupere omnia gratificari Bononiensibus, quod tum ex ore ipsius pontificis didicit, tum ex ore amicissimi viri Galeotti, ingentemque pontifici mœrorem incessisse, quod præter condictum Gaspar Baptistæ Canetuli frater non Florentiam, sed Venetias deductus sit, eamque rem ita tulisse graviter, ut nuncium continuo miserit, qui Florentiam reduceret hominem. Hortatur Albertum, ut magnifici viri Baptistæ componat animum, & meliore ac lætiore spe recreet, malitque vir ille consulto parere pontificiis monitis, quam intus invehere tyrannum infestissimum, qui omnia molitur, ut Bononiam occidentis emporium sui juris efficiat, unde veluti ex arce vexare finitimos possit, & tela in subeuntes intorquere. Baptistam salutat, Albertum vero etiam nomine Mariani Porcii.

[a] *Lib. XVIII. ep. XXVIII.*

[b] *Lib. IX. ep. XIV.*

XII. Scribit episcopo Castellano invasori jurium abbatiæ Burgensis.

Octavo kalendas [c] septembris ex Florentia scripsit Sirobaldo episcopo Castellano, firmiter quidem suaviterque refellens ejus querimonias circa monasterium Burgense. Scripserat episcopus Ambrosio illum ad impedienda ecclesiæ Castellanæ jura exorbitantem commissionem a pontifice obtinuisse, ac secundum curiæ stylum, qui obliteratus est, oportuisse eam illum sibi insinuare quæ si insinuabitur, ipse eo recurret, ubi non est acceptio personarum. Demonstrat autem respondens Ambrosius se non impedire jura ejus ecclesiæ, sed tueri dumtaxat libertatem monasterii, quod habet

[c] *Lib. II. ep. XXIV.*

habet administrationem liberam tam in spiritualibus, quam in temporalibus ex indultis & veteribus privilegiis Romanorum pontificum & imperatorum. Constare ex pluribus chirographis abbatem Burgensem causas omnes tam usurarias, quam matrimoniales ævo jam diuturno judicasse. Patere ex apostolicis literis pontificem summum, cum fratribus Minoribus locum ædificandæ ecclesiæ intra Burgum dare vellet, sine requisitione abbatis Burgensis id non fecisse. Non esse obscurum Bonifacium IX. justis ex causis insertis in suis literis ipsi monasterio jurisdictionem plenissimam confirmasse. Quoad exorbitantiam commissionis emanatæ a pontifice, id hujus injuria dici, perinde ac non licuerit pontifici decernere, quod vellet, immo corrigere, quod negligenter minusque considerate prius emanaverat. Injuriam aliam fieri pontifici Eugenio, affirmando sub ejus pontificatu periclitatum fuisse curiæ stylum, esseque apud ipsum acceptionem personarum. Desiderari vero modestiam in episcopo, qui a sententia, ordinatione ac decreto Romani pontificis appellare ad concilium minatur. Asserebat insuper episcopus Ambrosium venire contra fidem & pollicitationem suam, quam Carolo fratri ipsius, præsente T.. magnifici comitis cancellario, dederat, hoc ipso nimirum anno. Qua in re se tuetur, nihilque a fide & a promissis deviasse ostendit. Postremo non dissentit conferre negotium cum domino Laurentio de Ridolphis. Quid sequutum fuerit, docet anonymus collector monumentorum Burgensium his verbis. *Contra superiores omnes sententias pro episcopo Castellano in abbates Burgi latas defessos potius quam defensos, clementia summi pontificis Eugenii IV. qui dum in minoribus constitutus extiterat, ejus causæ naturam juraque utriusque partis in prima sibi facta delegatione cognoverat, tandem restitutionem abbati Paschasio per indultum concessit, & domino sancti Sixti hujusmodi restitutionis causam delegavit. Cujus quidem restitutionis cum episcopus ipse non esset ignarus, captato tempore, quando non aderat, qui defenderet, ex cancellaria executoriam, inde compulsoriam traxit, quibus fretus monasterii & Burgi-sancti-Sepulcri antiquissima jura occuparet. Et inhibitione sibi a domino sancti Sixti facta, ad concilium Basileense, quod eisdem temporibus peragebatur, appellavit, atque in contemptum sedis apostolicæ post sibi præsentatam inhibitionem jus ordinarii in ipso Burgo exercere conatus est, favente sibi Francisco de Battifolle comite Puppii, qui tunc Burgi-sancti-Sepulcri vicem Nicolai Fortebrachii, cui Burgus ipse emphyteutico jure concessus erat, obtinebat. Comes autem ille Simoniaca pravitate corruptus Sirobaldo episcopo Castellano aditum & ingressum in Burgo permisit. Cum autem episcopus ipse Burgum applicuisset, furtiveque ingressus fuisset, illico tumultu populari subrepente, cum jam manifestus esset episcopi adventus, non sine magna sui ignominia ex Burgo ejectus est. Neque multo post cum ad Romanam curiam Florentiæ degentem se personaliter contulisset, suorum omnium demeritorum pœnas luit, depositus ab episcopatus dignitate, juxta illud prophetæ psallentis:* Et episcopatum ejus accipiat alter, (id serius contigit anno 1440. vel 1441.) *sed nec Franciscus de Battifolle comes fautor ejus jam pœnas effugit, secundum illud ejusdem prophetæ psallentis:* Nutantes transferantur filii ejus & mendicent, & ejiciantur ab habitationibus suis. *Deposito vero Sirobaldo ex merito successit Rodulphus iste, qui nunc episcopus Castellanus vivit, & morum ac vitæ integritate & honestate præpollens. Is cum assumptus ab Eugenio extitisset, quæsivissetque ab eo pontifice jurisdictionem Burgi-sancti-Sepulcri assequi, audire ex ore pontificis in ea re meruit: Ausculta fili, satis habes, si vitam tuam sub silentio in hac molestia quietam duxeris.*

SEPTI-

ANN. CHR. 1434. XIII.

SEPTIMO kalendas septembris [a] Christophoro episcopo Cerviensi scribit se crastina die cum eo loquuturum, & collaturum quædam, quæ vehementer affligunt animum suum. Die sequenti [b] eidem mittit supplicationem cleri Arretini orans, ut quod inique per subreptionem constitutum est, revocetur. Commendat ei hospitalia Lemmi, & domini Bonifacii, quorum causa sibi commissa fuerat inspicienda, ut pontifex ea ab imposito onere relevet, & immunia esse decernat, præsertim quia sibi ea ipsa commendata fuerant a ministris dominorum civitatis. Quarto nonas [c] septembris eidem Christophoro scribens instat revocari bullam adversus Arretinum clerum emanatam, cujus cleri vicarium commendat: Tertio nonas [d] iterum Eugenium Romanum pontificem orat, ut submoveat fœneratorum vexationem a clero Arretino, cum per delegatum a sanctitate sua virum sane integrum, Petrum de Casatiis, posito calculo declaratum sit ac definitum clerum Arretinum nihil homini illi fœneratori debere; ita etiam ut moderetur clausulam illam bullæ missæ ad officiales Montis. Denuo Bononiense negotium inculcat, ita ut legatum juxta cor illorum eis tribuat, eum tamen, qui sanctitati suæ sit fidelis. Indulgeat Baptistæ, (Canetulo) quæ velit, & plura etiam quam poscat. Se hodie Senas proficisci mandatum suæ sanctitatis strenue exequuturum. Ea ipsa die [e] precatur Christophorum Cerviensem episcopum, ut precibus suis pro Arretina re pontifici oblatis favere velit; negotium vero ineundæ pacis inter Galeottum de Canetulo & Johannem Grifonem juniorem, quia plenum laudis est, orat, ut pontifici suggerat. Die octava [f] septembris nota vult pontifici per eumdem Christophorum gravissima negotia, scilicet cardinalem Franciscum camerarium pontificis nepotem e custodia eripiendum, & sancti Angeli castrum restitutum iri, modo arx ipsa Romano cuipiam viro tradatur, pontificis ac Romanorum nomine habenda, idque opera Stephani Porcii equitis Romani, & tunc prætoris Senensis, ad quem alloquendum jussu pontificis ipse Ambrosius Senas mox perrexerat; quare Christophorum precatur, ut hæc pontifici suggerat, ne veniens postea ipse Stephanus, ignorantem ea super re pontificem inveniat. Scribit insuper eidem Christophoro, se heri congressum fuisse cum episcopo Recanatensi, & cum de Bononiensi negotio sermo ortus esset, obstinatissimum illum in ea sententia reperiisse, melius esse dicentem Bononiam amittere, quam Bononiensium postulatis accedere; invasisse vero se lethalem sudorem, quod hujusmodi consiliis pontifex innitatur; offendisse postea Galeottum Canetulum animo multum commotum, eo quod nihil præter verba retulisset, & delusus vehementer esset; si pontifex vellet, bene successura omnia, & Canetulos non futuros dissidii auctores, nisi necessitate compulsos. Hac ipsa die ipsum Galeottum accersitum a fratre ante lucem Florentia Bononiam versus abscessisse. Ea proinde die [g] ad eumdem Galeottum literas dedit Ambrosius tristis, quod re infecta abiisset, ipsumque oravit, ut Baptistæ fratri pacem suaderet, ejusque animum averteret a duce Mediolanensi. Similes dedit [h] ad Albertum dolens pontificem non fuisse proniorem in Canetulos. Obsecrat, ut Canetulos revocet ab amicitia ejusdem ducis Mediolani. Aliqua refricat de ejus nepote Stephano nondum liberato. Addit, *si non placet legatus, intercessione Florentinorum alium postulent Bononienses a Romano pontifice*. Quarto idus septembris [i] iterum Ambrosius Christophoro episcopo commendat, ut Stephanus Porcius facilem habeat aditum ad pontificem, qui illi vigesimam-primam hujus diei horam pro alloquio statuerat. Post biduum [k] eumdem orat, ne Stephanus, qui tertio jam venerat, neque pontificem alloqui potuerat, inanis redeat, cum crastina

Agit pro liberatione cardinalis nepotis Eugenii IV.

a *Lib. III. ep. II.*
b *Lib. III. ep. III.*
c *Lib. III. ep. IV.*
d *Lib. I. ep. VIII.*
e *Lib. III. ep. V.*
f *Lib. III. ep. VI.*
g *Lib. IX. ep. XIX.*
h *Lib. IX. ep. XV.*
i *Lib. III. ep. VII.*
k *Ibid. ep. VIII.*

Ann. Chr. 1434.

ſtina die ſit receſſurus, quia non plus induciarum acceperat a dominio Senenſi. Inſtat, ut audiatur, ne & camerarius cardinalis nepos pereat, & pontificis rebus peſſime conſulatur. Eadem die [a] cupit ſcire, an emollitum ſit cor pontificis, ut nepotem ſalvum velit, mittit inſuper ad ipſum epiſtolam quamdam ſuam agentem de morte Hieronymi fratris. Die ipſa [b] dolet Porcium infecto tractatu abire, eo quod prope definieritpontifex ſe nolle ulli Romano caſtrum ſancti Angeli tradere, quia hoc jampridem Romanis poſtulantibus denegavit. Spei tamen ſcintillam ſupereſſe, eo quod ſubjecerit recogitare ſe velle; orat itaque Chriſtophorum, ut una cum abbate ſanctæ Juſtinæ ſalubrius conſilium ſuggerat pontifici, præſertim cum Romani elati vehementer ſint, eo quod ſuperiores evaſiſſe videantur, fœderati inſuper duci Mediolanenſi, & concilii auctoritate freti, Nicolaumque habentes exercitus ducem pro nihilo potentiam pontificis faciant. Stephanum dolere rem ex voto non ſucceſſiſſe, quia majora & digniora poſt hunc primum tractatum aggredi ſtatuerat. Duodecima ſeptembris [c] Albertum admonet pontificem paci cum Nicolao Piccinino, vel cum Mediolanenſe duce ineundæ operam dare. Queritur de dilata nepotis liberatione. Improbat conſilia pontificis ſibi male conſulentis, quæ ſunt a Porciorum conſiliis aliena. Idibus ſeptembris [d] ex monaſterio ſancti Salvatoris Florentiæ committit Dominico abbati Rotenſi, ut abbati ſanctæ Jucundæ defuncto juſta perſolvat. Vigeſima-ſeptima ejus menſis [e] ſignificat Chriſtophoro epiſcopo ſe non appetere neque negotium Bononienſium tractare, neque profectionem ad illos, otiique potius eſſet appetentiſſimum; juſſum tamen potiuſquam ultroneum id aggreſſurum, ſi pontifici videbitur.

a Ibid. ep. IX.
b Ibid. ep. X.
c Lib. IX. ep. XVI.
d Lib. XVI. ep. XLV.
e Lib. III. ep. XI.

XIV. Varii argumenti epiſtolæ Ambroſii ad annum 1434. ſpectantes.

Trigesima ſeptembris [f] Bartholomæo de Viarana ſcribens, ejus filium recens natum (Thaddæum) in ſuum ſuſcipit. Kalendis octobris [g], cum Albertus Bononienſis ſibi commendaſſet fratres Birgittanos, dolet operam ſuam, quam pro iis impendit, incaſſum ceſſiſſe. Canonicos regulares ſancti Salvatoris homines religioſiſſimos quidquam non debere metuere, cum pontificis animus ita ſit obfirmatus, ut nullius conatu vel improbo ab inſtituto poſſit avelli. Multa eſſe, quæ pontificem diſtrahunt, multa, quæ ſpem ſuggerant. Non excidiſſe ſibi nepotis ejus liberationem, ſed eam commendaſſe Juliano Riccio archiepiſcopo Piſano amiciſſimo ſuo, qui mittebatur a pontifice ad ſervanda caſtella Bononienſis agri. Quarto nonas octobris Mariotto ſcribit [h], camerarium Fontis-boni debere officio abſolvi. Ipſa die [i] Dominicum abbatem Rotenſem confirmat bona ſpe Rodulphum Piruccium, quem ante ejus relegationem diutius alloquutus fuerat, & admonuerat, ut monaſterii Rotenſis ſcripturas reſque vellet reſtituere, ſe præſente mandaſſe filio ſuo canonico, ut ipſas redderet. Die ſequenti [k] Chriſtophoro Cervienſi negotium Olivetanorum monachorum commendat. Ipſa die [l] Mariotto de re domeſtica, nonis octobris de Stephano puero, & ſexto idus de camerario non amovendo ſcribit. Decimo-ſeptimo Kalendas novembris [m] ex monaſterio ſancti Salvatoris cum exorta fuiſſet in monaſterio Angelorum Florentiæ animorum diſſenſio, ſummi pontificis Eugenii auctoritatem ad factioſum monachum inde removendum implorat. Scilicet proxime acceſſitus fuerat Ambroſius ab ampliſſimo civitatis magiſtratu, ut eumdem expelleret. Id non eſſe ſuæ facultatis reſpondit, quod monaſterium ipſum haberet exemptionem propriam, ne quem inde amovere, aut ibidem collocare ſuo arbitrio prior generalis, qui foret pro tempore, poſſet. Ea autem eſt exemptio quibuſdam aliis articulis a fundatore monaſterii (Guittone Arretino) cum eo, qui tunc erat ordinis princeps (Frigdiano priore generali) de conſenſu eremitarum facta,

f Lib. X. ep. V.
g Lib. IX. ep. XVII.
h Lib. XV. ep. XXVII.
i Lib. XVI. ep. XLVI.
k Lib. III. ep. XII.
l Lib. XV. ep. XXVIII. XXIX. & XXX.
m Lib. I. ep. XVIII.

cta, & post annos plurimos a capitulo generali firmata, contra quam ipse venire nequiret. Eo responso frustrati domini civitatis postularunt, ut Ambrosius illuc profectus monachis persuaderet blande factiosi hujus amotionem. Se id fecisse ingrate, & saniorem quidem congregationis partem inquietum, tumidum & scandali auctorem monachum abire cupiisse, alios vero tuitos ipsum fuisse, seque insimulatum quasi auctorem ejus ejectionis, furente, qui amovendus postulabatur. Quare ab Eugenio petit tolli conditionem illam tunc utiliter intervenientem, cum fundatum fuit monasterium, & per quam servabatur perpetua clausura, ita ut arbitrium haberet generalis monachos inquietos de loco movendi. De cetero subdit monasterium illud centesimum jam & quadragesimum annum a suis principiis in summa religione vivere, & perpetuo vivere vehementer se cupere. Addit, se accersivisse ex Arretio monachum, qui mature sit adfuturus, quique calculum ponet archiepiscopi Florentini. De hac re anno sequenti. Eadem die [a] literas hasce suas pontifici reddendas instat, bullamque expediendam, scribens Christophoro Cerviensi. Postera die [b] ex Angelorum monasterio agit apud eumdem officiis suis, ut Petrus Legionensis clericus nobili in patria sacerdotio honestetur, qui erat propinquus cardinalis sancti Petri ad Vincula protectoris ordinis. Duodecimo Kalendas novembris ex sancto Salvatore [c] Mariotto scribit de rebus domesticis. Nono Kalendas novembris [d] Eugenio occupatissimo gravissimis negotiis per literas significat, quid necessarium sit pro restituenda in Vallumbrosano, quem de ejus mandato visitaverat, ordine, religione, caput scilicet sanum & vivum, & licet ægrum non sit caput, vivum tamen sensum habere debere, quo mortua membra vivificet. Hinc post triennium Placidus Pavanellus monachus pontificis cubicularius Vallumbrosanis præfectus. Trigesima ejus mensis [e] eidem Eugenio rationem reddens visitationis monasterii ordinis sancti Hieronymi factæ a se una cum abbate sanctæ Justinæ asserit, visitato monasterio, & exploratis secretius illic habitantium votis comperiisse eos, qui supersunt, integræ ætatis & mentis, communi studio reformationem expetere, licetque illi juxta sibi traditam normam religiose & regulariter vivant, tamen eam ipsam regulam, suorumque paucitatem expavescere, & communiter hujus esse sententiæ, ut vel priori religioni suæ, unde abscissi per inanem, & fere dixerim, superstitiosam novitatem unius fratris Lupi (Hispani Hieronymianorum congregationis cujusdam institutoris) præsumptione sunt, reinserantur auctoritate pontificis, vel certe alteri arctiori aut pari religioni uniantur. Hæc ferme omnium sententia fuit, licet non defuerint, qui patri generali nuntiandum putarent, ne sua sponte deseruisse monasterium, atque inde migrasse viderentur. Sterilem religionis suæ vulvam & fuisse & esse testantur, adeout neminem, nisi Hispanum vel Germanum susceperit unquam, eosque brevi numero, & fore adhuc magis sterilem timent, ut monasterio ipsi supplementum sit aliunde quærendum necessario. Subdit se memoria tenere ante plures annos eum, qui tunc monasterio præerat, quum de Hispania sibi fratres mitti suppliciter ac sæpe postulasset, nunquam fuisse exauditum. Suggerit proinde pontifici, ipsumque supplex orat, ut abbati Florentino Gometio illud monasterium utiliter omnino conferat, quia angustiantur immodice famuli Christi, pluresque jam sunt, quam ut eos capiat monasterium vel capacissimum. Ipsum Hieronymianorum cœnobium est Camporeense, quod adjunctum fuit monasterio seu abbatiæ sanctæ Mariæ de Florentia, de quo ejusque initiis aliqua diximus tomo V. horum Annalium. Eadem die [f] significat Christophoro Cerviensi se alloquutum fuisse Græcos, an scilicet annuerint Basileensi legato,

a Lib. III. ep. XIII.

b Ibid. ep. XIV.

c Lib. XV. ep. XXXI.

d Lib. I. ep. XXIX.

e Lib. I. ep. X.

f Lib. III. ep. XV.

Ann. Chr. 1434.

gato, an ex ſententia propria dixerint modum reducendi Græcos nullum ſupereſſe, niſi per concilium. Quod utrumque conſtantiſſime negant; orarunt quinimmo ſe, ut ipſe eos purgaret apud pontificem. Neſcit tamen, an tertius illorum quidquam hujuſmodi loquutus fuerit, & fieri poteſt, illum verba feciſſe de ſynodo Conſtantinopoli habenda juxta decreta pontificis. Die ſequenti [a] eidem ſcribit ad paucos dies ſe eremum contendere; interea orat, ut conficiantur bullæ quædam. Iterum purgat Græcos, ne animus pontificis adverſus ipſos inſontes commoveatur. Nonis novembris [b] reverſus ex eremo ait ſe audiſſe cardinales ſancti Petri ad Vincula & ſanctæ Crucis cras Urbem ingreſſuros; quod tamen confirmari ab ipſo cupit, quia juſtis de cauſis illis obviam ire deſiderat. Hauſiſſe præterea in itinere lætos rumores Romam in ditionem pontificis veniſſe pleno jure, cardinalemque camerarium triumphare, qui hactenus afflictus & mœrens fuit. Quarto idus novembris ex Florentia [c] manifeſtat Mariotto pontificem maximum in illum clementem, & Placidum ejus cubicularium faventem illi & tironibus in Camaldulenſi monaſterio degentibus. Idibus ejus menſis [d] Chriſtophorum orat, ut a pontifice ſibi impetret ſignaturas cujuſdam ſui libelli ſupplicis contra improbitatem quorumdam, qui ignota ſibi debita appingebant, alterius quoque ſupplicationis indulgentiæ pro monaſterio religioſiſſime vivente. Decimo-ſeptimo Kalendas decembris [e] conqueritur adverſus Arretini cleri exactores, cauſamque commendatam vult Danieli Scoto epiſcopo Concordienſi, & utriuſque ope pontifici.

Quinta-decima novembris [f] a Bernardo abbate Volaterrano ſubſidia exigit pro celebrando anno ſequenti capitulo generali. Vigeſima-prima [g] ex Florentia gratulatur Alberto Bononienſi de nepote liberato, gratiaſque illi agit pro præſtita opera ad recuperandam domum monaſterii ſanctæ Annæ. Decimo Kalendas decembris [h] Chriſtophori Cervienſis judicio & poſtulationibus obſequens mittit ei aliquot epiſtolas ſuas non modo graviores, & de rebus ad Chriſtianam pietatem facientibus agentes, verum familiares quoque & nihil ferme ſerium continentes. Si quas dignas, ipſe judicaverit, quæ redigantur in codicem, facultatem facit. Denuo commendat Petrum Legionenſem clericum canonicatum in patria poſtulantem. Pridie kalendas decembris [i] Pieram *de la Caſa* monialem Florentinam inſtituit in abbatiſſam ſancti Johannis-evangeliſtæ de Buldrone extra Florentiam in locum Matthææ de Aliis. Kalendis autem decembris [k] alias epiſtolas ſuas recens ſcriptas mittit Chriſtophoro. Commendat ipſi negotium uniendæ principali monaſterio cujuſdam eccleſiæ, præſertim cum in eo monaſterio deſit honeſta habitatio, in qua remorari prior poſſit. Ceterum capitula generalia ordinis Burgenſe & Britonorienſe plures locorum uniones ſtatuiſſe, ſed has eremitis & univerſo ordini fuiſſe moleſtas, non ſpernenda ratione, quod loca dicta a fundamentis ordinis permanſerint ſeparata, ut condita fuerant, & quod temerarium ſit velle unire, & diviſa conjungere, cum præcipue ſingula monaſteria ferme polleant privilegiis propriis, & neceſſarium ſit, quæ uniuntur monaſteriis ceteris, deſeri, itaut in eis non ſit habitator, officiaque divina deficiant contra conditorum mentem & intentionem, qui idcirco monaſteria ipſa ordini applicuerunt, ut cultus ſacer in eis perpetuo vigeret. Quod ſi in contrarium allegatur, in monaſteriis, ubi duo vel tres habitant ſoli, non poſſe regulariter vivere, reſpondetur, de hujuſmodi quoque conſtitutiones ordinis providere; & ſi integra regularis obſervantia in ceremoniis obſervari non poteſt, quæ tamen ſunt ſubſtantialia, etiam ſingulos poſſe ſervare. Quas rationes placet ſibi cum illo conferre, quia veras & probabiles. Ea die [l] ſcripſit ad Bornium

a Ibid. ep. XVI.
b Ibid. ep. XVII.
c Lib. XV. ep. XXXII.
d Lib. III. ep. XVIII.
e Ibid. ep. XIX.
f Lib. XVI. ep. XXXIV.
g Lib. IX. ep. XVIII.
h Lib. III. ep. XX.
i Lib. XVIII. ep. XXXIV.
k Lib. III. ep. XXI.
l Lib. IX. ep. XX.

nium Salam Bononiensem amicum suum, cui pollicetur manu Nicolai Nicolii perferendum volumen a se traductum Diogenis Laertii, admonendo Nicolaum officiosissimum promissionis suæ. Ingemiscit cum ipso, quod Bononia pontificis arbitrio se non permittat. Adhortatur, licet sponte is feratur, ad pacem & ad ecclesiæ Romanæ auspicia ferenda. Ipsa die [a] Romæo Foscarario pandit animum suum ad internæ quietis studia procul a mundanarum rerum strepitu anhelantem. Hinc descendit ad turbas, quæ Bononiensem urbem vexabant, proposita civitatis felicitate, si subire vellet Romanæ ecclesiæ subjectionem. Se instituisse venire ad eos, nisi occupationes variæ obstitissent; venturum tamen fortasse subdit. Salutat Baptistam Canetulum, Guasparem ejus fratrem & Albertum. Eadem die [b] excitat Paulum Venerium sancti Michaelis abbatem ad opem præstandam dejectis rebus monasterii sancti Mathiæ; ipsum eximit a solutione collectarum, comitia tamen prope habenda decernit mense majo anni sequentis. Francisco etiam Sandello die ipsa [c] scribit, ut commodet mulam, quam tenet episcopus Vicetinus, Hermolao Barbaro. Demum ea die [d] Angelum priorem sancti Mathiæ hortatur, ut resipiscat. Tertio nonas decembris [e] flagitat a Christophoro Cerviensi, ut remittat ad se epistolas suas ab illo transcriptas, castigandas. Eidem die sequenti [f] mittit alias hinc inde collectas. Illam tamen, quam ipse Ambrosius scripsit cardinali sancti Angeli, pontifici, si videbitur, legendam tradat. Hac postrema die [g] Francisco Sandello scribens defendit, quæ ipse gesserat in monasterio sancti Mathiæ contra ejus priorem. Septimo idus decembris [h] dispensationem petit a Christophoro obtineri pro irregularitate cujusdam clerici Ferrariensis. Eidem significat, nono kalendas januarias [i] obtinuisse a pontifice indulgentias in articulo mortis personis decem, & quatuor locis religiosis. Quarto Kalendas [k] ipsi scribit se valetudinis gratia secessisse extra urbem Florentiam ad monasterium sancti Benedicti. Literas se accepisse a Francisco Barbaro prætore Veronense impendio commendantes causam religiosorum sancti Georgii, & orantes, ut postquam a sententia injuste contra se lata provocarunt in facto ecclesiæ sancti Vincentii Vicetinæ diœcesis, cognitio causæ ipsius delegetur Antonio Zeno celebri juris-consulto vicario episcopi Patavini. Precatur Ambrosius Christophorum, ut se commendet pontifici & cardinali Veneto amantissimo, quem videre & salutare avet. Post biduum [l] eumdem interpellat, ut stipem Græcis consuetam erogandam curet.

ANN. CHR. 1434.

a *Ibid. ep. VII.*

b *Lib. XIX. ep. XXIII.*

c *Lib. XX. ep. XV.*

d *Lib. XXI. ep. XIII.*

e *Lib. III. ep. XXII.*

f *Ibid. ep. XXIII.*

g *Lib. XX. ep. XVI.*

h *Lib. III. ep. XXIV.*

i *Ibid. ep. XXV.*

k *Ibid. ep. XXVI.*

l *Ibid. ep. XXVII.*

XV. Aliæ sine nota diei & mensis.

CARENT nota mensis & diei sequentes epistolæ. Sebastianum abbatem Camalduli-Florentini [m] mittit ad summum Florentinorum magistratum, ut opem ab eo petat, ne in Socii Camaldulensem domum militum manus inducatur, cum sacra eremus nulli subdita & Florentinis dumtaxat commendata jure vivat suo, neque alia sit Camaldulensis eremi conditio, quam conditio vicinorum comitum; alias se pontificis auxilium impetraturum, præsertim cum principes civitatis ante id temporis scripsissent ad commissarium, ne id fieret, sed milites eorumque duces minime paruerant. Ex Pisis & ex nostro monasterio [n] octo mensibus postquam ex Venetiis redierat, scribit eidem circa monasterium Buldronense reformatione indigens. Ex nostro monasterio Lucam priorem Angelorum [o] redarguit ob sacras vestes ecclesiæ venditas, irritam decernens, quam fecerat prior se irrequisito, alienationem. Agit in eadem epistola de sororibus monasterii [p] sanctæ Apolloniæ, quibus vendendum sericum. Ex monasterio sancti Michaelis Arretii [p] scribit Mariotto, cui paulo ante scripserat ex Burgo, inde vero moverat versus Arretium, ubi ceperat visitationem.

m *Lib. XVII. ep. XV.*

n *Ibid. ep. XXXVIII.*

o *Lib. XIV. ep. XI.*

p *Lib. XV. ep. VIII.*

XVI. Johannis Lamolæ, & Pauli Sarzanensis literæ ad Ambrosium.

JOHANNES Lamola Venetias profecturus consilium & commendatitias lite-

ANN. CHR. 1434.

literas poscit ab Ambrosio. Florentiam hic se receperat ad studendum linguæ Græcæ, nunc autem consultus a Carolo Marsuppino Arretino lucri gratia Venetias adibat, ubi bis fuerat Ambrosius. Scripta est Lamolæ epistola ad Ambrosium ex Florentia [a] die XXI. martii. Extat & Panormitæ [b] epistola ad eumdem Johannem Lamolam, ut relictis Carolo Arretino & Ambrosio, ad se pergat. Ad hunc eumdem annum spectat Pauli Sarzanensis epistola [c] ad Ambrosium, qua summis laudibus extollit ejus versionem operis Chrysostomi in vituperatores vitæ monasticæ. In ea hæc habet de Ambrosio. *Singularis tua disciplina tam Latina, quam Græca, tua morum sanctimonia, tuæ denique & quidem egregiæ virtutes, ut eos, qui nunquam te viderint, te & ament, & abs te amari concupiscant, alliciunt. Cum paulo ante, mi pater optime, egregium illud beatissimi Chrysostomi opus, quod ex Græco Latinum fecisti, contra monasticæ vitæ derogatores, forte quadam in religione literis venustissimis depictum offenderem, non, ut fit, codicis initium lectito, Ciceronis continuo, aut cujuspiam prisci clarissimi viri opus putavi. Inter legendum lætitia summa, immo incredibili voluptate afficior; tum quod transcribi certum erat, tum quod etiam in ea Latinitatis suavitas, summa vocabulorum proprietas, sententiarum gravitas, visque dicendi singularis, ac denique, quod antiquius est, via optima ab bene beateque vivendum inerat. Redeo tandem ad primos codicis margines; tuam nominis conspicor imaginem, quæ mihi ignota erat. Iter confestim ad prioris thalamum habeo, quo hac de re certior fierem, qui nomine Thophilus appellatur, vir summa religione ac singulari bonitate refertus, patria Venetus, insigni opere, ut ajunt, natus. Ubi certior factus sum, multo magis quam prius, gaudio afficior, cum & codicem, & te scriptorem jam habere mihi in animum duco. Proinde cujus in manu est, humanitatem oro atque obsecro, per suam religionem, per Deum immortalem, per omnes Sanctos, ut mihi codicis copia fiat. Is mihi ita liberaliter inservit, ut summa cum vehementia & vehementer rogo, & codicem mea manu transcripsi, non librariorum peritia fretus, quod mihi & anima, & voluptas est singularis. Eum principis Mantuæ liberorum præceptori magistro Victorino viro singulari & optimo inspiciendum dedi. Is continuo, ut ego (nequeo ardentius dicere) ejus amore captus est. Postulat copiam, daturque; quod lubens feci, tum ut homini audirem, tum etiam ut & tam egregium opus & nomen tuum seminaretur. Is principis liberis & potissimum cuidam adolescentulæ Latinis Græcisque satis eruditæ legere velle ajebat. Te, ut ex suis intellexi verbis, singulari benevolentia complectitur, immo te Deum in terris mortalem prædicat. His hactenus. Ad te plura non exaro; nam te visere institui. Vale, me tibi vehementer commendo.* De Paulo Sarzanense hæc habet ante aliquot annos Ambrosius in epistola ad Cosmum [d]: *Adolescens quidam plane eruditus atque humanus, quippe qui Guarini auditor fuerit, sese huc contulit ediscendæ Græcitatis causa, substantia tenui, & cui opus sit aliena ope sustentari. Appellatur Paulus Sarzanensis, celebris sane, quantum conjicio nominis, qui pedagogi se se in ordinem transferre vult, ut victum habeat;* quem proponit Cosmo institutorem filii ejus Petri. Thophilus sive Theophilus prior monasterii sancti Benedicti de Mantua ex patricia domo Veneta Michaelia obierat anno 1431.

a *Lib. XXIV. ep. LXV.*
b *Lib. XXV. ep. XV.*
c *Lib. XXIV. ep. LXIII.*
d *Lib. VII. ep. I.*

XVII. De templo Scholariorum penes monast. S. Mariæ-angelorum de Florentia.

DE templo Florentiæ inchoato hoc anno apud monasterium sanctæ Mariæ Angelorum hæc exscribimus ex Fortunio, qui rem a sua origine repetit. „ Eodem seculo, anno videlicet 1424. Matthæus Scholarius „ civis Florentinus eques miles strenuus Ambrosii virtuti plurimum lau„ dis ascribere cum fratribus solitus suum condidit testamentum manu

Chri-

Ann. Chr. 1434.

" Christophori a Laterino notarii die XXIV. martii, in quo hæredem insti-
" tuit Philippum cognomento Spanum illustrem comitem Themisunni re-
" gni Hungariæ suum fratrem, cum onere construendi cœnobium ordinis
" Camaldulensis pro ampliando monasterio Angelorum, & si non esset hæ-
" res, executores hujus suæ ultimæ voluntatis consules artis Mercatorum
" Calis-malæ Franciscæ ordinavit. Post hæc cum cepisset per se ædificare
" ipsum cœnobium in villa sua Titiana sub titulo sanctorum Antonii &
" Juliani, contigit eum in Hungariam proficisci, ubi novo condito testa-
" mento anno 1426. XIII. januarii rogavit ipsum Philippum hæredem, ut
" ceptum monasterium in Titiano perficeret, & si impediretur, negotium
" ad consules Mercatorum, ut supra, pertinere voluit; manu Johannis An-
" dreæ de Parentha presbyteri Agriensis notarii. Per eos dies Andreas Phi-
" lippi Renzii Scholarius episcopatum Varadini Hungariæ obtinebat, qui
" cœnobii Angelorum propter virtutem Ambrosii propaginem aliquam pa-
" riter videre cupiebat. Quapropter impetrata licentia testandi a sancta
" sede apostolica, & ipse quoque condito testamento Philippum Spanum
" sibi hæredem instituit, ejusque pariter commisit fidei, ut in quodam
" suo fundo alterum conderetur cœnobium secundum observantiam mona-
" sterii Angelorum, & si quid oriretur impedimenti, ipsos itidem con-
" sules artis Mercatorum executores testamentarios notavit, manu Tho-
" mæ de Perna clerici conjugati & notarii Transilvani. Adivit Philippus
" utramque hæreditatem ultimo novembris, sed eam Philippo, Johanni
" ac Laurentio fratribus & filiis Raynerii Lippi Scholarii donavit cum one-
" ribus & honoribus; manu ejusdem Thomæ; confirmatque eam donatio-
" nem Sigismundus imperator die ultima decembris anni insequentis. In-
" terea consules Mercatorum in utraque hæreditate sese immiscuerant, ma-
" nu Francisci Guardii scribæ artis. Animadvertentes vero bona hæredi-
" tatis ad ædificationem duorum monasteriorum non sufficere propter multi-
" plicia legata, impetrant apostolicam licentiam, ut voluntates testantium
" in ædificatione unius tantummodo cœnobii exequi possint, interceditque
" decretum majoris magistratus civitatis die XX. decembris anni 1427. Igi-
" tur consules palatium Matthæi equitis situm in vico sancti Proculi fabricæ
" monasterii adjudicant pro ejus dote die X. decembris 1429. Tradentes vero
" deinde Philippo donatario hæreditates illas petenti tam nomine suo, quam
" fratrum, quique obtulit se paratum onera persolvere, annuit magistratus
" libenter ea lege, ut solveret arti florenos quinque millia auri pro monaste-
" rio construendo, dimidium videlicet infra sex menses, residuum vero infra
" sex annos, sextam quolibet anno, & pariter expensas factas Romæ pro
" obtinenda unione & litis motæ contra consules per episcopum novum Va-
" radini. Cum autem negotium ædificationis variis rebus urgentibus nul-
" lum sortiretur effectum, anno 1434. urgente rem Ambrosio generale,
" impetratur apostolica auctoritate, ut monasterium in insigne templum ver-
" ti liceat, emuntque consules a monachis Angelorum solum horti in com-
" pito Campaccii, qui emptus fuerat a filiis Johannis Andreæ Lippi, cum-
" que necesse esset occupari viam communem pro platea templi, permit-
" titur id fieri decreto officialium Turris, cum declaratione, ut nulli om-
" nino hominum ibi unquam ædificium ponere liceat. Porro inchoato tem-
" plo, jactis fundamentis, dum opificium in altum protenditur, supremus
" magistratus civitatis pecunias mutuo acceptas usibus publicis adjudicat,
" & fabrica imperfecta remanet, ut cernitur, usque ad annum 1503. Quo
" demum tempore instantibus monachis, tectum superponitur, statuitur-
" que, ut consules ter in anno, scilicet singulis exactis quatuor mensibus,

 " anni-

Ann. Chr. 1434.

„ anniversarium pro animabus ipsorum testatorum ex pecuniis, quæ superfuerant, in templo Angelorum fieri curent sumptibus artis, divinisque intersint officiis &c.

Sicque duo monasteria, quæ vigore hæreditatis construi debebant, redacta sunt ad templum imperfectum, quod etiam describit idem Fortunius his verbis. „ Porro templi positio admiranda fuit, utpote quæ Philippi Brunelleschii insignis architecti graphis extitit. Voluit quippe templum construere, quod inferius formam octangularem præseferret tantæ magnitudinis, ut ab una ad aliam parietum faciem esset spatium cubitorum XXIX. & ab angulo ad angulum XXXI. & cuique faciei inesset sacellum ovatum seu capella latitudinis ulnarum decem & unius quarti, ex quarum latitudine pateret aditus ex uno in aliud sacellum per januam unius cubiti cum dimidia vel circa. Erigens se a terra ipsa moles protendi debuit in altum cubitos XLVI. cum dimidio ad perveniendum e terra ad lanternæ usque oculum. Capellæ columnis ac parastadibus cubitorum decem & trini quarti ornatæ mirum spectaculum exhibent, extolluntque se a primo pavimento ad suam majorem altitudinem cubitos duos ac viginti. Ab exteriori autem templi parte intentio ingeniosi architecti fuit, ut compositis in duplum parietum faciebus, idest in parteis sexdecim ederetur nisi perfectum, saltem ex parte rotundum ædificium, in cujus binis quibusque faciebus unitis vacuum remaneret, ut majori studeret pulchritudini. A sua planitie ad primum usque capellarum stillicidium cubitos XXII. in altum se extollens, cum honeste penderet, ad secundum subgrundæ superioris motum sese efferebat, quæ a planitie sua ascenderet cubitos circiter XXXV. & pendiculo idoneo perveniret ad laternæ oculum ab exteriori parte. Adornavit itidem pulcherrimis coronis, vanis oculis, fenestris, descensibus atque ascensibus suam magister ædificationem, ut videre est. Principalis janua templi orientem versus respicere, chorus cum capellis occidente cochleata schala, per quam omne circuitur opificium, in ascensu a sinistris ipsius portæ posita. Quousque vero ducta fabrica conspicitur, altitudo illius ad cubitos circiter decem & octo, seu etiam inæquabiliter erecta & imperfecta artificium mirabile undique repræsentat, consistuntque parastadæ atque columnæ canalatæ ex sereno bibuloque lapide egregie fabrefactæ. Id opificium sic imperfectum cogitaverat nostris diebus perficere Cosmus Medices magnus Ethruriæ dux, sed cum vererentur patres ex eo opere imaginem antiquæ observantiæ temerari posse, cum patere debuisset templum mulieribus contra vetustissimam legem loci, indemnitati illorum consulere satius esset duxit. “

Ann. Chr. 1435.

XVIII. Epistolæ Ambrosii pro xenodochiis Florentinis ad Eugenium.

Ex monasterio sancti Benedicti extra muros Florentiæ, ubi se receperat sub finem antecedentis anni Ambrosius, tum ad evitandas curiales sollicitudines, tum ad curandam valetudinem, quarta die januarii hujus anni [a] scripsit Mariotto, se jam ex morbo convaluisse, sed nondum recepisse pristinas vires. Pontificis animum erga suos tirones optime dispositum esse, pollicitumque ipsum fuisse centum alios aureos mittendos. Probat autem melius, ut ipse Florentiam accedat ad eos recipiendos, sicut etiam ut coram a Laurentio Mediceo melius quam a Cosmo tunc in summo magistratu locato per literas imploret auxilium. Quinta-decima februarii [b] ex monasterio Angelorum Florentiæ petit a Leonardo Justiniano epistolas a se illi scriptas, quam summi viri transcribere cupiunt. Salutat Laurentium antistitem & Marcum ejus fratres, & Bernardum filium.

a *Lib. XV. ep. XXXIII.*

b *Lib. VI. ep. XXXVIII.*

lium. Quarto-decimo kalendas martii [a] ex eodem sancti Benedicti monasterio significat Christophoro episcopo se obtundi a Græcis, qui aut in patriam cum nationis eorum legatis sunt dimittendi, aut pontificio ærario sublevanda est eorum inopia.

ANN. CHR. 1435.

a Lib. III. ep. XXVIII.

Quinto kalendas martii [b] ex Fonte-bono Eugenium pontificem precatur, ut indulgentiarum munere alliciat fideles ad eleemosynas erogandas xenodochio infantium Florentiæ intra muros urbis, quod Græci appellant Βρεφιοτρόφιον, ubi expositi incertis parentibus educantur infantes plures quam ducenti utriusque sexus. Tum describit usum loci. *Traduntur*, inquit, *ex more primum nutricibus lacte alendi, & ubi ablactati fuerint, intra locum illum diligenter nutriuntur. Mares traduntur literis imbuendi, puellæ muliebria discunt. Postea vero quam adulti fuerint, illi artem, ex qua substententur, ediscunt, illæ traduntur viris, loco suppeditante dotem. Fiunt ista non sine maximis sumptibus, ad quos non sufficiunt sollemnes proventus. Et licet Florentini ad hujusmodi miserationis opera suopte ingenio proclives eleemosynas assidue inferant, minus tamen illæ sufficiunt.* Venisse ad se loci ipsius præpositum, neque ipsum solum, verum & primores quosdam civitatis, & orasse, ut pium locum piissimo domino commendaret; quare se indulgentiam exorare pro omnibus, qui memorato loco opem tulerint. Oratorium præterea, quod ibi venustissime ædificatum est, suæ sanctitatis permissione dedicari, inque anniversaria dedicationis sollemnitate eam indulgentiam dari, quam felicis memoriæ Martinus V. indulserat in consecratione ecclesiæ hospitalis sanctæ Mariæ-novæ. Aliud æque pium significat Ambrosius pontifici. *Habet*, inquit, *civitas nostra puerorum plurimas societates nobilium, mediocrium, inopum. Singulis præfectus est laicus fidelis, gravis, religiosus ac timens Deum, qui hos enutriat, & in seculari habitu ad æterni regis militiam tirones exerceat. Servant ex instituto suo continentiam in omnibus, spectacula inania, ludosque omnes fugiunt, atque ab ipsis quoque otiosis verbis abstinent. Confitentur sæpius, plerumque communicant, & cum diebus reliquis suam quisque artem jussi a parentibus innocue exerceant, dominicis ac festis diebus coeunt omnes ad designatum locum, ibique divinis laudibus vacant, & tempus per salutaria colloquia ducunt. Ubi vero mensi fuerint pueriles annos, in alium transeunt cœtum, quo grandiores natu conveniunt, similibusque operibus insistunt. Plures ex iis postea degustato innocentiæ bono, religionis habitum sumunt. Præcipuus hujusce disciplinæ puerorum numerus in separata memorati infantium hospitalis habitatione sub optimo pedagogo exercetur, nam centum ferme conveniunt.* Verum cum locus ille reparatione indigeat, neque modicis sumptibus, oratum se ait a ludi ipsius magistro, ut rem ipsam notam faceret commendatamque sanctitati suæ. Quod hac epistola facit perlibenter.

b Lib. I. ep. XIX.

SE insuper permoleste deprehendisse commotionem quamdam, licet modicam, sanctitatis suæ in se, quod exequutus esset negligentius negotium sibi a sua sanctitate permissum archiepiscopi Florentini, eo quod dixisset ipsum archiepiscopum vexari sine causa, idque secularibus. Qua in re sic ipse se excusat. *Quod non videbatur honestum neque decorum (quando viris gravibus, & episcopali dignitate præditis me socium dederas) curam sollicitandi negotium arripere mihi, præcipue te non id jubente. Ceterum ausim dicere nunquam illos sine me convenisse, ut suspicio omnis negligentiæ sublata videretur. Et fieri potest, ut aliter ac se res habet, tuæ beatitudini de me suggestum sit. Nam quod aliquid contra honorem sanctitatis tuæ in aures quorumcumque loquutus sim, Deo teste, verum non est. Non tanti*

XIX. Alia in facto archiepiscopi Florentini.

Ann. Chr. 1435.

ti facio archiepiscopi illius salutem, cui vix tenui familiaritate conjunctus sum, quantum opinionem sanctitatis tuæ, cui omnia debeo, & quam violari ulla ratione ægre atque indignissime, ut par est, fero. Retinet dominus meus a principio statim hujusce controversiæ me sententiam meam tuæ sanctitati literis explicare curasse, & quid vulgo diceretur, aperire. Adesse me voluit pietas tua, cum inter archiepiscopum & dominum meum Recanatensem episcopum te præsente res agitata est, idque munus tunc mihi a tua sanctitate delegatum est una cum sociis. Neque tamen segnius id exequi debui, quia sententia mea diversa fuisse videretur, quam tuæ substernere semper animus fuit. Videbatur plurimis eam rem tuæ sanctitatis opinioni derogare, iisque magnis viris, & tuæ sanctitatis mecum in primis studiosis. Audiebam quotidie, qui cruciarent animum meum, quod nimius videretur clementissimus omnium arbiter in causa ipsa disquirenda. Neque poteram non dolere, non angi, doloremque meum in eorum aures effundere, qui jugiter inhærent lateri tuo, ut quando tuæ sanctitati congredi ipse non poteram, per illos tibi innotesceret animus servi tui, parum quidem prudentis, fidelis tamen. Neque enim ferreus eram, ut possem hujusmodi ingratis rumoribus non moveri. Commendat ipsi Græculos, ut stipem accipiant, hac præsertim tempestate, qua de reducenda illorum gente sanctitas sua deliberationem fecit salutarem & pernecessariam; posse pontificem honeste illos amovere a latere suo in officio perseverantes, & in patriam remittere cum gratia, injuncto eis munere aliquo circa negotium unionis exequendæ, sicut cum episcopo Cerviense sæpe ipse (Ambrosius) contulit, sicque omnis offendiculi tolletur occasio. Orat demum, ne negotium Vallumbrosani ordinis infectum relinquat, ipse vero visitationem proprii ordinis exequi perget. Excusaverat initio epistolæ, quod Florentia injussu suo, neque pontificia benedictione percepta, discesserit, nam venerat ante aliquot dies benedictionem petiturus, sed secluserunt se ab ejus præsentia occupationes ipsius gravissimæ. Quoad archiepiscopum Florentinum ipse est Americus Corsinius primus patriæ archiepiscopus, cui, ut eruitur ex hac epistola, super administratione temporali episcopatus examen formatum fuit, quod aliunde non liquet, sicut etiam ipsum in vivis fuisse hoc anno, ut subtus clarius ostendimus ex aliis Ambrosii epistolis, contra communem opinionem, qua defunctus dicitur ante adventum Eugenii Florentiam, qui proinde Romanus pontifex eam ecclesiam pro se non retinuit, nisi post obitum ejusdem archiepiscopi, qui hoc dumtaxat anno contigit.

XX. Ceteræ varii generis anni 1435. Ambrosii epistolæ.

a *Lib. III. ep. XXIX.*

Eadem die [a] Christophoro episcopo rem Græcorum commendat, ne patiantur victui necessaria; commendat pariter Marianum Porcium nobilem Romanum equitem dulcem filium, quem justissimis ex causis summe diligit, & orat, ut a pontifice adolescens ille foveatur & ametur. Epistolas omnes suas, quæ ad se deferentur, se ad ipsum missurum, sed precatur, ut dum transcribi eas fecerit, ne eas passim effundat, sed apud se retineat. *Præterea*, subdit, *si tandem illas exire in publicum decreveris (nam tuo arbitrio res tanta permittitur) in ordinem eas redigere in libros animus est, ne sit confusio legentibus ex aggesta & indigesta multitudine, nullo præsertim servato ordine.* Petit, ut se excuset cum cardinale camerario, quod eo insalutato Florentia abscesserit, atque se illi commendet, quem diligit ex animo, atque eo magis, quo magna de illius indole sibi pollicetur. Innocentii demum juvenis Bononiensis flagitat, ut preces audiat summus pontifex. Hic ex ordine sancti Augustini a quodam abbate, qui se habere auctoritatem dictitabat, inductus, ut habitum monachi assumeret,

ret, fecit, sed homo scrupolosæ conscientiæ de auctoritate abbatis nunc addubitat, oratque, ut pontifex abbati sancti Stephani de Bononia committat, ut ipsum legitime suscipiat.

ANN. CHR. 1435.

Decima-quarta martii [a] Lucæ priori Angelorum Florentiæ potestatem facit vendendi quædam bona sui monasterii. Pridie idus martii [b] ex Aretio Christophoro Cerviensi commendat Cæsarem Bononiensem. Iterum urget Florentini puerorum cœtus habitationem fieri ampliorem, auxiliumque requirit pontificis. Petit dispensationem super defectu natalium iis monachis, qui præfici possint monasteriis regulariter viventibus, & quæ in curia non vacent. Denuo orat pro Mariano Porcio, cui nobilitas generis, eruditio, morumque gravitas, munditia vitæ, oris gratia & dignitas insunt; ætas solum deficit pro obtinendo protonotariatu, quam supplere potest pontifex. Gaudet Græcis restituta stipendia a pontifice, ut ex eorum literis factus fuerat certior. Peregrinari aliquando se instituisse pro munere visitationis implendo. Demum aliquas ex suis epistolis mittit. Ex eodem loco die vigesima-prima martii [c] Sebastiano abbati Camalduli Florentini scribit, ut opem ferant ipse aliique prælati Mariano procuratori ordinis. Ipsa die [d] Christophoro episcopo describit, laudatque institutionem puerorum xenodochii Florentini, ut fecerat in literis ad Romanum pontificem, qui grate acceperat, quæ ipse de ea institutione scripserat. Se læte accepisse innotuisse pontifici suam innocentiam, probatamque fuisse in causa archiepiscopi Florentini; sibi scribi episcopum Traguriensem (Thomam Thomasinum) hoc (Ambrosio) crimen impegisse, palamque asseverare se auctorem fuisse, ut ea causa negligentius tractaretur. Quod licet de amicissimo viro, & alias de se optime merito suspicari non libeat, si tamen verum est, orat Christophorum, ut episcopum urgeat ad satis pro sua innocentia faciendum. Se deflesse archiepiscopi Florentini obitum, ejusque indoluisse vicem, quem gratis vexatum aliena malitia semper putavit, neque ambigi, eam afflictionem illi occubitum accelerasse, oratque Deum, ut ipsum æterna requie donet, qua in terris caruit; se & defuncti memoriam prosequuturum, & ecclesiæ illius causam Deo commendaturum. Iterum precatur Christophorum pro Mariano Porcio & pro Cæsare Bononiense, & etiam pro monasterio Burgense. Varium de pace rumorem ferri, aliis conclusam asserentibus, confusam aliis rectius fortasse suspicantibus. Tertia aprilis ex urbe Senarum [e] Mariotto scribit de rebus domesticis. Sexto, sed errore, quarto nonas aprilis [f], hoc est secunda ejus mensis rationem reddit Ambrosius Eugenio Romano pontifici de monasterio Rosæ ejus urbis religiose composito, in quo disciplinam monasticam cum institutione novorum alumnorum efflorescere facit; scripsisse se nuperrime Placido cubiculario, quid de monasterio sancti Mathiæ ipso quoque reformando, & in quo degunt monachi complures regulariter viventes, exposuerit Paulus Venerius abbas sancti Michaelis. Ex suggestione Stephani Porcii prætoris Senensis commendat ipsi Marianum illius fratrem, ut ei concedat protonotariatum ea lege, ut non antea sumat dignitatis illius insignia, quam ad ætatem legitimam pertingat, sive gradum doctoris assumat, licet tunc vigesimum ætatis annum attingat. Se audiisse misisse Bononienses, qui ab ipso pacem simul & veniam postulent; rogat igitur, ut, si illi petant, quæ alia fortassis tempestate indulgenda non essent, habita temporis ratione, inanes non dimittantur. Urget demum Vallumbrosanæ religionis negotium, quia non convenit pontificis gravitati pati caudam deesse sacrificio, decetque, quod recte instituerit, sollicite exequi, ne temporis lapsu languescat intentio. Ex monasterio sancti Vigilii

Senarum

a *Lib. XIV. ep. VII.*
b *Lib. III. ep. XXX.*
c *Lib. XVII. ep. XXII.*
d *Lib. III. ep. XXXI.*
e *Lib. XV. ep. XXXIV.*
f *Lib. I. ep. XX.*

Ann. Chr. 1435.

Senarum octava aprilis [a] de re oeconomica scribit Mariotto. Ex eodem loco [b] Sebastianum abbatem Camalduli-Florentini laudat, quod in monasterium suum exceperit cardinalem sancti Petri ad Vincula ordinis protectorem. Ipsa die ex Senis Florentiam venit Ambrosius non animo remorandi; cupiebat enim, si licuisset, diebus his sacris delitescere in otio. Die sequenti ex monasterio Angelorum Hubertum reum ad mortem petitum vita donari a pontifice efflagitat Christophorum, licet non ea sit causa, ut ita atrociter plecti mereatur a praefecto civitatis. Bononienses legatos ad se venisse, redditisque Baptistae Canetuli viri magni literis negotia sua magna instantia commendasse, quibus cupit morem gerere. Iterum orat pro Caesare Bononiense. Quinta-decima aprilis [d] ex monasterio sancti Felicis in Platea Florentiae Bernardo abbati Volaterrano commendat Antonium tironem. Nono kalendas majas [e] Christophori pietatem excitat, ut Lazarino Mediolanensi scriptori apostolico seni, quem juvenilis error involvit, eaque de causa carceri traditus fuit, opem ferat, ex commendatione sibi facta ab ejus filio. Kalendis maji [f] ex suo monasterio Laurentium Mediceum hortatur exemplo ejus parentis optimi, ut inimicum suum faciat sibi amicum, virum non obtusum neque hebetem, sed magni animi, constantiaeque, facile Raynaldum de Albizis, qui princeps fuerat factionis, ut una cum fratre ex Florentia pelleretur. Narrat Laurentii patrem ultimum vale sibi facturum venisse olim ad se, & peracto convivio, extrema haec verba secum fuisse alloquutum, postquam Ambrosius pluribus prosecutus fuerat perpessam a civibus persecutionem, infirmitatem utriusque nepotis, morbum ipsius: *At nollem aliud, aliterve contigisset*. Intulit etiam idem Laurentii pater sibi semper cordi fuisse inimicos beneficiis devincire. Quarta maji [g] ex suo monasterio Angelorum Bernardum abbatem Volaterranum hortatur, ut zeli sui adjutor apud Fontembonum permanere velit, functurus ibi vicarii officio. Significat illi collationes a se factas sacerdotiorum sancti Nicolai Curtis-luponis & sanctissimae Trinitatis de Sacraria in Sardinia. Scripturas monasterii sancti Savini ipsi remittit. Ex monasterio sancti Johannis-evangelistae de Buldrone decima-quinta maji [h] Sandello abbati Carcerum committit vices suas in monasterium Montis-crucum, & ad cognoscendas ejus prioris rationes, gestaque scrutanda, usque ad capitulum generale ordinis. Se misisse ex Senis Eugenio Romano pontifici literas Venerii abbatis sancti Michaelis asserentis res monasterii sancti Mathiae esse opinione satis meliores, ibique conventum satis numerosum religioseque viventem superesse, quia aegre ferebat summus pontifex desolationem ejus monasterii. Vigesima-nona maji [i] Majori & eremitis scribens ex Florentia aliqua in ipsis carpit. Kalendis junii [k] scribit Augustino monacho. Decima julii ex Fonte-bono [l] Gregorio monacho seni Angelorum de Florentia scribit, ut mutuam pecuniam recipiat pro se a Cosmo Mediceo. Decimo-quarto kalendas julii [m] ex Senis Eugenio pontifici Georgium quemdam jurisperitum Senensis ecclesiae praepostituram cupientem commendat, polliceturque se paucis post diebus venturum ad sanctitatem suam. Decimo-tertio kalendas augusti ex Florentia [n] monachis Rosae Senarum religiosam observantiam suadet, mittens insuper dona pro ipsis a pontifice accepta, & subsidia. Antea Benedicto priori ejus monasterii [o] scripserat praestita a se apud pontificem pro ejus coenobio officia; spem se fovere subsidiorum, quae dabit ipse pontifex, quem alloqui nondum licuit; ipsum facultatem fecisse Hieronymo monacho sacrum faciendi. Primordia reformationis caute temperanda. Adhortatur ad inopiam ferendam, & ad jactandum in Deum cogitatum. Mense julio [p] signifi-

a *Lib. XV. ep. XXXV.*
b *Lib. XVII. ep. XX.*
c *Lib. III. ep. XXXII.*
d *Lib. XVI. ep. XXXVI.*
e *Lib. III. ep. XXXIII.*
f *Lib. VII. ep. XVII.*
g *Lib. XVI. ep. XXXV.*
h *Lib. XX. ep. XIII. & XVII.*
i *Lib. XVI. ep. XXI.*
k *Lib. XII. ep. XXXVI.*
l *Lib. XIV. ep. XXVIII.*
m *Lib. I. ep. IX.*
n *Lib. XVIII. ep. XXXI.*
o *Lib. XVIII. ep. XXIX. & XXX.*
p *Lib. XV. ep. XXXVII.*

gnificat Ambrosius Mariotto se ante triduum accepisse a pontifice mandatum Basileam eundi, neque ipsum & cardinales ullam sui excusationem admisisse.

ANN. CHR. 1435.

DECRETA itaque fuerat ab Eugenio Ambrosii profectio Basileam a die decima-quarta julii, ita ut ipse una cum Antonio de Sancto-vito Romani palatii auditore ex nobili Altanorum familia legatus pontificius iret ad concilium, ut colligitur ex sequenti *Transitus* pontificio diplomate [a]. *Eugenius episcopus servus servorum Dei universis & singulis, ad quos praesentes advenerint, salutem & apostolicam benedictionem. Quum dilectos filios Ambrosium abbatem ordinis Camaldulensis generalem, & Antonium de Sancto-vito causarum sacri palatii apostolici auditorem oratores & nuntios nostros pro nonnullis statum nostrum & Romanae ecclesiae, necnon pacem & quietem totius populi Christiani, ac bonum universalis ecclesiae concernentibus ad sacrum Basileense concilium praesentialiter mittamus, universitatem vestram rogamus & exhortamur attente, quatenus eosdem Ambrosium & Antonium, cum per partes vestras transitum fecerint tam per terram, quam per aquam, ob reverentiam dictae sedis & nostram benigne recipientes, & honeste tractantes cum eorum familia usque nd numerum viginti equitum, & cum omnibus valisiis, pannis, arnesiis & rebus aliis, sine aliqua solutione datii, passagii, gabellae, thelonii, angarii, parangarii, aut alterius oneris vel gravaminis, libere & expedite tam in eundo, quam in redeundo permittatis transire, eisdem de securo conductu, cum parte nostra fueritis requisiti, liberaliter providentes, in praemissis vos taliter habituri, quod iidem Ambrosius & Antonius ad locum sibi per nos commissum secure accedere, & inde ad nos reverti possint, nosque vestram devotionem exinde merito commendare possimus. Datum Romae* XIV. *julii* M. CCCC. XXXV. *pontificatus nostri anno quinto*. Die XXII. julii ex Florentia etiam cardinales scripserunt sacrosanctae synodo Basileensi commendatitias literas pro Ambrosio priore generali, & pro Antonio de Sancto-vito auditore causarum sacri Palatii, quos ex parte Romani pontificis Eugenii mittebant nuntios ad eamdem synodum. Literae extant in collectione Martene & Durand [b]. Die sequenti alias eidem synodo scripsit ipse Eugenius [c] pro iisdem suis legatis literas, quas vocabant *Credentiae*.

XXI. Ambrosius destinatur legatus Basileam a pontifice.

a *Lib. XXV. ep. I.*

b T. *VIII. col.* 819. *Thesaur. novis.*

c *Ibid. col.* 846.

PONTIFICIIS igitur mandatis obtemperaturus Ambrosius, Augustino, Thaddaeo & Luca monachis comitatus discessit ex Florentia die XXIV. julii, ut ad Sebastianum abbatem Camalduli Florentini scribit [d]. De Augustino haec habet in libro de erudiendis monachis Hieronymus de Alleotis: *Augustinus Porticensis, optimus omnium, quos unquam viderim, monachus, bonisque artibus & sacris literis non mediocriter excultus. Is praeter ceteros observarat Ambrosium, nec ab ejus latere, quamvis longius peregrinantis, seu pro suscepto munere visitandi ordinis sui, seu ad legationes ab Eugenio pontifice demissi unquam divelli est passus, ut optimi & eloquentissimi viri, quemadmodum is postea est adsequutus, & vitae morumque sanctimoniam, & literarum egregiam eruditionem imbiberet* &c. Ad Thaddaeum autem monachum Camaldulensem extat ejusdem Hieronymi epistola scripta anno 1446. die XX. septembris, qua ipsum appellat doctissimum, humanissimum & suavissimum virum. His ergo comitatus Ambrosius monachis ea die Pratum venit; Pistorium postridie summo mane pervenit, divertitque ad familiare sibi monasterium, ubi regio pene apparatu exceptus, caritatem servorum Dei fuit expertus. Visitavit ecclesiam, & magnificentissimum sancti Jacobi apostoli altare; ea die ibidem substitit, peregrinationis socium Antonium expectaturus. Vespere diei sequentis mille

XXII. Descriptio itineris Ambrosii Basileam versus.

d *Lib. XVII. ep. XXV.*

passibus

Ann. Chr. 1435.

passibus extra oppidum profectus est, ut, primo mane diei vigesimæ-septimæ iter peragere posset. Duobus diebus montes ascendit, tandem die xxix. sexta feria Mutinam pervenit; ex quo loco data est eidem abbati Sebastiano sequenti die ea epistola. Die xxx. Mutina relicta ex epistola post triduum scripta Christophoro episcopo [a], ipsi placuit ex socii consensu Mantuam petere, ut Victorinum Feltrensem virum optimum atque integerrimum salutaret, Antonio interea rectum iter peragente ea lege, ut Veronæ convenirent ambo. Absentem Victorinum die xxxi. julii in castello Goido duodecim millibus passuum a Mantua distante invenit, eaque die cum ipso fuit. Postera Veronam confectis viginti-duobus millibus passuum pervenit, ubi alloquutus est prætorem urbis Franciscum Barbarum virum humanissimum, ac prope singularem, ac ut testis subscripsit donationi a quodam sacerdote juvene factæ ecclesiæ sancti Johannis in Monte intra urbis mœnia, qui reservato sibi proventu sollemni fratribus sancti Hieronymi ecclesiam illam concedere non rennebat. Pro qua donatione roboranda Veronenses intendebant supplicem libellum præbere pontifici, ut auctoritatem suam facto adjiceret, sed & Barbarus se Ambrosium interpellavit, ut ad eumdem Christophorum episcopum scriberet. Fusiore calamo totum iter Basileam usque descripsit Ambrosius in epistola [b] ad Dominicum Rotensem abbatem x. Kalendas septembris, ad quam urbem pervenit die xx. augusti, biduum Pistorii, biduum Veronæ, triduum Constantiæ remoratus, triginta, vel viginti-quinque milliaria quolibet die conficiens. Superatis siquidem Pistoriensibus montibus planum ferme semper iter habuit per regiones amœnas, solumque fertile. Narrat se ex Mutina Mantuam concessisse ad visendum Victorinum, insuper etiam novum monasterium extra Mantuam a principe ædificatum; Victorino absente divertisse ad Cartusienses; in castello Goido reperiisse ipsum Victorinum cum filiis principis, qui tunc prandebant. Exceptum se fuisse ab ipso apparatu magnifico, qui etiam se inspecto fleverit præ gaudio. Post prandium sermonem ad plures horas mutuo protractum, & principis filium quatuordecim annos natum, jubente Victorino ducentos versus recitasse ab illo factos, & ea suavitate & elegantia, ut miraculum sibi fecerit. Oblectabat siquidem carminis ipsius venustas præcipua, qua puer ipse pompam describebat, quando imperator Sigismundus Mantuam est ingressus, sed longe magis pronuntiatio plena gratiæ. Filia quoque principis, & alii duo filii ingenii singularis. Venerunt deinde alii nobilissimi juvenes ex Victorini ludo. Deduxisse Victorinum se extra Mantuam ad sex-mille passus Veronam versus, ubi postquam pervenit, Gregorio hospite non invento, Barbarum visitavit, a quo, & ab ejus filio puero summæ indolis deductus fuit ad monasterium sancti Salvatoris. Nondum tunc advenisse Veronam Antonium sui in itinere & legatione socium. Sequenti die profectum fuisse ex Verona, comitante Jacobo Lavagnola equite nobili ad hospitium duodecim milliaribus distans a Verona. Iter se fecisse per montes Veronenses quos interfluit Athesis fluvius altus & rapidus, donec ad originem ejus veniret. Tridentum die secunda itineris pervenisse oppidum semibarbarum. Inde continuato itinere plana omnia invenisse usque ad Maranum, nihilque a patria invenisse alienum; frequentes siquidem villæ & castella situ munitissima tegebant utramque fluminis ripam. Marano castro nobili emenso mollis ascensus occurrit, ubi fluvius præcipiti lapsu defluens tanto impetu in saxa fertur, ut niveus totus videatur & spumeus, & adeo immani strepitu, ut voces exaudiri nequeant. Abest a Verona fons fluminis centum-quadraginta millibus passuum. Nobilissimus postea lacus & maximus prope

a *Lib. III. ep. XXXIV.*

b *Lib. XVI. ep. XLVIII.*

prope Constantiam ad triginta milliaria se aperit, cujus ripæ, donec ad urbem ipsam venit, adequitavit. Civitas pulcra & populosa multum est. Placuit monasterium sancti Marci visere quinque milliaribus ab urbe disparatum, ut ibi Assumptionis beatæ Mariæ virginis festum cum monachis illis ageret. Vidisse se ibi volumina plura antiquissima, & capsam argenteam uno semis cubito longam, in qua beati Marci esse corpus asseritur, & magnificas omnino ornatissimasque reliquias multas. Peracto Constantiæ triduo Basileam contento itinere petiisse, & alio exacto triduo illuc pervenisse. Sed antequam oppido appropinquaret, omne ferme concilium sibi occurrisse, prælatos omnes, nisi quos curæ graviores urgebant, qui tamen ex familia sua honoratos quosque miserunt, legatos regum & principum, atque universitatem magnificentissimo apparatu, ita ut equites quingenti ferme se deduxerint cum summa gloria. Ingressum se cum socio civitatem regiam & pulcherrimam, domi etiam frequentes habuisse advenientium concursus. Legatum humanissime utrumque suscepisse, & jam secundo se cum illo pransum fuisse, atque confidere se in sententiam suam illum traducturum, quia sibi multum defert, (Julianum scilicet Cæsarinum). Hæc ad Dominicum Rotensem abbatem, veterem comitem præteritarum suarum peregrinationum, cujus molestissime ferebat absentiam. Eadem ferme scripsit ex Basilea III. kalendas septembris [a] ad Cosmum Medicеum, asserens, se monasterium Mantuanum nuperrime constitutum visisse, multumque sibi placuisse, adeout sui id juris facere jam tum intenderit. Principis Mantuani filium nominat Johannem Lucidum, qui etiam sibi ostenderit propositiones duas in geometria Euclidis ab ipso additas cum figuris suis, ut æstimare plane jam tum liceat, quam sit valiturus ingenio. De puella vero principis decenni Cæcilia ait Græce adeo scribere eleganter, ut pudori fuerit, quod ex omnibus ferme, quos erudire ipse unquam perrexerat, vix ullus tam pulcre scriberet. Negotium demum monasterii novi se commendasse Victorino, opusculumque quoddam suum illi liquisse transcribendum. In epistola autem ad Mariottum data pridie kalendas septembris [b], præter superiora addit se exhilaratum pro pace Italiæ nuntiata, aperitque legatum Julianum ita sentire de Hieronymo Pragensi, ut non discrepet a sententia sua, nullamque Hieronymi Basileæ memoriam superesse, ut proinde puniri, si peccavit, non debeat. Legantur & epistola data quinto kalendas septembris [c] Gaspari monacho Angelorum, & altera Mariano monacho tertio kalendas ejusdem mensis [d], in qua postrema gratam sibi fuisse pontificis providentiam testatur, quod ad sedandos eremitarum animos Placidum monachum cubicularium suum ad eremum destinaverit.

ANN. CHR. 1435.

a *Lib. VII. ep. III.*

b *Lib. XV. ep. XXXVIII.*

c *Lib. XIII. ep. XXX.*

d *Lib. XVIII. ep. XXXII.*

XXIII. Gesta Ambrosii in concilio Basileensi.

SEXTO postquam Basileam ingressus est Ambrosius die, hoc est XXVI. augusti orationem habuit cum socio in concilio generali, prolixam satis, ubi contra morem suum celsa voce dicere coactus est. Audierunt ipsum intente ii, qui aderant concilio. Peroravit tamquam Lactantii aut Ciceronis stylo, ut dixit reverendissimus legatus respondens ad ejus propositionem. Propositio extat [e] apud eosdem Monumentorum duum-viros collectores & in nova Ambrosii epistolarum collectione [f]: *Non vereor* &c. Narrat quid singulare in hac oratione recitanda ipsi contigisse Vespasianus in vita Ambrosii his verbis: *A vomini singolari interviene de casi istrani, perchè sono vomini sottoposti all' errare, come gli altri. Avendo domandato a Basilea di voler parlare a tutto il concilio, quando fusse radunato, fugli concessa l' udienza pubblica. Essendo in questo concilio assai dotti vomini, e massime vi erano venuti per la fama di sì singolare vomo, quanto*

e *Col.* 855.

f *Col.* 1143.

Ann. Chr. 1435.

to era frate Ambrogio, avendo cominciato la sua orazione, quando fu circa al mezzo, si smarrì. Veduto a questo modo, sendo in tanto numero di degni uomini, avendo l'orazione nella manica iscritta, subito la cavò, & apersela, e ritrovò, dove aveva egli mancato, e riprese, e seguitò la sua orazione insino alla fine senza altro impedimento. Considerò frate Ambrogio, quanto questi atti pubblici sono pericolosi ad un' uomo dotto, come lui, d'esser vituperato in tanto degno cospetto, e perdere quello in un dì, che egli aveva guadagnato in lunghissimo tempo. Fu assai lodato e commendato del partito preso di ripigliare l'orazione &c. Non ea tamen ratione, qua scripserat, oravit Ambrosius, nam eorum, qui præerant synodo, consilio usus, ultimam partem adjecit, quædam etiam resecavit, ut habet ipse in epistola XLIV. ad Christophorum. Displicuit pluribus hæc Ambrosii oratio.

Eadem die, qua ad Rotensem abbatem scripsit Ambrosius, decimo scilicet Kalendas septembris [a], literas dedit Romano pontifici Eugenio significantes se XXI. augusti Basileam pervenisse, lenteque de industria iter fecisse mandata nova suæ sanctitatis præstolaturum. Exceptum se fuisse cum socio plausu omnium ob reverentiam Dei & sanctæ apostolicæ sedis; postridie se exceptum convivio a legato, qui magna instantia se invitavit. Aggressum se continuo fuisse virum illum valde familiari alloquutione, & duriorem adamante reperiisse; sed post repetitos sermones tractabiliorem effectum, ita ut spes omnino sibi sit ipsum revocandum in jus pontificis, & ad apostolicæ sedis gremium, quem nominat virum eximium, & prope singularem, & ecclesiæ Dei utillimum, si a sententia discedat. Secum expostulasse insuper eumdem legatum, cur a sanctitate sua nulla ei provisio fieret, asserentem promisisse sibi dominum sanctæ Crucis mille ducatos continuo numerandos, neque tamen quidquam accepisse hactenus. Pontificem proinde hortatur Ambrosius, ut hæc non negligat, ne res parvæ maximis conficiendis sint impedimento, legatumque blande demulceat. Commendat præterea ejus sanctitati præsidentes concilio, viros in primis optimos.

Sexto Kalendas septembris [b] Christophoro Çerviensi episcopo scribens conqueritur cum ipso nuntium nullum nullaque mandata ad se venisse ex Romana curia; quæ res suspicionem legato aliisque concilii viris immisit. Se, sociumque suum requisitos die hesterna retulisse in frequenti conventu, auditos esse attente, & postera die deputatos fuisse viros, quibuscum conferre deberent. Præsidentes pontificis nomine esse acerrimos propugnatores, & aliquid solatii percepisse ex adventu suo & socii. Sæpius se confligere cum legato, quem tamen offendit tenacem sententiæ propriæ; heri se secreto evocatum admonitum ab illo fuisse, ut eum sanctissimo patri commendaret. Ortum esse se inter & eumdem legatum sermonem de translatione concilii, quam iste valde appetit ea ratione, ut facilius summo pontifici congredi valeat, & fore sperat, ut eam Græcorum isthuc afferat commoditas; dum enim illi Basileam venire detrectant, & urbem aliquam Italiæ velle præsumuntur, posse dari per hoc medium translationi motum. Addit legatum advesperascente die se accersisse, & rogasse, ne deputatos a concilio exasperaret, terminosque quosdam adjecisse, nihil derogando summi pontificis & sanctæ sedis apostolicæ honori, quibus se usurum decrevit; interrogasse etiam, an de indulgentiis quidquam haberet in mandatis? ad quam interrogationem respondisse faciliore compendio posse a concilio Romanus pontifex supplicari, ut collectam aliquam imponeret clero, principibus & civitatibus, quibus concurrentibus & opem ferentibus singularis indulgentiæ aliquid conferretur. Nata quoque erat suspicio inter patres Basileenses, eo quod Romanus pontifex Garatonum (Christophorum) Con-

[a] Lib. I. ep. XI.

[b] Lib. III. ep. XXXV.

Constantinopolim transmisisset; nam die hesterna in concilio lectæ fuerant literæ Johannis Ragusini ad concilium ex Pola scriptæ, quibus inter cetera significabat Garatonum eo appulisse Constantinopolim profecturum. Porro dubitabant patres ea missione Romanum pontificem velle concilii statuta convellere. Sed Tarentinum archiepiscopum (Johannem de Taliacotio) concilio præsidentem nomine Eugenii, hominem singularem, sincerum, cordatum, liberum scandalum maximum de medio tulisse, proferendo literas ejusdem Christophori Cerviensis episcopi ad ipsum scribentis tum profectionem Garatoni, tum immo reditum, & quibus conditionibus Garatonus ierit, & quæ a Romano pontifice agenda susceperit. Non prætermtitit Ambrosius repetere narrationem honorificæ suæ susceptionis factæ a patribus concilii, præcipue Hispanis, quorum protonotarium Italiam & pontificem petentem commendat.

Ann. Chr. 1435.

Quarto kalendas septembris [a] conqueruntur uterque tum Ambrosius, tum Antonius legati cum Eugenio pontifice, eo quod post ipsorum discessum nullas ad se instructiones dederit; quæ dilatio viris concilii suspecta habebatur. Sexto tamdem die post adventum suum in frequentissima congregatione Generalem orasse, quæ oratio attente audita, & a plerisque graviter accepta offendit plurimos, ægreque admissam esse petitionem, ut concilium viros graves & timoratos ad tractandum deligeret. In ea congregatione præter deputatos, omnibus passim permissum fuisse ingressum. Post triduum Auditorem suo & Ambrosii nomine exposuisse honestissimis verbis, & petiisse suspensionem decreti ad maturiorem deliberationem, sed inimicos quietis perfracte in sua sententia persistere. Legatum se modeste habere, licet ejus decreti auctor ipse plurimorum opinione fuerit sub ea conditione, ut vel simul, vel statim provisio congrua fieret. Se insistere, quantum possunt, ut mentem legati in propriam sententiam traducant. Interim leniter se agere, ut obtineant suspensionem decreti; quod si nihil profecerint ea modestia, arrepturos pugnam apertiorem, & usuros armis a sanctitate sua & a collegio cardinalium sibi indultis. Quarto nonas septembris [b] Christophoro significat Ambrosius se rigidiorem in dies experiri legatum, multaque inter se acrimoniæ plena ad invicem miscuisse, pacifico tamen pectore unum ab altero discessisse, & postridie legatum se accersisse, & placidissime alloquutum veniam hesternæ commotionis magna certe cum humilitate postulasse, multaque retractasse, quæ dixerat prius, & præsertim de sanctissimo domino bene loquutum fuisse, & honorifice multa. De suspensione decreti spem nullam superesse, de compensatione facienda nonnihil se dubitare. Prælatos Basileenses ejus esse sententiæ, ut provideatur pontifici, ipsiusque collegio, sævire vero furiosum ignobile vulgus, Germanos potissimum, qui reddita Italiæ pace hujuscemodi provisionem fieri debere negant, afferentes posse pontificem ex proventibus patrimonii recuperati sustentari. Satis miratur, quod pontifex a discessu suo nullas ad se literas dederit, & ignorat, an pontifex & sacrum collegium alia ratione provideri sibimetipsis velint. Præsidentes, quia noluerunt renuntiare protestationibus, suo tamen nomine factis, persecutiones varias perpessos esse, ita ut de sententia contra se ad certam diem ferenda sollicití defensionem paraverint plane aptissimam; eorum itaque causam, quia suæ conjungitur, se pergere tueri, quantum potest. Die sequenti [c] commendavit Ambrosius Eugenio Willielmum ministrum generalem ordinis Minorum, qui Romam proficiscebatur, virum religiosissimum & fidelissimum, qui in concilio Basileensi nil carius unquam æstimavit, quam honorem san-

a *Lib. I. ep. XII.*

b *Lib. III. ep. XXXVI.*

c *Lib. I. ep. XIII.*

Ann. Chr. 1435.

ctæ sedis & Romani pontificis testimonio etiam præsidentium propugnatorem invictum.

Cum literæ seu instructiones ex Romana curia vel interciperentur, vel de die in dies differrentur, quarto idus septembris [a] amarissimo animo scripsit Ambrosius Christophoro episcopo patres concilii arbitrari se illudi a Romano pontifice, qui tales ad ipsum legatos instructionibus necessariis carentes destinasset; comperiisse tandem se ex literis ipsius Christophori ad præsidentes concilii eas instructiones Mediolani sceleratissime interceptas fuisse. Neque tamen sibi & socio a concilio credi; verum instantiam fieri, ut de postulatis indulgentiis, & de ceteris petitis a concilio respondeatur. Præsidentibus ope legatorum principum & regum prorogatum post multos terminos a deputatis & a generali congregatione fuisse ad octo die, ut aut protestationes factas nominibus suis revocarent, aut alieni a concilii actibus declararentur; quos ipse hortatus est, ut etiamsi amoverentur a concilii actibus, non tamen discederent, nisi apertior in eos violentia intentaretur. Se convenire legatum & coram, sed frequentius literis, nam frequens suus accessus ad ipsum suspectus redditur multitudini, se etiam leniter objurgare ipsum magna libertate, & ab ipso benevole admitti constantiam suam. Literis se excitasse dominum sanctæ Crucis & principem Mantuæ (Johannem-franciscum), ut juvent conatus suos contra sumentes Basileensium animos. Orat, ut instructiones de cetero per fidelem virum, qui Veronam petiit, citissime sibi mittantur, & insuper ut commendet sanctitati suæ cardinalem de Columna (Prosperum) simplicis quidem ingenii virum, sed qui conqueratur, quod Romanus pontifex abstulerit ab eo vitæ necessaria subsidia. Leta addit insonuisse Basileæ de pace Italiæ, de acerbo interitu crudelissimi hominis, deque ibi componendarum rerum felice spe. (Alludit ad pacem firmatam die decima augusti post obitum Nicolai Forte-brachii hostis infensissimi pontificis) Demum in has voces erumpit: *Oh si auditus fuissem, ut liceret nobis auctoritate pontificis viciniores adire principes, & injuriam Romani pontificis & sanctæ sedis apostolicæ coram explicare, & suadere, immo persuadere potenter, quæ sunt ad pacem; sed plura ipsi non possumus*. Earumdem querelarum cantilenam repetit epistola sequenti [b], in qua etiam significat eidem Christophoro propositum esse in deputationibus, & definitum, ut indulgentiæ concilii nomine & auctoritate tradantur pro pecuniis in causa Græcorum colligendis; quod summopere dolet, ut & alia hodie attentata contra omnem honestatem adversus sedem apostolicam mœrorem suum augent. Literæ pariter & instructiones per fidelem virum mittantur, nam omnes per Mediolani viam directæ apertæ deferuntur.

Die XVI. septembris [c] ex Basilea Michaeli Angelorum monacho scribens gaudet ipsum convaluisse ex infirmitate; præcipit, ut transcribat opuscula pro legato Juliano amicissimo & magnopere honorando, præter Dionysium, cui nondum extrema manus est imposita. Invenisse se, subdit, Eusebii chronicon antiquissimum & optimum, quem librum modo habet episcopus Patavinus, deducendum in jus Nicolai. Eadem die [d] literas dedit etiam Gaspari alteri monacho Angelorum, certioremque facit de salute Augustini monachi sociique sui itineris, & ut pro se Deum oret, commonet.

Ex epistola data XXI. kalendas octobris [e] ad præfatum Christophorum liquet Basileenses patres nomine dumtaxat concilii voluisse indulgentias promulgare, quia ajebant, nisi paratæ forent pecuniæ pro subventione Græcorum,

a *Lib. III. ep. XXXVII.*

b *Ibid. ep. XXXVIII.*

c *Lib. XIII. ep. IV.*

d *Lib. XIII. ep. XXXI.*

e *Lib. III. ep. XXXIX.*

corum, verecundia & ignominia concilio fieret; quasi vero, reponebat Ambrosius, si post paucos menses illi applicituri sint, pecuniæ ex indulgentiis collectæ in promptu sint habendæ, ad quas colligendas non menses, sed anni vix sufficiunt. Proponebat enim Ambrosius expeditiorem viam ad pecunias comparandas, super quam auditus non est; *neque enim*, subdit, *dignantur superbi & tumidi supplicare Romano pontifici, ut ejus rei gratia & ipse cum sacro collegio & tota ecclesia veluti commodi communis ratione concurrat*. Legatus videbatur acquiescere, hortatusque est patres, ut Ambrosii rationes majoribus natu & principibus concilii proponerent. Factum id est, sed sine fructu. Et cum Lugdunensis ac Bituricensis archiepiscopi ab Ambrosio seorsim admoniti fuissent, nihilque in contrarium regerere rationibus conclusi possent, surrexere pertinaci & contentioso animo, Lugdunensis in primis, qui opinione multorum ad pontificatum summum una cum Arelatense archiepiscopo cardinale aspirabat. Postridie patres de indulgentii dandis ad deputationes detulerunt, Ambrosio amarissime, conquerente cum legato, qui id permitteret; se mature ex Basilea profecturum, ne ea videre cogeretur, quæ audita cruciarent. Nullum non movebat lapidem Ambrosius, ut animum legati emolliret, qui Ambrosii moræ continuationem in ea urbe expetebat. Aliquando hocce suum desiderium significavit Ambrosio legatus, Ambrosius autem respondebat, velle se illum ad pedes pontificis adducere. *Facias*, subdidit legatus, *ut sacrum concilium id tibi præcipiat*. Cui Ambrosius subridens: *Ego*, inquit, *alterius juris sum, ejus, scilicet, cujus tu quoque, velis nolis es filius. Concilio ipse superior sum, neque illi unquam deferre possum, quando capiti non defert suo*. Plura inde habet in ea epistola de provisione loco annatarum substituenda. Suadet etiam, ut pontifex velit omnia suscipere concilii vel perniciosa decreta, ne scindatur ecclesia, admittatque decretum factum de annatis, ac sinat omnia currere, donec exacto concilio cogat ipse novam synodum ex episcopis, prælatisque solis constantem, & ea retractet, quæ Basileæ gesta sunt, aliaque condat salubria & pacifica, & ante omnia Constantiense decretum irritet, utpote scandalorum omnium fomitem. Conduceret etiam nuntios festinato ad principes mittere, qui ipsos docerent de injusta concilii violentia, & de apostolicæ ac pontificiæ sedis justitia. Ceterum summis præconiis extollit fidem plurium patrum Basileensium, quos inter laudat Nivernienſem, Burgensem, Dignienſem episcopos. Deflet tamen rem ad schisma vergere, ad quod avertendum scribit se alloquutum fuisse Basileæ principem, qui de ea re sermonem habuerit cum legato, quod nimirum haudquaquam passurus esset, ut quod in urbe Constantiæ schismatis nomen extinctum fuerat, revivisceret in urbe Basileensi. Aliqua etiam in medium producit de Bohemis Thaboritis obstinatioribus quam unquam, ac imperatorem in quibusdam satis perniciosis ipsis acquievisse. Deplorat mortem Mariani procuratoris ordinis. Gratulatur de victoria Genuensium, de pace reddita Italiæ, de nece ejus persecutoris.

Duodecimo kalendas octobris [a] immediate commendat Eugenio pontifici cardinalem Columnensem & episcopum Tiburtinum (Nicolaum de Cæsaribus) qui licet in aliquibus faverint concilio, reverti tamen exoptant ad gremium apostolicæ sedis; quare Eugenium precatur, ut offensas ipsis remittat; idemque alteris literis datis ea die [b] ad Christophorum episcopum refricat. Post triduum [c] eidem Christophoro ceteris commendatis adjungit Odonem protonotarium, qui & ipse cupit redire in gratiam summi pontificis (fuerat is thesaurarius Martini V.) Porro omnes hi

a Lib. I. ep. XIV.

b Lib. III. ep. XL.

d Ibid. ep. XLI.

Ann. Chr. 1435.

Urbe relicta partes secuti fuerant concilii Basileensis contra pontificem, & hoc anno precibus Ambrosii pontificis gratiam recuperare gestiebant. Opperiri insuper decretum de indulgentiis per concilium dandis, quod etiamsi velit, impedire contra multitudinem non possit legatus, qui se benigne audit. Epistolam hanc claudit scribens Arelatensem archiepiscopum, legato Juliano minime contradicente, intonuisse de die dicenda Romano pontifici, vocandoque ad concilium, multaque habet de integritate & constantia præsidentium contra numerum furiosorum concilii, & potissimum laudat archiepiscopum Tarentinum præsidentem, qui tunc podagra laborabat.

a Lib. I. ep. XV.

Septimo Kalendas octobris [a] Eugenio frequentes & validas suas concertationes describit pro emolliendo animo cardinalis legati. Laudat episcopos doctrina & sapientia illustres, qui in concilio Basileensi erant: *Burgensis*, inquit, *episcopus homo summæ peritiæ, sinceritatis & fidei erga tuam sanctitatem tantum laboravit, & tam impigre contra malignas quorumdam adinventiones, tantaque libertate & palam, & secretius restitit, ut mereatur profecto a tua sanctitate non ignorari*. Is erat Alphonsus a Sancta Maria ex patre Judæo episcopus, ad quem etiam extant Leonardi Arretini epistolæ. *Nivernienfis episcopus primi non dissimilis meritis totum se exposuit pro tuendo jure sanctitatis tuæ sanctæque apostolicæ sedis. Aurelianensis eadem graditur via. Consensis non dissimiliter sentit. Mediolanensis & ipse pro viribus agit causam piam. Ebroicensis priorum vestigiis per omnia inhæret. Digniensis item multum fideliterque laborat, & plerique alii. Johannes itidem de Monte-nigro, & Johannes de Turrecremata ambo theologi duo invicta propugnacula insipientibus conatibus objecta magna usi constantia sunt. Eos omnes, quia sic merentur, enumeravi, ne essent ignoti sanctitati tuæ, cupiens, ut istos aliquando cognoscas, quia vere digni non modo notitia, & gratia tua sunt, & hi in primis Burgensis & Nivernienfis.*

b Lib. II. ep. X.

Sexto Kalendas octobris [b] expostulat cum cardinale Jordano Ursino, quod a suo discessu nunquam venerint literæ vel instructiones Romani pontificis aut sacri collegii cardinalium; immo cum nuntii a concilio missi ad Romanum pontificem retulissent in generali concilii congregatione Ambrosium & Antonium legatos a Romano pontifice missos responsuros eorum quæsitis, murmur multum contra se concitatum fuerit, tamquam contra volentes illudere ipsi concilio. Exponit deinde violentias Lugdunensis & Arelatensis archiepiscoporum, eorumque asseclarum, qui & indulgentias nomine dumtaxat concilii promulgabant, & de citando ipso pontifice ad synodum meditabantur, sicut etiam tractabant de præfigendo cardinalium numero, ac de eligendis iis ex nationibus, quos vellent. Quosdam ex patribus ipsius concilii proposuisse de evocando ipso cardinale Ursino ad synodum pro causa Lausannensis episcopi, contra quam evocationem restitit apud legatum Julianum socius suus Antonius. Commendat demum ipsi cardinali Ursino cardinalem de Columna, episcopum Tiburtinum, & Odonem protonotarium. Seipsum vero commendat cardinalibus de Comitibus, sancti Sixti, sancti Petri ad Vincula, Firmano, & ceteris ejus ordinis viris. Laudat quoque præsidentium constantiam nolentium protestationes contra decretum factas a se revocare. Eadem die [c] fusissime narrat Christophoro Cerviensi episcopo disceptationes suas, quas habet assidue cum cardinale legato, pro demonstrando illegitimo ordine concilii, & pro avertendo imminenti schismate; defluit in laudes præsidentium episcoporum jam memoratorum in epistola ad Eugenium, generalium trium ordinum, theologorum ordinis Prædicatorum Johannis de Turrecremata Hispalensis, & Johannis de Monte-nigro Genuensis electissimorum hominum. Commendat

c Lib. III. ep. XLII.

mendat Rodericum Sancium baccalaureum in legibus de familia Burgensis episcopi, & Castellani regis capellanum, pro quo scripserant & præsidentes, qui cupit gratiam cum clausula *Anteferri* concessas aliis capellanis regiis. Is in decreto de Annatis non modo pro duobus episcopis, quorum procurator est, publice fuit protestatus, verum & exiit de congregatione generali. Dominicum pariter de Biblena, qui laudabiliter se gessit, & est is, qui Avenionem profectus fuit pro [a] Tarantasiense archiepiscopo, qui etiam ipse protestatus fuerat. Iterum tertio kalendas octobris orat pro cardinale Columnense, pro Odone, & pro Tiburtino antistite, quod erit gloriosum pontifici, qui putatus est infestus familiæ felicis memoriæ Martini V.

[a] *Ibid. ep. XLIII.*

Die quarta octobris [b] hilaris factus scribit eidem Christophoro se tandem recepisse literas ejus datas die duodecima septembris, agnoscens nullas vicissim a se ex tot ipsum accepisse. Lætatur per literas allatas a Leonardo de Piscia rem totam concilii traditam discutiendam cardinali legato Juliano, & cardinalibus Placentino & sancti Petri. Spem aliquam concipit, quod mutari possit animus legati, qui, cum nuperrime in concilio conciperentur decreta de suspensione pontificis, accersiverat duodecim promotores, & magna libertate compescuerat ipsorum audaciam, asserendo se ad reges & principes iturum pro coercenda ipsorum insania. Commendat Christophoro cardinalem Columnensem, Tiburtinum episcopum, Odonem, Simonem de Teramo potentissimum causidicum, qui jam inclinatur erga pontificem, & orat, ut præsidentes calculum ipsius ponant, & si quidem sacro fisco debeat, solvere se velle asseverat, si autem creditor inveniatur, omni cum habilitate sibi satisfiat sive in Anglia, sive in Germania, sive in Polonia. Pariter Angelum Porcium, præsidentes, episcopos superius nominatos, patriarcham Antiochenum decrepitum inopem, sed virum opulentæ doctrinæ, theologos de Monte-nigro, & de Turre-crementa, generales Prædicatorum, Minorum & Carmelitarum. Asserit hesterna die applicuisse ad concilium episcopum Signiensem ab imperatore Sigismundo missum. Per eumdem autem Leonardum de Piscia mittit ad Christophorum orationem suam habitam ad patres concilii Cosmo Mediceo tradendam, de qua, ait, ultimam partem adjectam esse de voluntate consilioque præsidentium, quædam autem amputata, priusquam illam pronuntiaret; id ne moveat pontificem, si eam legere voluerit. Hanc Christophoro laudaverat episcopus Turonensis. Prompte se exequuturum scribit mandata pontificis adeundi regem barbatum, Sigismundum scilicet imperatorem. Suadet, ut cardinales Placentinus & sancti Petri postulati a legato Basileam se conferant, missi tamen a pontifice, & designato illis tempore, quo remorari possint, intra quod componant cum legato. Asserit pacem firmatam inter regem Francorum & Burgundiæ ducem, Anglicis repente conventu discedentibus. Angelum Porcium iterum epistola sequenti quarto nonas octobris [c] commendat, qui diu servivit ecclesiæ, multaque impendit, & amisit in eo munere, quod fidelissime obiverat; laudat tamquam virum strenuum & magni animi, familiamque ipsius Romani pontificis liberalitas obstrictam faciet.

[b] *Ibid. ep. XLIV.*

[c] *Ibid. ep. XLV.*

Pridie nonas octobris [d] Mariotto scribens dolet ob mortem Mariani monachi procuratoris ordinis; petit fieri conscius de rebus eremi claustri & tirocinii. Apud legatum concilii se multum profecisse, jamque extinctum schisma, quod propediem erumpendum videbatur. Basilea ad imperatorem quamprimum se recessurum & profecturum, & pro pontifice functurum se legatione significat. Eadem die [e] Michaelem Angelorum monachum iterum urget, ut transcribat versionem opusculorum, quo morem gerat legato

[d] *Lib. XV. ep. XXXIX.*

[e] *Lib. XIII. ep. V.*

Ann. Chr. 1435.

gato Iuliano. Quare & Boethium Latine Græceque ſcriptum, nec non evangeliorum codicem ad ſe mitti poſtulat per Leonardum de Piſcia deferendum legato.

Octavo idus octobris [a] ſcribit Chriſtophoro Aquenſem epiſcopum Angelicum e ſententia legati hominem furioſum & ſtultum eſſe ablegandum a concilio; Lubecenſem quoque epiſcopum. Ceterum legatum omnia deinceps pro pontifice facturum, optare ſe pariter, ut pontifex patriarchæ Antiocheno proſpiciat, cui tradere poteſt eccleſiam Avenionenſem. Epiſcopum Signienſem miſſum ab imperatore oraſſe in concilio, eſſe virum bonum, & addictiſſimum Romano pontifici, quem proinde commendatum Chriſtophoro facit. Se eo comite paucis poſt diebus iter arrepturum ad præveniendum imperatorem contra teterrima conſilia patrum Baſileenſium. Vidiſſe ſe & legiſſe penes Tarentinum archiepiſcopum præſidentem funeſta inventa ipſorum adverſus Romanum pontificem, tantoque ſcelere commotum adiiſſe Arelatenſem archiepiſcopum, qui ſignifer eſt nequitiæ & tamquam alter Dioſcorus in ſynodo Epheſina, quem magna conſtantia & auctoritate alloquutus eſt, atque oravit, ne ſciſſuram in eccleſiam induceret, utque haberet rationem ſacri collegii, cui adſcriptus erat, metueret autem ſibi & Francorum regno, ſi per Gallos ſchiſma induceretur. Reſpondiſſe illum attonitum & ſtupidum blande quidem, & oſtendiſſe ignorare hujuſmodi machinamenta. Simili modo voluiſſe ſe alloqui Lugdunenſem & Bituricenſem, ſed datum non fuiſſe eos alloqui. Exiſtimat jam delata ad Romanam curiam capitula funeſta, & proteſtationes Gallicanæ factionis. Denuo commendatos facit Burgenſem epiſcopum, cujus pater ſanctus vir diem obiit, & pridie quam moreretur, literas dedit plenas chriſtianæ pietatis a ſe lectas filio, epiſcopos quoque Nivernienſem, Ebroicenſem, Dignienſem, & in primis præſidentes, theologos pariter de Monte-nigro & de Turre-cremata. XIII. Kalendas novembris [b] eidem Chriſtophoro commendatum facit epiſcopum Signienſem legationis munere fungentem apud Cæſarem, qui eo officio periculi pleno extricari poſtulat, quod fieri poterit, ſi pontifex illum accerſat, & ad ſuum vel alium epiſcopatum redire permittat. Heſterna die ſe ſermonem habuiſſe cum legato, quem non dubitat deinde recte inceſſurum, ſed dolentem eum inveniſſe, eo quod Baſileæ Romano pontifici inuritur crimen ex crudeli facto Alexandrini patriarchæ, qui præfectum enecavit. Ipſe eſt Johannes Vitteleſchus de Corneto patriarcha Alexandrinus, homo feri ingenii, qui Jacobum de Vico Urbi præfectum proditorie captum prope Vetrallam, capite minui fecit die trigeſima-prima auguſti. Excuſaſſe autem ſe eumdem Romanum pontificem, quod hæ crudelitates exerceantur præter ipſius mentem, qui tamen (ſubjungebat legatus Julianus) non ſolum approbare, ſed execrari debuerat illud & ſimilia facta, & a latere ſuo removere hominem illum, qui ſibi ſcandalorum omnium occaſio fuerit, & deinceps futurus ſit. Addit patriacham Alexandrinum multorum opinione Baſileam evocandum rationem redditurum operum ſuorum. Audacter hæc ipſa ſe ſcribere Romano pontifici de patriarcha illo, quem Neronem paſſim vocant, & homicidam teterrimum, non ſolo verbo ſed ſcriptis. Grandem præterea rumorem increbuiſſe Julianum quemdam ſacerdotem, olim familiariſſimum pontificis, agente Tragurienſe epiſcopo (Thomaſino) turpiſſime dehoneſtatum fuiſſe, ipſo ſemper inter probra ſibi publice illata conſtantiſſime negante omnia, quæ ſibi objiciebantur. (Anne Julianus, quem inter cubicularios Eugenii annumerat Silveſter O. P. in dialogo penes Laurentium Mehus? [c]) Adveniſſe quoque nudius tertius epiſcopum Palentinum hominem

a Lib. III. ep. XLVI.

b Ibid. ep. XLVI.

c Pag. CCCXCVIII.

minem plane judicio multorum singularem, neque a Burgense, cujus frater major natu est, moribus dissidentem, ipsumque non palam, ob reverentiam pontificis, sed familiari colloquio conquestum esse se in camera apostolica male fuisse tractatum, plusque doluisse triginta-octo ducatos pro quietatione fratris habitos, qui collectoris munere in Hispania perfunctus esset, abs se exactos, quam si multo plures vel ratione collectarum, vel promotionis suæ causa persolvisset. Multos insuper fuisse clamores, quod pro pallio Rotomagensis episcopi tercenti ducati a domino cardinale de Comitibus postulati essent, illo potissimum referente, dicantur, atque his similia, quæ dum a cœtu seditiosorum & malignantium sibi objiciuntur, vel titulo ignorantiæ a se excusantur, vel saltem contigisse & contingere affirmantur præter conscientiam Romani pontificis Eugenii. Alia epistola data nono kalendas novembris [a] narrat Ambrosius eidem Christophoro concertationem se inter & legatum habitam occasione Annatarum, & instantiam, quam ipse Ambrosius fecit pro sua profectione ad imperatorem ex mandato pontificis. Interpellat ipsum quoque pro Nicolao Treverensi homine studiosissimo, & librorum copia insigni pro obtinenda præpositura in ecclesia collegiata ipsi signata hoc anno a pontifice, & pro literis expediendis (Nicolai Treverensis frequens mentio apud Poggium tamquam librorum collectoris) Eadem die commendat Dominicum de Biblena, qui pro Tarantasiensi archiepiscopo Avenionem profectus fuerat. Epistola sequenti [b] monet decretum de Annatis patres Basileenses nolle suspendere, & de provisionis verbo dumtaxat sermonem habere; se propterea in concilio non ulterius moram facturum, sed imperatorem aditurum, delegando præsidentes ad recipienda responsa suarum propositionum danda a deputatis concilii.

a Ibid. ep. XLVIII.

b Ibid. ep. XLIX.

XXIV. Alia ejusdem apud imperatorem Sigismundum.

Tertio kalendas decembris [c] ex Basilea Placido Pavanello cubiculario pontificis narrat profectus suos in concilio Basileensi, legato in rectiorem tramitem devecto. Gratias ipsi quoque habet, quod in rebus ordinis sibi faverat. Octavo idus novembris [d], quo die reliquit Ambrosius Basileam, legato jam bene disposito, & commissa vice sua optimis præsidentibus, auctor est Christophoro, ut consulat Romanum pontificem, quatenus annuat decretis Basileensium patrum quoad electiones & Annatas, quamvis in faciem sacro concilio sit dictum istud decretum nedum vim suam accepisse, quia conditionarie sit factum, ut provisio fieret, ea vero cum nedum sit subsequuta, decretum esse mancum; sed absoluto concilio aliud indicat non gregariæ multitudinis, sed ex solis episcopis collectum, in quo discutiantur decreta tum Constantiensis, tum ipsius Basileensis synodorum, eamque annuendi facultatem faciat legato, qui idipsum suggerit. Cardinalem præterea Cyprium libenter ad sanctitatem suam reversurum, si blandis literis a pontifice invitetur. Cardinalem Columnensem brevi se collaturum ad eumdem pontificem una cum Tiburtino episcopo & Oddone protonotario. Simonem de Valle, Simonem de Teramo, & Gasparem Perusinum multa egisse improba in concilio, sed Teramensem & Perusinum meliorem de se ipsis spem dare jam incepisse. Nicolaum imperatoris legatum una cum episcopo Signiense commendasse sibi Georgium nepotem suum, quem ad Romanam curiam mittit, cupientem illum ibi proficere. Nicolaus orator decanus factus fuerat ab Eugenio pontifice.

c Lib. IV. ep. X.

d Lib. III. ep. L.

Tertio idus novembris ex Scafusa [e], ubi ex Basilea pervenerat, commemorat eidem Christophoro, quam utilis fuerit mora sua apud legatum Julianum usque ad id tempus; scilicet ipsum reconciliaverat cum præsidentibus, eosque simul redire fecerat in gratiam, in quos erat infensus, eo quia suspicabatur hos contra se multa scripsisse & scribere ad Romanum pontificem,

e Lib. III. ep. LI.

Ann. Chr. 1435.

tificem. Inflexerat insuper ipsius duritiem, & in multis benevolentiorem reddiderat erga apostolicam sedem. Cupit, laudat, summeque necessarium arbitratur, ut pontifex se totum legato committat, & si quid fortassis instituerit severius legatus, in libertate erit summi pontificis illud non admittere, vel admissum revocare post finitum concilium. Se ante suum discessum orasse præsidentes, ut semper forent animo bene affecto erga legatum. Sexta novembris se exiisse Basilea, & nunc prosequi iter suum ad Ulmensem urbem congressurum cum imperatore. Certiorem se factum fuisse vacasse monasterium Vangaticiæ antiquissimum Camaldulensis ordinis & valde opulentum, multum vero in spiritualibus neglectum. Legatus Julianus visus est appetere, ut pontifex illud sibi commendaret pro vitæ subsidio; quam tamen sententiam suam idem ipse mox damnavit, ne suspicio incuteretur concilio. Plurimi autem sibi Ambrosio suadebant, ut monasterium illud peteret a pontifice pro sua substentatione; sed justis de causis noluisse. Commendat itaque Christophoro Vangaticiensem abbatiam, ne in manus hominis vel ordinis extranei incidat.

Idem iter suum ex Basilea ad imperatorem describit Ambrosius ad Cosmum Mediceum literis datis ex Atata sexto idus decembris [a]. *Basilea itaque*, ait, *octavo idus novembris moventes, & aliquandiu cum honore deducti Ulmam septem perpetuis diebus equites venimus. Illic navigio Viennam petere consilium fuit, quod terrestre iter & longissimum esset, & periculo nequaquam careret. Jumentis idcirco terra præmissis nos duas cymbas singulas unico ligno constantes conjunctas convexasque conduximus, eas ingressi una cum imperatoris legatis, qui nobiscum ex concilio proficiscebantur, & quorum societas magno nobis usui fuit. Paucis diebus Ratisbonam venimus nobile oppidum & opulentum. Illic monasterium miræ pulchritudinis & antiquitatis offendimus, voluminaque antiqua permulta, sed nihil peregrinitatis habentia, ædificia miranda, & quæ verbo aliquando explicabimus, Domino præstante commeatum. Ratisbona ubi solvimus, cum aliquandiu prospere navigassemus, excepit nos anceps periculum, ita ut de salute quidam de nostris desperaverint*, quod quidem narrat, ita ut submergi putarent. *Tresdecim dies integras navigavimus, quo in spatio utraque ex ripa Danubii frequentia oppida, castella villasque permagnificas vidimus. Viennam ubi pervenimus, imperatorem abesse quatuor dierum itinere didicimus, eoque nobis contendendum erat. Plura nobilissima monasteria in ripa fluminis invenimus, monachosque religiosissime viventes, a quibus magna caritate accepti sumus. Ex Vienna nobilissimo omnium, quæ unquam viderimus, oppido, jumentis aliquando expectatis movimus, quintoque die ad villam Atatam, quo solatii causa diverterat rex, pervenimus. Quia enim est ibi piscatio regia & silva proxima, amœnique colles cervorum infinitam multitudinem servantes, eo imperator concesserat. Ubi vero advenire nos didicit, misit, qui nos cum honore deducerent. Ad se accersitos accepit humanissime brevibus hinc inde verbis habitis, audientiam nobis publicam in Alba-regali a villa iter diei distante se daturum pollicitus, præsentibus principibus, ducibus & oratoribus pluribus. Magna nobis spes datur negotii feliciter conficiendi, & credimus hinc mature absolvendos. Nos imperatoris jussis obtemperare cupientes, & adfuturum Albæ protinus sperantes, ex villa ante lucem tribus fere horis movimus, episcopo nostri itineris comite curruque invecto præcedente, nobisque subsequentibus.* Tum narrat obliqua se via processisse cum Thaddæo monacho, sed in viam rectam a sacerdote quodam reductos. *Inde equitantes strenue eadem die Albam venimus. Honorifice multum a canonicis, & a præposito majoris ecclesiæ accepti thesauros proximos vidimus in auro & argento*

a Lib. VII. ep. IV.

argento & gemmis variis. Imperatorem ne hactenus veniret, corporalis molestia tenuit, propediem tamen speratur adfuturus. Postridie videre nos cupiens Cæsar multis legationibus præpeditus (nam adsunt ad quinque millia equitum) septimo idus decembris ad se accersivit, honorificeque multum suscepit. Optima de principe ipso nobis pollicemur &c. Id ipsum iter describit sexto idus decembris [a] in literis ad Sebastianum abbatem Camalduli-Florentini, asserens post biduum se Albam-regalem petiturum. De monasterio Vangaticiensi quid sequutum sit, subdit se nescire ob longinquam peregrinationem, negotium tamen se commendasse pontifici & Christophoro episcopo Cerviensi. Et die sequenti [b] scribens ad Eugenium pontificem ex eadem Atatæ villa affirmat imperatorem paratissimum esse sanctitati suæ morem gerere, quantum ex verbis suæ serenitatis primo in congressu habitis, & ex relatione nobilis viri Andreæ Donati patricii Veneti oratoris apud Cæsarem, episcopique Signiensis colligere potuit, non modo in materia illa, pro qua ipse venerat, verum & in terminatione concilii, & se publice exponentem audire voluisse in Alba-regali, iter unius diei distante ex Atata, ubi & oratores concilii erant, & Bohemorum legati & complures principes & barones. Andream Donatum oratorem cras profecturum, ægre tamen impetrata ab imperatore missione. Hic se eidem pontifici commendat. Ex Alba-regali duodecimo kalendas januarii [c] describit iter suum etiam Mariotto, cujus epistolas desiderat; & ex eodem loco undecimo kalendas januarias [d] Gaspari Angelorum monacho, quem excitat ad celebrandam Dominicam nativitatem in monasticæ quietis otio una cum ceteris cœnobitis, dum ipse interea negotiorum strepitu distrahitur. Reddit postea rationem audientiæ, quam obtinuit Ambrosius ab imperatore in epistola ad Eugenium [e]: *Expectato siquidem Albæ paucis diebus imperatoris adventu, ubi ante Dominicæ nativitatis diem adfuit, audientiæ nostræ diem præfixit septimo kalendas januarii, in festivitate scilicet sancti Stephani. Auditi sumus magna cum gratia & attentione præcipua tum Augusti, tum ceterorum principum & prælatorum. Aderant & legati Bohemorum. Orationem ita temperavimus propter concilii legatos, qui adfuturi sperabantur, ut nihil ferme in apertam concilii detractionem inordinatius diceremus, contenti rem nostram agere, locumque secretioris audientiæ nobis reservantes, ubi in aures principis liberius & plenius effunderemus omnem sententiam nostram. Benignissime respondit Cæsar, & se pro sanctitate tua agere omnia & pati paratum placidissime spopondit, audientiamque secretiorem a nobis & optatam, & procuratam se daturum pollicitus est. Aderat orationi nostræ & responsioni regiæ nationis Germanicæ nuntius. Is ubi in facto Annatarum cepit velle justificare concilium, oratione primum nostra coercitus, a Cæsare ipso acri verborum insectatione castigatus est, atque inde amoveri jussus. Expeditionem nostram sollicitare ab ipso ingressus nostri die, etiam antequam imperator adveniret, nunquam destitimus, cancellarium Gasparem, & Brunorum alloquuti. Consulto aliquandiu distulit ob rem Bohemorum, quæ agebatur. Voluit nos quotidianis interesse tractatibus. Ubi vero post difficultates varias & longos anfractus res illa conclusa est, secretiorem, quam nobis pollicitus erat, audientiam præstitit. Ibi vero replicatis breviter, quæ prius petiveramus, quid de concilio esset judicio nostro sentiendum aperuimus, illo multum connivente nobis, neque a sententia nostra discrepante. Et cum omnia plenissime exposuissemus, respondit oratores concilii præcedenti die quatuor a se postulasse præcipua, primo ut decretum de Annatis & ipse servaret, & ab omnibus servari præciperet; secundo ut prælatos ire ad concilium juberet; tertio, ut his, qui essent in concilio, sal-*

ANN. CHR. 1435.

[a] Lib. XVII. ep. XXVI.

[b] Lib. I. ep. XVI.

[c] Lib. XV. ep. XL.

[d] Lib. XIII. ep. XXXII.

[e] Lib. I. ep. XVII.

ANN. CHR. 1435.

vis ire & redire liceret; quarto ut protectorem concilio daret; se neque voluisse annuere, neque tamen propter indictam dietam omnibus viribus & toto ingenio ad concilii dissolutionem intendere, & in omnibus tam sanctitati tuæ gratificari velle, quam ecclesiasticæ paci atque unitati ex suo instituto consulere: non hos fructus de concilio ab initio se sperasse, ut quod ad bonum publicum congregatum esset, perniciem & scissuram machinari potius præsumeret. Renuntiat in Missa penultimam collectam semper pro sua sanctitate dici, ultimam pro imperatore. Die itaque XXVIII. decembris orationem habuit Ambrosius in Alba-regali coram ipso imperatore, quam ex codice reginæ Sveciæ primum eruit Mabillonius, produxereque duum-viri Martene & Durand [a], iterumque Laurentius Mehus [b]. Incipit: *Si quem forte* &c. Alteram autem orationem, quæ incipit: *Misit nos ad te*, recitavit in secretiore audientia. Hanc tamen ex epistola XV. ad Pavanellum non scripsit.

a T. *VIII. Col.* 886.
b *Col.* 1151. & 1157.

Spectat ad hunc annum epistola Ambrosii ad Danielem Scottum episcopum Concordiensem & Bononiæ gubernatorem [c], qua illi commendavit Antonium Parmensem decretorum doctorem pro morum suavitate vitæque bonitate sibi dilectum, qui, ut præsidentes docent, pro honore sanctæ sedis apostolicæ multum fideliterque laboravit. Affirmat etiam se hodie cum legato Juliano longam concertationem habuisse, & ita illum conclusisse & verbo, & scripto, ut non desperet ipsum quandoque, immo vero mature ab errore revocandum. Data proinde est diebus, quibus Basileæ commorabatur.

c *Lib. II. ep. XXVI.*

XXV. Hieronymus Alleottus expetit societatem Ambrosii.

HIERONYMUS Alleottus monachus cœnobii sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio, relicto suo monasterio Camaldulum se contulerat adhæsurus imposterum Ambrosio, & depositis atris vestibus induturus album cucullum. Literis ex Basilea datis ad Mariottum Ambrosius Hieronymum salutaverat. Ea occasione conquestus fuit cum Mariotto Hieronymus [d] se e Camaldulo repelli, speque omni excidere, quam jam tenere crediderat. Præmiserat scilicet illum Ambrosius Camaldulum, quasi post paucos dies etiam ipse ibidem affuturus. Interim rumor increbuerat Ambrosium Basileam mittendum a pontifice. Dum hæc agebantur, Mariotto vicario Ambrosii Florentiam contendenti commiserat Hieronymus, ut sciscitaretur ab Ambrosio, quid de se ipse statuisset, expectaturum se ipsius reditum, sed in ejus absentia nolle habitum mutare. Retulit pro responso Mariottus pontificem noluisse dispensationem concedere immutandi habitus, transferendique Hieronymum ad ordinem Camaldulensem. Hæc res molestiam attulit Hieronymo credenti supplicationem hanc fuisse minime necessariam, potuisseque Ambrosium per se honeste & secure id efficere, non postulata licentia pontificis. Audivisse insuper se a viris Camaldulensibus fide dignis Ambrosium mutasse sententiam, occasionemque quærere Hieronymum honeste repellendi; Mariottus ipse suasit Hieronymo regressum ad suum sanctæ Floræ monasterium. Consolationem tamen aliquam accepit Hieronymus, quod per Mariottum se salutatum miserit Ambrosius.

d *Lib. XXIV. ep. XIII.*

XXVI. Unio aliquot monasteriorum parthenoni S. Agathæ de Florentia.

KALENDIS octobris pontificatus sui anno V. Eugenius IV. ad instantiam Thomæ episcopi Traguriensis vicarii generalis & administratoris ecclesiæ Florentinæ post obitum Americi Corsinii, deputati etiam ad visitationem monialium & religiosorum locorum urbis Florentinæ, monasteria sancti Silvestri & beatæ Mariæ de Nive, ac sanctæ Ursulæ civitatis Florentiæ ordinis sancti Benedicti, quæ divino cultu fere destituta remanserant, adjunxit perpetuo & univit monasterio sanctæ Agathæ, cum ipsorum bonis, supprimens in illis dignitatem abbatialem, sed excipiens ecclesias,

clesias, & ipsorum loca destinata pro monialium habitatione, quæ d spositioni suæ reservavit, ea tamen lege, ut abbatissa sanctæ Agathæ per viginti-quinque annos nullam monialem reciperet. De hac unione, dictisque monasteriis historica aliqua dicemus ad annum 1443.

ANN. CHR. 1435.

IDEM undecima octobris [a] supplicatione signata per verba: *Fiat, ut petitum, perinde valere ac si literæ apostolicæ desuper conficerentur*, concessit Majori & monachis eremi Camaldulensis præsentibus & futuris plenariam remissionem peccatorum in articulo mortis, dummodo a notitia hujus Indulgentiæ per annum semel in hebdomada clerici septem psalmos pœnitentiales, conversi viginti Pater & Ave recitaverint. Aliam concessit die tertia decembris pro absolutione omnium casuum. Die vigesima-quarta novembris [b] priori & fratribus eremi Camaldulensis præsentibus & futuris, præinserta prius & confirmata bulla Gregorii IX. concessit, ut recipere & retinere possent venientes ex aliis quibuscumque congregationum ordinibus vel monasteriis Mendicantium, vel non, etiam ordinis Cartusiensium, superiorum ipsorum licentia petita, licet non obtenta. Undecimo kalendas novembris confirmavit Leonardo de Utino hospitale sancti Danielis de Patavio, & literas collationis hujus hospitalis exaratas tum ab Ambrosio priore generali, tum a Francisco Sandello abbate Carcerum. Data sunt hæc omnia privilegia ex Florentia pontificatus sui anno quinto.

XXVII. Aliæ hujus anni bullæ Eugenii IV. pro Camaldulensibus.

a §. *Indulgentiæ* 3. 4. *A*. 5. 23.

b §. *Privilegia* 12. *A*. 5. 24.

SEXTO idus martii synodus Basileensis Laurentio Justiniano episcopo Castellano commisit, ut Franciscum Sandellum abbatem Carcerum collectorem semidecimæ sive vigesimæ per provinciam Aquilejensem & Gradensem mandato ipsius synodi moneret, ut concordatum extiterat inter ipsos patres Basileenses & Fantinum Dandulum archiepiscopum Cretensem, & Petrum Donatum episcopum Patavinum, quatenus satisfaceret pro mille sexcentis ducatis auri Cosmo & Laurentio de Medicis mercatoribus Florentinis, quorum fidejussores fuerant dicti archiepiscopus & episcopus, & insuper Fridericus Contarenus, & Johannes-franciscus de Capitibus-listæ oratores reipublicæ Venetiarum.

XXVIII. Mandatum synodi Basileensis.

AMBROSIUS generalis vacante prioratu sanctæ Trinitatis extra muros urbis Perusinæ per liberam resignationem Lucidi de Comitibus S. R. E. cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin, qui dictum monasterium in commendam tenebat, ipsum contulit Ugolino monacho Faventino die XVIII. maji, committens Thomæ priori sancti Severi de Perusio, ut eumdem in possessionem immitteret, in præsentia Dominici Nicolai de Casentino abbatis sancti Petri de Rotis, & Jacobi Antonii de Bononia prioris sanctæ Mariæ-angelorum Bononiensis urbis.

XXIX. Historia plurium monasteriorum.

Idem contulit abbatiam sancti Urbani ad flumen Æsinantem Thomasuccio ab Eugubio egregio doctori. In libris regiminis communis Apiri legitur commune dicti loci direxisse duos nuntios Francisco Sfortiæ vicecomiti Cotiniolæ & Ariani comiti, ac marchiæ Anconitanæ marchioni, ut impediret possessionem ejusdem abbatiæ dicto Thomasuccio. Sed Franciscus ex castris felicibus domini nostri papæ & ecclesiæ apud Cæsenam die sexta augusti hæc Apiranis rescripsit: *Nobilibus amicis nostris carissimis potestati, prioribus & communi terræ nostræ Pyri sanctissimi domini nostri papæ & Romanæ ecclesiæ confalonerius. Amici carissimi. El reverendo padre generale de Camaldola pare habbia conferita l'abazia di san Urbano de quella terra allo egregio dottore Messer Tomasuccio de Eugubio, però appare per lui patenti e autentiche bolle: Per tanto volemo, che glie lasciate liberamente pigliare la possessione della detta abbazia, e li frutti di essa senza exceptione e contradizione alcuna.*

Idem

Ann. Chr. 1435.

Idem Ambrosius XVI. maji mandavit abbatibus omnibus ordinis per Andream Dominici de Strabatenzole priorem Eremi-novæ & collectorem ordinis, ut ad diem primam septembris convenire deberent in unum in monasterium Fontis-boni ad capitulum celebrandum. Extat Andreæ Guidonis de Faventia abbatis sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia mandatum factum die decima augusti Francisco de Balneo abbati sanctæ Jucundæ de Sancto-miniato, ut nomine suo interesset eidem capitulo, quod tamen celebratum non fuit, Ambrosio absente ob Basileensem legationem.

Obiit sub finem hujus anni Antonius Ferro Parmensis abbas sanctæ Mariæ de Vangaticia, olim præses generalis ordinis, postea etiam designatus episcopus Ferrariensis. Romanus pontifex Eugenius contulit hanc abbatiam patrueli suo Antonio Corrario S. R. E. cardinali & episcopo Ostiensi, Bononiensi dicto, qui die XXVIII. decembris creavit Franciscum Sandellum abbatem Carcerum in rectorem & gubernatorem in spiritualibus abbatiæ ejusdem sibi commendatæ. Datum Veronæ in abbatia sancti Zenonis, ipsa quoque Corrario commendata. Ex delegatione anni sequentis die XXVII. martii Sandellus creavit in priorem abbatiæ Vangaticiensis Antonium Blancum.

Abbatia sancti Salvatoris de Monte-acuto, denuo loco cedentibus Cisterciensibus, data fuit Camaldulensibus, qui tamen bonorum possessionem non recepere, commendata abbatia Galeotto, inde Fabritio, & Bertholdo de Oddis Perusinis, postea Troilo Balleonio archipresbytero, tum episcopo Perusino, & anno 1505. Gabriellio cardinali, ex quo devenit ad Galeatium Gabriellium Fanensem nepotem suum, qui evadens eremita Camaldulensis obtinuit a Clemente VII. anno 1523. unionem ipsius abbatiæ congregationi eremitarum, quæ deinde ex monte Coronæ, prope quem ædificata erat dicta abbatia, appellata fuit congregatio eremitarum Monte-coronensium; ex monumentis ejusdem monasterii.

Mortuo Nicolao Forte-brachio Burgus-sancti-Sepulcri in potestatem venit ad parvum tempus Francisci comitis de Battifolle. Rem fusius narrat collector monumentorum Burgensium ad Nicolaum V. *Anno*, inquit, 1432. *Burgus-sancti-Sepulcri, qui paulo pridem in potestatem Romanæ ecclesiæ devenerat, quo infortunio, quave ærumna fuerit, Deus scit, in vicariatum Nicolai Forte-brachii censuario jure pro annis decem indulto Eugenii pontificis concessit. Verum non multo post, sequenti scilicet anno, Tiphernum, Assisiumque tyrannico more ab eodem Nicolao capiuntur, ob cujus rei indignationem Nicolaus in pontificem indignatus ex vetere aula & in campum Romanum errans tandem exinde Tiphernum repetens, adjunctis nonnullorum militaris rei ductorum copiis Romam invadens partem illius non sine maximo pontificis Eugenii terrore consequutus est. Anno* 1435. *Burgus-sancti Sepulcri subsecuta morte Nicolai Forte-brachii in potestatem Francisci comitis de Battifolle & Pupio soceri sui devenit. Anno* 1436. *die sanctorum Innocentium Nerius Malaschiena, reus opere, sicut & denominatione, præsidatum Burgi exercens duodecim ex civibus Burgensibus captis & in arcibus Burgi reclusis, ostendit comitis illius dementiam, obsides autem eos duodecim facere autumabat, ut dominii Burgi, sicut temerarie sperabat, possessionem securius detentaret. Eodemque anno Johannes Vespuccius Florentinus civis mandato populi Florentini commissarius, & Burgi & arcium suarum conservator delectus est, resque Burgi eo modo placata est. Ipso quoque anno Burgus-sancti-Sepulcri in potestatem, dominiumque ecclesiæ Romanæ receptus est, Rogerio de Cajano apostolico commissario procurante.* Frequens de Francisco comite Battifollis, aliqua de Rogerio mentio fit in Hodœporico Ambrosii, ut vidimus.

VIEN-

Ann. Chr. 1436.

XXX. Literæ Ambrosii ad Julianum legatum & ad Sigismundum imperat. post legationem suam.

VIENNÆ solutus a congressu cum imperatore commorans Ambrosius die vigesima-octava januarii [a] cardinali legato Juliano Cæsarino scribens retulit gesta a se post suum discessum e Scafusa. Nuncium nimirum concilii pro natione Germanica fratrem Petrum nominat. Memorat & Johannem auditorem & Johannem alium, *in quos*, inquit, *nisi veluti in scopulos & saxa tu incurrisses, feliciore profecto cursu & ipse navigasses*. Enarrata audientia habita a Cæsare, subdit, *& nos multum instantes expedivit die quinta-decima januarii placide satis & grate. Non est cunctatus auditor noster de nobis quærere, quidnam pro responso nobis datum fuisset, cui silentio respondimus, neque enim fas erat secretum violare principis utriusque. Voluit imperator, ut tractatibus Bohemorum quotidie adessemus, fecimusque satis votis suis. Oravit etiam, ut Budam simul iremus, visuri castrum ab eo conditum, quia id episcopus noster homo plane bonus atque integer vehementer appeteret, neque ab auditore impetrare potuisset. Ivimus, inspeximus structuram plane mirabilem. Nos postridie quam illi discesserant, iter arripientes, quinto die demum Viennam pervenimus, inde Italiam petituri.*

a Lib. II. ep. XVIII.

Eadem die [b] ex Vienna similiter Sigismundo imperatori gratias egit pro inspecto Budensi palatio, cujus ædificii meritum dignis exornat laudibus; ipsum rogavit, ut enervaret potentiam concilii Basileensis, ac protectionem susciperet Romani pontificis. *Jam ferme quinquennium*, inquit, *est, quod ibi congregati sunt, & vide quæso, clementissime princeps, quam iniquo, quam præpostero ordine res procedant. Solebant in antiquis sanctissimisque conciliis soli episcopi sententias dicere, & ecclesiæ tractare negotia cum timore Dei & religionis zelo, fideique fervore. Vix enim, ut ipsi coram notavimus, ex quingentis hominibus viginti episcopi sunt, ceteri vel inferioris ordinis clerici, vel in totum laici sunt, omnesque privatis passionibus, potiusquam communibus ecclesiæ commodis consulunt. Merito concilium in annos protrahitur, nihilque præter scandalum & periculum scissuræ operatur. Quia si qui adsunt boni viri ac timentes Deum, obruuntur imperitorum atque improborum multitudine. Instat Gallica natio Arelatensem cardinalem & Lugdunensem archiepiscopum habens duces, pontificatumque summum in Galliam transferre cupit. Nobis certe non defuit ex principalibus Gallicis, qui diceret, si pontifex Eugenius Avenionem se conferret, omnes illuc ad illum ipsius nationis prælatos concursuros. Erexerunt sibi tribunal ad instar Romani pontificis, omniaque agunt vel agere se posse stolidissime putant, quæ pontifex agit, causas omnes ad se trahunt, ut nihil magis quam concilii perpetuationem cogitare videantur, sicque semper de concilio loquuntur & scribunt, quod repræsentare universalem ecclesiam dicunt, ut nulla mentio de pontifice fiat, ac si plane acephali essent, caputque suum non dignentur agnoscere. Ipsi pallium archiepiscopis se dare, ipsi indulgentias largiri posse putant. Scribunt libellos infamiæ ac dedecoris plenos contra pontificem nostrum, caput velint nolint suum, eos disseminare coram regibus ac principibus non metuunt, ad irritandos illorum adversus pontificem animos, sicque de pontifice summo, quasi de vili clerico mentionem plerumque faciunt, ut mirari sæpius subeat, quo pacto tantam insaniam hominum divina clementia toleret.*

b Lib. V. epp. II. & III.

XXXI. Florentiam & ad eremum revertitur Ambrosius.

REDUX ex Germania Ambrosius per Venetiarum & Ferrariæ urbes Florentiam pervenit, ubi erat idibus februarii, qua die [c] scripsit Placido Pavanello pontificis cubiculario, affirmans se venisse sæpius his diebus cupientem alloqui pontificem, neque hactenus licuisse. Suggestum fuerat pontifici, Ambrosium aliquid vel egisse, aut dixisse contra illius honorem, optabatque hic purgare innocentiam suam; obsecravit itaque Placidum, ut

c Lib. IV. ep. XI.

ANN. CHR. 1436.

ut id pro se faceret. Cupit necessario eremum adire, & desiderat impetrare a pontifice hujusmodi emissionem. Mittit Placido quinterniones duos alios scriptos de sexta synodo, alios sex miserat, oratque, ut ita servet, ne pereant. Ex Fonte-bono narrat eidem sexto kalendas martii [a] se venisse incolumem ad ipsum monasterium, extollitque laudibus juniorum monachorum institutionem ac profectum in cantu, literis & grammatica, & eorum præceptoris Mariotti industriam. Petit Græcorum & scriptorum Chalcedonensis & sextæ synodi stipem a pontifice erogari, a quo etiam implorat veniam pro sua repentina profectione, non accepta benedictione.

a Lib. IV. ep. XII.

XXXII. Epistolæ Ambrosii post legationem suam scriptæ.

FLORENTIAM redierat idibus martii, & jam meditabatur iterum versus Camaldulum discedere, ut in alia epistola ad eumdem [b], cui etiam commendat negotium solvendi centum ducatos Venetos, quos Albæ mutuo receperat, quorumque debitor erat; aliud quoque commendat hospitalis de Scala Senarum.

b Lib. IV. ep. XIII.

Decimo-tertio kalendas aprilis [c] repetierat Fontem-bonum ad suam dilectam solitudinem, qua die hæc scribit eidem Pavanello: *Venimus tandem Christo miserante ad quietis diversorium, emensis difficultatibus plurimis, jamque fessi navigatione placidissimum amplectimur quietis portum, ubi resarcire damna præterita, quæ plurima perpessi sumus, Deo propitio intendimus*. Petit ab ipso, ut flagitet a Romano pontifice indulgentiam in articulo mortis nobili & optimo viro Michaeli Pernistofer, quem dux Albertus, dum ex Vienna moveret Ambrosius, ducem itineris sibi dederat. Pariter, cum interceptus fuisset Ambrosius ab officio gratias agendi ex nomine pontificis eidem duci Alberto pro ejus fide humanitateque, orat Placidum, ut nomine sanctitatis suæ committat Andreæ Flocco vel Blondo secretariis pontificiis conficiendas literas cum bulla, quibus pontifex comperta bona fama ducis Alberti se gratulari ostendat, & ex Ambrosii relatione quantum affectus sit dux sanctitati suæ & sanctæ sedi apostolicæ declaret, gratesque habeat pro beneficiis Ambrosio collatis. Utrasque vero literas consignet Michaeli Angelorum monacho, qui Venetias mittat ad Andream Donatum patricium Venetum Viennam mittendas. Data decimo-tertio kalendas aprilis. Post biduum [d] ex eremo eidem easdem res commendat. Arbitratur pontificem jam legisse orationes suas, cupitque assequi ejus judicium. Orationem a se habitam Albæ necessario temperatam fuisse, ut abstineret a conviciis, neque palam in concilium inveheret; id, quod sequenti oratione quam dixit, sibi reservavit, sed quia acrior visa fuit, non scripsit. Ceterum de rebus suis loquens, gaudet quietiora reperiisse in eremo Camaldulensi, pacemque sperat in posterum magis magisque conservandam. Cum vero auctoritate duorum capitulorum generalium & confirmatione apostolica ob interventum cardinalis protectoris roborata fuisset in eadem eremo consuetudo seu lex eligendi Majores singulos per vices, Placidum rogat, ut suggerat pontifici obliterari consuetudinem hanc perniciosam, quam primum induxit ambitio. Quinto kalendas aprilis [e] commendat eidem Placido Brunorum de Scala, qui optabat ex imperatoris servitio transire ad illud Romani pontificis, ut etiam in relatione data in manibus ejusdem pontificis ipse Ambrosius, antequam Florentia discederet, eamdem supplicationem inseruerat. Pariter idipsum facit de episcopo Signiensi, qui desiderabat transferri ad aliam ecclesiam, vel præfici alicui ex officiis curiæ, unde posset honeste vivere, quia de suo episcopatu, præter titulum, nihil habebat.

c Lib. IV. ep. XIV.

d Lib. IV. ep. XV.

e Lib. IV. ep. XVI.

Quarto kalendas aprilis [f] Andreæ Donato nobilissimo Veneto patricio, jampridem oratori apud Cæsarem commemorat superius laudatum episcopum

f Lib. VI. ep. XLI.

pum Signiensem, eumque insuper ejusdemque fratres ut commendet, orat, Venetorum duci, quod exciderat e mente, cum fuerat Venetiis. Eumdem precatur, ut curet devehendas Viennam literas ad Albertum Austriæ ducem & ad Michaelem Pernistofer. Sibi quoque faveat apud eumdem Venetorum ducem (Franciscum Foscarum) *quem*, inquit, *ita amo, ita admiror, ut ad gratiam nil possit accedere. Neque vero solum ut principem eminentissimæ gloriæ, summæque sapientiæ & facundiæ pene singularis, cui adjecta sit & oris excellens gratia, admiror, verum etiam præcipua quadam pietate & propensiore amoris gratia, ut mei amantissimum observo, foveo atque habeo, quodque solum valeo, precibus illum omnipotenti Deo votisque perpetuis commendare studeo*. Addit, se excussis curiæ occupationibus ad dilectæ solitudinis secreta contulisse, ubi sibi & sacris literis vacare instituit. Die sequenti ex eremo [a] Pavanello indulgentiæ pro Alberto duce a se visam paginam remittit. De orationibus suis habitis in concilio & ad imperatorem iterum sciscitatur ab ipso judicium pontificis; excurrit deinde in laudem solitudinis. Salutat Franciscum Patavinum, & Arsenium monachum cubicularios Eugenii. Frequenter nominavimus hos monachos cubicularios pontificis. Addatur iis etiam Julianus. Eorum officium erat manibus tractare, vestire, spoliare Romanum pontificem, ut legitur in dialogo Silvestri O. P. apud Laurentium Mehus [b].

Die septima aprilis [c] Christophorum precatur, ut obtineat a Romano pontifice pro monasterio sancti Mauritii in Altaha inferiori super Danubium confirmationem constitutionum Benedicti papæ XII. quas pontifex ille ad reformationem monasteriorum ediderat, quibus & ipsa sancti Mauritii abbatia utitur. Has sibi tradiderant scriptas in brevi volumine abbas & monachi illius loci, quos ipse testatur in summa veneratione & reverentia erga sedem apostolicam summumque pontificem perstare. Ea die [d] ex eremo Mariotto etiam dedit literas. Dicto Christophoro die XXII. aprilis [e] scribit se sociumque legationis suæ Antonium debitum contraxisse centum quinquaginta ducatorum pro necessariis impensis in urbe Basilea cum mensa Mediceorum. Promotum ad episcopatum (Urbinatem die VIII. februarii hujus anni) Antonium neglexisse exigere partem sibi contingentem, neque tamen mensæ persolvisse, nunc vero utramque summam a se postulari; quod quantum sit a ratione alienum post tot labores a se susceptos ostendit; quare precatur Christophorum, ut Romanus pontifex satisfaciat debito. Se interea totum quieti indulgere, & versioni operum sancti Dionysii insistere. Eadem die [f] Placidum cubicularium obsecrat, ut idem debitum a se contractum, dum erat in servitio pontificis, solvendum curet ab ipso pontifice, memorans socium jam factum episcopum, & demum salutat Petrum dulcissimum nepotem Eugenii. Hic ex familia patricia Veneta Barba electus postea S. R. E. cardinalis evasit summus pontifex sub nomine Pauli II. Decimo Kalendas majas ex eremo [g] Francisco Sandello scribens permittit, ut conferat Johanni Foro-liviensi œconomicam administrationem monasterii Montis-crucum ad futurum capitulum, quod erit kalendis septembris. Cupere se avolare a curia.

XXXIII. Expostulat cum pontifice pro Vangaticiæ monasterio commendato.

INTEREA relicta urbe Florentia die decima-octava aprilis Bononiam se receperat XXII. ejus mensis Romanus pontifex Eugenius. Ad ipsum scribens octavo kalendas majas [h] ex eremo Ambrosius excusat, quod eum Bononiam non deduxerit; commendat autem ipsi virum mundo strenuum multum, & militiæ laboribus exercitatum Allegrum fratrem abbatis Mariotti. *Allegrus Burgi-sancti-Sepulcri habitator*, inquit, *erga quemlibet ipsius oppidi dominum (nam paucis annis ipsius sibi ditionem plures vindicarunt*, licet

Ann. Chr. 1436.

a Lib. IV. ep. XVII.

b Pag. CCCXCVIII.

c Lib. III. ep. LII.

d Lib. XV. ep. XLI.

e Lib. III. ep. LIII.

f Lib. IV. ep. XVIII.

g Lib. XX. ep. XVIII.

h Lib. I. ep. XXI.

ANN. CHR. 1436.

licet a natura sui juris sit, ut ex privilegiis Romanorum pontificum & imperatorum constat) fidelissime se habuit semper, atque ita, ut magna per eum ferme negotia agerentur, neque suspectum illum fecerit sequenti superioris domini benevolentia, adeo prudenter se habuit. At nunc, quando in jus tuæ sanctitatis rediit, eo est animo, ut nulli unquam majore fide & devotione sit obsequutus, quam modo tuæ sanctitati paratus est obsequi. Sed ejus istam continentiam ac fidem perturbat modice varia oppidanorum factio votis in diversa nitentium, vereturque, ne sibi aliena malitia atque invidia noceat. Ejus itaque precibus interpellatus abbas noster, pie simul ac necessario istum sibi laborem assumendum existimavit, eumque ut tuæ sanctitati commendarem, intentissime oravit. Eumdem ipsa die [a] alia epistola commendat Pavanello, a quo pariter petit, ut instet apud Romanum pontificem, quatenus pro enutriendis pueris tradat sibi, & ordini monasterium sancti Michaelis de Castro-brittorum, quod ex antiquissimis privilegiis semper spectavit ad ordinem Camaldulensem, & non multo prius occupatum ab equitibus Gaudentibus, tunc vero in profanos usus conversum detinebatur a Jacobo de Aldrovandis laico cive Bononiense. Si propterea monasterium eripiatur de manibus alienorum, adjungi poterit ceteris ordinis monasteriis, quæ sunt intra urbem Bononiensem, & ita ali commode poterit familia ipsorum monachorum.

a *Lib. IV. ep. XIX.*

Tertio Kalendas maji [b] ex eremo conqueritur cum eodem Eugenio, quod se absente & in sanctitatis suæ rebus occupato Vangaticiense monasterium nobilissimum religionis Camaldulensis membrum subductum fuerit, & cardinali Bononiensi commendatum. *Nec tam moveor*, inquit, *incommodo nostro, licet verecundum sit nobis, suffundamurque rubore, quod qui cari esse & grati tuæ sanctitati videbamur, ita neglecti sumus, quam honore tuæ pietatis atque æstimatione, quæ violari modice visa est, dum inclementius contra servum tuum agere videretur, futuroque periculo, ne quando cepit monasterium ipsum, te præsule, qui nulli neque præterito, neque futuro pontifici amoris nostri gratia concedis, a nobis avelli, perpetuo fiat alieni juris. Quis enim Ambrosio servulo tuæ sanctitatis, & exiguo terræ pulveri ac cineri parcet, si hunc Eugenius beatissimus, quo, ut dixi, nullus unquam amantior vel fuit, vel esse jam poterit, ita contrivit? Et quoniam improbitate senis illius,* (cardinalis Bononiensis) *factum est, ut contra votum & institutum tuum, id monasterium invitissimusque illi commendares, benignissimeque promisit mihi sanctissimus dominus meus post hujus senis obitum restituendum nobis, neque ulli ultra commendandum, id venit in mentem petere a tua sanctitate, ut servata illi seni pensione annua, quam ipse constituit, is, qui fuerat electus abbas vir gravis & judicio meo ad eam gubernationem aptissimus præficiatur monasterio, neque abbatis titulo & honore careat, confirmatione a tua sanctitate accepta. Multiplex ex hoc sequetur utilitas. Primo, quia cras morte senis hujus subsequuta, monasterio jam religioni nostræ restituto, prælatumque habente, eorum languescet conatus ac studium, qui hujusmodi prædæ avide inhiant. Neque ex eo rursus beatitudo tua fatigabitur, quando legitima suppetet excusatio, monasteria, quæ non sint prælatorum destituta solatio, minime honestum esse commendari. Ac licet non ambigamus tuam sanctitatem constantissime repulsuram improbos & importunos homines, tamen minus restabit negotii, minusque obtundentur aures tuæ, rebus ita constitutis. Et fieri posset, ob vitæ præsentis incertitudinem, ut successor tuæ sanctitatis non æque affectus nobis, quæ ipse promisisses, nequaquam servare vellet, frigerescetque ipsius impetus, monasterio minime vacante. Ad hoc, abbate gubernante, possessiones & jura monasterii cautius & me-*

b *Lib. I. ep. XXII.*

& melius conservabuntur, neque ea passim quisquam sibi usurpare præsumet. Quod mirum est, si non modo fiat, quandoquidem multitudini laicorum gubernatio ipsa permissa est, qui a sene ipso conduxere monasterium sub pensione annua mille ducatorum. Seni quoque ipsi, qui adeo est pusillo animo, ut omnia sibi putet defutura senili metu, pensio annua vel jam constituta, vel moderatior, si velit, reddetur, ut stipendia sibi victus defuisse non possit conqueri. Præterea magnum inde nos a tua sanctitate beneficium consequuti videbimur, restitutique in antiquum gradum. Sed & illustris marchio Ferrariensis (Nicolaus) *& privati patriæ ipsius cives plurimi, quibus ea res fuit molestissima, recreabuntur.* Excusat inde, quod commotus scribat contra Bononiensem cardinalem, qui crudeli animo & infesto fuit contra ejus sanctitatem, qui oblique egit apud concilium, non præsens tantum, sed absens quoque; indignissimeque fert omnino illum primum omnium id de pontifice postulasse, quod in dedecus & detrimentum vergeret Camaldulensis congregationis. *Credo ita ulcisci voluit fidem atque constantiam servi tui, qua in concilio ipso pro domino meo contra illius deliros motus sum usus. Et certe si cuivis alteri ex cardinalium numero fuisset monasterium ipsum commendatum, minus ægre minusque moleste tulissem. Sed sic actum est, dolereque possumus, emendare non licet.* Electus fuerat Vangaticiensis abbas prior Camalduli Foro-liviensis, quem ad eremum evocaverat Ambrosius, an forte acquiescere vellet, ut solveret annuum pensum cardinali, dum viveret; isque summa modestia totum negotium permisit Ambrosii arbitrio, ut liquet ex epistola ad Mariottum data ea ipsa die vigesima-nona aprilis [a], cui Bononiam ad pontificem proficiscenti negotium commiserat, cuique subdit se ea super re scripsisse pontifici, episcopo Ariminensi, cardinali ipsi Bononiensi, Gregorio Corrario protonotario nepoti cardinalis, Placido cubiculario, & ante omnes illustri marchioni Ferrariensi. Legatur epistola ad Christophorum episcopum [b], a quo petit, ut electi Vangaticiensis abbatis confirmationem obtineat a pontifice cum annua pensione danda cardinali, cui ipse lenissime scripsit. Marchionis autem Ferrariensis Nicolai ideo partes se requirere, quandoquidem conquestus fuerat marchio, dum ipsum visitavit Ferrariæ, electum abbatem non fuisse confirmatum; alia quoque [c] ad Pavanellum, ex qua in cognitionem venimus electum se contulisse ad pedes pontificis pro recipiendo confirmationis beneficio. Christophorus a sancto Marcello hoc anno ex Cerviensi ad Ariminensem cathedram transierat.

Duodecima maji [d] commendat Christophoro Ambrosius monachum sancti Mauritii de Altaha inferiori, qui Romam venerat pro obtinenda confirmatione constitutionum Benedicti XII. Orat etiam eumdem episcopum, ut faveat supplicationibus Andreoli Justiniani, qui indulgentias petebat, & insuper exorabat facultatem tenendi penes se capellanum assiduum, qui sibi familiæque suæ inter Græcos degenti sacramenta ministrare valeret; præsertim cum ipse Andreolus, quem optimum & religiosissimum principem vocat, filias haberet nubiles, adeoque summam honestatem desideret in eo viro, qui futurus sit suus continuus commensalis. Ex eremo XVII. [e] kalendas junias Eugenium pontificem precatur pro Bifolo quodam in causa ecclesiæ sancti Lazari de Burgo-sancti-Sepulcri. Die sequenti [f] Bernardum abbatem Volaterranum invitat, ut ad se veniat diutius futurus. Aliqua addit de præceptis ab Andrea monacho viro militari non servatis. Octavo kalendas junii [g] iterum urget negotium monasterii Vangaticiensis in literis ad eumdem Romanum pontificem. Idipsum eadem die [h] ad Pavanellum scribens, & docens Gregorium Corrarium nepotem cardina-

Ann. Chr. 1436.

a *Lib. XV. ep. XLII.*

b *Lib. III. ep. LIV.*

c *Lib. IV. ep. XX.*

XXXIV. Postulatoriæ & commendatitiæ Ambrosii plures epistolæ ad annum 1436. pertinentes.

d *Lib. III. ep. LV.*

e *Lib. I. ep. XXXIII.*

f *Lib. XVI. ep. XXX.*

g *Lib. I. ep. XXIV.*

h *Lib. IV. ep. XXI.*

ANN. CHR. 1436.

nalis Bononiensis difficilem se reddere visum fuisse, ac jam inhiare post mortem patrui monasterio Vangaticiensi, licet ad ipsum scripserit amice. Post biduum [a] eidem Placido gratias refert pro impetratis gratiis ejus ope a Mariotto abbate, & ab Allegro ipsius fratre. Narrat se aggressum inter cetera ædificia & sarta tecta fuisse fontem vetustate ferme collapsum reparare, positum e regione monasterii, subsidiumque a pontifice petit. Pridie kalendas junii [b] dolet cum Sebastiano abbate Camalduli-Florentini, quod *monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia scindatur factionibus, verborumque conviciis occasione cujusdam horti, in quo primores lanæ Florentinæ urbis construere cogitant publicum ædificium pro intendendis pannis. Ad quam publicam petitionem monachi nimis faciles consensere, illi scilicet, qui rem agunt, conventu cetero reluctante, scandalaque prospiciente, quæ ex vicino ædificio poterant evenire monasterio*; *admonebantur enim, quantum ex simili ædificio in eodem solo molestiarum olim perpessi fuerant, nam præter strepitus quotidianos vocumque lascivias adeo turpiter ibidem vivebatur, ut postribulum potius videretur magno cum scandalo fratrum, qui nulla unquam ratione, ut remedium sistendæ tantæ cladi adhiberetur, obtinere potuerant, donec sui juris effecto solo illo, etiam ædificium a fundamentis fuit dirutum*. Utraque pars monachorum ad Ambrosium scripserat, & utramque ipse monuerat, ne ulla ratione acquiescerent hujusmodi ædificii postulationi. Sed ecce nuntiatum sibi fuerat negotium fuisse confectum. Quare Sebastianum hortatur Ambrosius, ut factiones in monasterio compescat, & zelo honoris Dei percitus impediat pro posse hocce ædificium. Se hac super re scripsisse consulibus artis, Cosmo item Mediceo, & Laurentio tunc vexillifero justitiæ, ut partes suas interponerent, agerentque cum consulibus & cum reliquis, quorum intererat, ut vellent monasterii quieti prospicere. Priores vero artium & vexillifer justitiæ populi & communis Florentini responderant Ambrosio die ultima maji [c] audivisse illum se opponere, quominus consules artis lanæ haberent hortulum quemdam ad monasterium spectantem, pro construendo super ipso ad pannorum usum ædificio, sed eos jam habuisse consensum prioris monasterii, & pretii conventionem fecisse; quare contractum non solum pro publica utilitate, sed & pro honestate rei non posse amplius rescindi; quinimmo accedere se præfatæ postulationi intercessione propria apud ipsum; provisuros ceterum, ut omnia in domo illa agerentur honeste, & demum id vergere in honorem Dei, ob tot pauperum hominum alimoniam, qui eam artem colendo vivunt. Cedere coactus fuit Ambrosius, ne majus scandalum oriretur, ut significat idem ipse in aliis epistolis nonis & idibus junii [d] scriptis ad eumdem Sebastianum abbatem, nam ars in deliberationem venerat construendi ejus ædificii in horto contiguo sanctæ Mariæ-novæ.

Placido cubiculario [e] kalendis junii refert Allegrum fratrem Mariotti Eugenio mox commendatum captivum detineri a gubernatore Burgi, quem proinde pontifex sive innocentem absolvat, sive reum mandet restitui. Duodecima junii scribit Francisco priori sancti Benedicti extra Florentiam ex Fonte-bono [f]. Die XIII. junii [g] ex eremo Christophori episcopi protectioni & operæ commendatum facit negotium monasterii Vangaticiensis, causam similiter monasterii Burgensis cum episcopo Castellano. Gaudet de bono animo legati cardinalis Juliani, quem ipse pluribus lacessiverat epistolis post reversionem suam a concilio, quemque exoptat in Italiam remeare; lætatur quoque præsidentes reverti ex concilio, quibus vult Ambrosius, ut Christophorus testis sit, quantum illos ipse ope & literis officioso animo commendatos fecerit summo pontifici. Eadem die [h] Pavanello

a Ibid. ep. XXII.
b Lib. XVII. ep. XXVII.
c Lib. XXIV. ep. XVII.
d Lib. XVII. ep. XXVIII. & XXIX.
e Lib. IV. ep. XXIII.
f Lib. XVIII. ep. XI.
g Lib. III. ep. LVI.
h Lib. IV. ep. XXIV.

nello innocentiam Allegri manifestat; imputabatur huic ad culpam, quod cum credita ipsi fuisset una ex arcibus oppidi, vacuam sollemni munitione eam esse audierat gubernator Burgi, atque ideo illum potissimum tenendum arbitratus est, quia Baldaccii amicissimus erat. Hic Anglariensis patria comestabulus erat peditum pontificiorum & Florentinorum. Illam sive Florentini, sive alii quidam expilaverant, quam ipse quidem munitiorem, quam accepisset, plane reliquerat. Romanus pontifex Allegrum relegaverat Camaldulum; petit ergo Ambrosius eumdem Burgo restitui. xv. kalendas julii [a] eidem Placido commendat Anselmum monachum negotia ordinis gesturum. Eidem ex eremo octavo kalendas julii [b] mittit libros epistolarum suarum absolutos, quibus jungendas ait & eas, quæ ad ipsum scriptæ sunt. Mittit ipsi etiam vitam sancti Romualdi. Meliorem ipsius esse sortem judicat, qui curam habeat dumtaxat feminarum, earumque laudatæ vitæ. Septimo kalendas [c] scribit Sebastiano abbati de rebus ordinis. Significat Christophoro episcopo sexto kalendas [d], in causa prioris sanctæ Mariæ-angelorum de Bononia novem latas fuisse favorabiles sententias, sed duas ex ipsis in domibus privatis judicum. Orat ergo ipsum, ut non obstantibus statutis urbis pontifex decernat etiam illas duas sententias admittendas non secus, ac si in foro vel curia latæ fuissent. Ad memoriam ipsius revocat negotia monasterii Burgensis contra episcopum Castellanum, & Vangaticiensis abbatiæ contra senem cardinalem. Conqueritur, quod cum socius peregrinationis & legationis Antonius promotus fuerit ad episcopatum, ipse pro merito subtractione nobilissimi monasterii mulctatus fuerit, cum tanta egerit in concilio pro immutando animo legati, tantaque cum imperatore pro reddendo eo benevolo erga pontificem. Subdit rumores audiri de translatione concilii ex Basilea Florentiam, patresque illos habere Florentiæ legatum suum, pro obtinenda sede concilii in ea urbe. Cupit certior fieri, an advenerint præsidentes cum cardinale sanctæ Crucis; dolet Eugenium podagra detineri. Quarto kalendas julii [e] utraque causa Vangaticiensis & Burgensis commendatur ab Ambrosio Christophoro. Audivisse se cardinalem Bononiensem venisse ad accessum papæ. Burgenses vero misisse oratores ad pontificem pro causa monasterii; ita enim eos esse affectos monasterio, ut cum discordia aliqua sit in oppido, claves ipsius deferant ad abbatem utraque pars litigans. In editione Martene hæc epistola data legitur hoc anno ex eremo decimo kalendas februarias; sed mense januario adhuc in Germania commorabatur Ambrosius. Tertio kalendas julias [f] a Placido cubiculario expetit, an pontifex Florentiam non redeat, ut rumor increbuit, sed Utinum ex Bononia pergat, quo pontificis itinere infecta remanere dolet negotia se inter & eremitas; quæ negotia commendat tum ipsi Placido, tum abbati sancti Pauli de Urbe. Decima julii [g] ex Fonte-bono Bernardum abbatem Volaterranum ad se advocat, ut reddendas a ministris rationes cognoscat ante capituli tempus, quod septimo kalendas septembris celebrari decretum est.

TRANSTULERAT Ambrosius diebus præteritis orationem Gregorii Nazianzeni de morte patris sui mittendam dono Alphonso episcopo Burgensi; eam proinde scribendam, si possit, mittit Michaeli Angelorum monacho die XIII. julii [h]. Refert se tunc occupatissimum esse pro præparatione capituli generalis. Vult, ut nuntiet Nicolao tres quoque ejusdem Gregorii orationes de pace propediem se missurum, quas archiepiscopo Mediolanensi (Francisco Piccolpasso) dedicavit oratus ab illo, ea tamen conditione, ut quæcumque ipse archiepiscopus haberet peregrina, deferenda curaret ad Nicolaum. Decima-septima julii [i] Augustino priori Rosæ Se-

narum

Ann. Chr. 1436.

a Ibid. ep. XXV.
b Ibid. ep. XXVI.
c Lib. XVII. ep. XXX.
d Lib. III. ep. LVII.
e Ibid ep. LVIII.
f Lib. IV. ep. XXVII.
g Lib. XVI. ep. XXXI.

XXXV. Similes, & aliquæ Ambrosii ex Græco versiones.

h Lib. XIII. ep. VII.
i Lib. XII. ep. XXIV.

Ann. Chr. 1436.

narum scribit, ut quandoquidem pestis grassatur in urbe Senensi, custodia maxima conservet pueros, ne peste inficiantur, sed si vis morbi augeatur, eos transferat ad sanctum Georgium de Apibus, vel ad monasterium Berardingæ, vel ad Montem-Grimaldum, & ibi maneant etiam mulieres illæ duæ vetulæ ibidem residentes, vel hæ ad monasterium sancti Mamiliani transferantur, futuræ ibi, donec transeat pestis flagellum. Scribere se ea super re ad abbatem sancti Vigilii, qui eos ita locet, victuique necessaria subministret. Nicolaum infirmari graviter, parumque de illius salute sperare Paulum medicum. Bononiam cogi se ire ex jussione pontificis una cum eremitis, ut ibi finem accipiat mutua controversia, hodieque proficisci. Augustinum monachum Angelorum post suum reditum ex Basilea, quique fuerat itineris sui comes, præfecerat monasterio Rosæ Senarum in locum Benedicti. Dilatum tamen iter suum indicat sequens epistola; nam ex eremo XII. Kalendas augusti [a] eadem recinit Christophoro episcopo, quæ in superioribus epistolis quoad monasterium Vangaticiense, quod saltem ad sublevandam inopiam, & ad portandam scriptorum necessariam alimoniam sibi dare debuisset pontifex. Refert, se nuperrime transtulisse orationem Nazianzeni *in mortem patris*, Burgensi episcopo mittendam, ut ei pollicitus fuerat, quando Basileæ de patris obitu æque episcopi ipsum consolari studuit. Tres quoque se habere præ manibus *de Pace* orationes ejusdem Nazianzeni nuncupandas archiepiscopo Mediolanensi. Quærit, an concilium transferatur, an advenerint Florentiam præsidentes? Scribi sibi ex Florentia nuntios Basileensium patrum, & Gasparem Perusinum hominem varium eo nomine applicuisse, & per eos concilium postulasse, ut securis venire atque redire liceret & remorari, quæ omnia indulserit civitas. Sexto kalendas augusti [b] eumdem episcopum orat, ut deprecetur pontificem, quatenus pro sui ipsius substentatione convertat redditus monasterii Vangaticiensis, & cardinali Bononiensi aliunde provideat. Ceterum se multum facere judicium ejusdem Romani pontificis, qui afferat devotam Ambrosium præstitisse servitutem ecclesiæ & apostolicæ sedi. Circa causam Vicetini monasterii eam rem provisionem obtenturam in proximo capitulo generali congregationis. Gratulatur præsidentes ex Basilea advenisse. Gaudet quoque Signiensem episcopum a se dilectum, dignumque, qui diligatur ab omnibus, promotum fuisse. Commendatum se faciat pontifici orat, & archiepiscopo Tarentino. Eidem ex eremo die tertia augusti [c] scribit pontificem sibi jubere, ut ad ipsum veniat Bononiam; cardinalem vero Bononiensem respondere, ut monachos Vangaticiam mittat; neutrum autem sibi facere licere, quia adest tempus capituli. Se odisse præsentiam ejusdem cardinalis immanissimi in patruelem pontificem Eugenium, quem pro pontifice non tenet; monachos autem non mittere ad regularem observantiam instituendam, quia cardinalis monasterium termino perpetuo locavit, monachi vero omnem paterentur egestatem; vidisse se similiter monachos sancti Zenonis Veronæ alterius monasterii illi commendati & paucissimos, & in maxima inopia viventes. Resignet cardinalis monasterium, & statim mittentur monachi observantes. Eadem die [d] hæc ipsa excusat scribens pontifici, tempus scilicet proximum capituli impedire, quominus se conferat Bononiam, ubi fuerat ab ipso accersitus. Narrat ipsi se, Basileæ dum erat, legisse literas crudelitatis plenas in ipsum eo ferme tempore scriptas a cardinale sene Bononiensi, quo monasterium Vangaticiense sibi commendari postulabat, eas literas lectas quoque fuisse a cardinale legato Juliano, qui post earum lectionem obtudit sui instantiam, purgavitque propriam pertinaciam, quod staret contra pontificem, exemplo patruelis dicti pon-

tificis

a Lib. III. ep. LIX.

b Ibid. ep. LX.

c Ibid. ep. LXI.

d Lib. I. ep. XXV.

tificis, ipsumque Bononiensem cardinalem ad hodiernam diem paratum esse stare & arma gerere contra eumdem pontificem. Eadem repetit de monachis Vangaticiam non mittendis, de reformatione, & de exemplo monachorum sancti Zenonis, quæ in epistola ad Christophorum dixerat. Cardinalis resignet monasterium, abbatem regularem permittat, tunc observantia introducetur. Nepotem hujus senis monasterium appetere. Pontifex melius relaxet Vangaticiæ monasterium sibi pro sustentanda alimonia puerorum, & librariorum, qui scribunt opera a se e Græco in Latinum traducta.

ANN. CHR. 1436.

Decima-nona augusti [a] Christophoro Ariminensi commendavit abbatis Britonoriensis Sepulcri negotium. Se loquutum fuisse cum domino Cæsenate (e familia Malatestarum) qui juvenili tumore respondit se verba facturum cum pontifice, cujus vicarius est, & addidit Sepulcrum esse factiosum, & Baldaccio studere, ac Britonorienses in factiones divisisse. Respondisse se Malatestæ, ut pateretur saltem vicarium constitutum a Sepulcro legitime administrare; verum cum timeat Malatestam posse scribere camerario vel archiepiscopo Florentino, ideo Christophorum exorat Ambrosius, ut sermonem de ea re habeat cum pontifice. Johannis cujusdam comitis supplicationem commendat eidem episcopo. Vigesima-quarta [b] augusti ex Fonte-bono scribens Bartholomæo & Ugolino de Viarana fratribus deplorat incendium monasterii sancti Hippolyti de Faventia, censens pro ipsius reparatione Faventino principi & parœcianis supplicandum, non autem distrahenda monasterii prædia. Ægre fert se absentem a Florentia non potuisse operam suam præstare Ugolino.

a *Lib. III. ep. LXII.*

b *Lib. X. ep. XVIII.*

XXXVI. Capitulum generale Fontis-boni.

QUOAD capitulum generale ordinis celebratum fuit die XXVI. augusti hujus anni in monasterio Fontis-boni, Ambrosio præside, & definitoribus Guaspare sacrista, Bernardo sancti Justi, & Mariotto Deciani abbatibus, Matthæo sanctæ Mariæ de Balneo, & Bartholomæo Camalduli-Foro-liviensis priore, ac inter cetera die vigesima-octava decretum fuit irritari & annullari uniones omnes factas in postremis capitulis Burgensi & Britonoriensi; ex tabulario Fontis-boni [c].

c *§. Electio 96. A. 5. 28.*

XXXVII. Ambrosius Bononiam se confert ad pontificem.

CAPITULO celebrato Bononiam se contulit Ambrosius. Augustino priori Rosæ Senarum [d] narrat periculum in itinere, quod iturus ad pontificem Bononiam incurrit, sed epistola mutila est. Refert etiam eidem die vigesima-quinta [e] septembris gravi se infirmitate detineri Bononiæ. Petit ab ipso, ut ad se mittat duas suas de Pace, quas traduxit, orationes ex Nazianzeno. Orat, ut Bernardus abbas Volaterranus, quem in Fonte-bono vicarium constituerat, sustineat usque ad redditum suum. Se Bononiæ mala valetudine fuisse affectum, ut de vita quoque sua desperaretur, eidem notum facit; convaluisse autem ex aqua Balnei; se proficere in assequenda bona valetudine, reditumque proximum ad eos sperat. Idipsum repetit [f] diebus XX. XXIV. & XXV. scribit etiam XXVIII. mensis octobris. Tertia novembris [g] gratias habet Bartholomæo de Viarana gratulanti pro ejus recuperata sanitate.

d *Lib. XII. ep. XXV.*

e *Ibid. ep. XXIX.*

f *Ibid. ep. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.*

g *Lib. X. ep. VI.*

XXXVIII. Lites Ambrosii cum eremitis.

QUARTA-DECIMA novembris [h] ex monasterio sancti Damiani Bononiæ significat Francisco Sandello abbati Carcerum, se ex definitorum capituli generalis sententia, quod habitum fuerat desinente mense augusto, venisse Bononiam pro dirimendis litibus, quas habebat cum eremitis; mala valetudine se tentatum per mensem, & cum Bononia discessurus esset, eremitas querimonias contra se repetiisse, rem ad examen deductam fuisse cardinalis sanctæ Crucis. Narrat eadem die [i] Simoni priori sancti Benedicti extra Florentiam novas molestias contra se invectas ab eremitis, petit-

h *Lib. XX. ep. XIX.*

i *Lib. XVII. ep. VIII.*

ANN. CHR. 1436.

a Lib. VII. ep. IX.

petitque adversus eos testimonium pro se bonum a plurimis monasteriis. Vigesima-septima [a] ejus mensis Cosmo Mediceo gratias agit pro pollicitationibus in causa sua cum eremitis, justitiam & innocentiam sibi patrocinari, deprehensam fuisse adversariorum malitiam tum a pontifice, tum a cardinale sanctæ Crucis, cui examen commissum fuit, admonitis omnibus ad reverentiam sibi præstandam. Pontificem injunxisse sibi traductionem sacrarum literarum ex Græco, constitutis sibi ducentis aureis, mandasseque, ut commentarium Chrysostomi super Matthæum tranferret, quando Aniani peritissimi interpretis solæ viginti-quinque homiliæ reperirentur. Aspirare ad hoc & totum cardinalium collegium. Postulat itaque a Cosmo quatuor librarios velocissimos & peritos, qui excipiant dictata sua commode atque transcribant, sibique succedant invicem, ne ipse in scribendo laborare habeat. Ipsis librariis etiam se indigere pro absolvendis operibus Dionysii. Pallantem Strozzium inter sua volumina habere quinquaginta priores in Matthæum homilias, Florentiæque eas servari. Orat ergo, ut volumen ad se deferatur, præsertim cum duplicatum viderit apud illum id opus, partiaturque hoc onus cum Nicolao optimo sene & studiosissimo.

b Lib. XVII. ep. XXXI.

c Ibid. ep. XXXII.

d Lib. XIV. ep. IX.

e Lib. XVII. ep. XXXIII.

Kalendis decembris [b] ex Fonte-bono declarat reditum suum, molestiasque tum animi, tum corporis perpessas Bononiæ Sebastiano abbati Camalduli-Florentini. Quinto idus decembris [c] cum eodem conqueritur in adversis sibi ejusdem amorem deesse. Obloquutionibus suorum adversariorum respondet, criminaque sibi objecta diluit. Quarta decembris [d] Lucæ prioris Angelorum Florentiæ amorem excipit, dolentis ob vexationes hujusmodi. Decimo kalendas januarii [e] Sebastiano abbati narrat inventa & querimonias eremitarum contra se, & quandoquidem obtinuerant a pontifice breve, ut eligerentur quatuor prælati, qui possessiones & bona eremi distribuerent pro victu & vestitu eorum, & elegerant ex iis unum, quem jure merito ipse reprobaverat, orat, ut contra hunc examen conficiat.

f Lib. XX. ep. XX.

Vigesima-septima decembris [f] ex Fonte-bono Sandello abbati Carcerum potestatem facit ob obitum abbatissæ sanctæ Christinæ de Tarvisio, tres Cistercienses moniales nobilium literis commendatas recipiendi in monasterium illud, unamque ex iis ceteris præficiendi. Statutum fuerat in capitulis generalibus, ut monasterium sanctæ Christinæ destrueretur, & ne quam ultra monialem abbatissa ad habitum reciperet. Leges pariter ordinis erant, ut neque monachi, neque sanctimoniales alterius ordinis admitterentur in quocumque Camaldulensi monasterio. Copiam tamen facit, si id viderit expedire. Agit in ea epistola etiam de Benedicto monacho sancti Michaelis de Muriano. *Demum*, subdit, *negotia nostra, quo fine clausa sint, scire aves. Ante omnia Bononiæ acri morbo atque diuturno tentati sumus. Statuta capituli pontifex legit, & maxima ex parte approbavit, neque ipse solum, verum & cardinalis sanctæ Crucis homo summæ gravitatis, atque auctoritatis, cui examinanda permissa sunt. Exitum inde parabamus, cum eremitæ nostri illuc miserunt Placidum illum inclusum, qui contra nos hæc atque illa garriret. Venit, auditus est a cardinali ipso primum, deditque in scriptis objecta, quæ omnia ipso præsente, cardinaleque judicante falsitatis arguimus, & Deo miserante, crimina nobis objecta diluimus. Conventus est graviter a cardinale ipso primum, & a pontifice postmodum nobis præsentibus, admonitusque est a pontifice ipso de reverentia nobis impendenda. Nos item sumus admoniti, ut necessaria illis provideremus, bonaque cum pace discessimus. Et audi temeritatem hominis memorabilem. Præcessit nos Florentiam, tamque multa disseminavit contra nos, ut mirum sit, adeout fratrum nostrorum & amicorum animos vehementer contristarit, falsissime confingens*

nos

nos a pontifice privandos, si institisset; se impetrasse, quæ petierat omnia, nobis omnem sublatam auctoritatem, quippe qui confusi fuissemus. Literas secum detulerat a cardinali ad eremitas, & a pontifice item, quas magna continere dicebat, & pro se & contra nos. Audi quid dispensatione Dei actum est. Literæ ipsæ in manus cujusdam ex nostris pervenerunt, Florentiæque disseminatæ sunt per totam civitatem, quibus summus ille vir hortatur illos gravissime, ut obedirent nobis, revelatique sunt omnium animi. Pontificis item literæ longe aliud quam ille diffamarat, declaraverunt. Superbia tument ac rigidi perstant infelices, quam illorum superbiam memorato cardinali suggessimus literis, hortatusque est benigne ad tolerantiam, vehementer illorum exhorrescens insaniam. Hoc in statu sumus. Admonet cardinalis ipse, ne in eremo simus, ne ultra illuc eamus, metuens nobis a crudeli illorum conscientia, tempus expectandum suadens, cui obtemperare per omnia animus est. Placido Pavanello tertio kalendas januarii narrat, quanta arrogantia agant contra se eremitæ in collationibus beneficiorum. Misisse eos iterum Placidum eremitam Bononiam nova tentaturum, qui disseminaverit per urbem Florentiæ Ambrosium privatum omni auctoritate jurisdictionis a pontifice, abrogandamque illi fuisse dignitatem, nisi prece obstitisset idem Pavanellus, cui scribit. E contra repertas fuisse literas cardinalis sanctæ Crucis & pontificis, quæ exigunt, ut ab eremitis reverentia exhibeatur Ambrosio. Implorat itaque ejus opem adversus irreverentes tumentesque eorum animos. Sequenti die [a] ex Prato-veteri carpit Sebastianum abbatem desidiorem timore, ne offendat eremitas.

a *Lib. XVII. ep. XXXIV.*

XXXIX. Epistolæ nota diei carentes.

SPECTANT ad hunc annum epistola Ambrosii [b] ad Lucidum Johannem Gonzagam, qui filii loco sibi traditus fuerat ab ejus parente Mantuæ domino Johanne Francisco, cujus versus de Sigismundi pompa cum ingressus fuit Mantuam, ipse legerat cardinali Juliano in urbe Basileæ, eum provocat ad lectionem sacrorum librorum, sed potissimum operum sancti Hieronymi, se quoque adolescentulum Hieronymi lectione suaviter delectatum, & multa in ejus operibus capita memoriter recitasse. Instinctu ejusdem Juliani cardinalis se eum petiisse in filium ab ejus genitore, sicut Julianus fratrem ejus natu majorem in filium expetierat; matrem autem ipsius Paulam Malatestam aperuisse sibi desiderium filii, quod nutriebat proficiscendi a patria studiorum gratia. Pertinet & epistola [c] ad Gasparem Majorem eremi ceterosque eremitas ex Fonte-bono prope vigiliam nativitatis Dominicæ. Ita epistolæ [d] ex Bononia ad Philippum Angelorum monachum, in quarum altera refert se venisse Bononiam die tertia, postquam ab ipsis profectus fuerat; ea ipsa die pervenisse eremitas, nihil hactenus actum fuisse præter quotidianos tractatus, neque adhuc pontificem fuisse se alloquutum; sperat in Domino negotia felici claudenda exitu, itaut imponatur perpetuum silentium eremitis; alia ad eumdem, quem certiorem reddit de rebus suis cum eremitis; se numquam antea majori gratia & honore habitum apud pontificem & apud bonos omnes cujuscumque ordinis viros, summa cum benevolentia & amore omnium. Jubeat, ut Nicolaus, quem lætus sanitati proximum didicit, sit bono animo. Alia de valetudine a se recuperata; quare sperat brevi Bononiam relicturum. Alia ex eremo ad ipsum Philippum. Epistola ad abbatem Cantiniani [e], cui monachum mittit, ex quo officium ceremoniasque reliquas ordinis addiscere possit, ut non sit ceremoniarum rudis tempore capituli generalis, quod proxime celebrandum erit; assumptus enim fuerat, ut vidimus anno 1433. non e cœtu monachorum, sed e cœtu clericorum a præposito & a canonicis Lucensibus. Ad Gerardum eremitam [f], cujus nimium fervorem cohibet.

b *Ibid. ep. XII.*

c *Lib. XVI. ep. XXIII.*

d *Lib. XVI. epp. XLVIII. XLIX. LII. LIII.*

e *Lib. XVIII. ep. XIX.*

f *Lib. XVI. ep. XXVI.*

XL. Hieronymi Aleotti epistola ad Ambrosium.

CUM literæ Hieronymi Aleotti anno superiori redditæ non fuissent Ambrosio,

An. Chr. 1436.

brosio, ille anno præsenti die XXVIII. maji [a] ex monasterio sancti Petri de Perusio, ad quod ex illo sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio diverterat, repetit querulas literas ad eumdem Ambrosium eadem refricantes, quæ præterito anno expostulaverat, gaudens tamen se literas ab eodem recepisse, quas sæpe sæpius deosculatus est & legit. Literas suas anno transacto dederat Placido cubiculario pontificis ad Ambrosium deferendas. Rationem reddit se Camaldulo non discessisse, nisi post exploratam pontificis voluntatem, qui copiam facere noluit sibi mutandi habitum atrum in album. Dispensationem hanc minime fuisse necessariam petere a pontifice naturæ duræ & severæ, præsertim cum jam intervenisset voluntas & assensus sui abbatis. Consolationem tamen se percepisse, eo quod suspicionem omnem in literis suis moliebatur Ambrosius, se occasionem non quæsisse eum expellendi. Salutat Augustinum monachum, cui adnexæ erant superiori anno literæ suæ ad eum.

[a] Lib. XXIV. ep. XIV.

XLI. Eugenii IV. plura brevia pro monaster. Camaldulensibus.

EUGENIUS kalendis martii mandat abbatibus sancti Vitalis Ravennæ, & sanctæ Mariæ extra portam Faventiæ, & sancti Gaudentii extra muros Arimini, ut curent recuperationem bonorum monasterii Classensis. Idem idibus martii præcipit Petro de Silbariis abbati sancti Vitalis de Ravenna, ut approbet concessionem abbatiæ Classis factam hospitalis sanctæ Mariæ de Misericordia ab Hostasio de Polenta milite Ravennate, quod erat laicorum negligentia & incuria in structuris & in ædificiis collapsum, ac in juribus & bonis suis deterioratum, quam traditionem approbaverat Thomas archiepiscopus Ravennas; quare Petrus abbas die sexta januarii anni sequentis indictione XV. eam approbavit, ex paginis Classensis cœnobii. Quinto kalendas octobris pontificatus sui anno sexto ex Bononia committit abbati sancti Stephani ejusdem urbis iteratam exequutionem unionis sanctæ Mariæ de Bethleem cum Camaldulo Bononiensi, quam exequutus fuerat tempore Martini V. anno ejus pontificatus septimo abbas sanctorum Felicis & Naboris itidem de Bononia, sed cum ad præsens dictum sanctorum Felicis & Naboris monasterium sit abbatis regimine destitutum, & paginæ unionis & exequutionis incendio perierint, vult, ut de novo unionem exequatur ad instantiam Petri prioris Camalduli-Bononiensis. Una cum Polixena Barbo Eugenii IV. germana, quæ visitatum venerat fratrem suum Romanum pontificem, advenerat & Francischina mater Francisci Sandelli abbatis Carcerum, quam omni respectu libenter Eugenius vidit, quippe quæ familiæ Condulmeriæ a teneris annis familiaritate maxima fuerat conjuncta, & alteri ex sororibus Eugenii ad mortem socia fideliter extiterat. Ex sermonibus autem cum Polixena, quam ab annis viginti non viderat, certior factus fuit Eugenius familiam Sandellorum divitiarum copia olim abundantem ad multam devenisse inopiam. Quare miratur, cur Franciscus abbas, qui monasterium habet opulentum & locupletissimum, matri & fratribus non subveniat; pensionem proinde ei præcipit solvendam centum & quinquaginta ducatorum, quos post provisos monachos & Christi pauperes impendere debeat quotannis in juvamen matris & fratrum. Polixena præfata neptis erat Gregorii XII. soror Eugenii IV. & mater Pauli II. Romanorum pontificum.

XLII. Aliquot historica nonnullorum monasteriorum.

EIDEM Francisco abbati mandavit sancta synodus Basileensis, ut cum ipsa eum constituerit generalem collectorem semidecimæ in clero subjecto dominio Venetiarum, nunc advenientibus ad partes Italiæ pro pace ibidem consequenda cardinalibus sanctæ Crucis & sancti Petri, Robertus Martellus Basileæ existens pro societate seu pro mercatoribus Mediceis mutuavit ducatos mille-sexcentos; quare cum Florentini mercatores pecuniam

mutua-

mutuatam re habere velint, in virtute sanctæ obedientiæ mandavit, quatenus exclusis mendicantibus, ceteros omnes, etiam S. R. E. cardinales, compelleret per censuram ecclesiasticam & per fructuum beneficiorum suorum sequestrationem ad solvendam dictam semidecimam.

ANN. CHR. 1436.

Habemus in parvo necrologio monasterii Carcerum hoc anno die XIII. aprilis tempore ejusdem Francisci Sandelli abbatis reconciliatam fuisse ecclesiam sanctæ Mariæ ejus monasterii per reverendissimnm dominum Franciscum episcopum Ciensem.

Johannes abbas Vallis-castri omnia & singula beneficia recensivit spectantia ad suum monasterium, ut singuli beneficia tenentes quolibet anno deberent ipsum monasterium visitare in festo sancti Romualdi die XIX. junii & census offerre juxta bullam Urbani IV. anni M. CC. LXII. die III. januarii manu magistri Michaelis de Tolosa. Eam seriem ad Appendicem mandamus.

XLIII. De domins Vallis-mareni, ubi abbatia Fullinæ sita est.

HOC anno ditio Vallis-mareni & Solighetti concessa fuit a republica Veneta in feudum illustribus duci Gattamellatæ Narniensi, & comiti Brandolino Bagnacavallensi. Brevem exscursum hic subjicimus de dominis dictæ Vallis, in qua consurgit abbatia Sanæ-vallis de Fullina, eo vel maxime quod frequentissime sub pluribus annis memoravimus in his Annalibus dominos Caminenses fundatores ejus abbatiæ, & per plura secula in ea valle jusdicentes. Ricciardus filius Guecellonis comes Cenetensis postremus fuit ex ea familia dominus. Nominatur in charta anni 1337.[a] *sexto intrante augusto indictione* V. *Bartholomeus vicarius & judex Pulcii gastaldionis in Valle-mareni pro magnifico & potenti domino Ricciardo de Camino superiori comite Cenetensi*. Sub anno quoque 1349.[b] adnotantur bona allodialia ejusdem comitis in Valle-mareni. Sed anno 1350. decima junii[c] *sub papilione Cisonis* legitur *dominus Johannes de Taranto capitaneus & gastaldus curie Vallis-mareni pro magnifico & potenti viro domino Marino Faliero honorabili comite Vallis-mareni*. Transierat ergo dominium ejus Vallis a familia Caminensium ad Marinum Faliero. Tamen in pagina[d] *anni* 1352. *indictione* V. *tertio junii in palatio castri Solighetti magnificus & potens dominus Ricciardus de Camino comes Cenetensis Francisco sindico monasterii Fulline* concedit pascua *in Farò & tota gastaldia Solighetti*. Hæc proinde loca subjecta adhuc erant Ricciardo. Marinus Faliero, sive Faletrus electus dux Venetiarum anno 1354. sequenti anno cum vita jacturam quoque fecit comitatus Mareni, introeunte in ejus jura republica Veneta, quæ vallem commisit patritio Veneto cum titulo Capitanei. Anno 1360. ultima februarii legitur:[e] *Mapheus Delphinus capitaneus Vallis-mareni*. Postea leguntur *pro ducali dominio Venetiarum Vallis-mareni & gastaldie Solighetti potestates*. Hoc titulo ornantur anno 1395. Andreas Maurocenus[f]; anno 1397. Nicolaus Venerius[g]; 1400. Johannes Venerius[h]; anno 1407. Ordelaffus Faletro[i]. Potestates hi cessarunt hoc anno, quo *Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum* &c. *inspectis innumeris virtutibus, fidei ardore, ingenti devotione, magnificis gestis & meritis magnificorum Gattamelate de Narnia, & comitis Brandolini de Bagnacavallo* &c. *concessit feudum rectum & nobile & gentile* &c. *prefatis viris pro se & eorum filiis & heredibus ab eis legitime descendentibus, castrum & locum Vallis-mareni territorii Cenetensis cum omnibus possessionibus, juribus ad locum ipsum & ad ipsum ducale dominium ratione ejusdem loci quomodolibet pertinentibus* &c. *Datum in ducali palatio* M. CCCC. XXXVI. *indictione* XIV. *die* XXVIII. *mensis februarii*[k]. Ex historia Brandolina[l] Pa

a *Num.* 732.
b *Num.* 125.
c *Num.* 1488.
d *Num.* 1258.
e *Num.* 170.
f *Num.* 149.
g *Num.* 111.
h *Num.* 299.
i *Num.* 101.
k *Edita in causa &c. Brandolina &c.*
l *Pag.* 83.

Ann. Chr. 1436.

tavii typis impressa anno 1648. per Julium Crivellari, Gattamellata obiit sine posteris, & comes Brandolinus feudum integrum obtinuit, qui cum insignibus familiæ suæ in platea sancti Antonii Patavii statuam equestrem erexit duci Gattamelatæ. Ex eo tempore familia Brandolina aggregata patritiis familiis Venetis late dominatur in tota ditione Vallis-mareni, & gastaldia Solighetti. Camerinensium dominorum historiam & syllabum conficere ex tabulario monasterii sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina erat animus; verum cum primi voluminis hujus libri longe excrevissent, consultius duximus eam omittere, ut rebus nostris majorem locum faceremus in sequentibus libris.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi M.CCCC.XXXVII. *ad annum* M.CCCC.XLI.

ANN. CHR. 1437.

I. Ambrosius vertit e Græco in Latinum Dionysium.



EX Socio, ubi morabatur initio hujus anni Ambrosius, versioni Græcorum patrum ex mandato pontificis & S.R.E. plurium cardinalium operam daturus, scripsit die octava januarii [a] Michaeli Angelorum monacho, ut Nicolaum excitaret ad responsionem literarum suarum. Sed jam moriebatur optimus senex, de cujus obitu plura inferius. Exquirit ab eodem Michaele libros nonnullos mandato pontificis castigandos, & a Nicolao librarios quatuor petit, qui exciperent traducenda, vel emendata transcriberent, & a quo etiam postulaverat Ethica ad Eudemium Aristotelis. Se nunc vacare vertendo Dionysio de divinis nominibus. Agit etiam de Carolo (Arretino) ad quem confluebat adolescentum multitudo. Pontificem pariter sibi jussisse, ut Chrysostomi in Matthæum primam partem, quia non reperiebatur Aniani traductio exacta, resarciret ipse, quam credit esse inter volumina Pallantis nobilissimi equitis. Hoc ipsum postulaverat a Nicolao. Peste grassante ex Fonte bono se Socium contulisse.

Ex eodem loco die undecima januarii [b] scripsit Bononiam Jordano Ursino, Francisco Condulmerio camerario dicto sancti Clementis, Angelotto Fusco sancti Marci, Dominico de Capranica Firmano, Antonio Casino sancti Marcelli, Brandæ Castellionæo Placentino S.R.E. cardinalibus, Christophoro Ariminensi episcopo contra suos eremitas multa sibi criminantes. Ipsis quoque significat se complesse Dionysium de ecclesiastica hierarchia & epistolas, vertere autem nunc opus de divinis nominibus. Idipsum scripsit [c] Placido Pavanello. Die sequenti [d] scripsit Bartholomæo de Viarana commodius satisfacturus alio responso circa dubia mota de sancto Hieronymo.

II. Deflet mortem Nicolai Nicolii.

TRIGESIMA januarii Florentiam se contulerat, ut scribit Mariotto [e]. Interea Bononiæ agebatur causa inter ipsum & Placidum eremitam a ceteris eremitis in eam urbem remissum. Reprehensus fuit Placidus a pontifice, quod ad curiam rediisset, objurgatus similiter a cardinale sanctæ Crucis;

a *Lib. XIII. ep. IX.*

b *Lib. II. epp. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. & lib. III. ep. LXIII.*

c *Lib. IV. ep. XXIX.*

d *Lib. X. ep. X.*

e *Lib. XV. ep. XLIV.*

Ann. Chr. 1437.

cis, exceptus tamen fuit a Pavanello monacho cubiculario, ejusque ope & monachorum sancti Proculi alloqutus est pontificem, cui duodecim eremitarum postulata exposuit contra Ambrosium. Res iterum delata fuit ad cardinalem sanctæ Crucis, qui Ambrosio favit. Quarta februarii [a] ex monasterio Angelorum Florentiæ Ambrosius scripsit ad Cosmum Mediceum de obitu amici. Anne Nicolai, cujus funeri ab ipso requirit, utrum interesse debeat? Sexta die [b] literas dedit Bartholomæo de Viarana. Septima ad Majorem & ad eremitas [c], ut eligerent quatuor viros pro dilucidandis componendisque quæstionibus juxta breve pontificis, qui literas Ambrosio dederat, ut exequutioni mandarentur, quæ prioribus literis suis constituerat, ac oblivione præteritorum cupiebat pacem in eremo restitui. Duodecima ejusdem mensis [d] describit, defletque obitum doctissimi viri Florentini civis Nicolai Nicolii ad Bornium Salam præclarum JC. Bononiensem. *Tristem*, inquit, *hæ literæ nuntium & lugubrem afferunt. Nicolaus noster vir optimus & amicissimus totiusque humanitatis condimentum excessit e vita, nosque mirabili desiderio sui vulneratos reliquit. Ejus morbus cum nobis innotuisset, advolavimus continuo ex eo loco, ubi acquiescebamus grate in otio & literis, ne amico antiquissimo migranti abessemus, solatiaque illi, quanta potuimus, exhibere curavimus. Tanta certe in illum totius civitatis officia cum in vita, tum in funere fuere, ut plane daretur intelligi carissimum omnibus gratissimumque fuisse. Tota hunc nobilitas, tota civitas insigni pompa deduxit, ut non funus putares, sed celebritatem præcipuam agi. Nemo non illi pias impendit lacrymas. Studiosi præcipue omnes & humanitati dediti parentem suum, promotoremque amisisse querebantur; & merito sane, namque judicio meo (quod libere fateri liceat) non habuit Latina lingua, neque nostra, neque patrum nostrorum memoria hominem, cui plus debeat honoris & laudis. Is enim profecto, si quid eruditionis, si quid eloquentiæ hodie habet Italia (habet autem tantum, ausim dicere, quantum ante sexcentos annos non habuit) auctor & princeps fuit. Is ut Græcarum literarum jam ante multa secula apud nos extincta studia reviviscerent, primus effecit. Is ut sepulta vetustatis monumenta in lucem venirent, mirabili diligentia & infatigabili studio solus ferme curavit; cum plerique & quidem magni viri ad id negligentius affecti viderentur. Is, si quid usquam bonorum ingeniorum eluxit, benevolentia mirabili incitavit, accendit, doctrinaque assidua & voluminum gratissima mutuatione ad frugem eruditionis evexit. Equidem, ut de me fatear, si quid sapio, si quid scio, totum illius memoriæ debeo, quo veluti stimulo torporem excitante nostrum modice pro ingenii tenuitate profecimus. Quam moleste ille, quam ægre tulit me a sacratiore studio abstrahi, atque ad curas inutiles fere deduci? quam mihi timuit omnia, etiam quæ tuta esse viderentur? Deus bone! quibus ille & præsentem verbis, & absentem literis ab hujusmodi ineptiis occupationum ad otia literaria, veluti data manu, revocare curavit? Fateor, Borni carissime, ita mihi destitutus videor, ac si parentem amiserim, vererique incepi, ne obmutescente illo, vocisque illius lituo auribus meis non, uti solebat, concrepante, frigescat omne studium nostrum, ignisque ille, quo aliquando accensi videbamur, sensim languescat & consenescat, atque deficiat, effundamurque ad exteriora negotia neglectis intimis deliciis. Fuerunt ista significanda tibi, ut quem nobiscum amabas, pariter desiderares, & reversum in patriam ex peregrinationis exilio amicum votis nobiscum deduceres. Reliquit ille pretiosissimos thesauros, quos magno labore perpetuoque studio quæsivit, electissima quæque volumina, quæ ut sui, immo vero studiosorum hominum, quorum utilitati natus videbatur, juris essent, studuit semper, sed plane me-*

moriam

a Lib. VII. ep. VI.

b Lib. X. ep. VII.

c Lib. XVI. ep. XXII.

d Lib. IX. ep. XXI.

moriam nominis sui nunquam ulla hominum ætate abolendam, longe pretiosiorem reliquit. Vale carissime atque amantissime Borni. Florentiæ ex nostro monasterio sanctæ Mariæ de Angelis. Oravit in Nicolai obitu Poggius, qui proferens eos, quibus Nicolai verbum & opera ad humanitatem profuerunt, nominat *sanctimonia morum ac doctrina virum conspicuum Ambrosium eremitam* inter ceteros. Tabulas, quas confecit Nicolius die XXII. januarii hujus anni, profert ex tabulario Florentino Cl. Laurentius Mehus [a]: *Præstantissimus ac literatissimus vir Nicolaus olim Bartholomæi filius de Nicolis Florentinus civis* &c. *Ad hæc omnes libros suos tam sacros, quam gentiles, & tam Græcos, quam Latinos aut Barbaros, quos undique magna industria, diligentia, studio ab adolescentia nullum laborem subterfugiendo, nullis impensis parcendo coegit, reliquit & legavit in illis locis, & penes quos, & eo modo & forma, & prout & qualiter admodum infrascriptis honorandis & sapientibus viris videbitur & placebit, videlicet reverendo in Christo patri fratri Ambrosio venerando generali Camaldulensi, Leonardo Francisci Bruni de Arretio, Guilielmo de Tanaglis, magistro Paulo, Philippo ser Ugolini Pieruzzi, Poggio Gbuccii, Carolo Gregorii de Marsuppinis, Cosmo & Laurentio, Janoctio de Manettis, Nicolao Vieri de Medicis, Nicolao Johannis Gori, Dominico Leonardi Boninsegnæ, Franco Nicoli Franchi de Sacchettis], Francisco & Loysio Zenobii Lapaccini del Toso* &c. Revocans scilicet tabulas primas, quas exaraverat anno 1430. quibus eos legaverat monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Cosmi Medicei voluntate atque liberalitate libri Nicolai in bibliothecam divi Marci ejusdem urbis progressu temporis invecti sunt, soluto omni ære alieno, quod reliquerat Nicolaus.

ANN. CHR. 1437.

a *Pag.* lxiii.

III. Epistolæ varii argumenti, præsertim de litibus cum eremitis.

DIE XVII. februarii [b] Ambrosius Augustinum Rosæ Senarum priorem fiducia erigit ad sufferendam inopiam sui monasterii. Vult, ut caveat, ne ulla mulier septa cœnobii ingrediatur, quod præsumpsit ejus antecessor, nullusque monachus eo inconsulto e claustris egrediatur. Ex Florentia XXIII. februarii [c] scripsit ad Bartholomæum de Viarana. Die decima martii redierat Fontem-bonum, ex quo loco [d] Michaeli Angelorum monacho significat se accepisse volumina, Græcum Nazianzeni, & Latinum Augustini, sed requirat aliud Nazianzeni volumen, in quo longe plures insunt sermones, si tamen ibi sint duo de Spiritu-sancto libri. Mittat quoque sermones de Pace a se anno præterito traductos XXI. martii [e]. Augustino Rosæ priori declarat ex literis cardinalis sanctæ Crucis, Thomæ Sarzanensis, & Placidi cubicularii certiorem se factum ipsum Placidum (Pavanellum) post paschæ octavam ad eremum Camaldulensem venturum missum a pontifice ex Bononia ad componenda negotia sui & eremitarum, quem fortasse ipse e Camaldulo Senas postea deducet. Die secunda aprilis [f] ex eremo refert Michaeli monacho se complevisse versionem Dionysii de divinis nominibus. Petit ab ipso epistolas ejusdem Dionysii, quas paulo ante transtulerat, totumque opus collectum Dionysianorum operum dicare intendit Nicolao Albergatto cardinali sanctæ Crucis. In codice nostro membranaceo, in quo continentur omnia Dionysii opera ab Ambrosio translata, legitur: *Absolvi Ambrosius peccator Dionysii opuscula in monasterio Fontis-boni* XV. *kalendas aprilis anno Dominicæ incarnationis* M. CCCC. XXXVII. *indictione* XV. *emendavi & cum Græco contuli in eremo* III. *idus aprilis. Laus Deo sit semper.* Ad Mariottum die octava aprilis [g] ex eremo scribit Ambrosius Placidum cubicularium post tertium diem adfuturum. Ciardum autem Græcorum custodem ei commendat. Narrat ex Fonte-bono eidem Placido die XVIII. aprilis [h] strepitus eremitarum,

b *Lib. XII. ep. XXXIV.*

c *Lib. X. ep. VIII.*

d *Lib. XIII. ep. X.*

e *Lib. XII. ep. XXXV.*

f *Lib. XIII. ep XI.*

g *Lib. XV. ep. XLVIII.*

h *Lib. IV. ep. XXX.*

Ann. Chr. 1437.

rum, bellumque ab ipsis contra se indictum, eosque pluribus diebus tenuisse armatos homines in eremo; cui & pontifici causam suam commendatam facit. Die XIV. aprilis [a], ex monasterio sanctæ Mariæ angelorum de Florentia in epistola ad Bartholomæum de Viarana explodit fabellam de sanctis Hieronymo & Augustino, quos aliqui autumabant, hac in vita se mutuo vidisse, Hieronymumque ipsum strumam habuisse; quem cum Augustinus cerneret, admiratus sapientiæ magnitudinem, dixerit sancto cuidam ex fratribus: *Etsi in vasculo infirmo & deformi, quantum cælestis thesauri conditum est?* Responderitque Hieronymus secretiori objectioni: *Augustine, ipse fecit nos, & non ipsi nos*. Cum autem fabulam hanc verbo coram repulisset Ambrosius, oravit Bartholomæus eumdem, ut & scripto refelleret. Ostendit autem in hac epistola Ambrosius, numquam se ipsos in hac vita vidisse sanctos hos patres, allatis testimoniis ex eorum operibus; neque Hieronymum eo membrorum vitio laborasse, verbaque illa, quæ Augustino de Hieronymo tribuuntur, verius tribuenda Ambrosio Mediolanensi dicta de Martino Turonense. Cosmum Mediceum, qui sibi nuntiaverat nil e Bononia accepisse in rem suam, sed proxime venturum ex ea urbe Laurentium, ex Socio quarto kalendas junii [b] Ambrosius certiorem facit eremitas jactare se a regimine amotum; quod veretur ab ingenio vario pontificis. Id si futurum sit, libenter amplecteretur quietem, sed mallet non injudicatus damnari. Kalendis junii [c] eadem ad ipsum repetit, deflens se quinque & semis annos litus arasse maximo suo labore, & fructu perexiguo, tum ut quietem solitario loco restitueret, tum ut rusticanorum multitudinem amoveret, sed irritos cedere labores suos, eremitarum inconstantia & querimoniis. Gaudet quod abbas sancti Pauli (Johannes Siculus) vir gravis rerumque Camaldulensium peritus, quippe qui jam secunda vice religionis generali capitulo interfuit, veniat ad visitandam eremum; is enim turbas componere poterit. Duodecima junii [d] Michaeli monacho mandat servare codicem Chrysostomi in Matthæum, cujus primam partem penes se esse, hoc est homilias quindecim ipse Michael admonuerat. Miratur autem Ambrosius, quid sit, quod non utrumque secum volumen attulerit Cincius. Rogat, ut Hermolaus Barbarus Francisci nepos protonotarius & juvenis pudicissimus in monasterium Angelorum ut hospes admittatur, quod promissum fuisse sibi, cum esset in monasterio, hujusmodi diversorium afferebat Franciscus ipsius patruus. Eadem die [e] Francisco priori sancti Benedicti extra Florentiam scribit sibi consuli occurrere pontifici Florentiam properanti contra inquietos eremitas, quos solito superbiores reperit. Vigesima-sexta junii [f] significat Mariotto rumorem levem esse pontificem ex Bononia non Florentiam, sed Forum-julium aditurum, cum Cosmus afferat ipsum venturum Florentiam, ubi statuerit opperiri concilium; ejusdem opinionis esse & Placidum Pavanellum, quem generalem nominat. Nimirum ex monacho cubiculario Eugenii electus fuerat per hos dies abbas generalis Vallis-umbrosanæ congregationis, ad Massanam cathedram evecto Ricciardo a Monte-Iluco olim abbate generali, quem Puccinellius in vita Gometii [g], & Ughellius [h] in Italia sacra episcopum factum affirmant anno 1435. pontificatus Eugenii IV. anno quinto. Quarto kalendas julii [i] ad Petrum nobilissimum juvenem (Andreæ de Pactiorum familia filium) scribens petit ab eo colligi orationes in laudem Nicolai Nicolii recitatas; suas item orationes tradi Johanni Guicciardinio, qui eas magna vi precum sæpe postulavit transcribendas & restituendas. Spoponderat Ambrosius ipsi Petro e fonte levaturum alterum ex ejus filiis; verum in hac epistola veretur, ne nimis facilis fuerit in pro-

a *Lib. X. ep. XIII.*

b *Lib. VII. ep. VII.*

c *Ibid. ep. VIII.*

d *Lib. XIII. ep. VI.*

e *Lib. XVIII. ep. XI.*

f *Lib. XV. ep. XLVI.*

g *Pag. 22.*

h *T. III. col. 722.*

i *Lib. V. ep. XXXVI.*

promittendo, multosque reprehensuros in se hujusmodi factum, quod sit contra canones statutaque religionis, sed post sponsionem suam pertitat in sententia exequendi, quod pollicitus fuerat. Salutat spectatissimum virum patrem ejus & fratres. Quarta julii [a] ex Fonte-bono narrat Mariotto pontificem Florentiam non venire; generalem Placidum se invitasse Vallumbrosam. Undecimo kalendas augusti [b] ex Prato veteri fuse differit, opinionemque suam exponit eidem generali circa ætatem requisitam ad professionem monasticam; fecerat enim a Placido excipi professionem aliquorum suorum Fontis-boni novitiorum. Ad se verba de hac re fecisse pontificem, & allegasse authoritatem abbatis sanctæ Justinæ, qui putabat monachos ad professionem non admittendos ante decimum-octavum ætatis annum, cujus opinionis erat etiam Pavanellus, sed se respondisse a jure præstitutum esse quartum-decimum annum, quæ videlicet ætas & rationis sit capax, neque discretionis ignara, in qua ipse quoque professus fuisset Christi militiam; & in aliam demum sententiam tam pontificem, quam se venisse, expectandum esse sextum-decimum annum. Præterea orat Placidum, ut instet apud pontificem, quatenus, si ipse vult, ut transferendis libris Græcis incumbat, provideat indigentiæ suæ, & expensis necessariis pro librariis nutriendis, suppeditando sibi solatia ex bonis Vangaticiensis monasterii, & aliunde providendo indigentiæ cardinalis Bononiensis. Se transtulisse Nazianzeni orationem de morte patris, & tres de Pace, posseque quotidie plurima in otio transferre, si qui juvarent, non deessent. Pueros lente scribere, adeoque ipsos satis non esse, sed librarios & scriptores requiri. Aliqua addit de eremitis ipsorumque querelis quo ad lacum, pro quo faciendo stipendia sua relaxabat cardinalis sancti Petri; quem tamen non construendum cupiebat Ambrosius.

Ann. Chr. 1437.

[a] *Lib. XV. ep. XLVII.*

[b] *Lib. IV. ep. XXXI.*

IV. Iterum Bononiam se confert.

Ex Florentia iterum Bononiam ad pontificem se contulit idem Ambrosius, qui die XVII. augusti [c] scribens ad Silvestrum Angelorum monachum ex Bononia deplorat ægros & vita ereptos ejusdem Florentini cœnobii ascetas. Quinta septembris [d] ex monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Bononia permittit Johannæ abbatissæ vivere cum socia in monasterio sancti Georgii de Apibus, vel in monte Grimaldi, ita ut nullam in eodem parthenone deinceps monialem suscipiat, & post ipsius mortem locus desolatus defectu sororum uniatur cum monasterio Rosæ Senarum, ut stabilitum fuerat auctoritate generalis capituli & sua.

[c] *Lib. XIV. ep. XXI.*

[d] *Lib. XVIII. ep. XXXIII.*

V. Pontificem armat contra concilium Basileense.

Evomuerant Basileenses patres hoc anno, teste Jordano Ursino cardinale in suo rerum Basileensium diario, funestissimum monitorium, quo Basileam redditurum rationem & a dignitate abrogandum evocabant Eugenium verum pontificem. Hæc percipiens Ambrosius zelo plenus die sexta septembris [e] ex suo Bononiensi monasterio in hunc modum epistola alloquutus est ipsum Romanum pontificem. *Sextum jam Basileæ excessit annum incondita illa multitudo, nihilque egit, quod ad ædificationem, plurima vero, quæ ad destructionem universalis ecclesiæ tendant. Ego confido in Domino, si sanctitas tua cum fidelibus Christi tibi adhærentibus sacerdotibus reformationi ecclesiasticæ disciplinæ insistere pergat, instar venerabilium illorum antiquorum conventuum, intra pauciores menses, quam illi exegerunt annos, peraget omnia, & restituet ecclesiæ ornatum suum, ac priscæ sanctitatis effigiem .... Excitandi sunt Christiani principes literis ac nuntiis, docendi de iniquitate & injustitia confusæ multitudinis, orandi, ne patiantur, quantum in se est, tetrum aliquid illos machinari. Aperiendum est ærarium sacrum, & militibus tuis, qui bella Domini bellare parati sunt, fideliter atque constanter eroganda stipendia. In rem Græcorum advocandi omni ex parte theologi. Illi ipsi, qui sunt inopes, de largitate apostolica & con-*

[e] *Lib. I. ep. XXVI.*

ANN. CHR. 1437.

& conducendi, & substentandi. Commendavi tuæ pietati Johannem de Turrecremata hominem singularem & integerrimum; alium de Monte-nigro non dissimilis meriti advocandum provideat sanctitas tua. Generales Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum homines strenuos & prudentes consciscat dominus sanctissimus noster. Istiusmodi militum exercitum cogat non modo rei Græcorum, verum & ecclesiasticis negotiis omnibus summe necessarium. Deinde hortatur, ut mores præsertim curiæ Romanæ componere studeat. Demum, *ut de Græcis*, subdit, *tuæ sanctitati penitus explicem sententiam meam, ante omnia illos, si advenerint, multum honorifice liberaliterque tractandos censeo, atque omni cum honore habendos. Non ambigo equidem acquieturos nobis, quippe quos & auctoritates sanctorum patrum non minus Græcorum quam Latinorum, & rationes ipsæ vincunt omnino irrefragabiles. Sed prospiciendum caute statuo, ne, quod sæpe alias contigit, relabantur in pristina, sitque irritus labor noster omnis. Mittendum Constantinopolim legatum perpetuum censeo ex latere tuæ sanctitatis, qui illarum partium negotia dirigat, hominem sincerum & religiosum, atque prudentem, servaturum in ecclesia illa unionis initæ bonum. Promovendos aliquos ex ipsis, qui sint digniores, ad supremi etiam cardinis apicem, habendosque apud te in honore. Impubes pueros Græcos vel centum hic traducendos, informandosque Latinæ ecclesiæ ritibus & innocentibus moribus, & tam Græcis quam Latinis literis imbuendos apud nos summa cum diligentia. Hi enim ipsi potissimum, quando erunt adulti, si illis congrua adhibeatur cura, in fide & devotione Romanæ ecclesiæ & sanctæ sedis apostolicæ gentiles servabunt suos, eisque ecclesiæ illarum partium credi tuto poterunt. Ante te, pater beatissime, qui hac usus sit diligentia, inventus est nemo, ac per id merito prædicandus tu felici hoc ac saluberrimo invento tuo judicio cunctorum comprobaberis. Non detrectavit Benedictus* (de Luna) *pro pontifice apud suos habitus ex his, qui ex Judæis conversi ad Christum sua mirabili diligentia fuerant, episcopos ordinare, quos idoneos est arbitratus. Atque hi ipsi postmodum acerrimi propugnatores catholici dogmatis fuerunt, ho ieque sunt. Haud dissimile studium tuæ sanctitatis similis sequetur effectus.* Ad id temporis pertinent & sequentes epistolæ duæ [a] ejusdem Ambrosii ad eumdem Romanum pontificem, in quibus memoratur nefarium Basileensis concilii monitorium, & in iis, quæ in superiori, eadem recinit, addens: *Privatus, si libet, & solus ac pedes, quocumque jusseris, pergam, ut doceam reges & principes iniquitatem facti. Nos equidem nullam aliam ob causam venimus noviter, nisi ut in fide & obedientia sanctæ catholicæ ecclesiæ in tuæ beatitudinis obsequio fideli moriamur. Oramus itaque, ut nos abire jubeas, quocumque opus est, pro tuæ sanctitatis nomine pugnaturos. Sumus enim parati pro tuo nomine mori, quippe qui nullam hac morte speciosiorem arbitramur.* Hæc Ambrosius pietate in Eugenium, & zelo in catholicam ecclesiam percitus. In dicta epistola XXVII. agit ipsi pontifici gratias, quod Senensi Rosæ monasterio consuluerit, ejusque inopiæ providerit. Commendat insuper ipsi Sepulcrum abbatem Uranensem, contra quem falsa conficta fuerant, ipsumque orat, ut admoneat temporales dominos suæ sanctitatis vicarios, qui non modo facto se habent inhoneste, verum verbo quoque inhonestius, dicentes, se summos esse pontifices & episcopos & generales. Loquitur de Malatesta Britonorii domino, *qui*, subdit, *institit apud me importune, ut Sepulcrum inde amoverem tamquam ipsi suspectum, adolescentulumque illi quemdam subrogarem imperitum, vitæque parum probatæ & satis levem, cui obstiti rationabiliter dicens ei, qui viveret, neque abrogari mereretur ab officio, neque ad monasterium aliud translatus esset, non posse successorem dari. Si*

[a] Ibid. epp. XXVII. XXVIII.

suspe-

suspectus ille sibi esset, alibi remoraturum, constituto ibi œconomo, donec illi de monasterio alio congrue posset provideri; postea dandum successorem hominem aliquem gravem & idoneum, sibique gratum. Vix acquieverunt rationibus, & se hæc atque illa facturos minantur cum sanctitate tua. Videatur epistola [a] scripta ad Malatestam Novellum Cæsenæ & Britonorii dominum, qua ipsum exorat Ambrosius, ut si Sepulcrum in abbatem renuat, alteri permittat gubernationem a se tradi, non juveni illi & ad regendum minime idoneo, quem ipse instituerat. Eidem Malatestæ aliquando Ambrosius miserat aliquot suas epistolas, quia ex Ariminensi episcopo Christophoro didicerat ipsum eas appetere. Pariter in eadem epistola XXVII. ad Eugenium Ambrosius pontificem precatur, ut de collectis annuis centum ducati consignentur eremitis annis singulis, sed hujusmodi pensum incipiat anno dumtaxat sequenti M.CCCC.XXXVIII. quia collectæ hujus anni jam solutæ sunt, vel quæ remanent solvendæ, obligatæ sunt creditoribus. Præterea, quoniam in generali postremo capitulo institutum fuit, ut reclusi eremitæ neque Majoris, neque Sacristæ officium habere possent, idque de eremitarum consensu, quia non possunt, servata clausura, ipsa officia congrue adimplere, cupit decretum hocce a sanctitate sua vivæ vocis oraculo comprobari. Statutum quoque fuerat in eodem capitulo, ut monasteria manualia sancti Mathiæ ad decem annos essent subdita priori generali, donec monasterium ipsum reformaretur, ut abundaret monachis, qui ad ipsa monasteria manualia reformanda mitti possent; quod similiter desiderat a pontifice confirmari. Demum narrat se rescidisse instrumentum quoddam commutationis factæ ante annos viginti quinque inter monasterium sanctæ Christinæ de Bononia, & nobilem familiam Pepulorum, ad hoc, ut altera familia de Isolanis canale quoddam construeret juxta castrum Minervium.

ANN. CHR. 1437.

b Lib. V. ep. VII.

VI. Literariæ & negotiorum Ambrosii epistolæ.

EADEM die sexta septembris [b] ex Bononia Franciscum de Puppio instituit in priorem monasterii sancti Damiani ejusdem urbis, mandans Petro priori Camalduli Bononiensis, ut ipsum in corporalem possessionem induceret. Die sequenti [c] Silvestro Angelorum monacho scribens lacrymis prosequitur monachorum in eodem Florentino cœnobio degentium mortem ex peste grassante. Ipsa die [d] in domo cardinalis sancti Marcelli (Antonii Casini episcopi Senensis) ex Bononia Augustino Rosæ Senarum priori significat se institisse apud pontificem, ut subsidia conferret ejus monasterio, & obtinuisse ope cardinalis sanctæ Crucis, ut pretium horti sanctæ Annæ Bononiæ impenderetur in redimendis possessionibus Senensis monasterii, commendavisseque se negotium istud eidem cardinali sancti Marcelli amicissimo suo, qui cooperabitur apud pontificem. (Eadem habet in epistola XXVII. libri I. ad Eugenium, cui refert gratias pro subsidiis præstitis eidem Rosano cœnobio.) Minutam cujusdam brevis curasse se conficiendam a Poggio pro Christophoro monacho, quam Poggio obtulit Franciscus Patavinus cubicularius pontificis; pontificem tamen acquiescere noluisse, dicendo ad patriarcham, novum cardinalem legatum provinciæ (Johannem Vittelescum) ista pertinere, & ad eum referri malle. Non dubitare patriarcham justitiam administraturum. Didicisse ulterius pestilentiam Florentiæ in monasterio Angelorum sævire incepisse, & alios assumptos vi morbi, alios ad exitum propinquare. Eadem habet in aliis epistolis ad eumdem Augustinum, & peste grassante Senis iterum jubet monachos pueros loco movendos, & si non suppetat locus commodior, pueri monachi mittantur Camaldulum. Decretam fuisse sui profectionem ab urbe Bononiæ, sed satis vereri, ne sui mora ibidem sit longior, quia negotia

b Lib. XXII. ep. XVII.

c Lib. XIV. ep. XXII.

d Lib. XII. epp. XXVI. XXVII. XXVIII.

ANN. CHR. 1437.

gotia ecclesiæ multum involuta sunt, quorum gratia pontifex ipsum Boniæ detineat. Ex Bononia die undecima septembris [a] scripsit Michaeli Angelorum monacho civem Florentinum Lapum juniorem de Castiglionchio, sive Jacobum, Græcæ linguæ studiosum se orasse, ut sibi mutuo daret vitas Arati & Artaxersis a Plutarcho scriptas, quas traduci ceptas cuperet absolvere; quare eidem præcepit, ut ejus patri daret unum ex quatuor Plutarchi voluminibus. Hanc postea Arati Sicyonii vitam dicans Lapus Juliano Cæsarino cardinali, postquam Juliani virtutes & merita pluribus complexus fuit, hæc de Ambrosio subnectit: [b] *Nec vero existimes velim hæc a me assentandi gratia dicta, nec ex meo tantum sensu esse deprompta. Nam hæc ipse de te pluraque alia ab eruditissimo viro Ambrosio amicissimo tuo, cujus testimonium puto gravissimum, sæpissime prædicari, & divinis laudibus ad cœlum ferri audivi.* Condolet cum eodem Michaele die decima-tertia septembris [c] de monachorum a peste facta desolatione in monasterio Angelorum Florentiæ, & petit ab eo Dionysii libros, si absoluti sint. XXIV. septembris [d] erat Ambrosius Faventiæ, qua die Philippum monachum destinavit in monasterium sancti Hippolyti ejusdem urbis. Vigesima-septima [e] Fontem-bonum redierat, ex quo loco significavit Michaeli Angelorum monacho, se dum Bononiæ erat, accepisse Dionysii opera, quæ relegenda dimiserat in manibus Thomæ Sarzanensis. Quia vero mature Bononiam rediturus erat, petit ab eo Nazianzeni sermones de Spiritu-sancto, Augustini volumen (donum papæ Johannis) contra Academicos, de Ordine & Magistro. Decima octobris [f] ex Fonte-bono mandat Sepulcro Uranensi, & Hieronymo priori de Poplena, ut accedant ad priorem sanctæ Margaritæ de Tosina ægrotantem, ejusque monasterio ipso obeunte consulant. Quinto idus octobris [g] ad Pavanellum, & eo circiter tempore etiam ad Arsenium cubicularium pontificis scripsit; & huic, ut se ad eremum Camaldulensem visitandam conferat una cum Christophoro Ariminensi, & cum Johanne Siculo abbate sancti Pauli de Urbe. Die decima-quarta ejus mensis [h] Benedicto monacho sancti Michaelis de Muriano refert concordiam mandato pontificis se inter & eremitas statutam, assignationem nimirum satis amplam bonorum ipsis factam. Eadem die [i] scribit Gregorio seni monacho Angelorum excusans, quod occupatissimus non venerit ad illum ejusque monasterium, ut particeps fieret eorum luctus & mæstitiæ ob mortem monachorum peste interemptorum. Se jussu pontificis Veronam paucis post diebus profecturum. Post biduum [k] Thomam Salvettum JC. invitat, ut Fontem-bonum accedat pacis se inter & eremitas sequestrem futurum, precaturque, ut eos iterum officii sui admoneat, ne ad pristinum ingenium redeant, cum pacis instituendæ fuerit ipse mediator. Celebris est Thomas Salvettus civis & advocatus Florentinus, vitæ præsertim Gometii abbatis editione. Vigesima octobris [l] Sebastiano abbati Camalduli Florentini scribit. Die sequenti [m] Augustino Rosæ priori commendat pestis & morborum tempore juniorum monachorum curam corporalem & spiritualem. Vigesima-quinta ejus mensis [n] ad dominos Florentinæ urbis scribit pro tuenda eremi solitudine, implorans eorum reipublicæ opem adversus rusticorum insolentiam, qui eremum quotidie frequentare & visitare solebant, & quemdam ex prælatis prope ipsam eremum fustibus graviter ceciderunt, ita ut multus ex capite proflueret sanguis, & plerisque minantur, ac sibi etiam insidiari dicebantur. Poterat ipse quidem per suos homines hujusmodi latrunculos detinere, sed maluit eorum celsitudinem implorare, & recurrere ad nota & consueta præsidia, quandoquidem eremus Camaldulensis per privilegia Romanorum pontifi-

cum

a Lib. XIII. ep. II.
b Lib. XXV. ep. XXXVI.
c Ibid. ep. XII.
d Lib. XXII. ep. XVIII.
e Lib. XIII. ep. XIII.
f Lib. XVIII. ep. XXI.
g Lib. IV. ep. XXXII. XXXIII.
h Lib. XXI. ep. XVIII.
i Lib. XIV. ep. XXIX.
k Lib. V. ep. XXX.
l Lib. XVII. ep. XXXVII.
m Lib. XII. ep. XXXVIII.
n Lib. V. ep. IV.

eum & imperatorum ab omni mortalium jure libera sit, commendataque dumtaxat Florentinorum protectioni. Ex monasterio sancti Felicis de Florentia die XXIX. octobris [a] scribit Augustino priori Rosæ se eadem die mature rediturum petere eremum, & octava novembris ex monasterio Fontis-boni ejus monasterii inopiæ providet, agitque in utraque epistola de rebus monasticis & domesticis. Sexta novembris [b] ad Angelorum cœnobitas scribens deplorat levitatem Gabrielis monachi (e Landinorum familia) qui ex eorum monasterio discesserat. Se e contra inde avulsum, & procul a quiete in occupationes continuas distractum lamentatur. Omnibus autem sanctioris disciplinæ, mutuæ pacis christianæque humilitatis studia excolenda etiam atque etiam suadet. Eadem repetit die decima tertia novembris [c] Silvestro Angelorum monacho, testatus Gabrielem Landinum a se minime fuisse receptum, sed destinatum ad Burgum-sancti-Sepulcri, ne aliis monachis inde ad se migrandi exemplum pateat. Die sequenti [d] ex Fonte-bono M.. monacho literas dans studet declinare postulationem Gerardi permagnifici domini (Gambacurtæ fortasse comitis de Balneo) qui cupiebat ab Ambrosio filiam suam e sacro baptismi fonte levari una cum aliis principibus viris. Quæ rei novitas & a constitutionibus inhibitæ segniorem se reddit, sed si in sententia perstet Gerardus, mandat hoc ipsum exequi eumdem M.. monachum, quandoquidem ipse forte Bononiam mature properare opportebit. Filios Gerardi omnes suos fecerat Ambrosius, jusque sibi vindicaverat in illis educandis.

ANN. CHR. 1437.

a Lib. XII. epp. XXXIX. & XL.

b Lib. XIV. ep. XXX.

c Ibid. ep. XXV.

d Lib. XVIII. ep. XXVI.

Denuo itaque Bononiam rediit Ambrosius. Ibidem erat die nona decembris [e], qua ex monasterio de Angelis scripsit Augustino priori Rosæ Senarum Græcos advenire, proximeque sperari adfuturos, ut necessaria præsentia sua videatur, sed & rem istam sibi summe commendasse pontificem. Nequivisse se alloqui cardinalem sanctæ Crucis tunc infirmatum, sed res ejus monasterii curæ demandatas Thomæ Sarzanensis. Cardinalem sancti Marcelli suadere, ut Stephanus monachus Augustini alumnus Bononiam adducatur ad salutem recuperandam. Vigesima-tertia decembris [f] Mariotto ex Bononia scribens committit vices suas abbati sancti Michaelis de Arretio.

e Lib. XII. ep. XLI.

f Lib. XV. ep. XLIII.

VII. Ceteræ nota diei carentes, & ad annum 1437. spectantes.

SPECTANT ad hunc annum & sequentes epistolæ, & quidem datæ ex monasterio Fontis-boni ad Michaelem Angelorum monachum [g], qua eum docet, quam accurate & diligenter volumen suarum epistolarum sit exarandum; memorat se manu propria exscripsisse epistolas beati Ambrosii; ipsum quoque orat, ut Dionysium mature perficiat, quem nondum in publicum prodire vult, nisi denuo illi admoveatur lima, extremaque apponatur manus. Ad eumdem [h] versus finem anni, se cras Venetias profecturum obviam Græcis, qui vel pervenerunt, vel proxime affuturi sperantur. Vult ut Philippus & Paulus transcribant epistolas suas selectiores pro Christophoro Ariminensi episcopo. Candidum Mediolanensem repetere volumen suum Græcum de Vocabulis, quod vult, ut ad eum mittatur. Ad eumdem [i], qua petit sermones a se traductos anno præterito de Pace, orationem Nazianzeni de obitu patris, orationes quinque in capitulo generali pronuntiatas a pueris, Dionysii epistolas transcriptas ab Antonio sacerdote; vitam Chrysostomi manu sua scriptam, cum eam receperit a Johanne Lamola, quia multum desideratur a pluribus nobilibus tum Venetis, tum Bononiensibus, & breviationem Donati de octo partitionibus orationis a se factam ante annos ferme viginti. Spectant epistolæ ad Sepulcrum abbatem Uranensem [k], ut accedat ad monasterium Berardingorum vel sancti Vigilii Senarum, & abbati ægrotanti prospiciat, ac

g Lib. XIII. ep. XIV.

h Ibid. ep. XV.

i Ibid. ep. VIII.

k Lib. XVIII. ep. XXII.

Ann. Chr. 1437.

ac eo obeunte vicarium agat in eo monasterio; ad Ugolinum abbatem Silvæ-mundæ & ad Thomam Perusinum priorem [a], ut simul vicarios agant in monasterio sancti Benedicti castri Plebis; pervenerat enim ad se abbatem Leonardum multa egisse contra honestatem in regimine ejus monasterii; Ex Bononia ad Philippum [b], qua miratur, quod nullas ad se literas dederit, cum occasio non defuerit sive de Nicolai obitu, (alterius a Nicolao Nicolio) sive de his, qui in monasterio Angelorum felici sorte migrarunt ad Christum. Sibi non solum immutatam subdit, verum additam magis ex concilio peritissimorum jurisconsultorum auctoritatem in conferendis beneficiis. Salutat Petrum nobilissimum adolescentem, Johannem Philippi ejusdem cognatum, & Zinebram. Pollicitus fuerat Ambrosius eidem Philippo Angelorum monacho, se brevi discessurum Bononia, & Florentiam vel Camaldulum rediturum, cum ea ipsa die parato ad exitum sibi præceptum fuit a pontifice, ne sine sua dimissione discederet, ut narrat in alia epistola ad eumdem [c], in qua etiam iterum salutat Petrum Andreæ filium illustrem adolescentem. Se paucis ante diebus fuisse cum archiepiscopo Spalatense, (Bartholomæo Zabarella) qui asseruerat percepisse se literas ab eodem Petro Ambrosium futurum socium suum in baptizando primogenitum filium ejus propediem nasciturum. Vices proinde suas pro eo munere committit eidem Philippo. Ad cardinalem Placentinum [d], qua ei commendat neophytum quemdam Hieronymum, quem e sacro fonte susceperat ipse cardinalis. Ad Christophorum Ariminensem episcopum ex Fonte-bono [e] expectans ipsius adventum ad eremum, juxta quod ipse, Arseniusque pontificis cubicularius polliciti fuerant. Salutat in hac epistola generalem Vallis-umbrosæ Pavanellum, abbatem sancti Pauli, eumdemque Arsenium. Ad Stephanum Rosæ monachum [f], quem ægrotum consolatur, ut ex literis ejus prioris Augustini didicerat, atque Camaldulum vocat, si equitare possit, ad salutem recuperandam.

a *Ibid. ep. XVI.*
b *Lib. XVI. ep. L.*
c *Ibid. ep. LI.*
d *Lib. II. ep. XVII.*
e *Lib. III. ep. LXIV.*
f *Lib. XVIII. ep. XX.*

VIII. De Philelpho extorre ex Florentia.

Extorris ex Florentia Senas concesserat Philelphus, ubi lectiones publicas juventuti faciebat. Ex Senis kalendis octobris [g] Ambrosio scribit se libentissime legisse ejus literas. Fatetur se in literis ad Lapum, quæ Florentiæ interceptæ fuerant, convicia in ipsum Ambrosium jecisse, „ *sed ne det hoc vitio, si ipse summis injuriis & contumeliis lacessitus familiaribus istis tuis & orationibus, & satyris par pari, ut dicitur, retulerim. Nihil esse, quod minus credat de animo Cosmi Medicis in se, nam quam me sit exosus, jampridem expertus sum. Istius in me benevolentiam Philippus sicarius declarat. Itaque de reconcilianda gratia posthac verbum nullum facito. Sicis ipse, venenisque utatur, ego autem ingenio & calamo*. Et quinto idus decembris [h]: *Paucis respondebo tuæ prolixiori epistolæ. Ego amicitiam Cosmi Medicei nolo, inimicitias contemno. Nam & infensi animi simulata benevolentia nihil est perniciosius, & ego ita prudentiæ armis munivi me, ut nullas insidias pertimescam.*

g *Lib. XXIV. ep. XLIV.*
h *Ibid. ep. XLV.*

IX. Eugenii IV. brevia.

Septima januarii Eugenius liberat Sandellum abbatem sanctæ Mariæ de Carceribus a pensione offerenda genitrici suæ ex causis certis sibi expositis, & ad instantiam Johannis sancti Petri ad Vincula cardinalis ordinis protectoris.

Idem Romanus pontifex Johanni abbati sancti Angeli de Vergareto mandat, ut uniat auctoritate apostolica monasterio sanctæ Mariæ in Balneo ad petitionem Matthæi Antonii prioris capellam seu prioratum sancti Huberti de Trapola, qui olim hospitale fuit, & in quo a quinquaginta annis hospitalitas observata fuit, quam capellam in capitulo Uranensi prior generalis Benedictus univerat, unionemque postea probaverat Ambrosius tunc

vivens

vivens prior generalis. Datum Bononiæ pontificatus Eugenii anno VI. octavo kalendas februarii anno M. CCCC. XXXVI. more Florentino. Idem præcipit die XX. octobris Francisco Sandello abbati Carcerum, ut ad festum sancti Martini se conferat ad sacrum concilium Ferrariense.

ANN. CHR. 1437.

X. Francisci Barbari amor in monachos sancti Michaelis.

QUANTI faceret Franciscus Barbarus Paulum Venerium abbatem sancti Michaelis de Muriano patet ex ejus epistola [a] data ex Brixia VIII. kalendas septembris hujus anni Jacobo Foscaro inclyti principis Francisci filio, in qua post principem patri abbati sancti Michaelis salutem dicit, & diligentissime se commendat. Jacobo gratias habet, quod sanctos monachos sui amicissimos pie ac sollicite admonuerit, ut orationibus suis divinitus juvarent in maxima infirmitate Zachariæ Barbari junioris nepotis sui.

a T. I. pag. 43.

XI. De ecclesiis Massacciensibus.

SECUNDA septembris Albertus de Massaccio presbyter secularis rector parœcialium ecclesiarum sancti Eleutherii extra, & sancti Leonardi intra muros Massaccii canonice unitarum cum ecclesia sancti Stephani membro suo, & cum ecclesia sancti Michaelis de Jugo extra dictos muros Massaccii in ecclesia de curte Lacule ruralibus diœcesis Æsinæ, quas diu detinebat partim per bullam Martini papæ V. & partim impetraverat a diœcesano, nulla tamen facta mentione de juribus abbatis & monasterii sanctæ Helenæ de flumine Æsino, volens exonerare conscientiam suam, cum prædictas ecclesias non ignoraret immediate pertinere ad dictum monasterium, coram Frederico abbate ejusdem monasterii eas resignavit, qui renuntiationem admittens Benedictum de Barbiano monachum sui monasterii deputavit in earum rectorem [b]; ex tabulario Fontis-boni.

b §. Electio 98. A. 5. 3.

ANN. CHR. 1438.

XII. Ambrosius ad concilium Ferrariense.

EX epistola Ambrosii ad Bartholomæum de Viarana [c] erat ipse Ambrosius die tertia januarii hujus anni Bononiæ, ex qua urbe, *Ferrariam*, inquit, *ex præcepto pontificis petimus, daturi initium concilio, & inde cum domino cardinali sanctæ Crucis profecturi Venetias in occursum Græcorum, ubi oratio mihi Græca delegata est.* Die sexta adhuc erat Bononiæ ex alia ad Augustinum [d] Rosæ priorem: *Nos Ferrariam petimus, quia illic concilium translatum est, & curia omnis eo properat. Inde Venetias pergemus obviam Græcis advenientibus, quia indubitato veniunt, Græceque orare jussi sumus. Pax hic firmanda speratur.* Minime probat ulterius quamdam eremum adjungendam ejus monasterio, exemplo monasterii Angelorum, quod tam multa loca sibi oblata semper renuit, ut constantiæ consuleret suæ. Curet potius prædia sui monasterii distracta redimere, animumque facit ad inopiam ferendam. Tamen in epistola [e] ad Franciscum Sandellum habet *se Ferrariam applicuisse quinta hujus mensis, octavaque datum fuisse initium concilio, lectis literis translationis prolixis admodum, & institutionis legati, atque auctoritatis illi collatæ, conductusque tam pontificis summi, quam illustris marchionis* (Nicolai) *celebrata primum processione intra ambitum majoris ecclesiæ magno cum ordine, & plerisque subsequutis ceremoniis. Celebratam quoque jam fuisse primam sessionem, in qua approbavit synodus sanctam translationem concilii factam ex Basilea Ferrariam, & actus omnes Basileæ gestos vel gerendos post translationem factam irritos esse decrevit, nihilque omnino valere, absolvitque omnes de Basileensi concilio a juramento quovis quomodolibet præstito, cunctosque ad initum concilium venire statuit, infligens pœnas his, qui per contemptum renuerent, & absolvens a quibuscumque a concilio Basileensi in advenientes inustis. Ista ferme in prima sessione gesta fuere.* Ad eumdem Sandellum literas dederat alteras mense januario [f] sub ipsum concilii initium Græcos Venetiis deducturus, & Ferrariam excepturus, ipsum abbatem jam secundo evocatum

c Lib. X. ep. IX.

d Lib. XII. ep. XLII.

e Lib. XX. ep. XXII.

f Lib. XX. ep. XXI.

Ann. Chr. 1438.

catum hortatus, ut quamprimum ad concilium & ad se conferat. Apud Muratorium [a] in Annalibus Foro-liviensibus habetur, *quod die* X. *februarii imperator Græcorum proficiscitur in Italiam, & se confert Ferrariam in concilio. Postridie vero patriarcha ipsum imperatorem insequitur. Cujus auditor & interpres erat devotus & doctus orator frater Ambrosius de Porticu literarum Græcarum & Latinarum peritissimus.*

a T. XXII. Script. col. 219.

XIII. Deducit Græcos ad idem concilium.

Decimo kalendas martii [b] ex Venetiis narrat in epistola ad Eugenium pontificem, quæ egerit. *Die postera*, inquit, *quam applicuerant imperator & patriarcha, ipse Venetias attigi, nam præcessuram ex permissione sanctitatis tuæ subduxi, quantum licuit, caute præsentiam meam, donec adveniret dominus meus sanctæ Crucis, vitandæ offensionis cujuslibet causa. Ubi vero ille applicuit, liberius jam, ipso volente, in colloquium patriarchæ ipsius & imperatoris, ac paucorum, qui inter ceteros eminent, veni. Animadverti, pater beatissime, materiam ita dispositam, ut vix melius optare possemus, idque potissimum ex prolixo & repetito cum patriarcha sermone. Tantum enim flagrantissimi desiderii ad optimæ unionis felix negotium conficiendum deprehendi, ut me perpetuo sibi devinxerit. Nihil enim appetit magis, quam congredi sanctitati tuæ, aperte denuntians ex hac vestra conjunctione corporum, & collatione mutua pacem rebus dandam. Neque detrectat venire Ferrariam, contra quam opinabantur plerique ex nostris, priusquam propositioni sanctæ Crucis respondissent. Immo & antequam responderent publice, hanc ille mentem suam explicuit mihi, constanter multum asseverans, vitam ipsam, quam periculis longinquæ peregrinationis exposuisset, se ponere paratum, dum unitam utramque ecclesiam videat. Orationem, quam legerat beatitudo tua, visum est majoribus nostris non esse recitandam, nescio qua intentione, bona tamen credo. Græce hanc scripseram ita pronuntiandam, sed quia illis aliter placuit, mihi quoque non displicuit. Deprehendi, pater beatissime, ex oratione prolixa patriarchæ, quam mecum multum familiariter habuit, sententiam meam non abhorrere a vero, quia semper existimavi, humanitate & honorificentia, singularisque benevolentiæ indiciis genus istud esse attrahendum. Multum ille certe prudens est judicio meo, multumque excitus, & in ætate decrepita, nam ferme octogenarius existimatur, acrimonia intelligentiæ viget, sensuque vivacissimo præditus est. Referendæ sunt omnipotenti Deo gratiarum actiones* &c. *Frangentur ex hoc illorum adventu impia molimina malignantium, ac tetra, & funesta, et piis auribus non ferenda machinantium in dominum meum. Atque ut magis exultet sanctitas tua, applicuit cardinalis sanctæ Sabinæ* (cardinalis Julianus Cæsarinus legatus in concilio Basileensi, qui ex diaconia sancti Angeli transierat ad titulum sanctæ Sabinæ) *paratus et promptus pro tua sanctitate, si ita sit opus, occumbere* &c. *Te oro atque obsecro, pater beatissime, advenientes ad te Græcos præcipua cum benevolentia et honorificentia suscipiat sanctitas tua, et maxime ipsorum capita, quia sic decet, ita res ipsa tempusque requirit. Neque moveat sanctitatem tuam quorumdam commotio, judicio meo satis levis, quod is patriarcha te appellet fratrem, quia et ecclesia Constantinopolitana secunda est a Romana, et facile meretur veniam inveterata, nec de novo præsumpta opinio, tolerandaque sunt omnia, donec compositis rebus gravioribus, ista quoque disponantur. In honore omnino illi habendi sunt, officioque mulcendi et leniendi, quia et nos illis de tua sanctitate polliciti sumus omnia.* Iterum die decima-tertia aprilis [c] animum ipsius pontificis erigit opportuna adhortatione, ut in adventu Græcorum ad concilium Ferrariense plena in Deum fiducia roboretur, quos summa humanitate ac liberalitate tractandos suadet, multisque probat, præsertim, quia

b Lib. I. ep. XXX.

c Lib. I. ep. XXXI.

quia plerosque videbat & eos graves viros abhorrere ab hac sententia sua, & ferme provocari illis nauseam ex istorum memoria. Ex iis falsitatis arguitur Silvester Syropulus, qui sectione v. capite x. ludibrio habitos & contemptos ab Ambrosio Græcos effutiit. Pariter orat, ut sibi provideat, aut certe permittat, ut collectam ordini indicat, quo possit Ferrariæ vivere. Anno præterito pollicitus fuerat Eugenius opem Ambrosio instituenti transferre de Græco sacra volumina, atque injunxerat, ut Chrysostomum super Matthæum absolveret. *Id operis*, subdit, *hic aggredi & exigere instituo, paratus semper & promptus in rem Græcorum, quidquid erit ingenii & virium impendere*: Quoad rem Græcorum legatur alia Ambrosii epistola [a] ex Venetiis data die vigesima-prima februarii ad Christophorum Ariminensem episcopum, in qua hæc leguntur: *Qua die primum Venetiis appropinquavimus, comperto ex nuntiis certissimis adventu Græcorum, quod reliquum erat navigationis, mira celeritate peregimus. Neque hoc ipsi vobis significari curavimus, quod ex nuntiis & literis Dominii id innotuisse vobis certo didiceramus. Neque tamen usque ad domini cardinalis Sanctæ Crucis adventum aut imperatorem, aut patriarcham alloqui voluimus, ne quid offendiculi præberemus. Serus immodice illorum & nostræ expectationi visus est ipsius accessus pro studio. Imperatori & patriarchæ seorsum quænam esset domini nostri voluntas, exposuit, quod studium, quæ ad illos benevolentia, hortatusque est illos adire Ferrariam. Responsum ab utroque est grate, licet quod de accessu ad pontificem postulant ad librandum & consultandum tempus plurimis injecerit scrupulum, hæc atque illa quærentibus & accusantibus, quod advenienti legato neuter occurrisset, quod non discooperuissent caput, & cetera hujusmodi, quæ donec responsum daretur, scandalo plerisque, & his quidem gravibus viris fuere, nescientibus illorum mores, qui ex instituto suo nullas istiusmodi ceremonias servant, ita ut imperatori suo & patriarchæ nemo, licet infimus, nisi operto loquatur capite. Tumori & arrogantiæ, & fastui hoc aliquandiu est imputatum. A Basileensibus redditæ illis literæ infringere illorum alacritatem conabantur, pendente responso. Responderunt heri ambo simul tam grate, tam modeste, tam leniter, ut plures pœnituerit præsumptionis, qua illos tam facile ac leviter damnassent superbiæ ac contumaciæ. Denique se ob nihil aliud advenisse testati sunt, nisi ut pontifici nostro congrederentur, seque in illius venire conspectum cupere mirabiliter, neque loci habere rationem, qui illis nisi commodus esse non potest, quando illius sanctitatis esset gratus ad expediendum negotium sanctæ unionis, quam nisi cum illo exequi nequaquam posse non ambigerent, seque mature hinc proficisci Ferrariam cupere denuntiarunt ad visendam sanctitatem suam, atque ad unionis exequendum venerabile sanctumque commercium. Offendit quosdam ex majoribus, quod pontificem nostrum patriarcha appellet fratrem suum, & quod interdum tam ipse, quam imperator repetat fatigationem assumptam præteritæ navigationis perficiendæ unionis gratia. Verum ista si pensentur diligentius, offendunt neminem sani maturique judicii, sed illud antiquæ consuetudini, istud ingenio gentis deputabitur. Nam & pro summo pontifice iste habitus est diutissime apud suos, neque moleste accipi debet, si ita se appellet* &c. *Quid plura? Multa sæpe in corona dicta sunt, quæ animum meum valde cruciarent, quia non æstimari hunc eorum adventum aperte a plerisque deprehendi. Neque non timere potui, ne istiusmodi insusurrent in aures pontificis nostri, incipiantque haberi despectui, quorum ita fuit votivus & tamdiu expectatus, & desideratus adventus. Licet nullo modo induci possim, ut sapientia pontificis has quorumdam rationes admittat ineptas & frivolas*. Et post pauca. *Patriarchæ isti congressus sum prolixa* sermo-

ANN. CHR. 1438.

a *Lib.* III. *ep.* LXV.

ANN. CHR. 1438.

sermocinatione, multumque delectatus sum ipsius & conspectu, & colloquio, quia & venerabilem reddit canities ipsa, & habitus & gestus, & dulcis admodum in colloquendo est. Cupit mirifice ipsi pontifici congredi, sperans omnia facile conficienda, si ambo conveniant in caritate. Ego illa omnia pollicitus sum ex pontifice ipso, quia sic posse videbar, ne minorem apud nos alacritatem suspicari posset. Collegi ex sermonibus illius (cautis valde atque prudentibus, judicio suo rem totam dilectione potius, & pace, quam disputatione terminandam &c. *Orationem Græcam scripseram, recitandam ex jussione pontificis, sed visum est patribus eam minime dicendam. Accepi grate, quando id eis ita visum est. Cardinalis sanctæ Sabinæ heri applicuit ad nos, susceptusque est maximo applausu. Patriarcham & imperatorem hodie visitavit, præsentibus nobis, grateque admodum auditus est. Auditor suus, & Simon de Valle sunt secum parati stare pro domino nostro.* Denique commendat pontifici ipsum cardinalem sanctæ Sabinæ, episcopumque Tiburtinum, quem & ex Basilea commendaverat.

XIV. De rebus ejus concilii.

a *Lib. II. ep. XXV.*

b *Lib. XVII. ep. XXXIX.*

DIE decima [a] martii ex Ferraria Danieli Scotto episcopo Concordiensi Bononiæ gubernatori significat se Græcos ex Venetiis deduxisse cum honore, advenisse cardinalem sanctæ Sabinæ legatum Basileensem, quæ duæ res lætitiam omnibus faciunt, faustaque sunt auspicia rerum. Commendat ipsi Johannem Arretinum designatum clericum cameræ, qui vel studiorum gratia, vel quod commodius vivat, Bononiæ remansit, juvenem bonum, bonarumque artium in primis studiosum. Ea ipse die [b] Sebastiano abbati Camalduli-Florentini hæc exaravit de Græcorum adventu: *Græci, ut ad te perlatum est, advenerunt, honorificeque Venetiis accepti sunt. Et nos illis occurrimus, eosque inde cum honore deduximus, imperatore & patriarcha multum familiariter utimur. Habent secum plerosque graves & doctos viros, atque ad disputandum promptos, ut sine sanguine victoria futura non sit; jam levia prælia conseruimus, invicemque lacessivimus, & confidimus illos ratione & lenitate superandos.* Sebastianum ergo hortatur, ut quando bellare ipse non potest, veteranus jam, oret pro iis, qui cum Græcis dimicabunt. Die sequenti [c] Lucæ priori Angelorum scribens hortatur, ut subductis pluribus ejus monasterii monachis flagello pestis, ceteros superstites ad religiosam disciplinam impensius colendam inducat, oretque pro pugna cum Græcis. Commendat juvenem nobilem Venetum enutritum in monasterio sancti Michaelis de Muriano. Eadem die [d] Michaeli Angelorum monacho narrat, se Græcam orationem scripsisse de mandato pontificis, & ita, ut nihil Græcitatis in ea desideratum sit, eamdemque Latinam fecisse, & utramque secum laturum peracta sollemnitate paschali. Incipit Latina: *Gloria in excelsis Deo* &c. Inter Græcos esse plerosque eruditos viros, multumque sibi affectos, sed imperatorem & patriarcham omnium in se affectum superare. Vidisse se apud imperatorem pleraque Græca volumina digna memoria, quæ coram, cujusmodi sint, exponet melius. In epistola ad Bartholomæum de Viarana [e] data ipsa die eadem narrat de Græca sua oratione Latina facta, & de cardinale sanctæ Sabinæ Basileense legato, qui Ferrariam accesserat; *videorque*, subdit, *mihi hunc peregrinationis illius meæ fructum percepisse, quod tantus vir diverterit ad nos; id quippe summa ope molitus sum.* Concilium generale cœptum esse celebrari. Eadem die [f] scripsit ad Gasparem Majorem eremi & ad eremitas, Placido conferens pœnitentiarii officium; scripsit & ipsi Placido [g] ad avertendas lites, quæ in ipsa eremo exortæ fuerant.

c *Lib. XIV. ep. X.*

d *Lib. XIII. ep. XVI.*

e *Lib. X. ep. XI.*

f *Lib. XVI. ep. XXIV.*

g *Ibid. ep. XXVII.*

h *Lib. X. ep. XII.*

Pridie kalendas aprilis [h] Bartholomæo de Viarana significavit se in quotidianis laboribus & exercitatione continua esse. Negotium componendæ con-

controversiæ inter priorem sancti Johannis-baptistæ de Faventia, & inter Minores & Prædicatores demandasse priori Camalduli Foro-liviensis. Sequenti die [a] Danieli Scotto Bononiæ gubernatori commendavit Franciscum priorem sancti Damiani ejus urbis. Septima aprilis [b] Michaelem Angelorum monachum admonet, ut caute officia exhibeat cardinali Juliano, neque familia oneratissimus importune interpelletur ab ipso; tunc autem id commodius fiet, cum pontifex aliquid ei concesserit pro vitæ subsidio. Honesto tamen modo potest illi scribi, & offerri Angelorum monasterium, si quando forte quavis ex causa Florentiam diverteret. Ad summum poterit Michael nomine proprio aliquid a cardinale subsidii petere pro libris exscriptis. Se de re libraria prolixius scripsisse Philippo & Paulo, quæ credit illi communia. Hos credimus Philippum ser Ugolini Pieruzzi, & Paulum medicum, potiusquam monachos Angelici cœnobii. Cogitasse inter summa negotia arte sibi moliri otium, & Chrysostomum super Matthæum perficere. Petit volumen quoddam ex Crypta-ferrata perlatum, cujus secundam partem amicus sibi optime carus (Cincius) habet. Gaudet alia Græca volumina ad monasterium Angelorum pervenisse. Monachum Æthiopem libentissime se vidisse, Paulique literas pontifici se detulisse legendas. Undecima aprilis [c] eidem Michaeli scribit petens thesauros Cyrilli in papyro inter volumina Nicolai requirendos ad se mitti; Athanasii quoque chartaceum volumen, quia sunt apprime necessarii in futura disceptatione scriptores isti. Thomam Sarzanensem requirere Irenæi volumina contra hæreses in papyro ex Galliis deducta secum, & epistolas Theophili de Pascha contra Origenem a Hieronymo traductas in membranis, quæque ante triennium sibi commodaverat idem Thomas & Nicolaus a se habuerat. Hæc proinde Thomæ restituenda mandat Michaeli. Cincium Romanum petere a se imagines Philostrati. Candidum Mediolanensem repetere volumen suum de Vocabulis.

ANN. CHR. 1438.

a *Lib.* XII. *ep.* XXVII.

b *Lib.* XIII. *ep.* XVII.

c *Lib.* XIII. *ep.* XVIII.

XV. Epistolæ Ambrosii varii generis eo tempore scriptæ.

Ex Ferraria octavo kalendas majas [d] eidem Michaeli scribens laudat humanitatem studiumque flagrantissimum amicissimi hominis Philippi in transcribendis codicibus. Volumen Plutarchi aliud non continere præter Symposia, commentum super Aristotelis notiora esse Simplicii. Cardinalem Julianum cupere sibi transcribi Prudentium, & Sedulium ornatissimis atque optimis literis, & Juvencum adhuc desiderare. Climacum, Vitas patrum & Erotimata illi fuisse reddita. Paucis post diebus se missurum Donatum, ut omni celeritate transcribatur. Quinta maii [e] ipsi Michaeli gratulatur, quod officiose in monasterio Angelorum ceteri cœnobitæ susceperint monachum Æthiopem ex Urbe revertentem. Cardinalem Julianum appetere commorari in eodem monasterio, si quando Ferraria migrare contigerit. *Res, quæ hic aguntur, magnæ sunt, & dignæ, quæ majori studio diligentiaque tractentur. Multum negligentiæ a nostris admittitur, & magno certe cum dolore nostro, qui pro desiderio tam pii, tamque necessarii operis plura etiam cupimus inferre, quam vires nostræ sufficiant. Sed ne Græci ipsi quidem nisi multum prolixi & captiosi sunt, sicque fit, ut & nostra tarditas & illorum astutia rem in longissimum protrahat. Neque tamen ipsi de felici conclusione rei desperamus, nisi in totum dormitare velimus. Ipsi certe pro viribus insistimus tam nostros quam Græcos ipsos pulsando, atque adhortando, ut negotium conficiatur, promovebimusque fortasse nonnihil, licet partem sane minimumque, quam cupimus. Concilii negotia protrahuntur, prælatique ferme omnes afficiuntur tædio, quia neque opperiri possunt, neque permittuntur abscedere. Excitamur quotidie novis & gravibus supervenientibus nuntiis, neque tamen vel sic expergisci volumus. Quinam hujus tarditatis in culpa sit, non est nostræ parvitatis temere ferre judicium. Confidimus*

d *Lib.* XIII. *ep.* XIX.

e *Ibid. ep.* XX.

Ann. Chr. 1438.

fidimus tamen in Domino res feliciore fine claudendas, Deo præter merita nostra dirigente negotia, & malis nostris bene utente. Legati electorum imperii huc applicuerunt, expectanturque imperatoris nuntii, & confidimus tantis tonitruis aures & corda nostra excutienda, sive componenda magis ad saniora consilia suspicienda &c.

a Lib. X. ep. XIV.

b Lib. XIII. ep. XXXIII.

c Lib. XIII. ep. XXI.

Vigesima-prima maji [a] ex Ferraria scripsit Bartholomæo de Viarana res Ferrariæ in maxima perturbatione esse; epistola tota officiis redundat. Christophoro autem monacho pridie kalendas junias [b] *Lente*, inquit, *res agitur cum Græcis, magnamque sive constantiam, sive pertinaciam dogmatum appellem ignoro, plurimumque difficultatis emensurum speramus, & certo conjicimus. Nos tamen, quantum Deus largitur, diligentiæ nihil omittimus. Augustinus frater tuus filius noster apud nos est, quem febris quidem invasit, sed jam ferme ea eripiendum brevi credimus*. Eadem die [c] a Michaele monacho petit Æneæ Gazæi dialogum a se traductum. *Et cum*, inquit, *in conflictu jam cum Græcis simus, multis operibus egemus pro tempore, quæ tamen difficile afferri posse in præsentiarum ducimus. Membranas Philippus noster misisse scribit, quæ tamen ad nos hactenus non pervenerunt, multumque veremur, ne illæ Bononiæ interceptæ fuerint in illa novitate rerum, quæ nuperrime contigit*. Alludit ad turbas ejus urbis, quæ defecerat a Romano pontifice, & Nicolaum Parvum introduxerat in urbem. Se alias ipsi (Michaeli) scripsisse, ut Donati commentum in Virgilium pro domino cardinale Placentino curaret transcribendum. Memorat in epistola Franciscum Pistoriensem. Pridie kalendas junii [d] ex Ferraria Sancti monacho Fontis-boni inculcat claustralem disciplinam. Decima-septima junii [e] Cosmo Mediceo commendat ereptionem Caroli cujusdam, qui publicæ custodiæ traditus est diu; idque ex instantia Xanthi (Balli forte) amicissimi nostri, qui venerat Ferrariam. Pium id opus esse, atque memorat, se ex ore patris ejus hominis fidelissimi & prudentissimi, qua die illum postremo vidit, audisse, neminem fideliorem amicum se unquam quæsisse, quam si quem ex inimicis beneficio fecisset amicum. Ea ipsa die [f] Bartholomæo de Viarana commendat curam sui, suorumque, quia Xanthus asseruit aerem insalubrem cepisse denuo Faventiæ. Mittit ipsi Augustinum monachum ex Senis ad se profectum tunc vero infirmatum.

d Lib. XVI. ep. LIV.

e Lib. VII. ep. X.

f Lib. X. ep. XV.

g Lib. XIII. ep. XXXIV.

Decima julii [g] significat Christophoro Angelorum monacho se maxime cupidum revisendi suos, sed timet subducere præsentiam suam tempore, quo maxime requiritur. *Nam negotia ista*, subdit, *Græcorum omnia ferme ipsi conficimus, vel ex Græco in Latinum, vel ex Latino in Græcum convertendo, quæ dicuntur & scribuntur omnia. Adde, quod tanta hi caritate nos complectuntur, ut si discedamus vel modice, mancos se ac destitutos arbitrentur. Fortasse nos Dominus in tempus istud reservavit, ut per nostrum ministerium tanta negotia & tam digna conficiantur. Conabimur atque enitemur pro viribus, intra paucos dies mentem pontificis flectere, ut annuere velit, & pati, vel paucis diebus nos hinc abesse*. Eadem die [h] ex Ferraria scribit Augustino priori Rosæ, quem Faventiam ad curandam valetudinem miserat. Ea die [i] Hieronymo monacho ascetica adhortatione stimulos addit. Ipsa die [k] Bartholomæo de Viarana mittit Chrysostomum a se dudum traductum contra vituperatores vitæ Monasticæ, orationes quoque suas ab illo diu multumque quæsitas, manu sua scriptas, seque occupatissimum refert. Timet, ne pestis Faventiæ desæviat.

h Lib. XII. ep. XLIII.

i Lib. XVIII. ep. XXIV.

k Lib. X. ep. XVI.

l Lib. VII. ep. XI.

Decima-sexta julii [l] significat Cosmo Mediceo pestem cepisse grassari Ferrariæ. Curam se maximam habiturum, ut concilium Pisas, seu in territorium transferatur, cum plures metu exagitentur, & inde proficisci jam decretum fuerit. Græcos ad unum omnes id appetere. Quare operam illius

lius summam exquirit. Episcopum Ferrariensem virum bonum & Deum timentem (Johannem de Tossiniano) se orasse, ut ad ipsum (Cosmum) scriberet, commendaretque exulem quemdam Pisarum Raynerium Nicolai de Scarsis senescalcum suum, qui tempore primi contra Lucenses belli nulla inoffensa deprehensus solius suspicionis causa exul actus est, quem memoratus episcopus restitui cupit, ut vel Pisas mittere pro præparatione loci, vel secum ducere possit. Die sequenti [a] scribit Bartholomæo de Viarana, se brevi Ferraria discessurum, & Faventiam recepturum, petita licentia, rediturum postea Ferrariam, vel ubi transferendum fuerit concilium.

a *Lib. X. ep. XVII.*

XVI. Ex Ferraria Florentiam pergit Ambrosius.

DIE secunda septembris [b] creat Sepulcrum abbatem Uranensem in procuratorem generalem in Urbe, amovens Anselmum abbatem de Cintorio, qui eatenus hoc munus gesserat. Die sequenti [c] Sebastiano abbati Camalduli Florentini significat sibi ex voto accidisse apud pontificem, ne invitæ religiosæ quædam sanctimoniales ad aliud transferrentur asceterium. Se magna cum difficultate obtinuisse a pontifice ad paucos dies Florentiam accedendi licentiam.

b *Lib. XVIII. ep. XXIII.*
c *Lib. XVII. ep. XL.*

Die septima [d] septembris excusat cum Nicolao Albergatto cardinale se eo insalutato Ferraria discessisse; id enim permisit pontifex ad visendam matrem ægrotantem. Orat, ut scribat vicario suo, ne procedat in causa monasteriorum sanctæ Christinæ & sancti Gervasii usque ad ipsius cardinalis reditum, quo tempore ipse per se statuet, quod videbitur ejus pietati. Se statim Florentiam petere.

d *Lib. II. ep. XX.*

Ex monasterio sancti Salvatoris Florentiæ scribit die vigesima-quarta septembris [e] monachis sanctæ Mariæ Angelorum, ut sufficiant in locum Lucæ de Maleficis officium dimittentis priorem ei muneri parem. Officium dimisit Lucas die XXIII. octobris, electus fuit die XXVI. & confirmatus die XXIX. ejus mensis ab Ambrosio priore generali Philippus Antonii de Vincis ex tabulario ejusdem monasterii [f]. Lucas autem vixit ad annum octuagesimum, cum senio confectus decessit XVII. maji anno 1467. Quinta octobris ex Fonte-bono Augustino priori Senarum infirmo [g] condolet, ipsique balneorum usum suadet. Se viginti dies Florentiæ substitisse, ut monasterium Angelorum reformaret, renuntiante priore, novoque instituto. Eidem quinta-decima ejus mensis ex Florentia [h] Josephum monachum Græcum commendat cupientem candido Camaldulensium habitu ornari, & Latinas literas edoceri, quas docere poterit Hieronymus monachus. Constitutus Ferrariæ juvenis hic monachus asseruerat se nolle omnino ulterius in Græciam remeare, sed esse cum Ambrosio, postquam limina Apostolorum visitasset.

e *Lib. XIV. ep. XXXI.*
f *Num.* 340.
g *Lib. XII. ep. XLIV.*
h *Ibid. ep. XLV.*

XVII. Disputatio in concilio Ferrariensi de additione *Filioque*.

DIE decima-septima octobris [i] cardinalis Julianus Ambrosio scripsit, ut omnibus relictis Ferrariam statim repeteret. *Heri*, inquit, *destinatus est ad te nuntius proprius cum literis meis, & de mandato domini nostri jussum est tibi, ut sine mora huc properes; nam pestis attenuatur, & disputatio de Spiritu-sancto continuatur cum Græcis, præsente domino nostro, & imperatore & reliquis. Data est optio, an vellent arguere, vel respondere: Elegerunt arguere. Proposuerunt in primis, cur ecclesia Romana addit* Filioque *in symbolo? quod extitit hujus scandali & schismatis causa. Inceperunt velle probare, quod non licuit nobis illam facere additionem, produxeruntque in medium symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, & utrumque repetitum in conciliis Ephesino, Chalcedonense, quinto, sexto & septimo, ac prohibitionibus expressis, indictisque conciliis, ne liceret cuique addere. Dum legeretur septimum concilium, nos habentes nostrum in Latino de litera antiquissima in uno volumine, in quo est sextum & septimum, quod puto te*

i *Lib. XXIV. ep. V.*

vidisse,

ANN. CHR. 1438.

vidisse, venit enim ex conventu Prædicatorum Arimini, legimus ipsum; in eo enim dicitur Filioque, *de quo fuerunt admirati. Adjecimus, ne putent hoc factum culpa, vel errore scriptoris, quoniam chronica Martiniana, quæ jamdiu edita est, narrat, qualiter in concilio sexto fuit addita illa particula* Filioque. *Memini, quod inter libros domini Nicolai de Cusa erat unum volumen in Græco, ubi erant sextum, septimum, octavum concilium, de quo tu mentionem facis in memoriali tuo per hæc verba: Item recepi mutuo a domino cardinali sanctæ Sabinæ de libris domini Nicolai volumen trium generalium conciliorum sextum, septimum & octavum, quod mutuo acceperam a domino archiepiscopo Nicæno, & nescio quo pacto cum suis voluminibus ipse dominus Nicolaus miserit servandum ad dictum dominum; Nescio quid feceritis de dicto volumine. Ego potero jure reprehendi a domino Nicolao, qui rem ab ipso mihi commissam tradidi aliis. Saltem teneretis modum, quo mihi restitueretur, usquequo scriberem domno Nicolao, quid vellet me facere de illo libro? Forte ipse accommodaverat illum domino Nicæno; & ipse Nicænus tibi, & postea reversus est ad manus domni Nicolai, & posuit inter libros suos. Credo etiam, quod emerit illum Constantinopoli; nec est credendum, quod dimisisset inter libros suos, nisi esset suus, præsertim quia si dominus Nicænus esset dominus libri, cum esset hic, poterat sibi restituere. Scio me audiisse ab ipso domino Nicolao, & vidisse propriis oculis, quod in illo libro, ut mihi videtur, erat ista adjectio* Filioque *abrasa, sed non tam subtiliter, quin viderentur vestigia hujus dictionis in Græco. Te credo etiam vidisse. Solvissem centum ducatos, si heri in publico conventu potuissem cum libro nostro Latino septimi concilii ostendere librum Græcum ejusdem concilii cum dicta additione evidenter & ad oculum abrasa. Hujus rei causa est, quod tu illum librum non restituisti mihi, & miror, quod discedens hinc non reddidisti alia duo, quæ tamen mihi monachus tuus restituit. Rogo pro honore tuo & debito statim venias huc, quia in verbo veritatis præsentia tua est supra modum necessaria, & timeo quod res istæ patientur magnum præjudicium, si non adsis. Vide, si posses habere Florentiæ aliquam septimam synodum, quia si concordaret cum libro nostro, esset nobis ad magnum robur. Forte vobiscum omnia illa volumina Græca tam vestra, quam Nicolai, vel alterius, quæ tangunt istos differentiarum articulos, & præsertim volumina illa, quæ allegat ille Kaleca, quæ alias descripsisti in una schedula. Portes inter alia librum thesaurorum Cyrilli. Nibil tibi constabit vectura, quia ordinatum est cum banco de Medicis, quod libros per te ei assignandos statim hic mittat. Dimitte Camaldulum & totum ordinem, & veni, propera propter fidem Christi. Vale feliciter.*

XVIII. Eugenius Ambrosium advocat Ferrariam.

CUM adhuc tardaret Ambrosius se Ferrariam conferre, etiam pontifex Eugenius suis literis ex Ferraria die III. novembris pontificatus sui anno octavo [a] ipsius adventum sollicitavit scribens: *Scis te jam pridem, cum hinc discessisti, quindecim dierum a nobis, prout petieras, licentiam habuisse, a quorum fine jam ferme menses elapsi. Itaque cum putaremus præsentiam tuam in hujusmodi tractatu cum Græcis statuto accommodam fore, mandavimus dilecto filio nostro Juliano tituli sanctæ Sabinæ presbytero cardinali, ut te nomine nostro per suas literas ad nostram præsentiam ..... quod quidem asserit se per nonnullas ejus literas effecisse. Ex quo non parum miramur devotionem tuam nondum venisse, & jam negotium disputationis in dies magis magisque effervescit. Quocirca mandamus tibi tenore præsentium, quatenus omnibus postbabitis impedimentis, iter veniendo ad præsentiam nostram visis præsentibus ingrediaris, libros Græcos & Latinos omnes rei, de qua agitur, opportunos tecum deferendo.*

[a] *Lib. XXIV. ep. III.*

DIE

Die quinta novembris ex Fonte-bono [a] excusat cum Bartholomæo de Viarana Ambrosius, quod ex Ferraria discedens Faventiam non perrexerit, quia & necessitas temporum, & jussio pontificis aliter agere suasit, Bononiaque iter agere; neque sibi licuit satisfacere votis communibus.

ANN. CHR. 1438. XIX. Aliæ Ambrosii literæ ad hunc annum pertinentes.

Versus finem anni scripsit [b] ex Ferraria Philippo de Vincis, qui nuperrime electus fuerat prior monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, se jam scripsisse secundo ipsi de adventu pontificis Florentiam, & nunc se eadem scribere, *quia paucis post diebus hinc*, inquit, *ibimus*. Significasse se etiam ipsi postulationem Hermolai Barbari protonotarii commorandi in monasterio Angelorum, quem commendat denuo, quia & bonus juvenis est, & bene religiosus, & carus pro merito suo & pro amicitia patrui sui Francisci Barbari. Concordasse se insuper cum reverendissimo domino commendatario sancti Savini de annuo pretio persolvendo, ut gubernatio ipsius monasterii libera spectet ad ordinem, dedisseque illi fidejussorem Cosmum Mediceum. Cardinalis commendatarius sancti Savini de Pisis erat Antonius Casinus.

a Lib. X. ep. XIX.

b Lib. XIV. ep. XXXIV.

Spectant ad hunc annum sine mensis & diei nota sequentes epistolæ. Silvestro Angelorum monacho data ex Ferraria [c]; in qua habet: *Cum Græcis disputatio jam cepta est, in qua multum ipsi exercemur.* Significat insuper *obiisse patrem & dominum suum singularem cardinalem Ursinum* (Jordanum, qui decesserat quinto kalendis junii) *cujus patruus homo antiquissimus, nomine dominus Belforte doctor atque miles cuperet commorari in monasterio Angelorum, & in præsentiarum tercentos aureos largiri; habet autem Venetiis pecunias plurimas, & est spes illum longe majora facturum. Nepotes cardinalis hoc ipsum vehementer optant, alter protonotarius, alter archiepiscopus*, (intelligit vel Johannem de Taliacotio archiepiscopum Tarentinum, vel Marinum Ursinum archiepiscopum Panormitanum, Johannis postea successorem in cathedra Tarentina) *utque inde scriberem ad vos, multum institerunt.* Faciat verba proinde cum priore monasterii, creditque ipsum esse plusquam octogenarium, & putat rem fore monasterio & utilem, & honorificam. Hieronymo monacho Rosæ Senarum ex Ferraria [d] commendat & mittit Josephum Græcum monachum literis Latinis ab ipso imbuendum, ut Josepho pollicitus fuerat idem Hieronymus. Alteri Hieronymo incluso, anne Pragensi? ex Ferraria [e] veniam postulanti concedit; scripserat enim hic contra Ambrosium literas famamque ipsius proscideràt, lædens fœdera veteris reconciliationis; quam veniam de cetero non præstabit. Dolet admodum *de morte venerabilis illius & sanctæ memoriæ patris nostri Gualterii, cujus si scire infirmitatem*, inquit, *potuissemus, profecto advolassemus ad vos*. Demum alia ad Sanctem monachum [f].

c Lib. XIV. ep. XXVI.

d Lib. XVIII. ep. XXV.

e Lib. XVI. ep. XXVIII.

f Ibid. ep. LIV.

Ad hunc annum pariter referenda videtur Ambrosii epistola ad Cosmum Mediceum [g], qua ipsi commendat tum Enoch Esculanum institutorem ipsius filiorum hominem eruditionis singularisque modestiæ. Extat ad Albertum Enoch Poggii epistola, aliaque Nicolai a Vulpe Vicetini; tum nepotem prioris sancti Johannis-baptistæ de Faventia custodiæ traditum a Faventino domino juniore, petens pro eo literas commendatitias ad Guidantonium majorem natu dominum; demum Romæum Foscararium virum optimum & amicissimum, ut ereptum ergastulo pontifex Florentiæ sinat esse, nam *etsi superiore forte tempore quidquam ille gessit, quod esset pontifici ingratum aut molestum, subsequuta erat præteritarum culparum oblivio & generalis indulgentia.* Data est epistola XXI. septembris.

g Lib. VII. ep. V.

Commendaverat Ambrosius binis literis, antistitis Nicæni Bessarionis gratia, Leonardo Justiniano patricio Veneto causam nobilium Calergiorum.

Respon-

Ann. Chr. 1438.

a Lib. XXIV. ep. XXIV.

Respondit Leonardus [a] & voluntate Ambrosii, quo nemo est aut auctoritate, aut pietate, aut dignitate superior apud me; deinde Nicæni præstanti integritate & eruditione, tum vetere benevolentia sua erga Johannem Calergium majorem natu ex supplicantibus; & demum merito causæ nobilissimorum hominum & innocentium, de quorum capite agebatur, se ipsis fauturum, quantum ejus squallor permiserit & lugubris status, in quo eum Marci fratris amantissimi mors nuper constituit. Nam *posteaquam ille a me divulsus est, a rebus publicis ita secessi, ut nunquam nisi vocante patria & in rebus quidem maximis in curiam veniam*. Se legere ejus orationem Græcam (quæ scilicet dicenda erat in occursu Græcorum) *ut & sententiarum elegantiam, & ornamenta verborum ac puritatem sermonis ex homine Latino fluentem nunquam in illa non admirer; pariter & irascar improbitati & malignitati eorum, qui, ne illam recitares, impedimento tibi fuerunt*. Commendat ejus precibus mortuum fratrem Marcum, quem vivum dilexit. Ex Venetiis die XXVII. aprilis M.CCCC.XXXVIII.

Thomas de Cremona confessarius monialium sancti Ludovici de Venetiis donavit hoc anno monasterio sancti Michaelis de Muriano plurima volumina eorum apposito pretio, quorum syllabum damus in Appendice.

Ann. Chr. 1439.

XX. Leonelli Estensis epistola ad Ambrosium.

b Lib. X. ep. XX.

c Lib. XXIV. ep. XVIII.

Ex Ferraria discessurus Florentiam versus Ambrosius, die nona januarii hujus anni [b] scribit Bartholomæo de Viarana, jucundissimam dicens suam profectionem ex Ferraria Florentiam, sed ferme obscurari suam voluptatem, quod Faventiam transire, ut cupiebat, nequaquam sibi liceat.

Leonellus Estensis filius marchionis Nicolai occasione concilii generalis Ferrariæ habiti amicitiam veterem magis magisque strinxerat cum Ambrosio. Verum grassante Ferrariæ pestilentia, & translato Florentiam concilio discedens Ambrosius insalutatum reliquerat Leonellum, Leonellus quoque Ambrosio salutationis officium non persolverat; quare literis hujusmodi defectum compensandum duxere, acceptisque Ambrosii literis, has respondit Leonellus [c]. *Tuas accepi literas, quæ me magnopere voluptarunt. Nam non minus molestiæ mihi de tua profectione est allatum, quam tibi, quod nulla visitatio intervenit, ut officio & caritati nostræ satisfaceremus. At cum ad præsidium literarum te contuleris (id quod absentes præsentes facit) non lætari non possum, ipsæ namque absentiam tuam supplentes te mihi præsentem reddiderunt. Ut autem aliquid consolationis capias per istam tuam molestiam, quæ te torquere videtur, propterea quod abieris a me insalutatus, ad te perbreves hasce dare volui, quæ me tibi præsentem itidem faciant. Salvus igitur sis Ambrosi vir omnium, qui sunt, optime. Quod vero gratuleris super sacerdotem tuum hospitem, & super hanc civitatem, gaudeo ac plurimum lætor; adeo enim testimonium tuum locuples & dignum est, ut ceterorum judicium ac testimonium parvi esse ducam. Monasterium ceptum ab illustrissimo domino meo genitore, per hunc annum, ni aliud impedimentum intercedat, absolvetur, quod ut fiat, polliceor tibi me non defuturum in hortando suam optimam ad id opus promptitudinem. Dies ille erit mihi honoratus ac felix, quando te apud nos in eo pio loco videbo, alloquar, amplectar. Vale & pro me ora: Ex Ferraria die* XXII. *januarii* M.CCCC.XXXIX. Leonellus Nicolai III. Ferrariæ marchionis ex concubina Senensi filius, cum nullum propterea jus haberet in patria dominandi, principatum animi tamen magnitudine fretus legitimis fratribus adhuc pueris præripuit, rerumque potitus est post mortem Nicolai, quæ contigit post biennium, vir eruditionis præterea ac doctrinæ nomine laudatus. Monasterium vero, de quo in ea epistola fit sermo, appellabatur sanctæ Mariæ Angelorum, vulgo

vulgo *Belfiore*, cujus fundamenta jacta fuerant anno 1403. perfectum autem fuit anno sequenti 1440. atque fratribus ordinis Prædicatorum sancti Dominici concessum, fratre Antonio Vercellensi primum regimen suscipiente. Nimirum Estenses principes, (quod conjicere ex epistola licet) de Camaldulensibus monachis in cœnobium illud inducendis cogitaverant, quod cum extra urbis pomœrium tunc amœna in solitudine esset, asceticæ eorum disciplinæ aptissimum videri poterat. Verum post Ambrosii mortem mutata sententia Leonellus ipse Nicolai genitoris, qui tunc Ferraria aberat, jussu, fratribus ordinis Prædicatorum cœnobium incolendum tradidit die XXI. novembris anno 1440. Hæc ex Baruffaldii, & Cannetii notis ad hanc epistolam delibavimus, ut Ambrosii cum principe Leonello amicitiæ titulus & natura, nec non epistolæ occasio innotescerent [a].

ANN. CHR. 1439.

a *Lib. XII. ep. XLII.*

XXI. Concilium ex Ferraria translatum Florentiam.

Ex monasterio sancti Salvatoris Florentiæ vigesima-sexta januarii Ambrosius priori Augustino gratulatur pro Josepho monacho Græco, qui habitum Camaldulensem assumpserat in ejus Rosæ Senarum monasterio. Se occupatissimum esse in funere abbatis Camalduli Florentini, hoc est Sebastiani Dardani; electus fuit in locum Sebastiani Jacobus. Gaudet inventam fuisse possessionem, quam redimendam hortatur in beneficium ejus loci. Eidem ex monasterio Angelorum die tertia februarii [b] iterum de monacho Græco gaudet, quem lætatur & psallere, & commode legere in Latina lingua. E contra poterit ipse Joseph docere Gasparem Græcam linguam; novitates memorat, quæ nuperrime contigere in urbe Bononiensi, nempe anno antecedenti. Quarta februarii [c] gratias habet Cosmo Mediceo, quod accepti fuerint in urbe Florentina festive & perhumaniter Græci, qui hanc largitatem suis expresserunt; sed orat, ut verba hæc non sint inania, neque patiantur cives Græcos esse publicæ necessitatis testes. *Heri enim*, subdit, *ingressi sunt civitatem principales Orientalis synodi honore non satis congruo deducti, id quod alienæ potius negligentiæ, quam vestri defectus fuerit. Putarunt se invenire domos paratas, & nihil hactenus actum est, ut sine murmure esse non possint. Erit humanitatis & prudentiæ tuæ humanitate resarcire, si quid prætermissum sive magis omissum negligentiæ est, eosque muneribus consuetis curare donandos.* Decima-octava februarii [d] orat cardinalem sanctæ Crucis, ne causæ inter monasteria sanctæ Christinæ ac sancti Gervasii Bononiæ cognitionem suo permittat vicario, sed forensi submota contentione rem juxta conventa expediri jubeat. Agentibus enim iis, qui tuebantur partes monasterii sancti Gervasii, auctoritas, quam dederat cardinalis vicario suo, auctoritate apostolica confirmata fuerat Ferrariæ, ut scilicet quidquid ille decerneret vigore indultæ sibi commissionis, ratum esset. Se autem, cum Ferrariæ de ea re verba faceret cum Thoma Sarzanense magistro, hunc dedisse id unicum remedium, ut revocaretur auctoritas pontificia, quia ferox ingenium vicarii non acquiesceret monitis cardinalis; præsertim cum nondum cardinalis transtulisset commissionem in ipsum vicarium. Is vicarius erat Jacobus de Faltanis Valentinus. Decima-octava martii [e] significat Augustino priori Rosæ Senarum disputationes Florentiæ Græcorum cum Latinis ter in hebdomada, præsente pontifice & imperatore, quæ interdum excedunt quatuor horas, haberi, esseque jucundum suaveque spectaculum cernere disceptantes. Se adesse pro parte sua jugiter, magnamque heri spem subluxisse sibi unionis conficiendæ. Commendat rursus ipsi Josephum monachum Græcum.

b *Lib. XII. ep. XLVII.*

c *Lib. VII. ep. XII.*

d *Lib. II. ep. XXI.*

e *Lib. XII. ep. XLVIII.*

XXII. De unione Græcorum cum Latinis.

Vigesima prima aprilis ex Florentia [f] Juliano Cæsarino cardinali hæc per epistolam nuntiavit Ambrosius. *Nuntio tibi pater gaudium, quod utrique commune est, immo ecclesiæ omni, ut si quidem audisti, recognoscas &* gra-

f *Lib. II. ep. XIX.*

ANN. CHR. 1439.

gratuleris magis, sin minus, mecum pariter gaudeas, & una gratias Deo referamus. Nicænus noster hodie in publico conventu Græcorum, astante imperatore & episcopis omnibus erupit in vocem confessionis & laudis, dicens omnibus palam sanctam Romanam ecclesiam recte sentire in mysterio fidei, & additionem in symbolo rectissime factam, & se velle hanc fidem, hanc confessionem, quam ore profitebatur, in scriptis dare, etiam affirmans, cum illi discederent hinc, se ab eis deponendum, & passurum omnia, si opus esset. Nostrorum facta & secularium concursus mulierculárum quotidianos ad ecclesiam miris laudibus extollit, quia in eo longe ipsi essent inferiores, & alia plura, quæ fervor dictabat. Ivit in ejus sententiam confessor ille imperatoris, & plerique fleverunt. Humilitas pontificis nostri elata summis laudibus, quod Heracliensi responderit hodie benigne. Ea omnia ex Macario nostro addisces uberius, quem ad te hujus rei gratia mitto. Vale mi pater. Kalendis junii [a] ex monasterio Angelorum Eugenio pontifici commendat quanta potest instantia negotium Græcorum, ut finem accipiat mature sacratissima ista & nimium necessaria unio, *quandoquidem res, miserante Deo, ad id deducta est, ut in tuo sit nutu, & de tuæ sanctitatis arbitrio pendeat. Nempe enim, quæ sponte tua libere pollicitus es, pro viribus cumulatissime implere conveniet, ut sic peracta unione, imperator cum honore potentiaque remeet, classe ad id comparata, quæ illum deducat abeuntem, & non modo tutetur, verum, ut & terrori sit adversariis, faciat. Ista, ut sum modo certior factus, requiruntur a tua beatitudine, quæ ut promittat firmiter, & exsequi celeriter studeat, oro atque obsecro mirum in modum. Adveniunt, ut audio, legati principum, & vehementer cupio, ut inveniant confectum negotium, ne dilationes inquirenti imperatori suggestio illorum animos addat, protrahaturque res, & elabatur, quam in manibus tenere videmur. Et omnino ante illorum adventum res concludenda est, etiamsi advenientes legati & fortassis hujus rei gratia properantes ad impediendum, si fieri possit, uspiam extra urbem detinendi sunt.* Undecima junii ex Florentia [b] significat Mariotto putasse se in proxima festivitate sancti Romualdi ad ipsum venturum, sed instare conclusionem rei Græcanicæ, & unionis utriusque ecclesiæ, pro qua multum ait se laborasse, neque posse hinc abesse ulla ratione. Vigesima-quinta ejus mensis [c] Augustino priori Rosæ Senarum subsidium ad sublevandam inopiam ejus monasterii mittit. Decima-quarta julii [d] ex Florentia Bartholomæo de Viarana narrat Græcorum negotium Deo miserante, præter spem & expectationem multorum felicissime esse terminatum. *In quo*, subdit, *& si pro viribus laboravi, cave tamen putes me primas tenere partes. Namque & plerique alii summi & doctissimi viri intervenerunt, quibus potius totum, quam mihi adscribendum est. Fuit profecto jucundissimum suavissimumque spectaculum cernere utramque ecclesiam conjungi perpetuo fœdere, pontifice ipso summo celebrante in majore ecclesia, cunctisque pariter Deo referentibus gratias.* Quod autem multa humilitate afferit Ambrosius se primas non tenuisse partes in concilio Florentino, explicandum est ex vita Nicolai V. exarata a Vespasiano, & edita a Muratorio, in qua refertur Nicolaum Sagundinum in concilio Florentino, quæ dicebantur a Græcis, exposuisse Latine, quæ respondebantur a Latinis, eodem momento Græce retulisse Græcis; vices tamen Sagundini aliquando supplesse Ambrosium, cum alii non suppeterent, qui tantam utriusque linguæ notitiam possiderent.

XXIII. Alia tractanda in concilio Florentino proponit Ambrosius.

DECIMA-NONA julii [e] hujus anni Eugenio summo pontifici Ambrosius ecclesiasticam disciplinam in concilio ab ipso congregato reparandam suadet, eamque ab aula Romana primo inchoandam prædicat. Die scilicet hesterna Eugenius Ambrosio declaraverat vigilem curam, propensiusque

a *Lib. I. ep. XXXIII.*

b *Lib. XV. ep. XLIX.*

c *Lib. XII. ep. XLIX.*

d *Lib. X. ep. XXI.*

e *Lib. I. ep. XXXII.*

que ſtudium ad reſtituendum decorem domus Dei ; quare alacrior factus Ambroſius epiſtolam conſarcinavit, & damnat inter cetera prælatorum in veſtitu pompam : *Audivi, inquit, ego pleroſque, cum dicerent ſe grave ſcandalum pati in pompa iſta veſtitus, in luxurioſo apparatu, in equis bellatoribus, quibus plerique utuntur ex prælatorum & cardinalium numero. Ajunt colorem rubeum ſoli convenire pontifici, ſervatumque id ad tempora ferme ſacerdotii tui, ut nullus ex dominis cardinalibus rubeam clamydem ferrent. Vituperant caudas, ut ipſi vocant, quatuor ferme aut quinque cubitis in humum trahi, & cetera id genus, quæ palam ſunt omnibus. Levia iſta videntur, ſed non leviter ſcandalizant plurimos, qui ad noſtrorum condemnationem, Græcorum quoque in habitu honeſtatem vehementer probant. Neque valet pro excuſatione minus admitti ſcelerum tempore tui ſacerdotii, quam anteceſſoris tui temporibus admiſſa ſunt; nam a præſtantioribus, quam a deterioribus petenda ſunt exempla.* Damnat poſtremo penituſque eliminandum vult Simoniæ malum. Quæ autem tractabuntur in dies, ex officio ſuo cum aliis ſuggeret.

ANN. CHR. 1439.

XXIV. Aliæ Ambroſii epiſtolæ.

TRIGESIMA augusti ſcribit [a] ad Antonium abbatem ſancti Viti (lege Vigilii) & ad Auguſtinum priorem Roſæ Senarum, hominem quemdam Senas pergentem ipſis commendans. Decima ſeptembris ex Florentia [b] Majori & eremitis Camalduli ſcripſit Ambroſius, quod putabant ad eos ſe reverſurum pro mutatione officiorum ad diem octavam ſeptembris, ſed negotia publica prolixiora fuiſſe. Sperat tamen poſt paucos dies diſceſſurum Florentia & infectis negotiis. Magna Florentiæ nuntiari de ſpe certa converſionis Turcarum. Armenos veniſſe paratos cedere ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Patrem amantiſſimum epiſcopum Tarviſinum (Ludovicum Barbum) ad eremum proficiſci devotionis ſuæ gratia, quem ſuſcipiant ſicut Angelum Dei, & dimittant bene ædificatum de concordia & caritate, religioſa obſervantia & gravitate.

a *Lib. XII. ep. XXXVII.*

b *Lib. XVI. ep XXV.*

Duodecimo Kalendas octobris [c] ad ſolitudinem reverſus ſcribit Laurentio Mediceo. *Licet enim, inquit, in cauſa illa Græcanica perlibenter laborarim (quippe ad hanc tempeſtatem atque ad hanc rem Græcæ linguæ qualemcumque notitiam divino munere mihi obveniſſe putarem) ea tamen oculis atque auribus in dies haurire cogebar, quæ animum longe alienis innutritum ſtudiis excruciarent; gratiuſque multo ac jucundius ruſticis noſtris, quam cardinibus terræ pontificique congredior ſummo.* Inſtituiſſe ſe feneſtras plurimas, magiſque hiberno expoſitas frigori vitreas facere, & quandoquidem idem Laurentius in præſentiarum huic rei & ipſe operam dabat, rogat, ut vel vitra ſibi mittat, vel ex Venetiis convehenda curet. Fontem quoque a ſe exſtructum amœniſſimum oculiſque non ingratum in Fonte-bono memorat.

c *Lib. VII. ep. XVIII.*

XXV. Epiſtola Juliani cardinalis ad Ambroſium.

DUM Florentiæ morabatur Ambroſius agens cum Græcis, dedit ad eum epiſtolam, quæ menſe & die caret, Julianus, quæque eſt hujuſmodi [d] : *Pater Ambroſi, vides quantum opera tua nunc eſt eccleſiæ neceſſaria. Quamdiu vixeris, etiamſi æquares Mathuſalem, non potes omni vitæ tuæ tempore tantum fidei prodeſſe, quantum his paucis diebus, quibus hoc exercetur diſputationis certamen. Quocirca opus eſt, ut cunctis aliis negotiis indicas ferias, & ſolum Græcis transferendis voluminibus diebus ac noctibus totus incumbas. Supra modum prodeſſet, ſi haberemus ex integro volumen Baſilii contra Eunomium translatum. Noſti optime, quam hoc ſit neceſſarium & pium opus. Non eges admonitore in rebus Dei, qui ab ipſa fuiſti Deo pueritia dicatus. Quare, optime pater, transfer ſine mora Baſilium ipſum. Reperi libellum illum Auctoritatum, quem mitto tibi, ut poſt Baſilium etiam transfe-*

d *Lib. XXIV. ep. VI.*

ANN. CHR. 1439.

transferas, sicuti mihi polliceri dignatus es. Hoc mane assignavit tibi Johannes Arretinus Basilii complura opuscula. Vide si quid est, quod rei nostræ, quæ modo agitatur, conducat. Perge etiam crastino die ad monasterium Florentinum, ubi hodie dicebas esse ejusdem Basilii epistolas, & vide, si est illa, de qua loquebatur Colocensis archiepiscopus ad canonicos, quod Spiritus-sanctus est tertius ordine & dignitate. Vale.

XXVI. De monasterio sancti Savini Pisarum.

a *Lib. VII. ep. XIII.*

SPECTANT partim ad præteritum, partim ad præsentem annum binæ Ambrosii epistolæ ad Cosmum Mediceum circa monasterium sancti Savini in agro Pisano. Prima data est [a] ex Florentia; refert se proximis diebus concessisse Pisas cum archiepiscopo Rutheno (Isidoro Thessalonicensi) historiæ gratia; cupienti enim eo proficisci se comitem haud invitum dedisse. Conspexisse monasterium sancti Savini, quod malo suo auspicio a congregatione Camaldulensi ante nonaginta-novem annos (melius centum & undecim) sublatum, ipsi & ordini ante paucos dies Romanus pontifex restituere acquievit, ea tandem lege, ut cum ipsius commendatario concordaret, multumque ingemuisse amplissimi dudum monasterii miserabiles omnino ruinas. Convenisse itaque se cum commendatario, ut retinens commendatarii nomen omnem administrationem liberam relinqueret, acciperetque aureos CCCCL. quotannis, dato fidejussore. Quare ab ipso Cosmo instanter petit Ambrosius, ut hoc fidei officium sibi non deneget. Quod si annuat, se instituisse Michaelem monachum abbatis titulo cum paucis monachis regulariter tamen viventibus ibidem præficere, decedente vero commendatario, petit alteri non commendari. Ex eremo autem die XVI. augusti [b] hujus anni ad eumdem Cosmum scribens significat pontificem nolle permittere, ut bona monasterii Angelorum Florentiæ obligentur in rem sancti Savini, sed ipsius Pisani monasterii dumtaxat redditus; quare cum redditus ejus monasterii plures sint, quam summa pollicita cardinali Florentino, iterum Cosmum orat, ut non dedignetur esse fidejussor. Reditu-rum se brevi Florentiam, alias in solitudine remoraturum pergrate & perlibenter. Cardinalis Florentinus est Johannes Vittelefchus electus archiepiscopus Florentinus, cui etiam post mortem Antonii Casini cardinalis, quæ contigerat quarta februarii, pontifex hoc ipso anno commendaverat monasterium sancti Savini.

b *Ibid. ep. XIV.*

c *Lib. XXII. ep. XXIII.*

Anno incerto epistolam dedit Ambrosius ad Leonardum Camaldulensem monachum [c], qui captivus factus, sed ex Barbarica servitute solutus redierat in Italiam una cum Cartusianis aliquot captivitatis suæ sociis, jamque ut ad eorum ordinem reliquum vitæ cum iis acturo transire sibi liceret, petierat ab Ambrosio. Qui ita Leonardi consilium non approbat, ut si in sententia perstare malit, transitum hujusmodi noverit sibi minime præpediri. *Si majora enim*, inquit, *sanctæ conversationis certamina appetis, districtioremque vivendi normam, potes illam in ordine tuo facile consequi. Sunt namque monasteria perpetuo clausa, in quibus perfecte per Dei gratiam sanctæ religionis nostræ regula servatur; est eremus sacra nostri ordinis caput, quæ professionem ac districtionem æmulatur. Potes in his absque reprehensionis nota quiete & sanctissime vivere. Sancta est illa religio, ad quam transire cupis, nemo ambigit, verum ne nostra quidem nisi multum laudata, in his scilicet monasteriis, in quibus regulare servatur institutum.*

XXVII. Mors Ambrosii.

DUM his summis gravissimisque rebus distinebatur Ambrosius, aliaque de se majora in dies facturum portenderet, immaturo fato duodecimo Kalendas novembris e vivis tollitur, eripiturque de hujus vitæ miseræ laqueis, cœli sedibus inferendus. Paucis ipsius mortem Fortunius narrat: *Cum pestis*, inquit, *in Etruria grassari jam incepisset, Ambrosius duodecimo kalendas*

lendas novembris Florentiæ intempestive extinctus nuntiatus est. Prodit memoriæ Maurus sancti Mathiæ monachus ejus mortem non sine veneni suspicione contigisse, quod videlicet æmuli ejus virtuti invidentes, ad celsiores honores Ambrosio viam intercludere sibi ipsis gloriosum duxerint. Inferius Fortunius habet sexagenario majorem e vita excessisse. Hoc postremum veritati non est consonum, qui enim anno 1400. vix annum expleverat decimum-quartum, mortuus vero est anno 1439. certe ætatem implevit vix annorum quinquaginta-trium. Moritur ergo Ambrosius die vigesima-prima octobris ætatis LIII. annorum, mensis unius, dierum quinque. Minius Ambrosium obiisse scribit die XX. novembris; quod forte de tumulatione iterata apud eremum, ut dicemus, interpretandum est. Quoad genus mortis ipsius, falluntur, qui extinctum veneno putant. Legatur epistola Angeli Politiani ad Michaelem Angelorum monachum [a]: *Postquam,* inquit, *sanctissimus Ambrosius noster nobis sublatus extitit, optime Michael, mœror & luctus ita me occupaverunt, & detinuerunt, ut non scripserim, aut legerim, vel aliud quid fecerim, quin memoria & recordatio sui me exagitaverint, & perturbaverint; intempesta adeo & acerba, & non hoc tempore expectata mors illa visa est. Nam quum ipse nedum senex, sed recens admodum, & fere juvenis esset, atque in vita & modo compositus, & corpore sanus esset, neque morbus eum oppressisset, sed algore aliquantisper impediretur, non erat profecto hoc in tempore mors illa nedum expectanda, sed nec fere timenda. In eum igitur hominem, qui Ambrosio mortem intulit, inconsiderate adeo pillulas ei nescio quas subministrando, non ambigo, si Ambrosius ipse posset redimi, manus injicerem, & propriis manibus suffocarem.* Diffluit deinde in Ambrosii laudes, quem *per omnes suæ vitæ partes innocentissimum* prædicat, *et virginem verecundissimum, et obsequiosissimum omnium ejus ætatis hominum.* Ex Florentia VI. idus novembris. Audita ejus morte, subita vi doloris correptus Romanus pontifex Eugenius, aliquamdiu quoque ingemiscens, Ambrosium ex nomine vocare non cessabat, in has voces identidem erumpens: *Ambrosi fili, quis te mihi eripuit? quis ecclesiæ lumen adeo intempestive extinxit?*

ANN. CHR. 1439.

a Lib. XXV. ep. XVI.

XXVIII. Ipsius laudes ex pluribus scriptoribus.

HUMATUM fuit Ambrosii corpus primo in ecclesia monasterii sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, sed post dies aliquot translatum ad ecclesiam eremi Camaldulensis. Quid ad ejus sepulcrum contigerit, fusius anno sequenti. Interim non pigeat ea de Ambrosio addere elogia sanctitatis & doctrinæ, quæ a viris doctissimis retulit hoc ipso seculo paulo post obitum. Vix eo defuncto Zeno Amidanus hæc de Ambrosio ad Petrum Candidum Decembrium scripsit [b]: *Frater Ambrosius noster sinistra dies aliquot valetudine circumventus proxime tandem mortem obiit: Mihi sane illius casus acerbus fuit cum communi omnium jactura, quæ quidem pro illius integritate, sanctimonia et scientia Italicos præcipue omnes tangit, tum mei ipsius gratia, qui in ipso familiaritatis initio, amico observantissimo orbatus sum. Quod mortuo præstari potuit, Vegius noster illius sane observantissimus epitaphium illi conscripsit, quod hic subscriptum leges:*

b Lib. XXV. ep. XLV.

Ambrosius jacet hic monachorum gloria quondam
Flaminii quondam gloria magna soli.
Clarus is eloquio Grajo, clarusque Latino,
Quæ coluit studiis clarus et ipse sacris.
Si scripta attendas, fuit haud velocius ulli;
Si vitam, haud ulli mitius ingenium.
Funde tuo lacrymas rapto Camaldula patri,
Parvaque tu gnato Portice terra tuo.

Heu

Ann. Chr. 1439.

Heu tali gnato, tali illa relicta parente
Qualem restituent tempora nulla sibi.

Alia Epigrammata, quæ in Ambrosii laudem condita fuere, hujusmodi sunt. Johannes Dominici de Corella ex ordine Prædicatorum Theologus plane insignis hæc de ipso cecinit in poemate inscripto *Theotocon*, seu *de vita et obitu beatæ Mariæ Virginis*, ad ædem sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, quod conscripsit anno 1468.

Hic eremi soboles habitat Camaldula sancti
In terra pollens moribus angelicis.
Alba veste nitens cœlesti floret amictu,
Et parit illustres candidus ordo viros.
Quos super Ambrosius velut inter sydera Titan
Eminet ingenii nobilitate sui.
In Latiam vertit, qui Græca volumina linguam,
Cum simul eloquio clarus utroque foret.
Edidit et nostra plures ætate libellos
Hic pater Angelici gloria vera loci.

Paulus Orlandinus doctissimus & piissimus asceta ejusdem Angelici monasterii *sub effigie generalis Ambrosii, qui fuit monachus bujus monasterii*, posuit:

Ambrosium cernis, Divum qui carmina quondam
Ipse per Hesperios eduxi Græca penates.
Angelicum cœlebs colui pubesque sacellum,
Et generalis eram cuncti tunc ordinis auctor
Grajos devici firmans, delubra quotannis
Ut celebrent Christum, docui quod Spiritus atque
Prodeat amborum nexus, molimur alumnis
Religionis opem nostris, ac stemma relinquo,
Quo valeant astris pariter considere mecum &c.

Item ejusdem Orlandini alterum.

Ordinis hic splendor magnum vulgatus in orbem
Præstans ac nobis gloria prima decus.
Viribus hunc totis celebrem laudetis, et omnes
Gesta, quibus fertur, carpite mira suis.
Ambrosius nobis fasces cum nectare Divum
Pergit, et sacri dogmatis æquor habet.
Quare nunc terris, nunc almo ridet Olympo,
Cum sua jam vireat parta corona sibi.

Adhuc eo vivente Hieronymus Aleottus in libro *de Erudiendis monachis*: *Nemo*, inquit, *est hominum, si mibi detur optio, quem malim, quam Ambrosium in omni causa et divinarum rerum et humanarum, sed in hoc maxime judicem deligere: Nam quamquam videtur alterius sectæ et partium contrariarum, quod doctus sit, atque omnium nostræ ætatis eloquentissimus, tamen præditus est tanta virtute ac religione, ut nulla ex parte ambigere possim rectissime illum judicaturum, neque pro voluntate animi et sensus affectu, sed pro æquitate ac pro justitia loquuturum. Equidem eum novi Ambrosium, qui si vel adversus seipsum ferenda sit sententia, malit se suo ore damnare, quam veritatem quoquo pacto deprimere* &c. Legatur tota Aleotti dissertatio sive concertatio ipsum inter & Augustinum Porticensem, sententia insuper Ambrosii inter ipsos componentis, in qua etiam hæc addit, quæ ad laudem faciunt ipsius Ambrosii. *Ad te nunc, pater Ambrosi, orationem converto. Non ipse te vidi, cum venisses Arretium, casuque vacaret*

ret episcopalis sedes, tris uno tempore, eadem hora, uno momento, celeres notarios fatigantem? qui te dictante his epistolas verbis sententiisque dissimiles, & quidem rotundas atque concinnas alacri festinaque manu conscripserunt? De Ambrosii promptitudine & celeritate in dictando hæc addit Vespasianus: *Audivi a Cosmo Mediceo ad laudem fratris Ambrosii ejusque literarum Græcarum notitiæ, quod cum quadam die simul essent Ambrosius, Cosmus & Nicolaus, ac Ambrosius verteret Chrysostomum super epistolas Pauli, & Nicolaus exciperet, qui erat velocissimus scriptor, hic non poterat paginæ commendare, quod Ambrosius ornatissimo stylo dictabat, neque correctiones patiebatur. Nicolaus itaque Ambrosio frequenter repetebat, ut lentius traderet, tempusque daret scribendi. Quæ Nicolai manu scripta adhuc conspiciuntur in bibliotheca sancti Marci Florentiæ.* Inferius vero hæc addit idem Vespasianus de Ambrosii doctrina. *Vitæ sanctitate & doctrina Ambrosius maximam sibi comparavit omnium opinionem. Firma erat sententia virorum doctorum fratrem Ambrosium & Leonardum Arretinum renovasse linguam Latinam annis mille prope sepultam, neque aliquem scriptorem eis propius accessisse. Licet enim Petrarchæ multum debeat Latina lingua ab inferis excitata, neque ipse tamen eo pervenit, quo præfati duo viri pervenere. Leonardus putabat se dumtaxat excellere, audita fama Ambrosii, graviter tulit & invide, quod Nicolaus, Cosmus & Laurentius magnum facerent Ambrosii nomen, ac indignatus est contra Nicolaum, ignominiose in ipsum invehens suppresso nomine; orationem quoque edidit contra hipocrytas, & fama est eam elucubrasse contra Ambrosium, qui tamen alienus erat ab iis ineptiis, quem neque gloria, neque ambitio unquam momordit* &c. Demum, *vixit*, subdit, *sanctissime & sanctissime obiit. Addidit doctrinæ sanctitatem vitæ, quia in monasterio Angelorum vivebant quadraginta monachi sanctissimi, qui speculum erant urbis Florentinæ.* Lapus junior de Castiglionchio in libello *de Curiæ Romanæ commodis* appellat Ambrosium *monachorum principem, virum ea vitæ sanctimonia & integritate, ea religione, tanta doctrina, tanta humanitate, tam eximia dicendi copia ac suavitate præditum, ut phœnix quædam hac ætate nostra non nata inter homines, sed e cœlo delapsa merito atque optimo jure existimari possit* &c. Franciscus Castilionensis in codice Gaddiano-mediceo, quem profert [a] Laurentius Mehus: *Non multis quoque annis antea*, inquit, *Ambrosius monachus Camaldulensis, qui illis studiorum socius fuerat, ac virtute non impar*, M.CCCC.XXXIX. *anno* XIII. *kalendas novembris ex hac vita migravit, cujus ingenium multa solertia, multaque humanitate ac religione præditum fuisse omnes testantur. Qualis vero fuerit ejus doctrina ac literarum peritia ex illis, quos partim ex Græco in Latinum traduxit, partim a se ipso conscripsit, libris facile cognosci potest. Illudque profecto in eo viro multa admiratione dignum est, quod suo labore, suaque industria nullo aut parvo admodum auxilio præceptoris fertur Græcas literas didicisse.* Alamannus Rinuccinus in epistola ad Fridericum de Monte-feretro Urbini comitem hæc habet: *Ambrosius monachus ad summam Græcarum literarum peritiam scribendi quoque facilitatem & eloquentiam addidit.* Bartholomæus Fontius in oratione edita *in laudationem Satyræ & studiorum humanitatis: Ambrosium monachum*, asserit, *elegantia & vitæ dignitate præstitisse.* Lucas della Robbia in vita Bartholomæi Valorii *Ambrosium Latinarum, Græcarumque literarum peritissimum & magistrum in Divinitate admodum celebrem prædicat, quocum Valorius ita familiariter utebatur, ut non appareret inter illos disjuncta anima a corpore.* Præter Valorium, etiam Jannoctum Manettum, Matthæum Palmerium aliosque præstantissimos viros Græcas literas docuit Ambrosius.

[a] Pag. CCCC. XXXII.

Bene-

ANN. CHR. 1439.

Benedictus Accoltus Arretinus in dialogo de *Præstantia virorum sui ævi* ad Cosmum Mediceum, inter eos, qui Græcorum volumina venustissime in Latinam linguam verterunt, laudat Ambrosium monachum, quem *inter supremos* collocat. Matthæus Bossus Veronensis abbas canonicorum Lateranensium in libro de *Veris gaudiis animi* [a] eloquentem virum appellat Ambrosium, ejusque traductiones laudat Diogenis Laertii, & Æneæ sophistæ, hoc est Gazæi. Sed Poggium audiamus, qui sollemni sui ingenii libertati indulgens nulli parcebat, quinimmo plures venerabiles viros sui temporis aceto multo proluit, *in dialogo in Hippocritas* hæc inquirit de Ambrosio, quem jam sanctissimum, & doctissimum nominaverat in pluribus epistolis & orationibus: *Quid (Carolus inquit) de nostro Ambrosio judicatis? recta ne, an tortuosa philosophabatur via? Nunquid vobis hypocrisim redolebat? Nequaquam (Hieronymus inquit) Fuit enim vir optimus meo judicio ac probatissimus, qui in suo cœnobio literis deditus multa scripsit magna cum laude & doctrina. Summa certe fuit præditus humanitate ac virtute. Laudo vitam illius, (Carolus inquit) & existimo extra hypocrisim fuisse* &c. Sed licet Poggius Ambrosium extra hypocritas locaverit, cum is in suo cœnobio ageret, ipsum tamen clavo congregationis regendæ admotum, & familiariter utentem cum Romano pontifice Eugenio hypocritam traducit, & *ad rubeum pileum tendentem retia, & sub occulte ambientem, ut aliquid altius videretur appetere;* quod idipsum dixisse Nicolaum Nicolium de Ambrosio affirmat. Series nihilominus rerum, quas in medium protulimus, ingenium, indoles Ambrosii ab his fictionibus abhorrebant, quare Vespasianus Ambrosium vindicat ab hyprocrisi, & *sanctissimum virum, humilique suæ cognitioni addictissimum* non semel laudat. Materia nunquam deficeret, si testimonia omnium colligeremus, a quibus celebratum fuit deinceps Ambrosii nomen, nullusque est vel Biographus, vel Bibliographus, qui summis laudibus vitam, doctrinam, & opera ipsius non extulerit. Subjungimus carmen Thaddæi de Viarana, quem filii loco suscepit Ambrosius, hoc seculo in laudem Ambrosii concinnatum, subjectumque illi exemplari Hodœporici, quod extat in archivo Fontisboni, manu Johannis de Laterina cancellarii Petri Delphini prioris generalis exaratum.

a Pagg. 13. 17.

Si cupis auctorem præsentis nosse libelli,
Quod cupis, a nostro carmine doctus eris.
Is fuit Ambrosius toto celeberrimus Orbe,
Camaldulensis Religionis honos.
Orator vehemens, Latia facundia linguæ,
Atque omni in Graja parte disertus erat.
Ingenio quantum vivens in utraque valeret,
Multa viri monstrant, quæ monumenta dedit.
Aurea Chrysostomi facundo transtulit ore
Dogmata: Basili noscere scripta dedit.
Et te Romanum fecit memorande Laerti,
Cuique Syrus etiam connumeretur Ephrem.
Et Nazanzenus patet hoc interprete nobis,
Cui sacra cognomen Theologia dedit.
Atque Dionysii divina volumina nobis
Hujus nosse dedit lingua diserta viri.
Multaque præterea clarorum scripta virorum
Doctrinam celebrant, ingeniumque viri.

At

At si forte cupis mores, aut noscere vitam,
Obsequium voto carmina nostra gerent.
In primis clemens, facilis, pius, integer, omni
Labe carens, omni simplicitate bonus.
Paupertatis amans, omni laudabilis actu,
Et florem Angelicæ virginitatis habens.
Consilio prudens, vitæque exemplar honestæ,
Nullius culpæ conscia vita fuit.
Neve igitur tantæ meritum virtutis obiret,
Pontificis cavit provida cura sacri.
Eugenio primum siquidem cogente subivit
Camaldulensi Religione locum.
Hoc meruit terras habitans; nunc astra Beatus
Possidet, optato perfruiturque bono.
Jure igitur sacros hujus venerare labores
Atque in deliciis lector habere velis.
At tu, qui celsa resides in sede Tonantis,
Thaddæum Ambrosi fac tueare Pater.
Ipse mihi faveas, portum ut nostra salutis
Perveniat precibus fulta carina tuis.

XXIX. Ingenii ipsius monumenta simul collecta.

Quoad opera Ambrosii tum Latina, tum ex Græco traducta, tum edita, tum inedita syllabum hoc in loco damus.

1. *De Reipublicæ Florentinæ moribus, administratione, & familiarum origine ad summum ejusdem magistratum.* Quod quidem opus junior exaravit Ambrosius; servabatur olim inter publica Florentinorum monumenta; an hodie supersit, ignoramus.

2. *Oratio ad Sigismundum Cæsarem pro privilegiorum ordinis Camaldulensis confirmatione anno* 1433. Habetur in codice membranaceo E. in quarto signato L. 69. bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis, in quo colliguntur orationes & epistolæ principum ac illustrium virorum, quarum pleræque Guinifortis & Gasparini Barziziorum, aliquæ Guarini ad Leonellum Estensem. Scriptum codicem anno 1463. conjicit Joseph-antonius Saxius bibliothecæ olim præfectus.

3. *Oratio ad patres in concilio Basileæ habita* VII. *kalendas septembris, cum ab Eugenio* IV. *Romano pontifice ad concilium missus esset orator anno Domini* M.CCCC.XXXV. *Sollemnem* Trithemius, *doctam*, *prolixamque satis appellat*. Extat in codice chartaceo bibliothecæ Ottobonianæ in quarto signato V. VII. 5.

4. *Oratio Albæ ad Imperatorem Sigismundum habita* VII. *kalendas januarias anno* M.CCCC.XXXV. Extat in codd. Ottoboniano, Vaticano 5119, sancti Michaelis de Muriano &c. In fine legitur: *Pro summo pontifice nostro sanctissimo papa Eugenio ad serenissimum Romanorum imperatorem Sigismundum in concilio Basileensi existentem reverendissimi fratris domni Ambrosii ordinis Camaldulensium & oratoris elegantissimi oratio feliciter explicit.* Nequaquam existebat Sigismundus Basileæ, sed in Alba-regali morabatur.

5. *Oratio altera ad eumdem imperatorem in Basileenses, quæ acrior est.*

6. *Oratio ad imperatorem, patriarcham, ceterosque præsules Græcos in eorum adventu ad concilium.* Hanc orationem Græce de mandato pontificis ita scripsit, ut nihil Græcitatis in ea desideratum sit, prout ipse scribit ad Michalem monachum Lib. XIII. epistola XVI. quam tamen obstante invi-

invidorum astu non habuit Venetiis, ubi ad Græcos excipiendos missus fuerat.

7. *Oratio eadem Latina ad eosdem*, quam ipse ex Græco convertit. Extat in codice Ottoboniano, & in alio sancti Michaelis de Muriano, cum hoc titulo: *Oratio habita Venetiis in monasterio sancti Georgii ad imperatorem & patriarcham CP. & ad reliquos Græcorum prælatos & nobiles viros A. D.* M. CCCC. XXXVIII, *tempore Eugenii papæ* IV.

8. *Oratio contra Bohemos hæreticos*. Habetur in codice membranaceo in 8. miscellaneo Antonii-francisci Marmii hoc præfixo titulo: *Oratio Ambrosii monachi ex propria, quam non peroravit, ut dicitur.*

9. *Oratio contra Basileensium pseudo-patrum impudentiam* scripta anno 1439. postquam Græci & cardinalis Julianus Cæsarinus Florentiam ad concilium venerunt. Incipit: *Quis dabit* &c. Sex ex his orationibus novissimæ suæ Ambrosii epistolarum collectioni inseruit Cl. V. Laurentius Mehus.

10. *Definitio sanctæ Oecumenicæ synodi Florentinæ*, seu unionis formula inter Romanam & Græcam ecclesiam, cui conficiendæ præfuisse Ambrosium testis est, qui aderat, Sylvester Syropulus, Ambrosii ceteroquin Latinorumque omnium hostis juratus, in unionis historia sect. 2. cap. 2. in fine; eamque inter Ambrosii opera recenset Caveus in Appendice editionis Genevensis anni 1693. pag. 84. Lecta fuit, consummata unione, hæc definitio feria secunda die VI. julii anni 1439. Latine a Juliano Cæsarino cardinale, Græce vero a Bessarione Nicæno archiepiscopo. Habetur in actis concilii Florentini Horatii Justiniani, ac in Romano bullario Latine; Latine autem & Græce in Concilio Florentino edito in 4. tomo primo in fine, & in magna collectione Labbeana Conciliorum. Archetypum in archivo Vaticano subscriptum nigris Latinorum, rubris Græcorum literis se vidisse testatus est Justinianus; alterum in argentea capsula inclusum Florentiæ servari in Magni Ducis vestiario asserit Meliorius, donatum olim Florentinis a cardinale Cæsarino. *Bulla*, subdit Horatius Justinianus, *fuit scripta in Latino & in Græco in una charta. In medio chartæ, videlicet per longitudinem chartæ erat una linea, sicut fit in quinternis, in quibus scribuntur jura, ab una parte fuit scripta bulla in Latino & subscripta per papam, cardinales & alios prælatos; ab alia parte fuit scripta in Græco pulcherrime, simili modo sicut Latina, & subscripta per imperatorem cum incausto rubeo, per quadraginta sex vero patriarchas & archiepiscopos Græcos, Trapezuntinos, Iberos & Ruthenos fuit subscripta cum incausto nigro in simili forma in litera Græca, sicut nostra bulla Latina.* Aliud archetypum donavit Eugenius Bononiensibus, apud quos hodieque servatur in primario civitatis archivo, vocaturque *bulla Spiritus-sancti*. In Latinis autem patribus, qui œcumenicæ subscripsere synodo, legitur: *Ego Ambrosius Generalis ordinis Camaldulensis subscripsi.*

11. *Hodœporicon sive commentarium itinerum rerumque generalatus sui tempore gestarum* usque ad junium mensem anni 1434. Præter exemplaria plura ms. quorum unum manu Ambrosii ipsius scriptum se vidisse testatur Petrus Delphinus, publici juris factum fuit a Nicolao Bartholino Bargensi clerico regulari congregationis Matris-Dei, impulsu Antonii Magliabecchii.

12. *Commentarium de rebus a se gestis libri duo.*

13. *De Sacramento Eucharistiæ.* Fortunius capite 27. vitæ Ambrosii.

14. *De Spiritu-sancto contra Græcos.* Idem.

15. *Linea salutis monachorum sive eremitarum.* Extat codex in Sublacensi bibliotheca, cujus meminit Mabillonius: *Iter Ital. pag.* 126. *Is*, ait, *dialogi*

dialogi more scriptus est, *totusque ex patrum sententiis constat*. Forte est Hieronymi Pragensis, qui similem titulum fecit.

16. *Tractatus contra monasticæ vitæ vituperatores*.

17. *Laudi spirituali in onore della Vergine*. Extant in bibliotheca Chisiana Romæ codice 577.

Alia fortassis opuscula Ambrosium edidisse, vel saltem emendasse, ex ejus epistolis colligitur. Satyras scripsisse affirmat Oldoinus in Athenæo Florentino ms. quod ineditum, immo adhuc indigestum vidit Cannetius in bibliotheca collegii Jesuitarum Perusii. Verum fides esto apud Oldoinum.

18. *Græca epistola* Ambrosii ad Franciscum Philelphum asservatur in bibliotheca Ottoboniana codice 60.

Quæ ex Græco traduxit Ambrosius hujusmodi sunt.

1. S. *Johannis-chrysostomi adversus vituperatores vitæ monasticæ*. Præter ceteros ms. codices duplex exemplar, aliud in charta bombycina scriptum anno 1445. aliud in membrana extat in bibliotheca nostra sancti Michaelis de Muriano.

2. *Ejusdem de Providentia Dei libri* III. *ad Stagirium monachum arreptitium*. Codex membranaceus in 8. habetur in bibliotheca Fontis-avellanæ cum præfatione ad Rainerium, seu Renatum, regem Neapolis. In codice Magliabecchiano præfatio legitur ad Petrum principem Lusitaniæ. Alius codex scriptus anno 1453. profert præfationem ad marchionem Mantuæ. In bibliotheca Classensi codex exaratus manu Petri Delphini præfatione caret.

3. *Ejusdem homiliæ* XI. *in evangelistam Matthæum*.

4. *Ejusdem homiliæ in Johannem evangelistam*.

5. *Ejusdem in epistolam* I. *beati Pauli ad Timotheum*. Codex teste Mabillonio *It. Ital. pag.* 192. extat in bibliotheca Strozziana.

6. *Ejusdem in epistolam* II. *ad Timotheum*.

7. *Ejusdem in epistolam ad Philemonem*.

8. *Ejusdem in epistolam ad Titum*.

9. *Ejusdem epistolæ ad Olympiadem matronam*. Codex membranaceus in fol. in bibliotheca Srrozziana testimonio Mabillonii & Salvini Salvinii.

10. *Ejusdem homilia in illud:* Modico vino utere.

11. *Ejusdem contra Judæos orationes* VI.

12. *Ejusdem contra Anomæos*. Codex chartaceus eleganter scriptus extabat in bibliotheca sancti Antonii Venetiarum ex Thomasino & Spizelio.

13. *Ejusdem*, *quod Deus sit incomprehensibilis*, *homiliæ* XL.

14. *Ejusdem homiliæ duæ ex epistola beati Pauli ad Corinthios*.

15. *Ejusdem epistola ad Theodorum amicum lapsum :* sive *De reparatione lapsi*. *Sermo de contemnenda morte* alterius interpretis est, qui Ambrosium ut vita functum laudat.

16. *Palladii episcopi Helenopolitani vita sancti Johannis-chrysostomi dialogus ad Eugenium* IV.

17. *S. Gregorii Nazianzeni oratio de patris obitu ad episcopum Burgensem*.

18. *Ejusdem orationes tres de Pace ad archiepiscopum Mediolanensem*.

19. *Vita S. Gregorii Nazianzeni a Gregorio presbytero scripta ad Julianum cardinalem*.

20. *S. Basilii de vera virginitate ad Gabrielem Condulmerium cardinalem libri duo*.

21. *Ejusdem de Paradiso*, teste Fortunio.

22. *Ejusdem epistola ad Gregorium Nazianzenum de fuga & perfectione*

ne monasticæ vitæ, *seu de vita solitaria*. Extat in codice Magliabecchiano.

23. *Ejusdem de sacerdotio Jesu christi & de beatæ Mariæ Virg. integritate*. Extat hæc versio edita Bononiæ per Ugonem de Rugeriis anno M. CCCC. LXXXXVI. die XIII. madii in 4. *De Sacerdotio domini nostri Jehsu Christi per sanctum virum Ambrosium Camaldulensem generalem patrem, quam Galeotto fratri direxit Fridericus de Manfredis episcopus Faventinus una cum epistola*.

24. *Ejusdem epistolæ*.

25. *S. Athanasii contra Gentes sermo*.

26. *Ejusdem sermo de Incarnatione*. Codex in bibliotheca SS. Johannis & Pauli Venetiarum, ex Montfauconio, & ex Thomasino.

27. *Ejusdem opera* in bibliotheca Fesulana ex Diario Italico Montfauconii pag. 392.

28. *Ejusdem adversus Græcorum errores libri* IV.

29. *Ejusdem dialogus Timesophistæ*.

30. *Ejusdem de immortalitate animæ*.

31. *S. Dionysii Areopagitæ mystica Theologia*.

32. *Ejusdem de cœlesti & ecclesiastica hierarchia*.

33. *Ejusdem de divinis nominibus*.

34. *Ejusdem epistolæ*. Codex membranaceus in 4. extabat apud Benedictum Bacchinium, extatque in folio apud nos integer Dionysius.

35. *Origenis commentarium in epistolam divi Pauli ad Romanos*.

36. *S. Ephrem Syri sermones ad Cosmum Mediceum*.

37. *Vitæ Patrum*.

38. *Manuelis Calecæ contra Græcorum errores libri* IV. *ad Martinum* V. Erant olim in bibliotheca sancti Georgii Venetiarum inter libros, quos consignavit reverendissimus cardinalis dominus Maphæus Contarenus illi societati Paduæ die tertia martii 1444. ex Thomasino. Servantur in bibliotheca Bavarica, unde illos in lucem protulit Petrus Stevartius.

39. *Æneæ Gazæi dialogus*, *qui* Theophrastus *inscribitur*, *de immortalitate animæ*, *& de resurrectione corporum domino amantissimo & præstantissimo viro Andreolo Justiniano*.

40. *Johannis Scholastici Climax*, *sive schola Paradisi*.

41 *Pratum spirituale Johannis Moschi sive Evirati*. Codex in bibliotheca Angelorum Florentiæ.

42. *Johannis Scholastici liber ad Pastorem*.

43. *Diogenis Laertii de vita & moribus Philosophorum ad Cosmum Mediceum*. In bibliotheca Ambrosiana extat codex signatus S. 69. scriptus anno 1445. sexto Kalendas septembris. In fine legitur: *Liber Pauli Sarzanensis*; in extrema autem pagina: *Hunc librum cum exemplari Græco recognovit & emendavit Johannes-antonius episcopus Acciensis*, *id tamen quod convertit frater Ambrosius*; *nam epigrammata*, *& quæ ille propterea Latina non fecit*, *minime apposuit*. *Romæ die* XX. *aprilis* M.CCCC.LXIII. *jussu pontificis maximi domini Pii divina providentia papæ* II.

44. *Nicandri opuscula*.

45. *Philostrati de vita Apollonii*.

46. *Plutarchi opuscula* XLVII. *Theophrasti de Plantis*.

47. *Vita & passio SS. Probi*, *Hiacynthi & Eugeniæ martyrum*. Codex bibliothecæ eremi Camaldulensis.

Græcas ex Latino fecit Ambrosius *epistolam synodicam Gregorii M. ad CP. Alexandrinum*, *Antiochenum & Hierosolymitanum patriarchas*, *aliasque epistolas*.

Puriori

ANN. CHR. 1439.

Puriori eloquio exornavit *Chronicon Casinense Leonis Ostiensis*, & *Desiderii abbatis dialogum*, ut Ludovici Barbo abbati sanctæ Justinæ de Patavio, & Paulo Venerio abbati sancti Michaelis de Muriano rem gratam faceret. Codex membranaceus in 4. servatur in bibliotheca sancti Michaelis, in cujus interiori parte operculi legitur: *Liber iste est monasterii sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellanæ diœcesis, quem librum Ambrosius generalis noster Camaldulensis ex rudi & ferme vernaculo, quo fuerat scriptus, stylo in hunc elegantissimum, quo in præsentia nitet, diligentissime vertit.*

In bibliotheca Taurinensi [a] codice XXXI. fol. 34. extat *Ægyptus Alexandrinus e Græco in Latinum conversus a fratre Ambrosio Florentino, qui floruit anno* 1143. Deinde sequuntur colllectores, *Hanc interpretationem omisit Dupinius in sua bibliotheca, recensens opera fratris Ambrosii monachi Camaldulensis tomo* XII. *pagina* 92. *Sed error est in anno.* Nomine autem Ægypti Alexandrini facile veniunt Vitæ sanctorum patrum Ægypti.

Extat in bibliotheca eremi Camaldulensis *Lexicon* Græce Latineque confectum, idemque Ambrosii manu scriptum, facile desumptum ex alio Candidi Decembrii, de quo verba facit bis Ambrosius ad Michaelem monachum Angelorum [b].

Græcam supplevit literaturam in *Aulo Gellio*, *in Quintiliano*, *in Lactantio*, *in Theophrasto*, *in Cicerone*, *in Silio Italico*, *in Nonio Marcello*, *in Donato*.

Etruscum carmen Ambrosii edidit V. Cl. Petrus-paulus Ginannius abbas ordinis sancti Benedicti in libello: *Rime scelte de Poeti Ravennati*; alia carmina memoravimus ad annum 1430.

In adversariis Fontii memoratur *tractatus de ponderibus & mensuris, quem colligimus ex quibusdam commentariolis scriptis manu fratris Ambrosii monachi Florentini ordinis Camaldulensis optimi ac doctissimi viri.*

De Ambrosio hæc insuper traduntur, quod ante obitum meditabatur *Acta & gesta Sanctorum* ad certam fidem ac temporum rationem scribere; id fatetur Antonius Allius presbyter Florentinus in nuncupatoria ad Nicolaum V. Romanum pontificem, qua ei dicat collectionem Actorum & gestorum, quæ extant in codice Vaticano 3742. ut videre est apud Dominicum Georgium [c] in vita Nicolai V. in qua epistola Allius veniam petit, quod tamdiu distulerit perfectionem operis; *non enim sine magno labore*, subdit, *magnaque diligentia ad hæc perveniri potest, ut dicere sibi solebat Ambrosius Camaldulensis vir eruditissimus, ac olim ejusdem pontificis familiaris, qui ante obitum in idem argumentum incumbere ceperat.*

Tradit Joseph Ricca [d] in suis ecclesiis Florentinis patriarcham CP. donasse Ambrosio generali Camaldulensi baculum sancti Joseph, de cujus existentia agunt etiam Giambonus in suo diario, & Leopoldus Melioris in [e] sua Florentia illustrata. Summa veneratione colitur ad hodiernam diem in templo sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ, & prodigia plurima patrantur ad ejus contactum, quæ legi possunt apud eumdem Riccam, sed illud præcipuum, quod contigit anno 1723. in Theresia-violante Albergotti moniali sancti Spiritus ejusdem urbis.

Ex serie vitæ, rerumque gestarum ab Ambrosio convincitur errasse Augustinum Justinianum ordinis Prædicatorum in prefatione in Æneam Gazæum ad Philippum Saulium episcopum Brugnatensem anno 1513. asserentem Ambrosium cum Guarino & Philelpho peregrinatum fuisse, & [f] ad Chium insulam divertisse apud Andreolum Justinianum avum paternum ejusdem Augustini.

a T. II. pag. 6.

b Lib. XIII. ep. XV. & XVIII.

c Pag. 198.

d T. II. pag. 77.

e Pag. 332.

f Lib. XXV. ep. XXXIV.

ANN. CHR. 1439.

In mentem aliquando venit Paulo Justiniano eremitæ Camaldulensi, ut colligeret & in publicum ederet omnia Ambrosii opera; quod liquet ex facultate, quam ei fecit Petrus Delphinus ordinis prior generalis [a] epistola die prima octobris anno 1520. apud Laurentium Mehus. Id tamen nunquam factum a Justiniano.

a *Lib. XXV. ep. XXXIII.*

XXX. Gometius sufficitur Ambrosio in prioratu Camaldulensi.

AMBROSIO defuncto substituit Eugenius IV. ad congregationis Camaldulensis regimen Gometium Johannis Ulyssiponensem abbatem sanctæ Mariæ Florentiæ, cui die XIX. decembris de servitio suæ provisionis summam florenorum centum condonavit. De Gometio, dum monachus esset, & abbas sanctæ Mariæ plura tradunt Ludovicus Barbus abbas sanctæ Justinæ, & Placidus Puccinellius Casinensis monachus, tum in ejus vita, tum in historia abbatiæ Florentinæ. Gometii elogium ex ipsius ms. vita edita a Thoma Salvecto cive & advocato Florentino dicata Petro Portugalliæ regi affert, historiamque ipsius illustrat Cl. V. Laurentius Mehus his verbis: *Quum autem famulus iste Dei vocaretur in generalatum supremam partem dignitatis totius religionis sancti Romualdi Camaldulensis nominatæ post obitum viri eloquentissimi atque doctissimi Latinis pariter & Græcis literis Ambrosii Florentini, cujus qualia & quanta sint suavissima ejus opera, multorum voluminum scripta demonstrant, parere voluit, sicuti statuit pontifex ipse prænominatus, non curans sui ipsius interitum, ut illa antiqua religio sua virtute claresceret. Dimisso igitur suo tam grato monasterio recentissimæ societati jam dictæ, unde ipsius Gometii religio principium habuit, persuasoque omnibus, ut etiam sententia erat præfati pontificis, monasterium illud sanctius regi per societatem ipsam suis decretis ad observantiam peroptime ordinatis, ad sanctam eremum Camaldulensem iter arripuit agrestissimam valde in alpibus Florentinis constitutam, circumdatamque abjetibus supramodum altis atque grossis, locum antiquissimum, ut didici nominari per glossatorem Decretalium, imitatique fuerunt eumdem patrem nonnulli ex suis prioris monasterii monachis, quibus illis reformata est ipsa sacra eremus, ac locus proinde proximus Fontis-boni, & tota quasi religio tali venerabili patre consolata erat* &c. Extat apud Puccinellium [b] in Vita Gometii breve Eugenii sub die XXV. novembris conferentis regimen abbatiæ Florentinæ Thaddæo monacho suffecto in locum Gometii translati ad prioratum generalem Camaldulensium. Sed notæ chronicæ brevis vitio laborant, dum legitur datum anno M. CCCC. XXXIV. pontificatus Eugenii anno IV. quo anno profecto Ambrosius adhuc in vivis erat, jusque dicebat Camaldulensibus.

b *Pag.* 21.

XXXI. Tiphii monasterium unitur cum Decianensi.

HOC anno Eugenius, dum adhuc viveret Ambrosius, ejus precibus indulgens monasterium sancti Martini de Tiphio Castellanæ diœcesis univit monasterio sanctæ Mariæ de Deciano, abbate ipsius monasterii cedente vel decedente. Datum Florentiæ die sexta aprilis pontificatus anno nono. Itaque abbate cedente, ipse Ambrosius cum Mariotto abbate Deciani die prima maji accessit ad præfatum monasterium, ipsiusque possessionem pro eremo & ordine cepit, servatis consuetis sollemnitatibus, cujus quidem unionis exequutor apostolicus fuit Benedictus abbas sancti Pancratii de Florentia ordinis Vallis-umbrosæ; manu Bartholomæi notarii ex tabulario Fontis-boni [c].

c *§. Amissæ* 3. *A.* 202.

XXXII. Galeatana abbatia reformanda traditur Camaldulensibus.

DIE undecima martii anni M. CCCC. XXXVIII. more Florentino, hoc est præsenti, pontificatus anno nono alterum monasterium sancti Hilari de Galeata diœcesis Britonoriensis, in quo corpus ipsius sancti requiescit, ordini Camaldulensi adjecerat idem Romanus pontifex, eo quia licet in sui fundatione fuerit monasterium illud opulenter dotatum, attamen propter bellorum, rerum ac temporum injurias modo erat miserabiliter col-

lapsum

lapsum & diminutum, ac incuria commendatariorum ejusdem disciplina regularis nulla prorsus in eo vigebat; quare mandavit abbati monasterii Vallis-umbrosæ, ut quandoquidem ejus abbatiæ bona contermina erant possessionibus eremi Camaldulensis, monasterium ipsum auctoritate apostolica ordini Camaldulensi adnecteret. Ipsa die cum Dinus de Pecoris, dudum commendatarius ipsius abbatiæ, commendæ renuntiasset in manibus ejusdem pontificis, ipse Eugenius commisit Ambrosio priori generali, ut regimen ejus monasterii traderet Philippo de Corniolo ordinis Camaldulensis professo. Ea propter vigesima-quinta martii exhibitis præfatis bullis Placido abbati Vallis-umbrosæ, petiit Ambrosius executionem ipsarum, facultatemque obtinuit capiendæ possessionis; manu Bartholomæi Johannis Pieri de Figlino notarii; ex eodem tabulario [a]. Manualia beneficia hujus abbatiæ expressa leguntur in regesto XX. numero 100. tabularii Fontis-boni videlicet plebs sancti Petri de Galeata, abbatia sanctæ Mariæ de Vultra, ecclesia sanctæ Mariæ de Castello, plebs sancti Zenonis vallis Galeatæ, ecclesia sanctæ Mariæ de Castagnolo, sanctæ Mariæ de Civitella, sanctæ Mariæ de Fatale, sancti Johannis-baptistæ de la Bonelda, sancti Michaelis de Vall'oppi, sancti Martini de Planeto, sanctorum Jacobi & Christophori de Meleto, sanctorum Fabiani & Sebastiani, sancti Blasii de Pondo, sanctæ Mariæ de Rabbuzzana, sancti Laurentii de Valbona, sancti Petri de podio Lastræ, sancti Blasii de Ripetroso, sancti Petri de Fafforata, sanctorum Fabiani & Sebastiani de Specia, sanctæ Margaritæ de Rondinario &c.

a §. *Unio* 15 *A.* 5. 33. 35. 37.

XXXIII. Monasterium S. Savini Pisarum, eidem ordini restituitur.

Ex eodem Fontis-boni chartulario etiam [b] compertum habemus, quod vacante monasterio sancti Savini de Montione prope Pisas per obitum Antonii Casini cardinalis sancti Marcelli dudum abbatis commendatarii ejusdem cœnobii, monachi ejus loci exorarunt Ambrosium, ut intercederet apud eumdem Romanum pontificem, quatenus monasterium denuo uniretur, & conjungeretur cum ordine Camaldulensi, die decima-tertia februarii, manu Petri Johannis Pieri Bruschi notarii Pisani; quare die octava junii idem Eugenius precibus Ambrosii & conventus eremi Camaldulensis, revocatis literis Johannis papæ XXII. monasterium præfatum sancti Savini cum omnibus bonis & juribus suis omnimodæ dispositioni, correctioni & superioritati prioris generalis restituit & reduxit ad ordinem Camaldulensem, concedens, ut cedente vel decedente Johanne cardinale sancti Laurentii in Lucina, qui electus fuerat abbas commendatarius in locum Casini, possessionem per se vel per alios libere apprehenderet & perpetuo retineret idem prior generalis Camaldulensis.

b §. *Ibid. A.* 5. 39. 40.

XXXIV. Controversiæ Bononienses parthenonis S. Christinæ.

Ex Bononiensibus sanctæ Christinæ paginis [c] habemus præfatum Romanum pontificem Gaspari abbati sanctæ Cæciliæ de Corvaria Bononiensis diœcesis demandasse, ut circa monasterium sanctæ Mariæ de Ponte-majori prope Bononiam ordinis sancti Augustini, quod propter sinistros eventus adeo desolatum erat, quod nulla in eo residebat monialis, sed priorissa & moniales ipso derelicto dispersæ degebant variis in locis, quodque ea ratione a Philippo cardinale sancti Martini in Montibus legato Bononiense concessum fuerat monasterio sanctorum Gervasii & Protasii de Bononia cum obligatione annui census ecclesiæ capitulari Bononiensi, atque eidem unitum, sed postea a Balthassare episcopo Tusculano & S. R. E. cardinale, dicto Johanne XXIII. ad instantiam monialium sanctæ Christinæ de Bononia ipsarum parthenoni copulatum fuerat, datis ea super re literis priori sancti Gregorii de Bononia, quatenus solveret primam unionem, & secundam exequeretur, inquireret nimirum idem abbas, cur moniales

c *B.* 2.

ANN. CHR. 1439.

niales postremæ sanctæ Christinæ, quæ possessionem acceperant, sed non reparaverant ecclesiam Pontis-majoris, ut accusabantur, immo alienaverant bona, ob quod in litem introductæ retulerant sententiam contrariam a Nicolao sanctæ Crucis cardinale, qui deputaverat in judicem Jacobum de Faltanis Valentinum vicarium suum generalem, cur & an hoc fecerint, remque ipse abbas resumeret, sententiamque judicaret, an justa fuisset, & decideret. Datum Florentiæ anno M. CCCC. XXXIX. pridie Kalendas junii anno IX. Producta fuit in causa approbatio hujus postremæ unionis factæ a Baltassare cardinale anno III. sui pontificatus VIII. idus maji sua bulla ex Urbe, quam declaravit vigere anno M. CCCC. XXII. die XVII. martii anno V. Martini V. Alphonsus sancti Eustachii diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus, Bononiæ & Romandiolæ vicarius generalis. Sed auditis hoc anno monialibus sanctæ Christinæ, aliisque sanctorum Gervasii & Protasii, antequam abbas Gaspar sententiam ferret, appellatio nova secuta est ad apostolicam sedem, quæ delegavit Mitrium episcopum Sistaricensem in Urbe residentem ad examinandam decidendamque controversiam. Verum cum melius & commodius, ac minoribus partium laboribus & expensis in dicta civitate Bononiæ, in qua peritorum in jure habebatur copia, quam in Romana curia, liquere jus posset, ad instantiam monialium sanctæ Christinæ Eugenius rursus delegavit Franciscum de Bargelinis Bononiensem J. V. D. abbatem sancti Stephani de Bononia ad causam terminandam anno sequenti. Datum Florentiæ anno M. CCCC. XL. pontificatus sui anno decimo, quinto-decimo kalendas junii, Angelo de Monte-politiano a secretis. Franciscus abbas inhibuit episcopo Mitrio, ne procederet in ea causa, die XXVII. maji indictione III. ex monasterio sancti Stephani Bononiæ, in qua inhibitionis pagina per extensum Eugenii bulla refertur, quæ totam rei seriem habet; ex tabulario ejusdem parthenonis sanctæ Christinæ [a]. Ecclesia sanctæ Mariæ de Ponte-majori concessa fuerat anno 1290. a capitulo Bononiense sororibus sancti Andreæ de Ponte-majori ordinis sancti Augustini, ex libro appellato *delle Asse* [b].

a F. 5.

b Num. 29.

XXXV. Aliæ Eugenii IV. brevia.

Ex eadem urbe idem Eugenius XVIII. kalendas decembris suis literis abbati sancti Angeli de Gaifa Urbinatis diœcesis mandavit, ut monasterium sancti Vincentii de Petra-pertusa sive de Petra-lata ordinis sancti Benedicti, in quo nullus tunc monachus residebat, & quod possidebat Genesius episcopus Calliensis, adnecteret mensæ canonicorum Urbinatum; cujus bullæ autographum extat in archivo eorumdem canonicorum.

Anno pariter M. CCCC. XXXIX. tertio idus septembris pontificatus sui anno IX. Franciscum abbatem sanctæ Mariæ de Carceribus elegit in administratorem cœnobii sancti Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum in locum Jacobi prioris, quem amoverant Thomas Recanatensis (Thomasinus, qui ad eam ecclesiam ex Æmoniensi, Polensi, Urbinate & Traguriensi transierat) & Ludovicus Barbo Tarvisinus episcopi auctoritate apostolica, providens etiam ea ratione monasterio Carcerum, in quo idem abbas cum monachis suis ob bellorum insultus & stipendiariorum molestias quiete residere non poterant, ut legitur in Appendice. Re enim vera in necrologio parvo ejusdem monasterii Carcerum legitur sub hoc anno ad diem XXII. aprilis: *Omnes monachi & conversi una cum bubulcis occasione bellorum coacti fuerunt deserere monasterium, & se recipere in civitate Paduæ, & secum omnia asportare usque ad campanam magnam. Quo tempore habuerunt inimici castrum Leniaci, castrum Baldum, Lonigum & totam planitiem usque ad montes Vicentinos. Eo anno monasterium amisit omnes decimas Montagnanæ & penes omnes alios introitus.*

Demum

Demum quinto kalendas maji pontificatus sui anno IX. ex Florentia juxta paginam archivi Fullinatis [a] cum intellexisset Eugenius a Johanne Gralionis monacho monasterii de Bona-requie ordinis Cisterciensis Corisopitensis diœcesis Johannem abbatem monasterii Cisterciensis in diœcesi Cabillonensi privasse regimine Johannem de Cesana abbatem sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina, elegit in abbatem hujus monasterii Petrum priorem sancti Thomæ de Torcello. Huic Petro Andreas de Fissina abbas de Columba præcepit hoc ipso anno, ut nomine suo præsideret electionibus abbatissarum sanctæ Mariæ de la Celestia Venetiarum, sancti Maphæi de Majurbio, sanctæ Mariæ de Varmo, & sanctæ Mariæ de Portu-gruario ordinis Cisterciensis, ut legitur [b] decade XIII. ecclesiarum Venetarum.

ANN. CHR. 1439.

a Num. 699.

b Dec. XIII. P. II. pag. 259.

Ecclesiæ sancti Andreæ de Zagonaria, & sancti Laurentii de Guarcinorio subjectæ abbatiæ sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia erectæ fuere hoc anno in prioratum ex tabulario sancti Romualdi de Urbe.

Paulus Venerius abbas sancti Michaelis de Muriano venditis domibus aliquot, quæ monasterium suum possidebat, pretium ipsarum convertit in tot *Imprestitorum* (sic dicebantur) bona, opera usus Jacobi Foscari filii serenissimi principis Francisci Foscari Venetiarum ducis.

PRIDIE quam Hieronymus de Aleottis monachus sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio ex Italia in Gallias proficisceretur anno antecedenti, excesserat vita vir optimus & integerrimus Ambrosius Camaldulensis. Antequam vero itineri se accingeret Hieronymus, Carolum Arretinum oraverat, ut vitam Ambrosii exararet, ne apud posteros optimi & disertissimi viri memoria periret. Pollicitus fuit Carolus id se facturum, atque adeo, si fecit, laudat, sin minus, orat hoc anno die XXII. aprilis [c] ex urbe Bituricensi Leonem-baptistam de Albertis, ut eam curam suscipiat, nam materia habet latissimum campum, & digna est ipsius ingenio, opus quoque erit multis gratissimum, eique laudem & gloriam afferet. Gratulatur ea occasione Leoni pro exaltatione ac dignitate generosæ ejus familiæ nuper adaucta, electione nimirum Alberti de Albertis, qui ex canonico primum Florentino, tum ex episcopo Camerinensi creatus fuerat anno præterito S. R. E. cardinalis ab Eugenio IV. Reversus post annum idem Hieronymus ex Galliis in Italiam, ex Florentia [d] scribit Augustino Porticensi monacho Camaldulensi Leonem-baptistam virum mirifici & omnipotentis ingenii inductum a se fuisse, ut communis & æternum memorandi patris Ambrosii vitam scriptis traderet. Suadet itaque Augustino, ut quandoquidem ipse Ambrosii fuerat alumnus, materiam & uberem instructionem rerum omnium, quarum meminisse possit, ad se mittat, neque silentio premat volumina, & quot e Græco Ambrosius in Latinum sermonem transtulit. Ipse Hieronymus a Mariotto Decianense abbate, & Camaldulensi vicario stimulatus fuerat, ut curam hanc edendæ & scribendæ Ambrosii vitæ in se reciperet, cum esset disertus & satis eruditus, ac unicæ dilectionis affectu carissimus Ambrosio viventi. Sed onus, ut impar humeris suis, detrectavit Hieronymus, Mariottoque respondens scribit se id rejecisse in doctissimum & disertissimum virum Baptistam de Albertis, cujus divinum ingenium multorum judicio laudandum & admirandum videtur. Hæc epistola data est ex Florentia die decima-septima februarii anni M. CCCC. XLII. [e] Aliis literis anno 1441. [f] eumdem Mariottum provocaverat, ut quæ sibi forent nota & comperta de Ambrosio, mitteret digerenda in ea vita, quam conscribendam assumpserat Leo-baptista. In his epistolis, dum excusat Hieronymus susceptionem provinciæ scribendi vitam

ANN. CHR. 1440. XXXVI.

De vita Ambrosii conscribenda.

c Lib. XXV. ep. XI.

d Ibid. ep. X.

e Ibid. ep. XII.

f Ibid. ep. XIV.

ANN. CHR. 1440.

vitam Ambrosii, aliqua tum de se, tum de Ambrosio attingit. *Ille*, inquit, *ante peregrinationem nostram bis corporis vinclis solutus pridie decesserat. Postridie sacrum illius corpus e Florentia vectabatur ad eremum; nos per aliam portam egressi ferebamur in Galliam. Circumtuli toto itinere usque in ipsam Galliam dolorem eum, quem de illius obitu conceperam, antequam temporis cursu leniri & maturari potuisset, atque meopte ingenio ad lachrymas excutiendas tenacissimus sæpius vim lacrymarum profudi.... Ipse morarum impatiens ex ipsa Gallia amicos meos viros doctissimos literis pulsare non destiti, ut ejus memoriæ concelebrandæ laborem susciperent, & extare credo sexcentas epistolas a me ex ipsa Gallia in eam sententiam ad amicos descriptas. Sed quod per literas impetrare non potui, fecit præsentia, ut adsequutus sim.* Cur autem ipse vitam Ambrosii describere renuat, rationem reddit. *Equidem*, subdit, *de me ita sentio, ut nihil esse in me laudandum, vel si quid laudandum est, id esse ingenium facile ad bonas artes ac ductile. Eruditionem profecto non mediocrem quidem optimarum artium me adsequutum video, nam, ut optime nosti, etiam in pueritia bonis artibus ac philosophiæ deditus. Traductus vero per aliquos, immo seductus ad religionem, duodecim annos universos cum literis pacem firmavi, ab illarum gymnasiis factus exul. Ardere me fateor cupiditate incredibili literarum, sed obstat tristis inopia & turpis egestas omnium virtutum infensissima.* Suprema funeris officia Ambrosio peracta fuerant statim ab obitu in monasterio sancti Salvatoris Camalduli-Florentini. Paucis interjectis diebus ex Camaldulo ad eremum deductum fuit ejus corpus, ut ibi honorem sepulcri haberet, ubi præfecturam generalem ordinis exercuerat.

XXXVII. Lilia super ejus tumulum nata.

QUID mirandum attigerat Mariottus in epistolis ad eumdem Hieronymum, quod acciderat in eremo ad sepulcrum Ambrosii, nimirum quum forte aperiretur, (ad aliud facile cadaver tumulandum) flores & lilia candidissima virginitatem & innocentissimam illius vitam testantia a plurimis conspecta fuisse. Hujusmodi literæ pervenerunt in manus archiepiscopi Florentini Bartholomæi Zabarellæ. Is legens miraculum de florido Ambrosii tumulo, hæsit stupidus, insimulque omnes obstupuere, qui penes ipsum ea nocte cœnabant, eratque inter convivas Hermolaus Barbarus protonotarius, vir in primis summa facilitate præditus. Creditum est a plerisque miraculum, quidam tamen nutabundi hæsitare videbantur. Quare exorat Mariottum Hieronymus die XVII. februarii anni 1441. [a] ut miraculum attestatione & subscriptione eremitarum & aliorum, qui viderant, confirmare minime negligat, literasque det vel archiepiscopo, vel protonotario. De liliis ortis ad ejus tumulum hæc habet Marianus Cechius in diario nondum edito apud [b] Laurentium Mehus: *Morì Ambrogio in detto anno in Fiorenza, e sepolto nella badia di santo Salvatore in Camaldoli oltr' Arno, e trasferito dopo al sagro eremo in Casentino, dove sopra al suo corpo dicono esser nati candidi iglj, i quali essendo più fiate stati colti da que' Padri, di nuovo pur vi nacquero e freschi, e belli &c.* Confirmat Cechii narrationem Vespasianus in Ambrosii vita. *Dopo che fu morto più anni udj da persone degne di fede, che sendo il suo corpo all'ermo in terra, e di sopra erano asse per la grande freddezza, ch' era in quel luogo, accadendo levare quelle asse, ch' era sopra il corpo di frate Ambrogio, funne fama publica, che dov' era il suo corpo, v' era pieno di fiori, ch' erano nati miracolosamente, sendo di verno, e coperta la terra con asse, sicchè non vi andava aria; avendo veduto l' onnipotente Dio quello aveva demostro della sua mirabile virtù per memoria di chi leggerà questo commentario della sua vita &c.*

a *Ibid. ep. XIII.*

b *Pag.* CCCC. XXXII.

An-

Ann. 1439. p. 197.



B. Ambrosius Traversarius Abbas Generalis Camaldulensium doctrina et legationibus Apostolicis celeberrimus. Obiit anno 1439. XX. Octob. ex tabula Medicea



An alicubi delitescat de Ambrosio vita Alberti, vel an vitam scriptis exaraverit, nos latet; pariter an Aleottus eam spartam assumpserit, aliive ejus hortatu, incompertum est; superest encomium Mauri Lapi monachi Camaldulensis in bibliotheca sancti Mathiæ de Muriano cum titulo: *Dormitio Ambrosii*, quo Maurus Ambrosium angelis, patriarchis, prophetis, martyribus, doctoribus ecclesiæ, atque confessoribus ob integritatem vitæ, defensionem veritatis fidei, innumeras lucubrationes & imitanda ab omnibus pietatis exempla pro indole ejus seculi comparat. Legatur epistola [a] Johannis a Tossiniano episcopi Ferrariensis ad eumdem Maurum, in qua asserit se legisse libellum, ubi lugubri & satis diffuso sermone mortem deplorat, virtutes, vitamque eximiis laudibus extollit religiosissimi & famosi viri vere memoria digni Ambrosii olim rectoris generalis & patris optimi ordinis Camaldulensis.

Ann. Chr. 1440.

a *Lib. XXV. ep. XVIII.*

Parvo interjecto ab ejus obitu tempore Michael monachus sanctæ Mariæ angelorum de Florentia epistolas Ambrosii undequaque collegit, quæ ad ipsius manus pervenere, vel potius in lucem protulit, cum eas vivente & mandante ipso Ambrosio prius collegisset & exarasset, easque [b] Cosmo nuncupavit Florentinæ civitatis decori, atque totius Latii, & virtutis & nobilitatis amplissimo ornamento, qui etiam ipse sæpe numero a Michaele exegerat, ut Ambrosii viri per omnia integerrimi, & ea ætate Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ adprime eruditissimi epistolas passim per orbem fere universum dispersas corpus in unum concluderet; id quod præstitit Michael libris decem & octo, quorum primus continet epistolas ad ipsum Cosmum. Totus pene decimus-tertius liber novæ editionis amplectitur epistolas Ambrosii ad eumdem Michaelem, quem dilectionis præcipuo prosequebatur affectu, virum Græcis Latinisque literis eruditum, comptissimum insuper librarium & exscriptorem. Is postea prior sanctæ Mariæ de Balneo, abbas inde Agnani transiit ad regendam abbatiam Valliscastri. Coronidis loco hic damus Ambrosii imaginem ex codice Medicæo.

b *Ibid. ep. XVII.*

XXXVIII. Obitus Hieronymi Pragensis & ejus opera.

Ambrosii mortem subsequutus est novem post menses obitus Hieronymi Pragensis alterius magni nominis eremitæ Camaldulensis. Decessit is die XVII. julii in monasterio sancti Mathiæ de Muriano Venetiarum, ubi post reversionem a concilio Basileensi jussu Ambrosii stationem fixerat. Stanislaus Sczygielski in Aquila Polono-benedictina edita Cracoviæ anno 1663. folio 51. relata ejusdem vita pridie idus maji: *Obiit*, inquit, *anno* 1440. *multorum judicio inter Sanctos relatus*. Idem legitur in Kalendario Benedictino ibidem impresso. In Menologio Benedictino sub eadem die legitur: *Hieronymi Pragensis Camaldulensis viri Apostolici*. Ejusdem meminere Reschius ceterique Poloni scriptores. In catalogo Sanctorum ordinis Camaldulensis rubris literis habetur: *Sanctus Hieronymus Pragensis Lithuaniam convertit ad fidem* 1440. 17. *julii*. Inter Beatos collocat Thomas Minius [c]. Bollandistæ Hieronymum inter Sanctos prætermissos habent tomo IV. julii [d]. Si Ambrosii Hodœporicon & epistolas consulamus, longe a sanctitate abfuit Hieronymus. Si Hieronymo Sancti titulum adjiciamus, multum inquinatur fama Ambrosii viri omnium judicio sanctissimi. Homines fuisse utrumque dicamus, atque arctissimam cum Eugenio confœderationem asportasse Ambrosium ad malam de Hieronymo opinionem, nimiam Hieronymi adhæsionem concilio Basileensi infensum reddidisse Hieronymum Ambrosio, & vicissim. Recolantur, quæ de Ludovico Arelatensi archiepiscopo & cardinale ex concilio Basileensi ad Eugenium & ad Christophorum scripsit Ambrosius, quæ etiam de Antonio Corrario similiter cardinale post legationem ad concilium ad eosdem exaravit, li-

c *Pag.* 20.

d *Pag.* 202.

ANN. CHR. 1440.

cet Ludovicus miraculorum gloria illustris cultum obtineat, piissimus vero describatur Antonius cardinalis ab ejus nepote Gregorio Corrario in ipsius vita. Illud exploratissimum est Hieronymum prædicationibus, lucubrationibus & apostolico zelo insignem fuisse, neque laboribus aut peregrinationibus pepercisse, ut vel idololatras Lithuanos ad fidem perduceret, vel Bohemorum ac Græcorum errores profligaret. Præter sermones Dominicales, Quadragesimales, & de Sanctis, quorum meminimus ad annum 1402. habitos in Polonia, præter alios duos in visitatione monasteriorum & in funere Raphaelis prioris generalis anno 1422. alios item duos, quos dixit in concilio Senensi anno 1423., & sermonem copiosum de sancto Romualdo ad eremitas anno 1430. & iterum anno 1433. ad Cartusianos, alterum de sancto Benedicto ad monachos sancti Benedicti prope Florentiam anno 1430. aliumque de vera & falsa pœnitentia ad preces Stanislai episcopi Plocensis eodem anno, sequentia novimus a Hieronymo scripta opuscula: *Epilogum revelationum beatæ Angelæ de Fulginio compilatum anno* 1425. *ad preces Marii de Burgo-sancti-Sepulcri*. De Mario Burgensi honorificam mentionem facit in suo hodœporico Ambrosius. *Epilogum similiter vitæ sanctæ Catharinæ Senensis, ejusque revelationum. Dialogum linea salutis eremitarum.* Hujus opusculi, quod aliis viris etiam tribuitur, multa exempla extant in Camaldulensi eremo, aliud membranaceum perantiquum in monasterio Cartusiæ Venetiarum, & aliud chartaceum in cœnobio nostro sancti Michaelis de Muriano. *Sermonem ad clerum de sancto Georgio de Sclavonia Cappadocum tribuno & martyre glorioso dictatum ad preces fratris Lucæ de Sclavonia eremitæ Camaldulensis anno* 1428. *Sermonem de sancto Blasio martyre & pontifice de Sclavonia ad preces abbatis Vallis-castri. Sermonem in festo sancti Hieronymi de Sclavonia doctoris gloriosi anno* 1432. *Horologium æternæ sapientiæ anno* 1435. *Tractatus duos contra ambitionem, quam appellat hæresim occultam. Contra errores Græcorum;* hunc tractatum sic auspicatur: *Ego frater Hieronymus de Praga sacræ eremi Camalduli reclusus eremita, dum anno præterito redirem de Hierusalem, veni in Nicosiam metropolim Cypri & in Famaugustam, & in Paphum, Colossum & in Cretam, & in alias urbes ac insulas, in quibus Græci habitant, disputavique cum Græcis Calogeris & sacerdotibus Græcorum, simulque cum domino Colocense multos libros disputando convici. Tamen reperii omnes Græcos ita pertinaces in sua hæresi & obstinatos, quod fatentur publice potius velle suscipere fidem Teucrorum, quam Latinorum. Habent namque Græci quatuor articulos hæreticos, quos sanctus Leo papa in concilio Chalcedonensi publice condemnavit, omnesque Græcos excommunicavit ac schismaticos esse & hæreticos publice declaravit* &c. Extant præterea in bibliotheca Camaldulensi tres codices, in quibus opera omnia Hieronymi Pragensis continentur: Primus codex appellatur liber *Transcriptionum*, secundus *Opusculorum*, tertius *Diversorum*. In primo & in tertio leguntur: *Miracula beatæ Virginis Mariæ; varia opera Basilii, Augustini, Cæsarii, Ambrosii, Hieronymi, Anselmi, Bernardi, Petri Damiani, Bonaventuræ, & collationes sanctorum Patrum, sermones Bernardi de Cœna Domini, & de sancto Johanne-baptista scripti Venetiis anno* 1434. *die* IV. *maji; regula sancti Hieronymi* 1435. *liber sancti Augustini de Honestate vitæ anno* 1435. *Liber stimuli amoris sancti Bernardi finitus die beatæ Luciæ* 1435. *epistola sancti Damiani ad Clerum; epistola circa mortem sancti Petri Damiani cardinalis; regula sancti Basilii; regula sancti Augustini; regula sancti Hieronymi: dialogus & tractatus septem vitiorum magistri Matthæi; forma perfectionis eremitarum.* In secundo vero continentur potissimum ipsius Pragensis opuscula. Quoad miracula beatæ Mariæ Virginis vera & ap-

probata

probata rythmice composita [a] legitur de quodam eremita Camaldulensis eremi.

ANN. CHR. 1440.

Camaldulensis eremita
Pure quidem in sua vita
Celebrabat omni die
Missam fulgentis Mariæ.
Demum idem infirmatus
Graviterque maceratus
Senectute atque languore
Corporali jam vigore
Deficiebat & virore,
Quadam enim dum quiescebat
Nocte in lecto, ut valebat
Servitor ei deputatus
A somno cito excitatus
Vidit coram illo stantem
Dei matrem, & radiantem
Miro fulgore & splendore
Cellam languentis in honore
Multo tempore dicentis
Missam cœlestis parentis.
Hinc omnes discant venerari
Piam matrem regis præclari,
Quæ sic honorat servitores
Suos devotos & cultores.

Hanc operum Hieronymi seriem, quam & suæ Ambrosii vitæ novissime inseruit Laurentius Mehus, exscripsimus ex epistolari commercio Baroncinium inter & Cannetium ac Grandium, quorum literas collegimus in adversariis nostris multis ab hinc annis.

XXXIX. Transitus beati Angeli Teutonici.

AD Deum transiit circa hunc annum etiam beatus Angelus Teutonicus conversus monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, qui inter coquinæ sudores innocentissimam vitam ducens sanctissimo fine quievit absumptus pestilentia, quæ in urbe Florentina grassabatur. Ipsius sanctimoniam declaravit singulare exortum illico prodigium post ejus obitum, nam prior cœnobii Philippus de Vincis eodem lethali morbo graviter affectus ad explendam devoti animi piam cupiditatem, in lectulo beati viri collocatus, ad illius contactum de pestifero morbo statim convaluit, interfuitque funeri ejusdem beati Angeli. De Angelo mentionem faciunt Fortunius parte II. libro IV. cap. VII. Ractius, Minius, veteresque omnes Sanctorum & Beatorum catalogi in kalendariis Camaldulensibus. *Absoluto concilio Florentino*, inquit Fortunius, *pestis excitata est Florentiæ, quæ Ambrosium inter primos ibi ad cœnobium Camalduli (sicut in monumentis sancti Benedicti post illius scriptam vitam invenimus) de medio sustulit, quamquam non defuit quoque veneni suspicio, uti in ejus vita notavimus.* Id explosimus anno præcedenti: *Absumptus est eodem morbo ad Angelos frater Angelus Teutonicus, qui omnium judicio sanctus, innocens & impollutus multos annos Christo domino famulatus fuerat coquinam exercens, quo tempore Philippus a Vinci prior eodem quoque mortifero vulnere laborans, beati Angeli comperta morte, suppliciter fratres ac tumultuose rogat, ut in ejus lectum portetur; quod cum infirmari fecissent, ecce vix lectum attigit, quod se ab omni morbo liberum evasisse cognoscit, prosiliensque Deo gratias agendo beati Angeli corpus summo cum honore sepultura donavit, supervixitque ipse Philippus usque ad annum* 1467. *patribus demum annumeratus decima-septima januarii, cum sexaginta & unum annos in sancta conversatione peregisset.*

XL. Mors Gabrielis Landini monachi.

ALIQUOT in epistolis mentionem factam Gabrielis monachi sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia ab Ambrosio vidimus, quando supremam hic ordinis præfecturam gerebat; quare falluntur Pocciantius & Niger in catalogo scriptorum Florentinorum, & omnium postremus Angelus-maria Bandinius tomo primo *Speciminis literaturæ Florentinæ seculi* XV. [b] qui referunt Gabrielis hujus obitum ad annum 1430. Gabriel ex Landinorum gente patruelis fuit Christophori Landini, ut hic testatur in Apologia Florentinorum Danthis commentario præmissa, ubi agens de Ambrosio Camaldulensi,

a Pag. 20.

b Pag. 43.

Ann. Chr. 1440.

maldulensi, ait hujus discipulum fuisse Gabrielem patruelem suum, scriptorem versuum lyricorum, ut liquet ex odis scriptis in honorem sanctorum Augustini, Hieronymi & Ambrosii ecclesiæ doctorum. Incepisse insuper carmine heroico descriptionem belli Pisani, quam intercepit immatura ipsius mors, quam circa hæc tempora contigisse arbitramur. Saltem vivebat anno 1437. Meminit idem Christophorus Gabrielis in elegia, quam de suis majoribus scripsit his verbis:

Nam Gabriel, quem sorte sua Camaldula legit
Religio niveis conspicienda togis.
Ambrosio primos nutritos lacte per annos
Roscida Gorgoneis antra subivit aquis.
Hic fidibus proceres cœli laudavit, & illos
Militiam summi, qui meruere Dei.
Qui nobis patriam pro Christo vulnera passi
Sanguine divinam jam peperere suo.
Mox dum Parrhasiæ Pisano in litore gentis
Victa Fluentino mœnia Marte canit.
Ante expectatum juvenilibus obrutus annis
Deserit heu quanto prælia cepta pede.
Sic nobis Gabriel prima fraudate juventa
Complecti luctu saucia corda gravi.
Nam tibi me Musæ, tibi me patruelis origo
Junxit, & ex uno sanguine juncta domus &c.

Specimen autem Odarum sive Laudum Gabrielis affert ex codice Chisiano [a] Cannetius noster in notis ad epistolam XXII. libri XIII. Ambrosii. De Gabriele etiam agunt Crescimbenius, & auctores Diarii Literatorum, & ante illos Leo Allatius, & Jacobus Gaddius.

[a] *Col.* 477.

XLI. Eugenii IV. brevia ad annum 1440.

[b] §. *Brevia* 56. *A.* 5. 1.

MANDAVIT hoc anno [b] Eugenius Romanus pontifex Gometio priori generali Camaldulensium, ut abbatem in monasterio sancti Petri de Rotis Arretinæ diœcesis constitueret in locum Dominici, qui infirmitate incurabili detinebatur, cui tamen provideret de abbatiæ fructibus. Datum Florentiæ die quinta-decima julii pontificatus anno decimo.

Idem monachis sancti Michaelis de Muriano & Paulo Venerio abbati indulgentiam plenariam concessit in mortis articulo ex Florentia decimo kalendas julii anno decimo. Anno sequenti quinto idus januarii iisdem indulsit, ut visitantes tria altaria eorum ecclesiæ gaudere possent indulgentiis, quæ percipiebantur ab iis, qui visitant almæ Urbis ecclesias diebus iis, in quibus stationes ad ecclesias Urbis a Romanis pontificibus indictæ sunt, & præsertim diebus quadragesimalibus, quamdiu perseveraverint in observantia regulari, extendens id privilegium etiam ad modernos procuratores laicos ejusdem monasterii, volensque, ut monachorum supplicationis simplex signatura sufficeret absque eo, quod literæ apostolicæ desuper expedirentur. Nonis demum octobris anno duodecimo, hoc est anno 1442. concessit iisdem monachis, ut a suis confessariis possent ipsi, omnesque degentes in eorum monasterio absolvi a quocumque reatu, & plenariam indulgentiam consequi cum obligatione recitationis septem psalmorum pœnitentialium per annum qualibet feria sexta, vel aliarum precum pro iis, qui legere ignoraverint. Prostant hæ concessiones in Appendice ex tabulario ejusdem monasterii.

XLII. Exemptio monasteriorum Fabrianensium a quibusdam solutionibus.

EX illo sancti Blasii de Fabriano Nicolaus de Perusio decretorum doctor & procurator ecclesiæ sancti Venantii de Fabriano, Stephanus de Castelletta

stelletta prior generalis monachorum congregationis sancti Silvestri, Johannes abbas monasterii Valle-castrensis, & Vicus procurator ecclesiæ sancti Nicolai de Fabriano agentes pro clero & pro monachis Fabrianensibus impetrarunt hoc anno ab Alexandro Sfortia comite Cotiniolæ, vice-marchione & generali ecclesiæ gubernatore exemptionem a lege lata a potestate & a prioribus Fabriani, qua jubebatur contra libertatem ecclesiarum & personarum religiosarum, ut colligentes granum vel aliquod aliud frumenti genus deberent ad portam oppidi solvere quamdam pecuniæ quantitatem pro qualibet mensura sub certa pœna. Quare die tertia septembris coram eodem potestate præfati viri comparuere, ut tolleretur hujusmodi lex libertati contraria, præsente inter ceteros famosissimo J. V. D domino Andrea de Comitibus Castelli de civitate Novaria.

Ann. Chr. 1440.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi M.CCCC.XLI. *ad annum* M.CCCC.LI.

ANN. CHR. 1441.

I. Burgus-sancti-Sepulcri traditur ab Eugenio IV. Florentinis.



FLORENTINI per manus Cosmi Johannis de Medicis domicelli Florentini numeraverant Eugenio IV. Romano pontifici viginti-quinque mille Florenos auri de sigillo, ut eos expenderet pro necessitatibus suis & Romanæ ecclesiæ; quare idem pontifex providere volens ejus reipublicæ indemnitati & securitati, terram Burgi-sancti-Sepulcri, quæ pleno jure spectabat ad Romanam ecclesiam, auctoritate apostolica in pignus dedit cum mero & mixto imperio, gladiique potestate & omnimoda jurisdictione temporali, restituendam eo temporis, quo ipsi Florentinæ reipublicæ redditi fuerint prædicti viginti-quinque mille Floreni. Datum Florentiæ anno M. CCCC. XLI. sexto Kalendas martii pontificatus nostri anno decimo; ex regesto Vaticano in Appendice. De ea pignoratione Burgi-sancti-Sepulcri hæc habet monachus anonymus in supplici libello ad Nicolaum V. *Anno* M.CCCC.XLI. *Eugenii* IV. *papæ* XI. *Friderici* III. *anno* II. *Quoniam Burgus-sancti-Sepulcri anno a condita Florentia* M. XXVI. *originatus fuisse compertum est, & alio post quingentesimo subsecuto anno gubernatori populi Florentini per apostolicum Eugenii* IV. *indultum extitit commendatus, proculdubio sperandum est, ut millenarium suum sub ea ipsa paterna gubernatione Florentini populi compleat. Enimvero dulce satis, & suave & tutissimum dominium est, humanusque est populus Florentinus, & ritui Burgensium omnino accommodatissimus, unde perpetuum ac prope æternum regimen hoc esse Burgensibus desperandum non est. Verum etiam & antiquos quosque dominatus nostros temporales excedens beneficentia, securitate, benevolentia, fortitudine, justitia, consilio, moribus, curiositate, potestate, tuitione, pietate; in tam enim maxima rerum egenitate Burgenses positi, quanta tum ex ea clade, quam supra paulo ante memoravimus, tum etiam & anno post sequenti ex annona deperdita ob aereas tempestates conciderant. In quibus malis exposita sunt a Burgensibus ultra sexaginta millia Florenorum, quod credere difficillimum est. In eo quidem tempore Cosmas*

mas ipse compater tuus (Nicolaum V. alloquitur) *suavissimus vir, omni liberalitate præditus florenos tercentos reipublicæ nostræ in subsidium rei frumentariæ mutuavit. Obmittimus, pater beatissime, largitiones, liberalitates, dona, muneraque gratuita, quæ non modo ex eo viro, verum ex universo populo Florentino continua in nos, inque rem nostram communem proveniunt; quod si dinumerari conveniat, diffusa nimis proculdubio esset oratio nostra. Hinc instauratus antemuralis terræ nostræ per gyrum omnino totus, & propugnacula circum reparata, & etiam denuo constructa; delubra Sanctorum intra muros miro ordine pulcrificata; arces, ædesque publicæ roboratæ, instauratæ, novatæ, constructæ; civiles quoque & plebejæ domus continuo magnis etiam dispendiis instruuntur. Non enim, beatissime pater, hæc tot & tanta commoda nobis ex alia qualibet gubernatione provenissent, nisi ex hac unica humanissima, cuius omni refugio contuiti adjutique ea, in qua nunc sumus, pene incredibili instauratione potimur.*

ANN. CHR. 1441.

II. Abbatia S. Urbani de Æsinante unitur alteri Vallis-castri.

Ex paginis Fabrianensibus sancti Blasii commiserat olim idem Romanus pontifex, anno nimirum M. CCCC. XXXII. decimo-tertio Kalendas martii pontificatus sui anno primo Johanni cardinali tituli sancti Petri ad Vincula Camaldulensium protectori ad instantes preces Eustachii abbatis Valle-castrensis unionem monasterii sancti Urbani de flumine Æsinante cum altero Vallis-castri, cedente vel decedente moderno abbate sancti Urbani. Verum tum propter absentiam præfati cardinalis a Romana curia, qui eo anno se recepit ad patres concilii Basileensis, tum propter obitum utriusque abbatis, Eustachii nimirum Valle-castrensis defuncti anno 1433. & Bartholomæi sancti Urbani abbatis paulopost intermortui, literæ Eugenii executioni non fuerunt demandatæ; hinc institerat anno præterito apud eumdem Romanum pontificem Gometius prior generalis Camaldulensis, ut repetitis literis dignaretur hujusmodi unionem præcipere. Quare quarto idus novembris anni elapsi pontificatus sui decimi dederat in mandatis Nicolao de Perusio priori secularis & collegiatæ ecclesiæ sancti Venantii de Fabriano, ut ad executionem primarum literarum deveniret, ac in perpetuum adnecteret monasterio Vallis-castri illud sancti Urbani. Die itaque quinta januarii hujus anni Johannes a Fossato abbas Valle-castrensis eidem Nicolao priori Eugenii literas exhibuit; hic vero die trigesima ejusdem mensis, præsentibus Angelo Deotesalvi priore ecclesiæ sancti Johannis de Petriolo, & Bartholomæo Johannis priore sanctæ Luciæ de Ancona, univit præfatum monasterium sancti Urbani cum Valle-castrense. Exinde abbatia Vallis-castri jampridem unita cum altera sancti Blasii de Fabriano, novissime autem cum illa sancti Urbani appellata fuit, appellaturque hodie abbatia trium monasteriorum unitorum. Ex iisdem paginis Johannes abbas coadunato die XXIV. martii capitulo monachorum sancti Blasii Fabriani & sancti Romualdi Vallis-castri, interventu etiam Francisci Dominici Marconi prioris monasteriorum Eremitæ, & Aquæ de Perellis, Angeli quoque prioris de Petriolo, nomine ecclesiæ sancti Salvatoris de Aquapagana Spoletanæ diœcesis membri monasterii Valle-castrensis elegit in procuratorem pro bonis dictæ ecclesiæ de Aqua-pagana Melchiorem magistri Thomasii de Camerino priorem ejusdem ecclesiæ.

III. Electio Felicis in priorem sancti Mathiæ.

Habemus ex chartis sancti Mathiæ de Muriano, quod abdicante Angelo Ciera Gometius prior generalis elegit die XXIV. aprilis in priorem dicti monasterii Felicem de Pavonibus monachum sancti Michaelis; sed cum Eugenius sibi reservasset collationem prioratuum vacantium, suspensa fuit ejus electio usque ad diem septimam septembris anni sequentis, qua commisit Laurentio Justiniano episcopo Castellano, ut idoneitatem Fe-

Ann. Chr. 1441.

licis ad examen revocaret, ac juramentum exigeret. Quarta-decima februarii anni 1443. literas apostolicas exequutus fuit episcopus, & anno tantummodo 1444. die XVI. martii tum Laurentius episcopus, tum Paulus Venerius abbas sancti Michaelis bullas Felici consignarunt.

IV. De monasteriis Massacciensibus.

Quinto kalendas decembris pontificatus sui anno undecimo mandavit præfatus Romanus pontifex priori generali ordinis sancti Silvestri, Johanni abbati Vallis-castri, & abbati sanctæ Mariæ de Mollis Æsinæ dioecesis, ut Albertum Francisci de castrò Massaccii ordinis Camaldulensis rectorem prioratus sanctorum Jacobi & Christophori de dicto castro inducerent in possessionem ecclesiæ & monasterii sanctarum Margaritæ & Catharinæ extra muros ejusdem oppidi, in quo olim resederant moniales ordinis sancti Benedicti; & hoc ob reservationem, quam sibi fecerat omnium ecclesiarum & monasteriorum, etiam monialium, aliorumque ecclesiasticorum beneficiorum apud sedem apostolicam vacantium; cum solito tamen censu debito venerabili fratri tituli sancti Marci S. R. E. cardinali, sacrosanctæ basilicæ Lateranensis archipresbytero & capitulo ipsius ecclesiæ. De monasterio sanctarum Margaritæ & Catharinæ extra Massaccium fuse agit Sartius noster [a] in epistola de Cupra-montana, cujus moniales sese receperant ad vacuum sanctarum Mariæ-magdalenæ & Marthæ intra oppidum ascèterium seculo præterito, facta anno 1367. potestate illuc commeandi a capitulo basilicæ Lateranensis, cujus jus summum erat in utrumque monasterium. Anno 1448. hæ sanctimoniales apud Septem-pedanos novum sibi domicilium compararunt, duabus exceptis, quæ in Massaccio perseverarunt. Extat in archivo sancti Blasii de Fabriano pagina concessionis factæ a Johanne cardinale episcopo Prænestino Sabinellæ Johannis Franciani moniali professæ sanctæ Catharinæ de Massaccio ordinis sancti Benedicti, ut possit aliud monasterium ejusdem ordinis ingredi. Literæ datæ tertio kalendas maji Eugenii papæ IV. anno XVI. sic incipiunt. *In nostra proposuisti præsentia, quod tu olim post obitum mariti & filiorum tuorum, persuasione & cohortatione cujusdam fratris tui consobrini dictum monasterium intrasti, & habitum inibi gestari solitum assumpsisti, ac professionem regularem emisisti, & per aliquod tempus ibidem fuisti laudabiliter conversata, demum adveniente incursu atque oppressione gentium armigerarum comitis Francisci monasterium ipsum penitus destructum extitit, ob quam quidem destructionem coacta fuisti tam tu, quam aliæ quatuor moniales, quæ in dicto monasterio morabantur, armigerorum impetum fugere* &c. Anno 1423. recepta fuerat eadem Sabinella in monasterium Valle-castrense sub Eustachio abbate. Anno 1502 Benedictus Muccius prior erat monasterii nuncupati sanctarum Catharinæ & Mariæ-magdalenæ, sed ad parvum tempus perduravit hujus loci prioratus, quandoquidem San-severinates moniales iterato seculo XVI. rediere ad SS. Catharinæ & Magdalenæ monasterium, relictoque Benedictino ordine, quem hactenus retinuerant, susceperunt habitum & instituta sancti Francisci.

[a] Pag. 78.

V. Gometio abdicante fit prior generalis Camaldulensium Franciscus.

Hoc ipso anno die XIII. decembris [b] prædictus Romanus pontifex resignato in manibus suis prioratu generali Camaldulensis ordinis a Gometio, qui electus fuerat a rege Portugalliæ prior sanctæ Crucis Conimbricensis dioecesis ordinis sancti Augustini, electoque Francisco de Agna tunc priore sancti Benedicti extra muros Florentiæ in supremum præsidem, eamdem electionem confirmat. Datum Florentiæ anno XI. Trigesima siquidem novembris vacante prioratu per translationem ejusdem Gometii, Jacobus abbas sancti Salvatoris Camalduli Florentini, qui a dimissione Gometii creatus fuerat vicarius apostolicus, præsentibus Placido Pavanello abbate

[b] S. Electio 98. A. 3. 2.

bate generali Vallumbrosano, & Arsenio cubiculario domini papæ, convocatis in ecclesia eremi eremitis una cum Luca Majore, & cum abbatibus congregatis novam electionem proponit; qua proposita Lucas Major surrexit, & in priorem elegit Franciscum licet absentem, ceterique electores tamquam divinitus inspirati consenserunt, destinatis quatuor procuratoribus ad exhibendam illi ipsius factam electionem, qui consensit die decima decembris. Extant ad Franciscum priorem sancti Benedicti aliquot Ambrosii epistolæ. Gometius autem vix perveniens ad suum monasterium in Portugallia, anno sequenti obiit, ut habent Puccinellus, & Thomas Salvettus in ejus vita. Die XIX. decembris [a] Eugenius monasterium vacans sancti Petri de Rotis Arretinæ diœcesis per obitum Dominici abbatis contulit eidem Francisco præsidi generali.

ANN. CHR. 1441.

[a] §. *Brevia* 17. *A.* 5. 4.

VI. Donatio facta monasterio Classensi.

GENEVRA filia quondam magnifici domini Johannis Galeatii de Manfredis Faventini principis, & uxor potentis domini & militis Ostasii de Polenta filii domini Obizonis ob maximam reverentiam, quam habebat erga monasterium Classense, donavit Aloysio de Puteo abbati dicti monasterii jus suum in quamdam possessionem sitam in fundo sancti Gervasii plebatu sancti Cassiani juxta fluvium Sapis. Sequitur in archivo Classensi testificatio Johannis Donati potestatis Ravennæ pro Veneto dominio. Ostasius Polentanus adsciverat sibi in uxorem Genevram post obitum Constantiæ filiæ Ludovici Meliorati Firmani, quæ decesserat nullis liberis editis.

ANN. CHR. 1442.

VII. Beati Petri de Sardinia monachi gesta & virtutes.

VIVEBAT in monasterio sancti Michaelis de Muriano solitudine, virtutum gloria & summæ contemplationis fama celebris beatus Petrus de Sardinia, nec unquam a suo proposito deflectebat. Narrans cap. VIII. Maurus Lapi ejus vitæ scriptor Petri perseverantiam in monasticis exercitiis, & præsertim in oratione hæc singulariter, incompte quidem, de ipso habet: *Dicitur*, inquit, *a multis tam de Venetiis, quam de Muriano, & de monasterio ipso, quod existente ipso patre in oratorio visa sunt supra tectum luminaria; & currentes ibi & interrogantes, quid hoc esset? nil aliud erat, nisi quod dictum est, quod Petrus in oratorio orabat. Et ita dicunt alii de isto alio nostro sancti Mathiæ monasterio, antiquitus visa fuisse luminaria splendentia super tectum; utrum ita sit, ipsi sciunt; ego non vidi, sed audivi*. Deinde veniens ad aliquot Petri prophetias hæc subdit: *Dominus autem Petrus Loredanus & dominus Stephanus Contarenus eximii patricii hujus reipublicæ, quando mittebantur in præliis, devote accedebant ad illud devotum monasterium, & adorato & deosculato ligno sanctæ Crucis, quod ibi est, & etiam ob reverentiam Petri patris nostri ac mei in Christo, cum licentia ad ipsum humiliter accedebant, rogantes, ut pro ipsis orationes funderet ad Dominum, & suam benedictionem cum aqua benedicta ab ipso recepta petebant, & rogabant, ut aliquid audirent ab eo, & ipse pluries dixit eis: Ite in pace, quia Dominus erit vobiscum, & cuncta erunt prospera, & ita semper evenit. Ultima vero vice non accesserunt, & contrarium accidit*. Aliqua deinde de suis infirmitatibus, quas sustinuit & patienter toleravit, subjungit capitulo sequenti dicens: *Ergo & de suis infirmitatibus, quas serviendo Domino aquisivit, dicamus, & hoc credo, quia tantum stetit genuflexus, & genuum flexiones fecit, quod taliter traxit humiditatem ex tabulis & petris, quia forte nude flectebat multis annis, & inde ex magno labore etiam crepuit, & tamen multo tempore occultum tenuit, nec propter hoc a suis genuflexionibus cessavit usque ad ultimum, dum potuit. Unde ille pater suus*, (Paulus Venerius abbas) *quando scivit ista, reparavit de omnibus, & præcepit, ut caligas & pelliceas longas portaret, & bra-*

Ann. Chr. 1442.

& bragherium, ne tantam pœnam sustineret, neque in deterius procederet, qui jam pessime stabat, & tamen, tamquam si nihil haberet, infirmitatem non curabat, sed ut semper fecit, ita & in omnibus perseverabat. Refert etiam, *quod numquam vidi illum aliquam singularitatem facere in conventu tam in refectorio, quam in ecclesia vel alibi, quod posset digne argui. In patientia vero ipsum mirabilem vidi & intellexi, quia vidi eum sperni & pingi satis inhoneste, & non una vice, & alii etiam talia viderunt, & ita in uno modo stabat, & remanebat in facie & in omnibus, tamquam si nil sibi occurrisset, & nihil aliud faciebat, nisi quod locum dabat, & injurianti se inclinabat, & minanti, & ipsum tamquam benefactorem ipsum pater beatus diligebat, immo se culpabilem in illis casibus putabat, unde resumebat zoccolos vel planellas, & recedebat, qui ex illis violentiis de pedibus ejus exibant, & diligebat inimicum, & non dubito orasse sæpe pro ipso; hoc est totum, quod est optimum.*

Dicamus aliquid specialiter de ipso singulari nostro advocato apud Dominum. Certe, ut audivi (jam sunt multi anni) quod existens in sacra nostra eremo a generali nostro reverendissimo, (Ambrosio nimirum Traversario) *qui ipsum in suo monasterio viderat & visitaverat, ipse in circulo eremitarum, tot & tanta dixerat de ipso patre, quod mirati fuerunt omnes, & ego cum illis, quamvis & alias audivissem. Ut postea vidi oculis meis, & multo majora illic conversando, semper erat in cuculla in ecclesia, in psalmodiis & oratione, & continuo silentio, attendens ad animam suam, nil curans de corpore, & contentus de extrema necessitate, & nisi pater abbas fecisset ipsum providere & gubernare, ipse male tractasset corpusculum suum. Quando intrabat in ecclesiam existens solus, aut quando exibat, semper intrabat & exibat prostratus in terra, vel genuflexus osculabatur solium portæ, & aquam benedictam accipiebat, & semper habebat aspectus inclinatos ad terram, & omnibus sibi obviantibus locum dabat tam majoribus, quam minoribus, & humiliter se inclinabat. Cum aliquo nunquam locutus est per illos quadraginta-tres annos, quod ibi fuit, absque speciali vel generali licentia domini abbatis, qui pater abbas paucis dabat tamen licentiam. Ipse Beatus libenter audiebat, & pauca verba respondebat, quia sciebat scriptum: In multiloquio non effugies peccatum. Neque unquam solus vel associatus ibat per ecclesiam vel claustrum, aut per hortum causa spatiandi; immo numquam fuit in horto, nisi vocatus & missus a patre, & hoc bis vel ter fuit per spatium supradictum. Neque per fenestram suæ cellæ, quæ erat super hortum, & contra Venetias, umquam aspiciebat, sed etiam clausam tenebat, si servitor ipsam non aperiebat. Et ita dicendum est de porta monasterii, quia extra ipsum numquam exivit, nisi cum aliis ad indulgentiam Ascensionis, neque suis literas direxit vel aliqua verba, vel recepit ab illis aut ab aliis. Neque aliquando visus est aliqualiter turbatus, aut voce elevata loquens, sed semper plane & modeste, & pauca verba et rationabilia, et bene ad propositum. Ita diligebat amicos ut æmulos, et quotidie visitabat infirmos monasterii, quando erant, pauca verba consolationis eis dicendo, et cum magna humilitate; postea stabat devote, et numquam recedebat, nisi licentiatus, neque sedebat, nisi sibi impositum esset, et hoc ubique, et cum omnibus; sed ipse pater abbas et ceteri patres et fratres sui in Christo suum desiderium agnoscentes revertendi ad sua sancta exercitia et solitudinem, cito sibi dicebant, ut abiret. Et ipse humilis pater facta semper magna reverentia cunctis astantibus procedebat. Omnibus se amabilem parabat ad colendum magis nutibus et operibus, quam verbis. Quando alicui aliquid dicere expediebat, magis signis et nutibus, quam verbis demonstrabat,*

strabat, et eodem modo aliis sibi aliquid dicentibus respondebat, aut submissa voce communiter dicebat omnibus: Bene, bene. Et hoc quia nil aliud erat in corde, quam in ore et in operibus ipsius. Si aliqua mala vel fragilia audiret, compassionem intimam demonstrabat. Vanam gloriam vero, ut comperi, non cognoscebat. Nos autem miselli &c.

ANN. CHR. 1442.

GLERICI sive canonici novæ congregationis sancti Georgii de Alga Venetiarum, auctoritate & præsidio Romani pontificis Eugenii IV. qui ejus fuerat alter auctor & institutor, cœnobia passim petebant & obtinebant monachorum, suæque congregationi adjungebant; novissime favore Laurentii Justiniani Castellani episcopi, qui & ipse congregationis canonicorum instituta professus fuerat, impetraverant ab eodem Eugenio monasterium nostrum sancti Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum; quare Antonius Blancus prior ejusdem cœnobii dominium Venetum adiit, suppliciterque efflagitavit loco non expelli. Dominium itaque hoc anno die decima augusti in Rogatis sequens tulit decretum editum in ecclesiis Venetis Cl. Cornelii [a] ex chartario sancti Michaelis de Murano. *Cum venerit ad præsentiam nostri dominii venerabilis pater prior sancti Johannis de Judecha ordinis Camaldulensis exponens, quod ad instantiam reverendi patris episcopi Castellani et clericorum sancti Georgii de Alega, summus pontifex noviter concessit dictum prioratum et monasterium sancti Johannis dictis clericis sancti Georgii de Alega, qui, ut fertur, habent bullas ab ipso summo pontifice super hoc, quod procedit in maximum onus et infamiam dictæ religionis et ordinis Camaldulensis, proindeque nobis fuerit humiliter supplicatum, ut dignaremur non consentire destructionem ejusdem sui ordinis in hac nostra civitate, et præsertim absque legitima ulla causa, ac attento, quod quando ædificatus fuit locus prædictus, promissum fuit fratribus religionis prædictæ, quod semper conservarentur in loco et ecclesia suprascripta, et sit honor et debitum nostri dominii nedum conservare, sed potius augere divinum cultum, ac ordines et religiones istius civitatis, præsertimque observantiæ; Vadit pars, quod suspendantur bullæ prædictæ, et dicatur et committatur priori et fratribus sancti Johannis prædicti, quod non debeant acceptare in loco suo prædictos clericos sancti Georgii; et hæc nostra intentio etiam priori et clericis sancti Georgii debeat declarari, et quod amplius in hoc negotio se impedire non debeant. Et scribatur et mandetur oratori nostro in Florentia, ut nostri parte supplicare et instare debeat apud summum pontificem, quod dignetur revocare bullas prædictas, cum illis bonis et pertinentibus verbis, quæ collegio videbuntur, quoniam pro honore et debito nostri dominii nobis non videtur posse pati, quod fratres suprascripti expellantur hoc modo de ecclesia prælibata.* Die sequenti visitatum fuit monasterium sancti Johannis a Paulo Venerio abbate sancti Michaelis & a Felice de Pavonibus priore sancti Mathiæ de Muriano, & repertum est optime gubernatum & administratum, ut legitur in archivo Fontis-boni [b].

VIII. ClericiS.Georgii de Alga expetunt monast. S. Jo: de Judaica.

a *Dec. I. pag.* 288.

IDEM Romanus pontifex die XXIII. decembris pontificatus sui anno XII. unionis vinculo simul fœderavit monasteria sanctæ Mariæ-Angelorum de Florentia, & sancti Benedicti extra muros urbis, ita ut invicem possent commutari prælati & monachi utriusque familiæ; ex tabulario sanctæ Mariæ-angelorum [c]; ex quo etiam addiscimus die septima januarii hujus anni 1442. sed facile stilo Florentino, hoc est anno sequenti, accessisse ipsum Eugenium personaliter ad monasterium & ecclesiam sanctæ Mariæ-Angelorum, ac indulgentiam concessisse visitantibus ipsam ecclesiam ea die, alteram vero indulgentiam dilargitum orantibus in dicta ecclesia die festiva sanctorum Prothi, Hiacynthi & Nemesii, quorum corpora ibidem colun-

b §. *Visitatio* 12. *A.* 5. 8.

IX. Eugenii IV. brevia pro Camaldulensium monasteriis.

c *Num.* 21.

Ann. Chr. 1442.

coluntur undecima septembris. Cessit hoc anno officio prioratus ejusdem monasterii Philippus de Vincis, inde abbas primum Cerreti, postea anno 1449. abbas electus sancti Felicis in Platea; obiit autem anno 1460. Suffectus vero in priorem Angelorum Lucas Carduccius Florentinus.

Die octava augusti hujus anni literæ etiam prostant ejusdem Eugenii indulgentiarum in visitatione & reparatione ecclesiæ sancti Michaelis de Lemmo in Histria. Post biennium Johannes episcopus Parentinus die XVII. julii commendavit abbatibus & parochis suæ diœcesis, quatenus manus adjutrices ferrent ad restituendam in suis ædificiis præfatam ecclesiam; ex archivo sancti Mathiæ de Muriano [a]. Isidorus similiter Ruthenus cardinalis tituli sanctorum Petri & Marcellini ex sancto Georgio Venetiarum, ubi residebat, eodem anno 1444. concessit indulgentiam centum dierum visitantibus die sancti Michaelis dictam ecclesiam sancti Michaelis & ejus reparationem adjuvantibus, ad instantiam Petri de Monte Veneti abbatis ejusdem monasterii; ex ms. codice sancti Johannis de Judaica.

a *Capf. S. Mat.* 51. & 3.

Franciscus prior generalis Camaldulensis possessionem recepit monasterii sancti Petri de Rotis sibi commendati ab Eugenio per Mariottum abbatem Deciani die sexta februarii [b] ab incarnatione anni 1441. literæ executoriæ commissæ fuerant a pontifice Jacobo de Tornaquincis abbati sanctæ Mariæ de Agnano, abbati sancti Michaelis de Arretio, & Jacobo abbati Camalduli-Florentini.

b §. *Tenuta* 30. *A.* 5. 6.

Alter Franciscus prior eremi ad Vivum Conrado quondam Jacobi archipresbytero Montis-politiani vendit bona hospitalis sanctorum Petri & Benedicti positi in territorio Monte-politianensi; ex paginis monasterii Rosæ Senarum [c].

c *Num.* 182.

Ann. Chr. 1443.

X.

Ejusdem uniones aliquot ecclesiarum Camaldulensium.

DEDIT in mandatis hoc anno Eugenius IV. Stephano priori generali Montis-sani Camerinensis diœcesis congregationis sancti Silvestri, ut uniret prioratum ruralem & sine animarum cura de Aqua-perellis ordinis Camaldulensis cum prioratu parœcialis ecclesiæ sancti Benedicti de Frandolasiis extra muros Castri-plani Æsinæ diœcesis, quæ consueverat gubernari per monachos abbatiæ sanctæ Helenæ de Serra-sancti-Quirici ordinis similiter Camaldulensis, quæque tunc temporis minabatur ruinam, & reparatione indigebat. Hanc vero unionem curaret ad petitionem Francisci prioris generalis Camaldulensis, qui ecclesiam de Aqua-perellis obtinebat in commendam, & Johannis de Cabanis monachi beatæ Mariæ de Clara-valle Cistercienfis ordinis Senogalliensis diœcesis, qui ecclesiam sancti Benedicti regebat, cedente vel decedente Francisco Dominici de Domo priore præfati prioratus de Aqua-perellis. Datum Florentiæ anno M. CCCC. XLII. (more Florentino) quinto idus januarii pontificatus sui anno XII. Comparuit die XXVIII. maji dictus Johannes de Cabanis in monasterio sancti Benedicti extra muros Florentiæ, ac in manibus ejusdem Francisci prioris generalis prioratum de Frandolasiis dimisit cum omnibus juribus & possessionibus suis, qui receptus deinceps fuit pro eremo & ordine Camaldulensi. Videatur Appendix.

Idem pontifex anno XIII. duodecimo kalendas .... providere volens eremo Camaldulensi imminutæ quamplurimis proventibus ob turbines bellorum, diversosque eventus, attendens, quod nulli, nisi sanctæ Romanæ sedi est subjecta, & tantum recommendata communi Florentino, significavit eam comprehendi non debere in impositione facta a Bartholomæo Zabarella archiepiscopo Florentino sexaginta millium Florenorum, præsertim etiam, quia sita est extra dominium Florentinum, & revocavit,

quæ

quæ in contrarium facta forent, vel fierent; ex tabulario Fontis-boni [a].

Ann. Chr. 1443.

XI. Historia monasteriorum unitorum parthenoni S. Agathæ de Florentia.

COPULAVERAT anno 1435. kalendis octobris anno quinto præfatus pontifex, opera Thomæ Thomasinii episcopi Traguriensis, & visitatoris generalis apostolici monasteriorum Florentinorum, cum parthenone sanctæ Agathæ de Florentia monasteria sanctæ Mariæ de Nive, sancti Silvestri Sanctucciarum, & sanctæ Ursulæ ejusdem urbis, quæ ad inopiam vergentia paria ulterius non erant divino promovendo cultui, monasticæque disciplinæ servandæ. Monasterium sanctæ Mariæ de Nive appellatum etiam sanctæ Mariæ intemeratæ, moniales albas alebat congregationis Pulsanensis ordinis sancti Benedicti, subjectas abbati sanctæ Mariæ de Fabroro ejusdem congregationis; Discalceatæ quoque vocabantur, quia pedibus discalceatis procedebant, ut etiam viri ejus instituti. Earum habitatio erat sub podio sanctæ Margaritæ a Montici parum distante ab urbe Florentiæ, cujus hodie monasterii supersunt vestigia integra ecclesiæ, & in proximo prædio scatent balnea aquæ dulcis memorata a Varchio, & in libris Provisionum reipublicæ Florentinæ. Feminarum habitatio aliquantulum distabat ab abbatia virorum Fabrori contigua monasterio dicto de Paradiso, cui hodie unita fuit abbatia de Fabroro. Stroctius in sua relatione affirmat in utrumque virorum & & mulierum Pulsanensium monasterium jus patronatus habuisse familias Amideorum & Gherardinorum; mentionem pariter discalceatarum se reperiisse in paginis anni 1287. appellatasque fuisse mulieres Montici. Verum pericula molestiæque bellorum eas coegerunt ad urbem se recipere. In ms. codice olim ad usum Cosmi de Arena & a Ferdinando Melioris deflorato pagina 136. sequens legitur excerptum ex veteri pagina: *Anno Domini* M. CCC. XXXIX. *quartadecima februarii indictione* VIII. *actum in ecclesia monasterii sanctæ Mariæ Scalceatarum feminarum de prope Florentiam ordinis sancti Benedicti. Religiosa domina Johanna abbatissa dicti monasterii ad evitandas multas & varias, & diversas injurias & scandala & oppressiones cum capitulo statuit translatare conventum, & ad civitatem Florentiæ venire, ubi de novo monasterium condere, construi & hedificari possit, & locum emit in Campo-regio, qui locus dicitur esse Bartholomæi filii Neronis Nigi Dietesalvi, & protrabitur de retro, a primo via, per quam itur per burgum sancti Laurentii ad sanctum Gallum, a secundo presbyteri Bonzi & hospitalis sancti Galli, a quarto fratrum sancti Marci muro communi in medio, a quinto hospitalis sancti Johannis, & Gratia Guittomani.* Reapse in alia pagina anni M. CCC. XLVII. indictione prima XXVIII. octobris servata in monasterio sanctæ Agathæ, legitur: *Bartholus quondam Leli vendit monasterio sanctæ Mariæ Intemeratæ scalciatarum in via sancti Galli posito in populo sancti Laurentii.* In urbe commorantes perseverarunt sub regimine abbatis Fabrori. Hoc ipso anno M. CCC. XLVII. die XXVI. aprilis Philippus abbas monasterii discalceatorum masculorum confirmavit Lenam Manetti Lamberti in abbatissam hujus parthenonis; ex tabulario eodem sanctæ Agathæ. Anno 1403. [b] mutarunt nomen & titulum sanctæ Mariæ Intemeratæ in illud sanctæ Mariæ de Nive ex donatione cujusdam domus in platea sanctæ Crucis facta ab Alamanno Andreæ Ghetti Florentino ea conditione, ut ita denominaretur deinceps earum ecclesia; quod confirmavit, ratumque habuit Balthassar Cossa cardinalis legatus & vicarius apostolicus Bononiæ anno 1409. Cum Eugenius IV. anno 1435. redditus hujus monasterii adjecit parthenoni sanctæ Agathæ, ædificium situmque ejusdem monasterii non adjunxit; locum enim dedit priorissæ & sororibus Pœnitentiæ sive tertii ordinis sancti Dominici, ex bullario ordinis Prædicatorum [c], quæ tamen paulopost reces-

a §. *Privilegia* 12. *A.* 5. 10.

b *Num.* 17.

c *T. III. pag.* 47.

ANN. CHR. 1443.

recesserunt, ut incolerent monasterium sanctæ Luciæ, cujus moniales una cum aliis sanctæ Mariæ Reginæ-cœli transierant ad sanctæ Catharinæ asceterium, ut tradit etiam Johannes de Augustiniis in vita episcopi Thomasini [a]. Itaque relictum locum donavit idem Romanus pontifex canonicis regularibus abbatiæ sancti Bartholomæi prope Fesulas, qui hospitium in urbe non habebant. Facile in hac postrema bulla pro canonicis leguntur una cum monasterio donata ipsis etiam monasterii bona; quare moniales sanctæ Agathæ, quæ jam receperant in suum asceterium moniales discalceatas de Nive, quæque obtinebant ab anno 1435. ipsarum bona, litem moverunt canonicis. Hæc lis composita fuit hoc anno 1443. ab Antonio Corrario cardinale dicto Bononiensi, & episcopo Ostiensi, qui declaravit ecclesiam & monasterium sanctæ Mariæ de Nive cum creditis Montis, & cum bonis intra urbem Florentiæ pertinere ad abbatiam Fesulanam, bona autem extra urbem spectare ad moniales sanctæ Agathæ, cum obligatione tamen ipsis imposita recipiendi intra monasterium suum duas insuper moniales sancti Martini a Cojano, quarum asceterium copulatum fuerat ab eodem Eugenio præfatæ canonicorum abbatiæ. *Actum anno* M. CCCC. XLIII. *indictione* VI. *die* II. *julii in ecclesia monasterii sanctæ Agathæ de Florentia*. Monasterio sanctæ Mariæ de Nive adjunctum fuerat anno 1383. die XIX. novembris indictione VII. permittente Simone abbate Vallumbrosano, alterum monasterium sancti Hieronymi de Florentia ordinis sancti Benedicti Vallis-umbrosanæ congregationis, situm in populo sancti Georgii, Paula abbatissa sancti Hieronymi cum septem monialibus transeunte die octava decembris ad monasterium sanctæ Mariæ Intemeratæ, ubi recepta fuit a Nicolosa abbatissa, & a Michaele abbate Fabrori; cujus unionis instrumenta autographa servantur in eodem monasterio sanctæ Agathæ.

[a] Pag. 471.

De unione monasterii sanctæ Ursulæ ad illud sanctæ Agathæ consulantur, quæ congessimus ad annum 1363. illud unum addentes in relictum asceterium sanctæ Ursulæ ingressas fuisse ad habitandum moniales de observantia sancti Francisci.

Demum tertium monasterium, quod anno 1435. ab Eugenio adjunctum fuit florentiori sanctæ Agathæ, appellabatur sancti Silvestri Sanctucciarum. Originem huic parthenoni dedit anno 1300. Johannes Melioris Giraldi de Claramontensibus canonicus Florentinus, qui donavit religiosæ mulieri Sanctucciæ abbatissæ generali congregationis Sanctucciarum ordinis sancti Benedicti terram in populo sancti Laurentii in loco dicto Campo-regio & Cruce de via. Primus lapis benedictus fuit nomine capituli Florentini a plebano sancti Johannis, vacante episcopatu ob mortem Francisci Monaldeschi. Possessionem loci accepit Martha monialis sanctæ Mariæ-magdalenæ Burgi-sancti-Sepulcri ejusdem congregationis. Plurium annorum spatio pietate floruit sancti Silvestri monasterium, sed collabente disciplina, relictaque supperstite abbatissa cum una moniali, Eugenius ipsum adjunxit eodem anno 1435. monasterio sanctæ Agathæ, ecclesiam autem & locum donavit societati archangeli Raphaelis. Locus deinde transiit ad fratres Montis Asinarii sive Montis-Senarii ex bulla data Florentiæ die XXIII. aprilis anni 1438. quam memorat Gamurrinius [b]. Ipsam ecclesiam & locum beneplacito apostolico Alexandri VI. anno 1493. tandem obtinuit Jannotius Pandulphinius episcopus Trojæ, qui postea permittente Leone X. anno 1517. 28. maji, & 1520. undecima februarii, super ecclesiam & locum palatium erexit familiæ suæ, opus Raphaelis Urbinatis, e regione monasterii sancti Lucæ, servans tamen oratorium sancto Silvestro papæ dicatum cum epigraphe, ut narrat Strozzius.

[b] T. V. pag. 126.

OBIIT

Ann. Chr. 1443. XII. Obitus Benedicti abbatis S. Zenonis Pisarum.

Obiit hoc anno Benedictus Lancius Foro-liviensis, olim prior generalis Camaldulensis ante Ambrosium, abbas deinde ab ipso electus sancti Zenonis urbis Pisarum. Corpus ejus conditum fuit in peculiari cenotaphio cum hac epigraphe in tabula marmorea super illud sita.

HOC. TVMVLO. JACENT. CINERES. ET. OSSA. RECLVSA
BENEDICTI. ABBATIS. MONASTERII. SANCTI. ZENONIS
QVI. X. ANNIS. GENERALIS. ANTE. CAMALDVLENSIS
TOTIVS. ORDINIS. GRATIA. FVIT. OMNIPOTENTIS
QVI. SVA. CLEMENTIA. PERDVCAT. AD. REGNA. SVPERNA
EIVSDEM. ANIMAM. AETERNA. QVIETE. FOVENDAM.

In superiori vero cenotaphii circulo legitur: ✠ CARITATE. LECTOR. AD. CHRISTVM. ✠ PRO. ME. SIS. ORATOR. ✠ 1443. Benedicti abbatis sancti Zenonis memoria etiam superest in tabulis archiepiscopatus Pisani, cum vicarium generalem egerit in eadem curia.

Ann. Chr. 1444. XIII. Et Sandelli abbatis Carcerum.

DECESSIT præsenti anno Franciscus Sandellus abbas sanctæ Mariæ de Carceribus; electus fuit in ejus locum a conventu monachorum ipsius cœnobii Petrus Boldù monachus, non abbas, ut habet Fortunius, sancti Michaelis de Muriano, recusantibus dignitatem Nicolao priore Camalduli Veronæ, & Benedicto Zane altero monacho sancti Michaelis, qui electi a capitulo monachorum Carcerensium die vigesima-secunda aprilis præesse refugerunt. Verum Eugenius IV. Romanus pontifex attendens, quod locus principalis ordinis Camaldulensis, nempe eremus Camalduli, per priorem regi consuevit, habensque in optatis, ut præfatum Carcerum cœnobium, sicut etiam nonnulla alia dicti ordinis cœnobia, pro ipsorum conservatione, ac ut in eis laudabilis & regularis observantia continuo vigere & incrementa suscipere valerent, simul unirentur in congregationem, suppressit in ipso abbatialem dignitatem, volens, ut de cetero perpetuis temporibus haberetur tamquam prioratus conventualis, & per priorem triennalem gubernaretur, qui a priore generali ordinis confirmationem obtineret. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno M. CCCC. XLIV. quarto idus maji pontificatus sui anno XIV. Eadem die Martino archiepiscopo Corphiensi, Hermolao Barbaro electo Tarvisino episcopo, & priori sancti Mathiæ de Muriano dedit in mandatis, ut electum Petrum Boldù priorem triennalem mitterent in possessionem ejusdem monasterii. Die quinta-decima julii sub excommunicationis & privationis pœna, ac in vim obedientiæ salutaris præcepit eidem Petro Carcerensi priori, ut cum uno sui monasterii socio ad diem Exaltationis sanctæ Crucis mense septembris interesse deberet in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Bononia ad requisitionem Francisci prioris generalis ordinis, nimirum, ut in eo loco ageretur de reformatione congregationis Camaldulensis, & de constituenda nova monasteriorum unione. Demum nono kalendas augusti commisit præfato Martino archiepiscopo Corphiensi tunc Venetiis residenti, & plebano sancti Pantaleonis Venetiarum, ut recuperare satagerent ad petitionem ejusdem Petri prioris & conventus Carcerum bona dicti monasterii, quæ Hieronymus & Ludovicus Matthæi de Sandellis fratres olim Francisci abbatis, aliique laici viri Castellanæ diœcesis contra fas usurpaverant. Hæc ex monumentis ejus monasterii in codicem redactis.

Ann. Chr. 1444. XIV. De uniendis monasteriis Camaldulensibus in congregationem.

a §. *Brevia* 59. *A.* 5. 16.

Quoad breve Eugenii, quo præcipiebatur Petro priori accessus ad urbem Bononiensem pro habendo capitulo ordinis, simile legitur denuntiatum die quinta julii Felici de Pavonibus priori sancti Mathiæ de Muriano, aliudque universale [a] die septima septembris pontificatus anno XIV. omnibus abbatibus Camaldulensibus, ut electo de consilio monachorum socio, cum ipso se conferrent Bononiam ad monasterium sanctæ Mariæ-angelorum die sanctæ Crucis, tum ad negotia ordinis tractanda, tum ad ineundam monasteriorum unionem ad instar recentis congregationis sanctæ Justinæ de Padua monachorum nigrorum. Paulus Venerius abbas sancti Michaelis de Muriano in obsequium hujus Brevis congregavit capitulum suorum monachorum, sed monachi reverenter suscepto mandato literarum apostolicarum, respondendum censuerunt tum propter infirmitatem sui abbatis neminem mitti debere ad capitulum generale, tum etiam unionem eo temporis non esse opportunam, sed monasteria, quæ in observantia disciplinæ jam vigebant, in eo statu debere permanere, nihilque esse innovandum; atque ea super re instrumentum conscribi fecerunt patribus congregatis Bononiæ per Christophorum priorem sancti Martini de Opitergio, die sexta septembris; ut legitur in tabulario Fontis-boni [b]. Inter epistolas collectas a Mauro Lapi legitur epistola Lucæ Carducii prioris Angelorum Florentiæ ipsi Mauro scribentis die 22. septembris, Franciscum priorem generalem accessisse ex Urbe Florentiam cum breve sanctissimi papæ, de uniendis monasteriis & prioratibus, & de reducendo regimine ad trium annorum spatium. Id tamen minime præstitum fuit hoc anno ob longiorem moram Francisci generalis in curia Romana, sed dilatum post biennium.

b §. *Mandatum* 85. *A.* 5. 15.

XV. Unio ecclesiarum monasterio Vallis-castri præcepta ab Eugenio IV.

Prædictus Romanus pontifex pridie idus decembris anno pontificatus sui quarto-decimo commisit abbati monasterii sanctorum Laurentii & Eustachii de Sancto-severino Camerinensis diœcesis, ut quandoquidem monasterium Vallis-castri tenues redditus habebat, qui duodenario monachorum numero alendo non sufficiebant, & insuper reparatione indigebat, ad petitionem Johannis Valle-castrensis abbatis adjiceret ad id monasterium & uniret ecclesias sine cura sancti Salvatoris de Lanciano, & sancti Patrignani de Colcello castri Genghæ ejusdem diœcesis, quæ pertinere noscebantur ad collationem & dispositionem prædicti abbatis & conventus Valle-castrensis.

Legitur sub hoc anno Senatus Veneti consultum de erigendo monasterio sancti Johannis de Judaica in hospitale. Bonacursius de Benedictis ex testamento mandaverat, ut apud ipsum monasterium hospitale erigeretur, quod deinde fluxu temporis ex humanarum rerum conditione extinctum fuit, ipsiusque ædes in pii sodalitii usum conversæ fuerunt anno 1430. Quum autem circa ea tempora cogitasset Senatus de magnifico in urbe hospitali ædificando, ad subsidium infirmorum aliorumque pauperum & miserabilium personarum, nullum pio operi opportuniorem locum invenit, quam locum monasterii sancti Johannis de Judaica, in quo decrevit hospitales ædes erigere, quod tamen ignotis de causis nulla habuerunt exordia. Senatus-consultum prostat in supplemento [c] ad ecclesias Venetas Cl. senatoris Flaminii Cornelii, cujus etiam sunt superiora verba.

c *Pag.* 35.

Ann. Chr. 1445. XVI. Aliarum ecclesiarum unio dicto monasterio in capitulo Fontis-boni.

Franciscus prior generalis Camaldulensis ceterique definitores congregati hoc anno in capitulo generali congregationis habito in Fonte-bono, quorum nomina sunt Augustinus Major, Thomas eremita, Antonius abbas Berardingorum & sancti Vigilii, Johannes abbas Vallis-castri

Ann. Chr. 1445.

& sancti Blasii de Fabriano, Philippus abbas sancti Hilari de Galeata, & Jacobus abbas sancti Salvatoris Camalduli Florentini, ad petitionem supradicti Johannis abbatis Valle-castrensis & Fabrianensis sancti Blasii, unitas voluerunt ejus monasterio sancti Blasii plures ecclesias suffraganeas hujus cœnobii, solitasque gubernari per monachos ejusdem monasterii, nimirum ecclesiam sancti Petri de Muscano, ecclesiam sancti Stephani de Valle Montis-agnani, ecclesiam sancti Laurentii, ecclesiam sanctæ Mariæ de Colle-peco in territorio Fabriani, ecclesiam sancti Paterniani, ecclesiam sancti Angeli de Rosenga in territorio Genghæ, ita tamen ut abbas sancti Blasii curam spiritualem earumdem ecclesiarum committeret duobus ex suis monachis magis idoneis. Facultas concessa a capitulo scripta est per manum Nicolai prioris sanctæ Mariæ de Balneo & cancellarii die XXIV. novembris anni Domini M. CCCC. XLV. indictione VIII. ex archivo sancti Blasii de Fabriano in Appendice.

XVII. Abbatia Urani sublata Camaldulensibus, paulopost restituta.

MALEVOLORUM calumniis monasterium Uranense in territorio Britonoriensi ab ordine Camaldulensi abstrahitur hoc anno, & adjungitur ordini canonicorum sancti Marci de Mantua, abrogato Bartholo abbate, & commissa executione literarum apostolicarum Venturæ de Abbatibus episcopo Britonoriensi. Datæ sunt literæ apud sanctum Petrum kalendis junii anni M. CCCC. XLV. [a] Sed quamprimum ab eodem Eugenio ordo Camaldulensis in eo monasterio restituitur; qua occasione legitur sub annis sequentibus Johannes a Ferro monachus Camaldulensis prior & rector ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis Britonorii, quæ cœnobio Uranensi subjiciebatur. Posthac tamen in commendam monasterium abiit, reperimusque abbates commendatarios hujus cœnobii Baptistam Zenum cardinalem sub Sixto IV. Franciscum cardinalem Borgiam, Petrum-franciscum Cinughium Senensem, Vespasianum Ghiberti Cæsenatem, hominem litibus addictissimum, qui clandestine abbatiam obtinuit, sub quo ordo Camaldulensis plura dispendia toleravit, monasterium jacturam bonorum & substantiarum, chartarum quoque fecit, & præcipue jus decimarum, quas dono dederat olim Ægidius episcopus Foro-popiliensis, & demum ædificiorum, quæ in ruinam miserabiliter ierunt.

a *Fort. P. I. Lib. II. cap.* 19.

Cum negligerent vel Franciscus prior generalis, vel Petrus prior sanctæ Mariæ ad Carceres monachorum numerum & familiam constituere in Carcerum cœnobio, Eugenius anno XV. sui pontificatus Francisco priori denuntiavit, quod, nisi citius de monachis provideretur, iterum ipsum monachis pulsis restituere intendebat canonicis regularibus sancti Augustini antiquis habitatoribus ejus loci; ex tabulario Fontis-boni [b].

b §. *Brevia* 60. *A.* 5. 19.

XVIII. Moniales Quercetanæ translatæ in monaster. S. Agathæ Florentiæ.

IDEM pontifex monasterium sanctæ Mariæ de Querceto monialium Camaldulensium tradidit hoc anno hospitali sancti Johannis-baptistæ, quod appellabatur *Bonifacii*, conditi scilicet a Bonifacio Ugolotti Lupi Parmense marchione Soragnæ & equite, qui ipsum fundaverat una cum alia domo hospitali anno 1377. perfecerat autem anno 1387. unum pro viris, alterum pro mulieribus in via sancti Galli. Moniales vero Quercetanæ superstites translatæ fuere ad sanctæ Agathæ asceterium, ampliato illarum ædificiis hospitale Bonifaciano; hinc ad hodiernam diem cœmeterium, in quo humantur cadavera obeuntium in dicto hospitali, denominatur *Quercetum*.

XIX. De abbatia Vangaticiense, & de Mariano Cartusiano.

EXCESSIT e vita hoc anno Antonius Corrarius cardinalis Bononiensis dictus, episcopus Ostiensis, & monasterii Vangaticiensis abbas commendatarius. Dies ejus obitus in urbe Patavina fuit decima-nona januarii, humatusque fuit in ecclesia sancti Georgii de Alga Venetiarum apud suos canonicos, quorum

ANN. CHR. 1445.

quorum olim auctor fuerat. Electus est in abbatem Vangaticiæ Ludovicus Scarampus, Mediarota de Arena vocatus a familia materna Patavina, qui ex medico factus patriarcha Aquilejensis, legationibus multis perfunctus, duxque exercitus pontificii in Etruria contra Vicecomitem, debellatoque duce Picinino prope Anglarium, creatus fuerat anno 1440. a Romano pontifice Eugenio S. R. E. cardinalis presbyter tituli sancti Laurentii in Damaso.

De Mariano monacho Cartusiensi, & uno ex primis habitatoribus simulque primo priore insulæ sancti Andreæ in Litore Venetiarum agunt Johannes de Augustinis [a] in suo opere *de Scriptoribus Venetis*, & Cornelius [b] in suis *Venetis ecclesiis*. Hic Marianum Volaterranum facit patria, professum autem Cartusiæ Florentinæ, ille vero aliquot in medium profert opera ejusdem Mariani. Ex epistola, quam scripsit hoc anno ad Maurum Lapi monachum sancti Mathiæ de Muriano idem Marianus, plura edidit metro. Ipsam brevissimam subjicimus: *Honorando in Christo tamquam patri domno Mauro ordinis Camaldulensis Venetiis in sancto Mathia de Muriano in Christo Jesu æternam salutem. Obsecro caritatem vestram honorande in Christo, ut mittatis per latorem præsentis, videlicet Angelum de Imola librum nostrum in metris; nam certis causis necessarius est mihi his diebus. Nam quidam venturi sunt hic ad videndum & examinandum, ut antequam moriar, corrigatur quidquid in eo apparet corrigendum. In Christo valete. Ex claustro Cartusiensis ordinis in monasterio sancti Andreæ de Litore Venetiarum prima decembris anni* 1445. *Vester in Christo frater Marianus*. Metra, de quibus loquitur, erunt duo poemata Latina, quæ dicavit Petro Donato episcopo Patavino, alterum contra poetas lascivos, alterum de septem Verbis Domini in cruce pendentis. Excerpta horum poematum habemus in bibliotheca nostra: Synopsis autem & argumentum primi poematis indicatur his versibus:

Pastorem Patavum metris his excitat auctor
Turpibus ut pulsis de Christi plebe poetis
His sacris epulis commissum pascat ovile.

Subjunguntur varia epigrammata tum in Sanctorum honorem, tum in laudem celebrium virorum. Tomo secundo [c] codd. Taurinensium codice DC. II. folio 36. adnotantur Mariani Cartusiensis monachi carmina de *Morte & de Laudibus B. M. V.* Vivebat Marianus etiam anno 1448. quo ipsius meminit Franciscus Barbarus in epistola ad Johannem-franciscum monachum alterum Cartusianum.

Mentionem ingerit sub hoc anno Fortunius [d] monasterii Camaldulensis mulierum, quod appellabatur Genistæ apud Montem-varchium tamquam subjecti parthenoni sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone. Ad illud missa fuit, quæ titulo abbatissæ moniales regeret, Helena Bischeri monialis Buldronensis. Lucas Carduccius ex priore Angelorum Florentiæ abbas factus sancti Savini de Pisis locum fecit Gaspari Johannis de Deis, qui per tria triennia subinde confirmatus Angelorum monasterium rexit.

XX. Obitus abbatis Panormitani.

VIVERE desiit hoc anno Nicolaus Tudescus seu de Tudisco Catanensis, qui & Panormitanus ab aliis dicitur, & Abbas antonomastice appellatur. Hic ex auditore Rotæ archiepiscopus Panormitanus & cardinalis a Felice V. pseudo-pontifice in schismate electus, infensissimus semper fuit in synodo Basileensi Eugenio IV. Petrus Ricordatus in Historia Monastica sub die IV. asserit se accepisse ab Antonio Pisano generali Camaldulensi, Nicolaum, antequam ad dignitates evocaretur, fuisse abbatem monasterii nostri Rosæ Senarum, atque adeo ad Camaldulensem familiam pertinuisse.

a T. II. pag. 153.
b Dec. XII. pag. 147.
c Pag. 162.
d P. I. Lib. II. cap. 21.

PRÆ-

Ann. Chr. 1446.

XXI. Prima unio novem locorum congregationis Camaldulensis.

PRÆSENTI *anno* M. CCCC. XLVI. *exciti jam novem ordinis antistites Gometii hortatibus (simul reformatione ac mirifico profectu aliarum congregationum , quæ sanctimonia regulari ac celebri fama totam ecclesiam mirifice illustrabant; idque pontifici tam gratum, quam quod gratissimum fore compertum habentes) de ineunda quoque inter Camaldulenses congregatione tractarunt, emanaruntque literæ a pontifice ad Franciscum generalem, quibus comitia generalia ad sancti Sabini Pisarum indicta sunt , ubi ipsi antistites perpetuis se prælaturis abdicantes statuerunt, ut nemo ipsorum in futurum nisi per triennium præesse posset , singulique redintegrationi regularis observantiæ summo studio sic incumberent , ut monasticæ institutionis nitor æque ubique restitueretur. Porro novem antistites sunt isti; prior Angelorum Florentiæ , & prior sancti Benedicti , abbas sancti Michaelis Murani, & prior sancti Mathiæ, prior Carcerum, abbas sancti Sabini Pisarum, prior Rosæ Senarum , prior Angelorum Bononiæ , & prior sancti Johannis Judaicæ .* Hæc Fortunius [a] ; ex archivo autem sancti Blasii de Fabriano novæ congregationis ratio , legesque fusius declarantur in bulla Eugenii IV. data Romæ apud sanctum Petrum anno M. CCCC. XLVI. decimo-septimo kalendas januarii pontificatus sui anno XVI. qua confirmat præfatorum monasteriorum unionem ad congregationem efformandam , dictam novem locorum. Ait, quod in monasteriis sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano, sancti Savini Pisarum , sanctæ Mariæ de Carceribus , sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia , & sancti Benedicti extra mœnia ejus urbis , & sanctæ Mariæ de Rosa Senarum regularis jam viget observantia; in monasteriis sanctæ Mariæ Angelorum de Bononia & sancti Johannis de Judaica cum viguerit temporibus anteactis , spes indubia effulget, quod poterit introduci ; in iis propterea cœnobiis statuit, quod prælati ad triennium dumtaxat regimen teneant ; quo transacto in capitulis generalibus ordinis , quæ de triennio in triennium etiam de cetero celebrabuntur, renuntient suis prælaturis. Iisdem legibus subjicit monasteria , quæ de novo ad eamdem observantiam reduci contigerit. Statuit pariter, ut in capitulis generalibus, præter generalem priorem & duos eremitas, & præter definitores prælatos, duo monachi non prælati ex prædictis monasteriis eligantur in visitatores usque ad aliud capitulum, qui annuatim ipsa monasteria visitent & reforment , & singulis annis accedant ad eremum Camaldulensem, & simul cum visitatoribus generalibus ordinis disponant, constitutiones novas faciant , veteres tollant , uniant beneficia manualia , omniaque peragant , quæ ad utilitatem eorum monasteriorum vergant , fierique demandetur id , quod majori parti congruum visum fuerit. Clausuram insuper consuetam monasteriorum sanctæ Mariæ de Angelis & sancti Benedicti de Florentia in suo robore permanere , & laudabili instituto decernit. Si aliqua ex iis monasteriis ad egestatem devenerint, reliqua observantia monasteria caritativa subsidia ministrent . Ut autem duobus monasteriis exilioribus dictæ congregationis provideatur, nempe sancti Johannis de Judaica , & sanctæ Mariæ-angelorum de Bononia, unit illi prioratum sancti Viti de Vicetia, isti prioratum sancti Damiani de Bononia, cedentibus vel decedentibus eorum prælatis. Hæcque prima fuit congregationis novæ Camaldulensis , appellatæ novem locorum unio ; quæ tamen morte intercedente Eugenii pontificis, initiis suis sublata fuit , congregationisque ineundæ fervor etiam refriguit , quod nonnulli antistites post triennium rursus ad perpetuas prælaturas redire posse a Nicolao V. qui Eugenio subrogatus est , impetraverint , ut videbimus . Interfuerunt sancti Savini capitulo Franciscus prior generalis, Augustinus major eremi,

Petrus

[a] *P. I. Lib. II. cap. 68.*

Ann. Chr. 1446.

Petrus Boldù prior Carcerum, Christophorus prior Opitergii, Paschasius abbas sancti Sepulcri, Johannes abbas sancti Michaelis de Arretio, qui etiam die nona augusti Petrum de Monte Venetum elegerunt in abbatem sancti Michaelis de Lemo.

XXII. Testamentum Petri Æmiliani episcopi Vicetini.

PETRUS Æmilianus Vicetinus antistes obtinuerat a Romano pontifice Martino V. pridie kalendas martii anni 1422. pontificatus anno quinto facultatem testandi de bonis mobilibus ecclesiasticis ejus dispositioni seu administrationi commissis, quæ tamen non forent Altaris, seu Altarium ecclesiarum sibi commissarum, usque ad summam quinque millium florenorum auri disponendorum pro beneplacito ejus voluntatis in favorem alicujus monasterii vel ecclesiarum divino cultui deputatarum, prius tamen ære alieno soluto, & reparatis domibus seu ædificiis consistentibus in locis ecclesiarum seu beneficiorum suorum, culpa vel ejus negligentia seu ipsius procuratorum deterioratis, & restauratis juribus earumdem ecclesiarum & beneficiorum ejus inadvertentia deperditis. Fidem facit hujus concessionis, quam a Martino obtinuerat Petrus, Eugenius papa IV. anno M. CCCC. XXXVII. quinto-decimo kalendas februarii, pontificatus sui anno septimo. Obierat Petrus anno 1433. die vigesima maji, annoque 1429. octava die aprilis indictione septima Rivoalti testamentum condiderat, in quo præter cetera hæc disposuerat: *Ego Petrus Æmilianus sepeliri volo in loco fratrum Minorum de Venetiis, si capella, quam construere incepi, & ejus fundamenta ibi cepta sunt, erit in tali conditione; alioquin sepeliri volo in monasterio sancti Michaelis de Murano. Item lego suprascripto monasterio sancti Michaelis ducatos mille de imprestitis, quæ nequeant vendi, nec alienari aut obligari in totum, nec in parte, & quod teneantur celebrare omni die Missam unam pro anima mea, & Contarinæ olim uxoris meæ & filiorum nostrorum, qui ibi cum matre sua siti sunt, & aliorum patritiorum domus nostræ, & in illa particula, cum secundo dicitur* Memento etiam Domine, *animam meam & animam suprascriptorum celebrans Deo commendet, & orationes dicat, quæ dici consueverunt pro defunctis, quando dici possunt secundum ecclesiæ consuetudinem. Item lego prædicto monasterio sancti Michaelis ducatos centum de imprestitis pro anniversario meo fiendo omni anno in die obitus mei, vel quam primum apte fieri poterit. Quæ imprestita vendi nequeant, nec alienari in totum nec in partem.* Die vigesima-secunda maji ejusdem anni 1433. apud judices Mobilium in Curia Veneta producta fuit hæc pars testamenti, & a commissariis hæreditatis Petri episcopi acceptata. Successit Petro antistiti in episcopatu Vicetino Franciscus Maripetrus, cui litem movit Paulus Venerius abbas sancti Michaelis de Muriano exposcens, ut per ipsum satisfieret hujusmodi debito, quandoquidem residuarii seu commissarii hæreditatis Petri Vicetini antistitis ipsum denegabant. Obtinuit Venerius post multos litium anfractus ab Eugenio IV. anno 1445. hujusmodi breve. *Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum jam diu sponte nostra, & a te rogati sepe quesiverimus inducere venerabilem fratrem episcopum Vicetinum, ut tibi & monasterio tuo dare vellet illos mille centum ducatos imprestitorum, quos dicto monasterio tuo legavit olim Petrus Mianus predecessor suus, idem episcopus respondit, se, licet nihil tibi aut tuo monasterio ratione predicta deberet, paratum fore ad nostram complacentiam assignare nobis ipsam quantitatem, tibi postea, si vellemus, persolvendam, dummodo ea assignatione facta ab omni litigio, quod tecum, aut cum tuo monasterio haberet, liberaretur. Et tunc subito depositari fecit in civitate Venetiarum predictam quantitatem apud dilectum filium domnum Paulum de Maffeis priorem sancte Marie-*

Marie de Caritate, *prout ex dicti Pauli literis facti sumus certiores; dicit autem nunc dictus episcopus, quod cum tibi esset dicti depositi oblatio facta, tu insuper petis & fructus imprestitorum temporis retroacti, & expensas in litigio factas. Ad que respondet episcopus se nullam imprestitorum summam ex bonis predicti predecessoris sui habuisse, qua ratione fructus dicte quantitatis nullos nisi illicitos dare posset, & de expensis litigii dicit, se, qui injuste fuerit impetitus, nec tamen aliqualiter condemnatus, in nullis expensarum quantitatibus obligari, presertim cum magnas ipse, sicut & tu, expensas fecerit, & speret se, si res ista diutius protrahetur, superiorem litigio evasurum. Et pro conclusione idem episcopus supplicat, ut si tua devotio predictum depositum acceptare, & eum sine alia solutione absolvere recusabit, sibi justitiam fieri committamus. Quare videretur nobis, & tibi bono zelo memoramus atque consulimus, ut dictos mille centum ducatos, aut eorum valorem acceptans, sine aliqua fructuum & expensarum litigii petitione, secum concordes; alioquin nos dicto episcopo justitiam denegare nequibimus. Et tu, qui sepe alias & in hoc ipso negotio litigiorum expensas, incommodaque expertus fuisti, fortassis aliquando poteris intelligere, nostrum hoc consilium fuisse in re tam dubia amplectendum. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo nostro secreto die* XXIV. *januarii* M. CCCC. XLIII. more Bullarum, hoc est 1445. *pontificatus nostri anno quarto-decimo-Blondus*. Hoc proinde anno secuta est compositio inter Maripetrum episcopum & Venerium abbatem, ut ex excerptis sequentis paginæ constat, in qua tota facti series exponitur.

In Christi nomine amen. Anno a nativitate ejusdem M. CCCC. XLVI. *indictione* IX. *die secundo mensis aprilis. Cum esse dicitur, quod reverendus in Christo pater & dominus dominus Petrus Emilianus olim episcopus Vincentinus habuerit facultatem apostolicam testandi de bonis ecclesie usque ad summam ducatorum quinquemillium auri inclusive; cumque etiam dicitur idem rev. dominus Petrus olim episcopus antedictus in suo ultimo testamento testaverit seu legaverit de bonis ecclesie Vincentine usque ad summam ducatorum viginti millium vel circa, & inter dicta legata reliquerit domino abbati, fratribus & conventui sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis & diocesis Torcellane ducatos mille centum imprestitorum, & in ipso testamento instituerit & ordinaverit dominum Faustinum ejus filium & Mattheum & Philippum ipsius nepotes in suos residuarios seu heredes ac commissarios & executores legatorum ejusdem; cumque etiam dicitur, quod predicti dominus Faustinus, Mattheus & Philippus residuarii seu heredes ac commissarii & exequutores antedicti dispensaverunt de bonis dicte ecclesie Vincentine diversis legatariis dicti testamenti circa summam ducatorum quinquemillium, & ultra predictam summam per eos dispensatam apud ipsos executores remanserint de bonis dicte ecclesie Vincentine usque ad summam ducatorum quinquemillium & ultra, prout infrascriptus dominus Franciscus Maripetro modernus episcopus Vincentinus asseruit, premissa omnia ut supra narrata vera esse, ut supra dicitur; cumque prefati dominus abbas fratres & conventus sancti Michaelis de Muriano querentes habere solutionem predicti legati ducatorum mille centum imprestitorum a dictis residuariis* &c. *litem fecerunt contra ipsos residuarios domini Petri Emiliani episcopi* &c. *in judicio seculari, et obtinuerunt sententiam contra predictos de dictis ducatis mille centum imprestitorum legati predicti; cumque etiam predicti dominus abbas, fratres* &c. *quia non poterant legatum predictum consequi et habere contra predictos residuarios* &c. *litem moverunt dicto rev.*

domi-

ANN. CHR. 1446.

domino Francisco Maripetro de dictis ducatis &c. et idem rev. dominus Franciscus modernus episcopus se defenderit, allegando se non esse debitorem, sed predictos Faustinum &c. executores antedictos, apud quos ultra ducatos quinque-millia, quos dispensaverunt, ut supra, remanserunt de bonis dicte ecclesie Vincentine ultra summam ducatorum quinque-millium, prout prefatus rev. dominus modernus episcopus Vincentinus asseruit; & ex premissis longa lis & differentia versa fuerit inter ipsas partes; cumque ipsa lite nondum decisa, sed pendente, sanctissimus in Christo pater & dominus noster dominus Eugenius divina providentia papa IV. per nonnullos stricte dici fecerit, & per breve scripserit prefato domino moderno episcopo Vincentino, quod deberet solvere dictis domino abbati, fratribus &c. dictos ducatos &c. deinde sibi etiam scripserit per Breve illum exhortando, quod deberet solvere dictos denarios dictis domino abbati, fratribus & conventui. Similiter quod etiam prefatus sanctissimus dominus noster scripserit per Breve dicto domino abbati, illum exhortando, quod devenire debeat cum dicto rev. domino moderno episcopo Vincentino ad concordiam & pacem, prout infrascripte ambe partes contrahentes asseruerunt, que quidem relationes & exhortationes sunt ipsis ambabus partibus mandata. Tandem dicte ambe partes &c. parendo relationibus & exhortationibus prefati sanctissimi domini nostri &c., que utrique parti sunt secrete mandata, & que si non essent, ad infrascriptum concordium non devenirent, sed potius utraque pars eventum litis expectaret &c. Eapropter prefatus rev. in Christo pater & dominus dominus Franciscus Maripetro episcopus Vincentinus &c. ex una parte, & nobiles & egregii viri dominus Michael Venerio quondam domini Marini, & dominus Lunardus Venerio quondam domini Marci ambo sindici &c. conventus sancti Michaelis predicti &c. ex alia parte &c. devenerunt &c. ad invicem ad infrascriptam conventionem, &c. videlicet, quod prefati domini &c. sindici &c. per hoc presens publicum instrumentum fecerunt & faciunt finem, remissionem &c. de ulterius aliquid non petendo prefato &c. episcopo &c. de suprascriptis ducatis mille centum imprestitorum legati predicti &c. & de omni toto ac quolibet alio &c. Et ultra etiam fecerunt & faciunt suprascripte ambe partes contrahentes; videlicet prefatus &c. episcopus Vincentinus antedictus ex una parte, & predicti sindici &c. ex alia parte per se & successores suos sibi ad invicem finem &c. & pactum perpetuum de ulterius aliquid non petendo de omnibus et singulis expensis &c. Et hoc ideo fecerunt suprascripti contrahentes &c. quia prefatus &c. episcopus Vincentinus &c. domino abbati, fratribus &c. promittit &c. dare, solvere atque scribi et transactari facere ad cameram imprestitorum communis Venetiarum &c. ducatos mille centum imprestitorum eis legatorum &c. atque promittit suprascriptis sindicis dare et depositare ad omnem instantiam &c. in manibus ven. domini prioris monasterii sancte Marie de Caritate de Venetiis pro pignore et securitate prefati domini abbatis &c. tot pignora auri et argenti bene valentia suprascriptam quantitatem ducatorum mille centum imprestitorum, que stare debeant in suis manibus pro securitate predicta usque ad integram solutionem &c. Et propterea prefati sindici &c. dederunt et cesserunt &c. episcopo predicto &c. omnia et singula jura et actiones &c. que predicti fratres &c. tam contra commissariam quondam nobilis viri domini Faustini Miani olim filii et heredis suprascripti domini Petri Emiliano olim episcopi Vincentini, quam aliam quamcumque personam causa et occasione dumtaxat suprascriptorum ducatorum &c. Actum Venetiis in contrata sancti Angeli in domo habitationis prefati rev. domini episcopi Vincentini, presentibus nobi-

le

le et egregio viro domino Hermolao Donato de contrata sanctae Marie Formose, egregio et sapiente domino Nicola de Columbis decretorum doctore et cive Vincentino &c.

ANN. CHR. 1446.

Ego Antonius Gambaro filius quondam ser Jacobi de Venetiis &c. *notarius* &c. *scripsi et publicavi* &c. Libenter totam facti narrationem produximus ad illustrandam memoriam Petri Æmiliani doctissimi viri, cujus frequens mentio fit in epistolis Leonardi Arretini, Ambrosii, aliorumque celebrium virorum hujus seculi.

XXIII. Historia aliquot monasteriorum.

Cum Petrus Boldù prior sanctae Mariae ad Carceres triennium complevisset sui regiminis, ac laudabiliter in eo se gessisset, Franciscus prior generalis facultatem fecit Felici de Pavonibus priori sancti Mathiae de Muriano confirmandi eumdem ad aliud triennium die XII. augusti hujus anni, Eugenii IV. anno XVI. officii sui anno V. ita tamen, ut denuo secretis suffragiis eligeretur a conventu monachorum ejusdem coenobii, cui praeesset ipse prior sancti Mathiae, auctoritatemque Petro priori Carcerum dedit reformandi monasterium sanctae Mariae de Orbisio, Placidumque priorem, & visitandi alterum sancti Martini de Prata.

Eusebius Mutinensis abbas sanctae Mariae de Florentia commissarius apostolicus & conservator jurium eremi Camaldulensis & membrorum ejus pronuntiavit sententiam contra Bernardum abbatem sancti Justi de Volaterris ad favorem Roberti de Cavalcantibus episcopi Volaterrani in causa litis, an opera & operarii existentes in ecclesia sancti Marci membri dictae abbatiae, ejusdemque operae rationes & redditus subjicerentur episcopo vel abbati; ex tabulario Fontis-boni [a].

a §. *Sententia* 28. *A.* 5. 22.

In cujusdam renovationis pagina abbas sanctae Mariae de Trivio effertur sub hoc anno Johannes Mauritii de Anglia, notario Lombardino olim Ajuti de Lombardinis de Ripretolo pro magnifico & potenti domino Gerardo de Gambacurtis de Pisis vicario Balnei & totius vallis ejus, ac magnificorum filiorum ejus praeceptore. Successerat Johannes Thaddaeo abbati Triviensi, qui legitur sub anno praeterito post Gregorium abbatem, de quo ad annum 1392. Successor Johannis Mauritii ad annum 1462. legitur Patritius Gray de Scotia abbas; ad annos 1470. 1473. & 1493. Prosper Nerii de Pittis Florentinae ecclesiae canonicus & commendatarius monasterii sanctae Mariae de Trivio. Post Prosperum Basilius a Balneo abbas sancti Felicis in Platea Florentiae & Triviensis commendatarius, sub quo abbatia Triviensis extremam cladem perpessa est, ut dicemus.

Vigesima decembris indictione X. *magnifici et potentes domini priores Artium et vexillifer justitiae Florentiae una cum venerabilibus eorum collegiis et officio Regulatorum, ob sinceram et singularem devotionem, quam profitebantur eremo Camaldulensi, et ad hoc ut illa omni tempore praeservetur et augeatur in conservationem et augmentum inclytae civitatis Florentiae, cui diu locus non subditus, sed confoederatus est, seu recommendatus cum ejus territorio, deliberaverunt, quod pro omnibus et singulis bonis et rebus quomodolibet pertinentibus aut necessariis eidem eremo, priori, fratribus eremitis, conversis, ejusque familiae de Casentino nil exigatur, & ea libere extrahi & asportari permittantur. Ego Julianus Iacobi Pieri del Mazza scriba dictorum dominorum.* Apud Ferdinandum Melioris [b].

b *Zibald.* 22. *pag.* 69.

ANN. CHR. 1447.

XXIV. Nicolai V. brevia ad favorem Camaldulensium.

Eugenius IV. bulla data Senis anno M. CCCC. XLIII. sexto idus julii pontificatus sui anno XIII. Gaspari archiepiscopo Neapolitano in civitate Perusina pro Romana ecclesia gubernatori demandaverat unionem prioratus Camaldulensis sanctae Trinitatis extra Perusium cum mo-

ANN. CHR. 1447.

nasterio sancti Severi intra Perusii urbem, quod postremum erat prioratus subjectus abbatiæ sancti Johannis-evangelistæ de Burgo-sancti-Sepulcri; habitaque archiepiscopi relatione univerat; imo cum paulo post dubia exorta fuissent circa validitatem unionis occasione non rectæ æstimationis utriusque prioratus, eamdem sanaverat octavo kalendas maji pontificatus sui anno XV. Verum cum super ea re confectæ non fuissent literæ apostolicæ, tum aliis de causis, tum morte ejusdem Eugenii, quæ contigerat die XXIII. februarii hujus anni 1447. Thomas Matthæi prior sancti Severi confugit hoc ipso anno ad Nicolaum V. qui die VI. martii successor datus fuerat Eugenio, deprecans, ut acta Eugenii super hujusmodi unione rata habere dignaretur. Quare Nicolaus ex Urbe anno M.CCCC.XLVII. quarto-decimo Kalendas aprilis pontificatus sui anno primo confirmavit, quæ acta fuerant a suo prædecessore, iterum utrumque prioratum uniens; ex paginis ejusdem monasterii.

Idem Nicolaus quarto nonas junii anno primo [a] concessit Francisco priori generali facultatem vendendi bona eremi nimis dissita ad valorem florenorum mille, & emendi commodiora, comittens negotium archiepiscopo Florentino. Secunda demum decembris [b] tria eidem Francisco concessit, quæ Leonardus Dathus Senensis procurator ordinis Camaldulensis in curia Romana dicto nomine postulaverat; nimirum ut recipere valeret in suis manibus permutationem duorum beneficiorum tam manualium, quam reservatorum ejusdem ordinis pro una vice, absque solutione alicujus taxationis; Secundo, ut quatuor ex quovis ordine etiam Mendicantium ad ordinis habitum & professionem suscipere posset, quibus beneficia insularum Sardiniæ & Corsicæ perpetuo conferret; Tertio ut monasterium monialium sancti Mamiliani prope Senas reformare fas sibi foret, priore & aliquot monachis ibidem constitutis, & sua integra dote assignata duabus monialibus superstitibus.

a §. *Brevia* 63. *A*. 5. 28.

b *Ibid.* 64. *A*. 5. 29.

XXV. Idem unit monasterio S. Parisii de Tarvisio alterum S. Hieronymi.

MARTINO archiepiscopo Corphiensi Venetiis in Castellana diœcesi residenti mandavit prædictus Romanus pontifex, ut recepta abdicatione Bartholomeæ abbatissæ sancti Hieronymi de Tarvisio ordinis sancti Augustini, ipsam transferret una cum suis monialibus ad monasterium sanctæ Christinæ ejusdem urbis sub Lucia abbatissa, & utrumque monasterium copularet, non quæsita licentia Hermolai Barbari episcopi Tarvisini. Datum Romæ anno M.CCCC.XLVII. quarto nonas septembris pontificatus anno primo. Sublegavit Martinus archiepiscopus Franciscum Gritti plebanum ecclesiæ sancti Pantaleonis Venetiarum, qui die vigesima octobris & suppressit titulum abbatissatus in monasterio sancti Hieronymi, & ipsum perpetuo univit alteri Sanctæ Christinæ, executione tamen hujus rei significata episcopo Tarvisino. Episcopus eamdem facultatem apostolicam sibi concessam affirmabat, quinimmo Bartholomeæ abbatissæ cessionem se recepisse contendebat, ac jam extinxisse titulum abbatialem in eo monasterio, & ipsum concessisse fratribus Ingesuatis a beato Johanne Columbino institutis, qui certiorem statim reddidere pontificem Nicolaum executionis apostolicæ ab episcopo factæ. Romanus pontifex Angelo Patavino priori canonicorum regularium sanctorum Quadraginta de Tarvisio commisit cognitionem causæ, & approbationem facti episcopalis, qui reapse ratum habuit, quod egerat episcopus; quinimmo fratres Ingesuati obtinuere diploma a Francisco Foscari Venetorum duce ad Benedictum Victurium Tarvisii potestatem anno sequenti die XXIII. julii, ut ipsis locum sancti Hieronymi a pontifice concessum traderet, libros autem, calices, ceteraque utensilia monialibus sanctæ Christinæ; sin vero partes gravamina obtenderent, appel-

appellarent ipsæ propriis superioribus. Abbatissa sancti Hieronymi Bartholomæa indebite gravatam, & injuste judicatam se credens, iterum appellavit ad sanctam sedem, quæ die duodecima septembris ejusdem anni 1448. mandavit abbatibus sancti Cypriani de Muriano, & sancti Felicis de Aimanis repetitam causæ cognitionem, obtinuitque eadem abbatissa opem ejusdem Veneti ducis, qui scripsit Carolo Marino Tarvisii potestati die vigesima januarii anni 1449. ut ad tres menses Nicolai breve suspenderet. Sed Ingesuati bullas alias pontificias, alia diplomata ducalia extorquentes perpetuum silentium indixerunt monialibus, & inhibitionem cuicumque judici aliter decernendi, & sub pœna excommunicationis necessitatem monialibus sanctæ Christinæ restituendi intra certum tempus liberum monasterium sancti Hieronymi. Quare commissarii apostolici causam ad Romanam sedem dimisere, quæ deputavit Johannem Jossum auditorem causarum palatii apostolici, inde Petrum Barbum cardinalem diaconum sanctæ Mariæ-novæ, in quem utraque pars compromisit. Cardinalis litem ad quasdam compositiones deduxit, quæ effectu caruere mandatorum defectu. Demum Romanus pontifex die prima julii anni 1449. præcepit episcopo Equilino, ut ad cautionem absolveret moniales sanctæ Christinæ ab excommunicatione, quam incurrissent, & interea retineret fructus bonorum monasterii sancti Hieronymi, reddendos, cui parti competere judicaret cardinalis. Causa finita est, & monasterium obtinuere Ingesuati, moniales vero sancti Hieronymi ad alia monasteria fuere translatæ. Seriem chartarum omnium ad hanc controversiam spectantium edidimus in monumentis monasterii sancti Parisii anno 1748.[a]

a *Num* xxvi. *&c.*

XXVI. Aliarum ecclesiarum unio monasterio Vallis-castri.

Franciscus prior generalis Camaldulensis univit monasterio sancti Blasii de Fabriano prioratum sancti Johannis de Petriolo Firmanæ diœcesis vacantem ob mortem Mariani Angeli de Gualdo postremi rectoris, permittens Johanni abbati Vallis-castri & sancti Blasii inire possessionem ipsius prioratus, qui erat manualis sancti Blasii. Datum prope Florentiam ex monasterio sancti Benedicti anno M. CCCC. XLVII. indictione XI. vigesima-octava novembris pontificatus domini Nicolai V. primo, officii sui sexto. Confirmata fuit præsens unio anno M. CCCC. XLIX. die XV maji indictione XII. in capitulo generali ordinis celebrato in monasterio sancti Savini Pisarum ab eodem Francisco priore generali, ab Augustino Majore, & Nicolao sacrista, & a ceteris definitoribus ejusdem capituli generalis, Bernardo abbate sancti Justi de Volaterris, Johanne abbate sancti Hilari de Galeata, Mariotto abbate sanctæ Mariæ de Deciano, & a Petro Boldù priore sanctæ Mariæ de Carceribus; ex chartis Fabrianensibus.

XXVII. Electio archiepiscopi Cretensis.

Translatus fuerat Fantinus Dandulus hoc anno ex archiepiscopali Cretensi sede ad Patavinam cathedram vacantem per mortem Petri Donati. Egerat Venetus Senatus mense februario post Fantini translationem de eligendo Cretensis sedis archiepiscopo, & in regestis cancellariæ ducalis recensentur ii, qui patrum conscriptorum suffragiis exhibiti fuerunt. Legitur in his primus loco reverendus pater domnus Johannes Contareno monachus in sancto Michaele de Muriano quondam ser Jacobi quondam ser Nicolai militis. Neque tamen ipse, neque alii exhibiti approbati fuere a Nicolao Romano pontifice, qui virtutem doctrinamque Philippi Parutæ episcopi Torcellani perspectas habens, ipsum maluit vacanti ecclesiæ Cretensi pastorem præficere. Johannem Contareno priorem inde fuisse electum monasterii sancti Johannis de Judaica ex monumentis nostris scimus. Superiora exscripsimus ex [b] tomo II. Cretæ sacræ Cl. Viri Cornelii.

b *P. III. pag.* 85.

ANN. CHR. 1447. XXVIII. Maurus Lapi quærit opera Dionysii translata ab Ambrosio.

QUÆREBAT Maurus Lapi opera sancti Dionysii Areopagitæ ex Græco in Latinum translata ab Ambrosio, & inter ceteros exquisierat a fratre Jacobino ordinis Prædicatorum, qui sequenti epistola [a] ex codice monasterii sancti Mathiæ de Muriano, in quo continentur plures Mauri, & doctorum virorum ad ipsum epistolæ, respondit.

Reverende in Christo pater. Post filiales ac debitas recommendationes, propter illud, quod mihi imposuisti, videlicet de translatione librorum beati Dionysii fratris Ambrosii de Camaldulis, ut vobis insinuarem, si Bononiæ haberentur, & si eorum copiam sive transumptum habere possetis; ideo nunc debitum exsolvens taliter vobis respondeo. Nam cum Bononiam advenissem, diligenter exquisivi magistrum Guasparem ordinis nostri, apud quem dixeram me vidisse hos libros, qui respondit non detinere Bononiæ ipsos libros, sed misisse illos Ferrariam cuidam canonico ecclesiæ cathedralis ipsius civitatis Ferrariensis, qui vocitatur D. Octavianus licentiatus in Theologica facultate, quem ego ipse novi a multis retro temporibus, virum bonum, modestum, benignum, & viris religiosis & præcipue nostris permaxime familiarem; qui idcirco præfatos libros expetiit a prædicto magistro, ut eorum similiter transumptum obtineret. Igitur cum ipsa civitas Ferrariensis vobis propinquior sit, ac exemplaria magistri Guasparis, quam exemplum domini Octaviani ibidem habeantur, satis facile habituros vos posse puto transcriptum habere. Si verum ampliorem super hujusmodi negocio declarationem habere cupietis, fratri Thomæ de Trentaquaratis, qui hac quadragesima nuper transacta Muriani prædicavit, poteritis transcribere. Ego enim de voluntate majorum Perusium pergo, nec facile vobis respondere possem. Ipsum autem iter meum & negocia, quæ illic tractaturus sum, quam omnem vitam meam vestris orationibus, filiorum atque vestrorum suppliciter recommendo. Statum quoque Bononiensem, de quo optima & gaudiosa sperantur, simili desiderio deprecor fieri commissum. Dominus noster Jesus Christus rex pacificus & gloriæ perducat vos in æternam suam gloriam, amen. Ex Bononia XXI. *julii* M. CCCC. XXXXVII. *Vester totus filius frater Jacobinus de Bononia totum id, quod est, ordinis Prædicatorum.* Magistri Guasparis ordinis Prædicatorum frequentem mentionem factam vidimus ab Ambrosio tum in Hodœporico, tum in epistolis.

a *Vol. I. pag.* 213.

ANN. CHR. 1448. XXIX. Provisiones aliquot monasteriorum factæ a Nicolao V.

VACANTE ob Philippi obitum monasterio sancti Hilari de Galeata, elegerat Romanus pontifex in abbatem Johannem abbatem sancti Angeli de Vergareto ordinis Camaldulensis Sarsinatis diœcesis; in abbatem autem Vergaretani cœnobii suffecerat Placidum de Boncontibus monachum eremi Camaldulensis. Idibus itaque februarii anni M. CCCC. XLVII. more Florentino, pontificatus sui anno primo Nicolaus V. commisit abbati monasterii sanctæ Mariæ de Trivio Sarsinatis item diœcesis, ut ipsum Placidum in possessionem induceret, ita tamen, ut electus dimitteret parœcialem ecclesiam sancti Silvestri de Fonte-cluso plebanatus Balnei ejusdemque Camaldulensis ordinis, quam tum obtinebat.

Idem vigesima-septima septembris constituit in abbatem sanctæ Mariæ de Agnano Michaelem priorem sanctæ Mariæ de Balneo, qui suffragiis expetitus fuerat a monachis Agnanienfibus ignorantibus apostolicam reservationem; ex tabulario Fontis-boni [b]. Vacabat monasterium Agnaniense per obitum Jacobi de Tornaquinciis.

Sequens Senatus Veneti consultum legitur sub hoc anno in favorem Felicis de Pavonibus in ecclesiis Torcellanis Cl. Cornelii [c] M. CCCC. XLVIII. *die* XX. *junii in Rogatis. Cum domnus Angelus Ciera alias expulsus fuerit de*

b §. *Brevia* 61. *A.* 5. 32.

c *P. III. pag.* 112.

de monasterio sancti Mathiæ de Muriano suis exigentibus demeritis, sicut omnibus notum est. Et modo noviter idem domnus Angelus citari fecerit in curiam Romanam venerabilem domnum priorem dicti monasterii, cujus vita & optimi mores omnibus notissimi sunt: Vadit pars, quod summo pontifici & reverendissimis dominis cardinalibus pro favore dicti domini prioris sancti Mathiæ scribi possit in illa bona & convenienti forma, quæ dominio visa erit. Sed iterum videbimus Felicem ab æmulo impetitum, & tandem in pacifica possessione relictum.

ANN. CHR. 1448.

XXX. Obit Venerius ab. S. Michaelis, sufficitur Maphæus Gherardus.

OBIIT hoc anno die vigesima-prima aprilis Paulus Venerius abbas sancti Michaelis de Muriano octuagenario major, postquam quinquaginta & sex annis quatuor mensibus, & duobus diebus sancte, sollicite & egregie monasterium illud rexisset, quod testimonio Gregorii XII. *facultatibus, ac monachorum & ministrorum numerositate adeo augmentatum existebat, quod in eo regularis observantia vigeret eleganter, divinaque officia ibidem devote & sollemniter peragerentur.* Eugenius autem IV. ipsum, ejusque abbatem Venerium impense diligebat. Præter Romanorum pontificum & Ambrosii prioris generalis elogia de probitate integritate & solertia Venerii testimonium alterum adjicimus Petri Delphini, qui de Maphæo Gherardo Venerii successore agens, hæc de utroque subjungit: *Ut iccirco merito existimandum sit, ipsum maturo consilio hoc præcipue monasterium elegisse, ut eo ferventius redderet Altissimo vota sua, quo districtius instituti monastici in illo propositum servabatur; idque potissimum cura & diligentia patris optimi atque viri integerrimi Pauli Venerii abbatis, qui singulari religione ac pietate per septem & quinquaginta annos in administratione loci perseveravit. Hujus tanti viri provocatus exemplo Gherardus* &c. Plenis itaque monachorum sancti Michaelis suffragiis electus fuit in Venerii successorem Maphæus Gherardus ejusdem monasterii cœnobita. Quandoquidem vero nunc primum de ipso sermonem instituimus, non abs re erit, quæ in ipsius laudem ad epistolam XXVII. libri XI. Delphini ad Antonium Contarenum patriarcham Venetiarum anno 1514. adnotavit Angelus maria Venetus canonicus congregationis sancti Salvatoris & familiaris ejusdem patriarchæ in codice, qui autographus servatur in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. *Maphæus Girardo*, inquit Angelus, *natus nobilibus & præclarissimis parentibus, ex patre quidem Johanne Girardo provisore & oratore pro Veneto imperio agente quam sæpissime, matre vero Christina Barbarigo, familia sane utriusque satis superque ornata pontificibus, nec non publicis decorata muneribus. Huic erat frater nomine Hieronymus, qui eximius juris utriusque doctor optimo pollebat ingenio. Hic nonnunquam pro Veneta republica legationis munus, non minus quam pater, accuratissime susceperat. Verum Maphæus cum cepisset adolescere, videns mundum cum suo flore ad nihilum redigi, omnino contemnere statuit, ordinem Camaldulensem invitis parentibus ingressus, qui locus sancti Michaelis de Muriano nuncupatur. At ut paucis referam, quantum in eo loco Maphæus profecerit, si quis hanc subsequentem epistolam perlegerit, dilucide cognoscet ejus vitæ decursum, quem ita luculenter domnus Petrus Delphinus Venetæ urbis nobilis, ejusdemque ordinis generalis pater descripsit.* Statim autem in medium profert Delphini epistolam, quam ad annum 1492. integram nostris Annalibus inseremus, cuique notas addidit, quæ locum habebunt annis sequentibus. Agebatur interea Romæ de adducenda in commendationem dicta sancti Michaelis abbatia post Venerii mortem; quod pro Dei honore, & devotissimi loci reverentia ægre ferens Senatus Venetus, summo studio apud pontificem maximum Nicolaum V. egit, ut

Maphæus

ANN. CHR. 1448.

Maphæus a monachis auctoritate privilegiorum suorum abbas destinatus, institueretur, & ab apostolica sede confirmaretur. Itaque efformatum fuit sequens Senatus-consultum, quod ex [a] ecclesiis Venetis Cl. Cornelii exscribimus, gloriosum memoriæ tum Venerii, tum Gherardi ceterorumque cœnobitarum ejusdem loci.

a *Indic. pag.* 358.

M. CCCC. XLVIII. *die* XX. *aprilis*. *In Rogatis*.

Cum defunctus sit dominus abbas sancti Michaelis prope Murianum, & ipse locus devotissimus sit, & sentiatur, quod jam quæritur, ut detur ipsa abbatia in commendam, ad quam pro posse occurrendum est ob Dei reverentiam, & pro contentamento civium nostrorum ad eum locum confluentium, in eoque non diminuatur, sed potius augeatur devotio; Vadit pars, quod scribatur summo pontifici in hac forma.

Vacante ecclesia monasterii sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellanæ diœcesis hujus nostræ urbi proxima per mortem ven. patris domni Pauli Venerio, monachi illius monasterii, concorditer una voce, nemine aliud sentiente aut optante, debitis summo Deo supplicationibus porrectis, canonice elegerunt venerabilem patrem domnum Maphæum Gherardo auctoritate privilegiorum suorum in eorum & dicti monasterii abbatem. Et quia genere nobilis, moribus ornatissimus, religione clarus, omni vitæ integritate notissimus, & huic urbi civibusque nostris gratissimus est, quorum observatio, pietas, & devotio, & concursus ad ecclesiam dicti monasterii celeberrimi jam pluribus annis fuit, & in dies optimo exemplo domni Maphæi electi augetur. Sanctitati vestræ supplicamus, ut rejectis ambitiosis petitionibus aliorum, prædictum domnum Maphæum electum invitum, suis meritis, & suasionibus religiosissimi prædecessoris morientis, Beatitudo vestra confirmare dignetur; nam monachi electores experti tempore longioris ægritudinis domni Pauli prædefuncti prudentiam, & domni Maphæi electi sanctimoniam, cupiunt notissimi pastoris auctoritate gubernari. Intelligunt enim perraros reperiri posse, qui tanto patri merito succedant, nisi domnum Maphæum prædictum, qui sub alarum suarum umbra nutritus studiosissimus discipulus magistro simillimus est. Ignotus autem quisquis alius ingratior esset, & morum varietas optima instituta, religiosissimosque cultus posset immutare, cum gravi monachorum scandalo, & hujus urbis indignatione. Decet ergo Sanctitatem vestram, beatissime Pater, & ita eam summopere hortamur & oramus, ut juri, piis monachorum votis, & honestissimis petitionibus nostris libenter annuatis, electionemque Spiritu-sancto celebratam pontificali auctoritate confirmetis.

Et ex nunc captum sit, ut scribatur in convenienti forma reverendissimis dominis cardinalibus Venetis, ut vices nostras interponant, & instent pro intentione nostra prædicta obtinenda.

XXXI. Marcus Cavotorta monachus episcopus Methonensis.

MARCUS Cavotorta monachus sancti Michaelis de Muriano assumptus fuit hoc anno ad episcopatum Methonensem. Hæc de ipso habet in episcopis Methonensibus idem senator Cornelius [b]. *Marcus Cavotorta nobilis Venetus e monacho Camaldulensi episcopus Methonensis eam ecclesiam regendam suscepit die* III. *junii anno* 1448. *sic enim de ipso legitur in regestis Vaticanis:* III. *nonas junii* 1448. *Marcus de Cavotortis monachus sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis fit episcopus Methonensis, post translationem Gabrielis episcopi ad ecclesiam Justinopolitanam. Vir hic religiosus, dum in sua Camaldulensi congregatione laudatissime se gereret, anno* 1447. *die* XIV. *aprilis ad episcopatum Feltrensem propositus fuit in comitiis Veneti senatus, ut notant regesta cancellariæ ducalis, in quibus hæc habentur:*

b *Pag.* 141.

M. CCCC. XLVII. *die* XV. *aprilis*.

Infra-

Infrascripti fecerunt se scribi ad probam episcopatus Feltrensis.
Omissis aliis.

ANN. CHR. 1448.

Ven. domnus Maurus Cavotorta quondam Hieronymi ordinis Camaldulensis.

Quum autem episcopum Feltrensem Nicolaus papa V. *declarasset Jacobum Zenum subdiaconum apostolicum, non multo post Justinopolitani cives ad vacantis ecclesiæ suum regimen postularunt domnum Marcum Cavotortum ob spectatas virtutes & vitæ integritatem clarissimum, utque voti sui compotes fierent, Senatus Veneti patrocinium ad obtinendam ejus confirmationem implorarunt. Assensere patres conscripti, latoque decreto, ut pro approbatione hujusmodi electionis Romam mitterentur epistolæ statuerunt.*

M.CCCC. XLVIII. *die* XXIII. *aprilis in Rogatis.*

Cum fidelis communitas nostra Justinopolis humiliter dominio nostro supplicari fecerit, ut pro confirmatione fienda per summum pontificem de venerabili domino Marco Cavotorta electo per ipsam communitatem in episcopum illius civitatis. Vadit pars, quod in complacentiam ipsius civitatis, attenta virtute & integerrima vita suprascripti venerabilis domini Marci, auctoritate hujus consilii scribi possint in curiam Romanam tam ad summum pontificem, quam ad reverendissimos dominos cardinales, sicut necesse fuerit, pro obtinenda confirmatione suprascripta.

Elegit pontifex tamen ad vacantem Justinopolis episcopatum Gabrielem de Gabrielis, tunc episcopum Methonensem; ne autem preces Veneti senatus in irritum cedere viderentur, ipsius Gabrielis in sede Methonensi successorem declaravit Marcum Cavotortam superius citati anni 1448. die XI. decembris. Triennio inde evoluto exhibitus fuit Marcus Cavotorta episcopus Methonensis in senatu Veneto ad episcopatum Vicetinum die X. junii anno 1451. ad quam tamen ecclesiam non transiit, Methonensemque regere perseveravit. Ad meliorem vitam translatus est circa annum 1459. quo electus fuit in Methonensem episcopum Angelus Fasolus. De Marco Methonensi agunt & Leo Allatius, & Michael Lequienius, ille exercitatione IX. in Creyghtonum [a], hic vero in Oriente Christiano [b].

In ecclesia sancti Gregorii de Urbe legitur sub hoc anno hujusmodi inscriptio sepulcralis: *Hic requiescit corpus venerabilis viri magistri Ecrardi de Amenibug] canonici ibidem, ac palatii apostolici notarii, qui obiit die* XXIV. *mensis augusti anno Domini* M.CCCC. XLVIII. *cujus anima requiescat in pace.*

a *Pag.* 157.
b *Col.* 1035. *T. III.*

ANN. CHR. 1449.

XXXII. Capitulum generale in S. Savino Pisarum.

CELEBRATUM fuit præsenti anno mense majo capitulum generale congregationis Camaldulensis in monasterio sancti Savini Pisarum. In eo plura statuta fuere ad bonum ordinis regimen facientia. Inter cetera Franciscus prior generalis una cum definitoribus sancivit eligenda esse loca & monasteria regularia in cultioribus urbibus, ad quæ mitterentur juvenes, ut studiis incumberent. De ea re verba faciemus annis sequentibus. Unitum pariter fuit in ipso capitulo monasterium sancti Benedicti de Arretio cum prioratu sancti Clementis ejusdem urbis, ita tamen ut cedente vel decedente abbatissa sancti Benedicti longæva, dignitas abbatissatus in eo parthenone extingueretur, integræque dotes restituerentur duabus monialibus superstitibus, nullaque deinceps monialis in ipso monasterio susciperetur; ex tabulario Fontis-boni [c], manu Leonardi Dathi Florentini notarii & scribæ dicti capituli.

c §. *Unio A.*5. 34.

De mandato Martini de Bernardinis archiepiscopi Corphiensis & in Venetiarum urbe residentis, qui a sede apostolica delegatus fuerat, convocato capitulo monachorum sancti Michaelis de Muriano, præsente & requirente Maphæo Gherardo abbate electo ejusdem monasterii anno præterito,

ANN. CHR. 1449.

lectæ fuere die xx. maji hujus anni literæ apostolicæ, quæ confirmabant ipsius electionem a monachis factam; quare ab eodem archiepiscopo sollemniter inductus fuit ea ipsa die in possessionem ejusdem cœnobii. Possessionis instrumentum integrum ad Appendicem rejicimus.

XXXIII. Epistola Francisci Barbari, in qua præsertim agitur de Petro Sardo.

EDIDIT cardinalis Quirinus inter ceteras Francisci Barbari epistolas epistolam [a] ab ipso scriptam Petro Donato monacho sancti Michaelis de Muriano, quam putat datam anno 1448. sed Johannes de Augustiniis [b] in suo elaboratissimo opere de Scriptoribus Venetis verius existimat datam hoc anno 1449. postquam Barbarus Foro-julienſi præfectura completa, adhuc commorabatur in ea provincia, incertus an Venetias rediret. Ipsam epistolam ex arce Zopolæ scriptam die vigesima-tertia septembris his Annalibus inserimus, quia laudem habet tum electi præsulis Maphæi, tum Petri Sardi seu Corsi monachi sancti Michaelis amicitiæ & necessitudinis piæ vinculo fœderatorum cum Barbaro: *Franciscus Barbarus Petro Donato monacho Camaldulensi* S. *Quia literarum officium est, absentes quemadmodum præsentes facere, & mutuo sermone, quasi sale, condire desiderium amicorum, scribendi nobis argumentum deesse non potest, si id, quod coram agere distantia locorum non possumus, per epistolam familiariter agamus. Quid autem illud sit, breviter exponam. Postquam inanes sunt plerumque cogitationes nostræ & fragilitas humana non sinit, ut videamus, quæ nobis sint salutaria, videtur esse hominis Christiani & vere sapientis seipsum cognoscere, & quantum est in se, inclinare cor suum ad capiendum consilium, quod credit esse laudabilius & acceptius in conspectu Dei. Et quia multa nos fallunt, & a nobis ipsis & a cupiditatibus nostris sæpe decipimur, patrum nostrorum exempla digna imitatione sunt. Eos enim legimus in veteri testamento, qui vel privatim, vel publice de rebus dubiis consultarent, ad prophetas ire, aut ad servos Dei consuevisse, ut ex responsis eorum, quasi ex quibusdam oraculis, sibi rectius consulerent, & magis animarentur ad bene sperandum. Quare cum monachi filii prophetarum appellentur, ut sentiam prophetam in Israel esse, ad quem potius, quam ad Petrum Corsum transfugiam, qui jam tot annos ita vivit in illo monasterio, ut conversatio sua potius in cœlo, quam in terris esse videatur, & in corpore quodammodo sit extra corpus, & abjectis curis terrenis ita emineat foras, ut Angelorum, non hominum, consuetudine delectetur, cui ecclesia, cui cella, cui solitudo paradisus, & amœnissimum semper diversorium fuit. Et ne in re minime necessaria plura complectar, ab adolescentia usque ad senectutem eodem tenore severitatis ita se gessit, & nunc etiam gerit, ut assiduitas, & instantia orationis, silentium & officium ejus forma quædam & doctrina quietis & vitæ monasticæ sit. Quæ cum ita sint, apud hunc sanctum virum, & apud abbatem, qui mitis est & humilis corde, & apud monachos nostros, qui Deo tecum serviunt, intercede, ut orent Dominum Deum nostrum ad dirigendum consilium meum secundum voluntatem suam, quia cum diu fuerim in hac provincia, & post administratam præturam satis quoque diu cum imperio peregrinatus sim, si Deo placeret, de reversione mea cogitarem. Sed quia propter pestilentiam dubius sum, quid agendum sit mihi, nec bene confidam de humanis consiliis, quæ plerumque non respondent expectationi, valde mihi gratum erit, ut cum in meditatione exardescet ignis, oratio fiat, sicut dixi, ut Deus inclinet cor meum ad obediendum ei, & ad deliberandum, sicut placet sibi. Cum fiducia autem ingrediar aut egrediar, si mihi notam fecerit viam, in qua ambulem. Vale. Ex arce Zopolæ IX. kalendas octobris* M. CCCC. XLVIII.

a Pag. 139.
b T. II. pag. 103.

XXXIV. Aliquot monasteriorum monumenta.

HOC anno cum Massaccienses oppidani id maxime optarent, ut ordinis Minorum

Minorum fratres apud se haberent, Nicolaus V. literis ad ipsum populum datis, quibus pium hoc illorum desiderium magnopere commendat, ecclesiam Camaldulensem eremi de Mandriolis & ædes adjacentes Minoritis adjudicavit. Apud Sartium in Cupra-montana [a].

Ann. Chr. 1449.

a Pag. 86.

Idem Nicolaus anno M. CCCC. XLVIII. stylo bullarum, hoc est anno M. CCCC. XLIX. idibus januarii pontificatus sui anno secundo Leonardum, alias Marcellum, ordinis fratrum Prædicatorum constituit in abbatem monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, quod vacabat ob mortem Sagacis episcopi Cavensis, cui Martinus V. commendaverat præfatum cœnobium post obitum Johannis quondam abbatis; ex Bullario eorumdem fratrum Prædicatorum. Ughellius [b] ex Cavensi & Carpentoratense ecclesiis translatum asserit anno 1446. Sagacem ad Spoletanam [c], decessisse autem anno 1448.

b T. III. pag. 267.

c T. I. col. 615. 1268.

Dominicus Thomæ de Castilione prior eremi ad Vivum cum consensu Antonii Piccolominei abbatis Berardingorum & sancti Vigilii Senarum vicarii prioris generalis Camaldulensis locavit hoc anno hospitale ad Bricolam contiguum hospitali sancti Peregrini ordinis Camaldulensis; ex archivo monasterii Rosæ [d]; ex eodem [e] Franciscus prior generalis commisit Josepho Tessagli abbati sancti Mamiliani Montis-christi, ut omnia hospitalia posita in diœcesi Arretina reduceret ad eamdem eremum de Vivo, excluso Jacobo archipresbytero Montis-politiani, cui fuerant locata plura ex ipsis.

d Num. 297.

e Num. 278.

In monasterio Montis-crucum territorii Patavini lapis visitur ad hodiernam diem, in quo legitur: *Lapide antica della casa Obizi posta in questa chiesa l'anno* 1449. *e fatta rinovar da me Roberto degli Obizi l'anno* 1678.

ERECTUM fuerat in civitate Pisana hospitale novum, in quo exercebantur opera pietatis, & susceptionis pauperum & peregrinorum. Ipsius erectionem decreto suo firmaverat Martinus papa V. & per aliquot annos a piis viris rectum fuerat. Verum cum per quemdam Ludovicum Massaferam hospitalarium hominem perditorum morum deturparetur loci illius honestas, Eugenius IV. commiserat ad triennium curam & administrationem ejusdem hospitalis abbati sancti Savini de Pisis ordinis Camaldulensis, & priori Cartusiæ de Calci. Nicolaus V. precibus priorum & collegiorum Pisanæ civitatis hoc anno M. CCCC. L. pontificatus sui tertio die quarta januarii confirmavit ad aliud triennium loco abbatis sancti Savini abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum, & Calcis Cartusiano priori administrationem ipsius hospitalis, proviso Ludovico hospitalario de bonis ejusdem. Die XXVII. januarii abbati sancti Michaelis notus factus fuit tenor hujus brevis. Prostat in Appendice.

Ann. Chr. 1450.

XXXV. Aliquot Nicolai V. brevia pro Camaldulensibus.

Idem Romanus pontifex quarto kalendas martii pontificatus sui anno III. ratas habuit, novoque robore firmavit indulgentias concessas visitantibus ecclesiam sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia ad diem septimam januarii ab Eugenio IV. qua ipsa die ille anno 1442. personaliter accesserat ad ecclesiam & monasterium supradictum. Confirmavit etiam aliam Eugenii largitionem adeuntibus dictam ecclesiam in festivitate sanctorum Prothi, Hiacynthi & Nemesii; ex archivo ejusdem cœnobii.

DAMNA plurima illata fuerant basilicæ Classensi sancti Apollinaris extra muros Ravennæ ab hominibus Sigismundi Malatestæ principis Ariminensis. Tradit Cæsar Clementinius [f] in historia Ariminensi Sigismundum revertentem ex Lombardia cum suis gentibus excrustasse ecclesias sancti Severi & sancti Apollinaris extra Ravennam, nulla justi & honesti habita ratione,

XXXVI. Direptio ecclesiarum S. Apollinaris & S. Severi in Classe.

f Pag. 368.

Ann. Chr. 1450.

tione, lapidesque pretiosos Ariminum asportasse ad perficiendum templum sancti Francisci a se inchoatum. De eadem direptione utriusque templi hæc habet Rubeus [a] ad hunc annum: *Sigismundus Malatesta Venetarum copiarum ductor, postquam superiori anno divi Apollinaris Classensis templum rebus sacris aliquot spoliasset, unde Franciscus Foscarus Venetiarum dux ab Johanne Francisco Bratio & Antonio Calbo oratoribus Ravennatibus monitus ad Stephanum Trivisanum tunc prætorem præfectumque Ravennatem scripserat, diligenter curaret, ne templum illud dirueretur, divi Apollinaris ejusdem Classensis divique Severi templa tabulis e marmore, quibus incrustabantur, ducentis aureis nummis abbati numeratis spoliavit, ut Arimini divi Francisci sacram ædem ornaret. Ea tum cœnobia Aloysio Patavino divi Petri ad Vincula etiam abbati commendata.*

a Lib. VII. pag. 633.

Sed præstat ex autographo monasterii Classensis clarius rem dignoscere, ex conventione nimirum hoc anno secuta inter Sigismundum Malatestam, & inter monasterium Classense, ac communitatem Ravennatem, quæ est hujusmodi.

Aluvisius de Putheo abbas venerabilis monasterii sancti Apollinaris in Classe extra muros & prope Ravennam, & Sapientes ad utilia pro excellentissima communitate Ravenne, cum presentia tamen, voluntate & omnimodo consensu magnifici & generosi viri domini Dominici Diedo pro serenissimo & excellentissimo ducali dominio Venetiarum &c. *honorabilis potestatis & capitanei civitatis Ravenne, volentes satisfacere petitioni magnifici & excellentis domini armorum capitanei domini Sigismundi Pandulphi de Malatestis Arimini* &c. *ex eo quod superiori tempore per nonnullos ex gentibus suis, dum in agro Ravennatensi essent, cum gravi jactura, dispendio & damno sacratissimi templi sancti Apollinaris in Classe antedicti ex ipso subtracti fuerint, amoti, exportati & fracti nonnulli lapides marmorei, & seu alterius generis lapidum, qui & decus, & ornamentum ejusdem sacri templi, & nunc deformitatem esse pie conspicientes. Cumque idem magnificus dominus dicta occasione & pro dicto damno, seu quovis alio ipsi monasterio illato, & pro ipsius restauratione impresentiarum per egregium virum Antonium de Lazaris civem Ravennatem ducentos aureos transmiserit, indeque per ipsum Antonium nuntium in hac parte legatum ipsius domini abbatis datos & numeratos ipsi domino abbati antedicto & in manibus ipsius consignatos. Quare his nostris patentibus literis prefato magnifico domino finem facimus, definitionem, quietationem, & pactum perpetuum de ulterius non petendo, de omni videlicet damno supradicto, & de alio quovis suprascripto templo & monasterio tunc dato & illato, ut supra. Et de dicta quantitate, que dicto monasterio deberetur pro dicto damno & quovis alio, & pro ipsorum restauratione. Promittentes ad abundantiorem cautelam omnium peractorum predicta omnia & singula perpetuo firma & rata habere, & de predictis damnis & de aliquo predictorum ullo tempore litem, questionem vel controversiam non inferre, nec inferenti consentire. Hec, ut omnia quibuscumque inspectoribus evidentius clarescant, sigillorum nostrorum, videlicet monasterii nostri, & communis Ravenne, ad perpetuam rei memoriam mandavimus munimine roborari. Datum Ravenne anno Domini* M. CCCC. L. *indictione* XIII. *die vero* XIII. *mensis augusti.*

Desiderius de Spretis notarius Ravennas de mandato suprascriptorum scripsi.

Adsunt signa utriusque sigilli in cera deperditi.

Sed majus sacratissimi templi damnum fuit posteriori tempore sub Philippo Calandrino S. R. E. cardinale, dicto Bononiensi, & commendatario abba-

abbatiarum unitarum sancti Apollinaris & sancti Severi in Classe. Monumentum hujus rei habetur in eodem archivo Classensi ex pagina anni 1480. circiter, in qua hæc leguntur: *Reverendissimus in Christo pater dominus Philippus episcopus Portuensis abbatias & conventus monasteriorum sancti Apollinaris de Classe & sancti Severi extra muros Ravennæ ordinis Camaldulensis conventuales invicem per antea unitas, tunc vero abbatis perpetui ultimi & immediati possessoris ejus morte vacantes habuit in commendam, & ecclesias prædictas & monasteria, quam possessiones ad eas pertinentes in bono statu invenit; suppellectilem quoque innumeram, armenta etiam & greges, & multa, quæ hic explicata non sunt, probari autem poterunt, cum oportuerit, & cum multis multisque annis eas tenuisset, ac possessiones perdi, ædificia ruere, ecclesiam fœnile permisisset fieri, ne quod prætermitteretur, quod ad earum damnum excogitari posset, illustrissimo domino Sigismundo Malatestæ domino Ariminensi marmora & tabulas porphyreticas & serpentinas in ecclesia sancti Apollinaris prædicti existentes vel dono, vel quod deterius fuisset, pretio dedit, vel saltem per incuriam asportari permisit, intantum, ut prædictus illustrissimus dominus quadam nocte ultra centum plaustra ad monasterium Classense transmissa ex decrustatis ecclesiæ parietibus oneraret, ac de illis postea ecclesiam sancti Francisci, quam Arimini ædificaverat, decoraret. His ita gestis præfatus reverendissimus dominus cardinalis vel fastidio, vel conscientia motus* &c.

Ann. Chr. 1450.

XXXVII. Miracula beati Angeli Gualdensis eremitæ.

Spectant ad hunc, & proxime præteritos & sequentes annos hæc miracula intercessione beati Angeli Gualdensis eremitæ patrata.

Contigit etiam anno Domini M.CCCC.XLVI. *Bartholomæum Antonii Matthæi habitatorem Gualdi Capipergensis comitis Francisci, & per dies* XIII. *in obscuro carcere communitatis Sancti-Severini in compedibus ferreis et ligneis retineri, qui captivus quadam nocte cum socio suo in eisdem compedibus captivato devote se recommendans cum lacrymis beato Angelo Gualdensi, vigilando vidit ad unum latus dicti carceris apparere lucem ad modum unius magni circuli colorati, ad instar Iris in nubibus tempore pluvioso apparere solet, et in medio quemdam fratrem monachum flexis genibus orantem, quem credidit fuisse beatum Angelum, cui tunc et per ante devote se recommiserat, postquam eadem nocte per armigeros fuit de dicto carcere eductus idem captivus cum socio, ut ducerentur alio, sed mane facto cum captivi ex porta Sancti-Severini ducerentur, fuerunt per gentes ecclesiæ ad intrandum tunc terras Sancti-Severini præparatas liberati potenter a manibus illorum, qui illos ducebant, et alios captivos, dimissosque se liberos, meritis et interventione beati Angeli Gualdensis professi sunt, potius quam humano succursu, Deo et Sancto huic debitas gratias referentes.*

Evenit etiam in Gualdi oppido de mense martii et quadragesima quodam sero anni M.CCCC.XLVII. *populum dicti oppidi per particulares Guelforum & Gibellinorum inter se divisum invicem ex insperato ad seditionem cum armis in magna platea ante ecclesiam sancti Benedicti, in qua corpus beati Angeli requiescit, convenire, et simul acriter cum armis præliari, ita quod tunc perditionis invicem præliantium imminebat patens periculum, et ab utrisque partibus stragem ærumnosam, subito per medium illorum quidam in habitu unius eremitæ monachi, qui a cunctis, qui ibi fuerunt præsentes, existimabant fuisse beatum Angelum protectorem populi Gualdensis, visus est pertransire, post cujus transitum immediate quælibet partium a conflictu cessavit omnimode, et pacifice quicumque fuere ad suas domos illa nocte reversi, et in crastinum perinde ac si vespere præcedenti nihil mali vel dissidii inter eos accidisset, pacifice conversati sunt, et de casu, quod sic accide-*

ANN. CHR. 1450.

accideràt, & sic subito sedatum scandalum fuerat, invicem amicabiliter locuti sunt, precibus & interventu hujus beati Angeli hoc factum fuisse arbitrantes.

Nobilis vir Raynaldus Sanctucius Acti habitator oppidi Gualdensis anno Domini M. CCCC. XLVIII. *testatus est se in sua domo habere neptem parvulam filii sui natam unius anni, & sic collocatam in toto suo corpore, quod nullum membrum, nisi ab alio moveretur, excepta lingua, poterat movere. Cum eidem Raynaldo, & ejus uxori suaderetur a pluribus, ut pro salute recuperandæ dictæ parvulæ ad medicos haberent recursum, ambo vir & uxor concorditer hoc se nolle facere dixerunt, sed potius Deo, & meritis, & precibus beati Angeli Gualdensis voverunt, & inde dicta parvula cepit movere membra sua, & per se ipsam voce propria, clare & intelligibiliter se ipsam recommendare beato Angelo, & sic quia postmodum cepit se substinere & incipere ambulare, & de bono in melius se habere, beato Angelo suo motu & ore proprio frequentius se recommendans nocte dieque.*

Accidit ita hoc anno M. CCCC. XLIX. *de mense martii quemdam adolescentem Petrum nomine filium Bartholomæi de Crema habitatorem Gualdi in meridie in quodam agro extra murum Gualdensem fodiendo laborantem dixisse, sibi laboranti beatum Angelum Gualdensem in habitu monachi eremitæ cum diademate perfulgido in capite apparuisse, atque dixisse: Dimitte hoc opus; spolia te, & nudus disciplinando te cum corrigia tua clamando alta voce:* Misericordia, misericordia, *vade per medium Gualdi, & usque ad ecclesiam sancti Benedicti, & dic ex parte mea cunctis habitatoribus, ut simili modo, sicut tu, faciant & clament ad Deum, & liberabuntur a pestilentia, quæ tam acriter eos tribulat. Obediendo hic adolescens incontinenti se spoliavit, & intrando per portam Gualdi, portam sancti Benedicti nuncupatam, per medium dicti oppidi se continue fortiter disciplinando, & alta voce clamando continue:* Misericordia, *processit usque ad ecclesiam beati Benedicti prædicti oppidi; diabolus autem in forma nigri asini, antequam ingrederetur portam prædictam, sibi fuit obviam, & se opponebat ibi, ne ultra procederet, sibique voce humana dixit: Fatue quo vadis? residensque monachus sibi dixit beatus a longe clamando: Vade, fac quæ dixi. Cumque ad prædictam ecclesiam pervenisset, plures viri & mulieres illum secuti sunt, & quidnam hoc esset scire voluerunt, quibus per ordinem omnia, quæ viderat & audierat, narravit, & plurimi disciplinare se, & clamare ad Deum* Misericordia *cepere, & continuaverunt, & ab inde in dicto oppido cepit pro illo anno cessare pestilentia, et totus populus Gualdensis inflammatus ad devotionem huic eorum patrono et defensori beato Angelo, ceperunt facere ædificare ex lapidibus et calcina devotum oratorium et cellam congruam pro recipiendis eremitis in illo loco solitario, in quo fuit cellula, in qua dies suos hic beatus Angelus finivit, ad laudem et gloriam Domini Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu-Sancto vivit et regnat Deus omnipotens per omnia secula in Sanctis suis semper mirabilis et gloriosus, amen.*

Cum M. CCCC. L. *de mense octobris in partibus Italiæ maxima vigeret epidemia, et maxime in civitate Pisauri, et in provincia Marchiæ Anconitanæ, de qua civitate vir quidam egregius Britius nomine, qui uxorem duxerat a Callii civitate, videns eamdem suam uxorem dicto morbo in sanguine percussa taliter, cum esset gravida de mensibus septem, quod per tres dies naturaliter laborans in extremis in extasi stetit muta, cæca et surda, audiens mirabilia, quæ Deus omnipotens ostenderat in sancto servo suo beato Angelo, cujus reliquiæ in ecclesia sancti Benedicti de Gualdo Nucerinæ diœcesis honorifice reponuntur, eidem sanctissimo Angelo recommissam fecit*

omni

omni spe & fiducia evadendi, sine medicorum cura, promittens cum masculo suo et cum oblationibus devotissime visitare. Die vero sequenti factum post votum filium peperit sanum & incolumem, & liberata ab omni pestifero morbo restituta fuit pristinæ sanitati per gratiam Dei omnipotentis, ac precibus beati Angeli monachi atque venerabilis eremitæ, quare Deo gratias agens, ejusdem reliquias, ut promiserat, cum debitis oblationibus devotissime visitavit.

Ann. Chr. 1450.

Alio quoque tempore et M. CCCC. LVII. *mense octobris etiam filius supradicti Britii habebat quamdam suam filiam, quæ fuit tam gravi ægritudine fatigata, quod per quindecim dies stetit cunctis viribus destituta, adeoque nullum membrum præter linguam per dictum tempus movere potuit; qua ex re dictus Britius illam beato Angelo devotissime recommisit, promittens, quod si sana infra terminum quindecim dierum illam suis precibus liberaret et meritis a tanta ægritudine, peregrinationem faceret ad ejus reliquias. Facto vero voto precibus ejusdem Angeli venerabilis eremitæ, illa restituta fuit pristinæ sanitati, et ab omni dolore et ægritudine liberata sine aliqua medicorum cura et ingenio; viso tanto miraculo ab omnibus domesticis et vicinis, qui prius erant increduli, attoniti Deo et beato Angelo gratias cum fletibus præ gaudio reddiderunt.* Hic est finis legendæ sancti Angeli. Videantur, quæ diximus de scriptoribus vitæ beati Angeli ad annum 1270.

Ann. Chr. 1451.

XXXVIII. Commissiones aliquot Nicolai V. pro monaster. Camaldulensibus.

EX tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia quarto-decimo kalendas aprilis pontificatus sui anno quinto revocavit Romanus pontifex Nicolaus V. unionem olim factam a Balthassare Cossa, Johanne XXIII. monasterii sancti Johannis-decollati de Saxo Arretinæ diœcesis cum eodem cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum, ipsaque die scribens episcopo Arretino providit ipsum monasteriorum Saxi de persona Gregorii Berti prioris sancti Angeli de Nasciano Camaldulensis ordinis & ejusdem Arretinæ diœcesis, ad hoc ut ad reparationem intenderet monasterii Saxensis, ita tamen ut depositis albis Camaldulensium vestibus eum habitum deinceps gestaret, qui ante eam unionem consueverat gestari in abbatia Saxi, simulque ad commodiorem hujus abbatiæ reparationem ad decennium retineret etiam prioratum Nasciani, qui ab abbatia Rotensi dictorum ordinis & diœcesis dependebat. Sed octavo kalendas julii ejusdem anni ex relatione fide dignarum personarum, ac præsertim ex literis venerabilis fratris Antonini archiepiscopi Florentini intelligens, quod monasterium ipsum sancti Johannis-decollati jampridem eidem cœnobio Angelorum pro sustentatione dumtaxat ipsius fuerat unitum, & monachi Angelorum non fuerant causæ ruinæ dicti loci, quæ provenerat tum ex antiquitate, tum ex hominum malitia ante præfatam unionem, quinimmo quod in parœciali ecclesia & membris dictæ abbatiæ Missæ & alia divina officia celebrabantur, possessionesque non fuerant alienatæ in perpetuum, sed concessæ solummodo ad certum tempus emphyteutis, reversuræ postea ad monasterium, volens providere indemnitati monachorum conventus Angelici, revocavit pristinas literas suas in forma Brevis, aliasque ad episcopum Arretinum, & mandavit archiepiscopo Florentino & episcopis Fesulano & Polensi, ut auxilium præstarent monachis Angelorum ad recuperandum monasterium, simul etiam contra Gregorium recens a se electum priorem, & operam darent, quatenus pacifica possessione monasterii Saxi gauderent. Eidem archiepiscopo Florentino commisit die quarta-decima martii pontificatus anno V. idem Nicolaus, ut reciperet resignationem commendationis abbatiæ Rotensis factam a Francisco priore generali, cui tamen servaretur

ANN. CHR. 1451.

varetur pensio quinquaginta florenorum, & insuper præficeret eidem monasterio Rotensi abbatem amovibilem ad nutum dicti prioris generalis; ex archivo Fontis-boni [a].

a §. Brevia 66. A. 5. 4.

Angelus Ciera jamdudum prior sancti Mathiæ de Muriano ante decennium coram Gometio priore generali Camaldulensi libere dimiserat regimen ejusdem monasterii, locumque fecerat ad electionem novi prioris in persona Felicis de Pavonibus monachi sancti Michaelis de Muriano, qui tum sub Gometio, tum sub Francisco ejus successore in suprema ordinis dignitate tempore Eugenii pacificam obtinuerat monasterii possessionem. Sub Nicolao V. ambitione ductus Angelus falso suggesserat eidem Romano pontifici, quod injuste per Felicem prioratu spoliatus fuerat; quare idem pontifex causam cognoscendam commiserat Petro Martini de Caveis-rubeis capellano suo & causarum palatii apostolici auditori, qui judicaverat pro Angelo contra Felicem, & pontificias literas pro recuperando prioratu Angelo confici fecerat. Sed admonitus Nicolaus Angelum falsa relatione extorsisse judicium, ac insuper vi & potentia ad monasterium accessisse, & Felicem expulisse, hujus postremi precibus inductus iteratam causæ cognitionem hoc anno M. CCCC. LI. nonis junii pontificatus v. commisit Martino archiepiscopo Corphiensi, Laurentio Justiniano episcopo Castellano, & plebano plebis sancti Geminiani Venetiarum, præcipiens, ut veris existentibus narratis Felicem denuo in quietam monasterii sancti Mathiæ possessionem immitterent & Angelum coercerent, ac quocumque jure privatum declararent.

XXXIX. Idem Minoritis concedit monasterium de Mandriolis.

b Pag. 101.

Hoc ipso anno pridie nonas julii guardiano & fratribus ordinis Minorum in territorio Massaccii Æsinæ diœcesis commorantibus concessit prioratum sancti Jacobi de Mandriolis sequenti bulla, cujus partem subjicimus ex apographo archivi ad divi Laurentii Massaccii apud Sartium de Cupra-montana [b]. *Cum itaque nos nuper abominabilem sectam quorumdam malignantium hominum Fratrum seu Fraticellorum de Opinione vulgariter nuncupatorum, quæ procurante factore malorum operum in Massaccio Æsinæ diœcesis, & nonnullis aliis castris, terris, villis ac locis Marchiæ nostræ Anconitanæ, proh dolor! invaluisse dicitur, de medio tollere, ac illorum fluxum pestiferum, ne virus insanabile & perpetuum nocumentum Fidelium cordibus inferre possent, totis viribus extinguere cupientes, post nonnullos auctoritate nostra contra quosdam ex dictis pestiferis hominibus habitos processus, sperantes quod per vestram laudabilem ac religiosam vitam, & fructuosas, quas sub singulari observantia viventes incessanter ad populos funditis prædicationes, vestro ministerio omne hæresis hujusmodi fermentum expurgabitur .... unam domum vestri ordinis pro vestro usu & habitatione in præfato castro Massaccii seu in ipsius territorio in loco utique ad id habili & idoneo fundari & construi decreverimus; & sicut accepimus, si prioratus sancti Jacobi delle Mandriole ordinis Camaldulensis in territorio dicti castri Massaccii consistens, quem dilectus filius Venantius Nicolai de Saxo-ferrato ipsius prioratus prior obtinet, & qui cum illius ecclesia in ruina existit, ipsam videlicet ecclesiam cum structuris circa illam, si quæ sunt, & spatium terræ seu nemoris quantitatis seminaturæ unius sarcinæ grani mensuræ illarum partium pro fundatione & constructione domus hujusmodi .... vobis concederetur, vos inibi unam domum cum ecclesia, campanili & aliis necessariis officinis de nonnullis bonis quorumdam hæreticorum alias per nos seu auctoritate nostra damnatorum, vobis ad hujusmodi fundationem assignatis, ac Christi-fidelium eleemosynis fundaretis ...... in dicto prioratu præfatum ordinem Camaldulensem extinguimus, dictumque Venantium ab illo, absque tamen alicujus infamiæ nota, quoad ecclesiam videlicet, & circa illam structuras, &*

spatium

spatium terræ seu nemoris prædicta dumtaxat amovemus, vobisque assignamus &c. *Datum Romæ apud sanctum Petrum A. D. Incar.* M. CCCC. LI. *pridie idus julii anno* V.

ANN. CHR. 1451.

XL. Aliquot historica simul collecta.

TERTIA novembris lata fuit sententia ad favorem ecclesiæ Camaldulensis eremi Bononiæ pro uniendis ipsi eremo monasterio & ecclesia sanctæ Mariæ de Ravone. Paschasius scilicet judex delegatus a Bessarione episcopo Tusculano S. R. E. cardinale Nicæno dicto in civitate Bononiæ apostolico legato, ad instantiam Josephi prioris monasterii sanctæ Mariæ de Camaldulo prope Bononiam, contra Adarotum decanum & canonicos sancti Michaelis de Leprosetto declaravit hospitale sanctæ Mariæ de Ravone prope Bononiam jamdudum eidem monasterio per Bonifacium IX. unitum, legitime fuisse adjunctum, nec ejus adversarios ullum in idem hospitale jus habere; ex archivo Seminarii Bononiensis [a].

Marinellus seu Marcellus de Urbe abbas sancti Gregorii in Clivo-scauri, consentientibus suis monachis, tradidit ecclesiam sanctæ Fortunatæ extra muros Sutrii, quæ subjiciebatur dicto monasterio, & ad præsens disrupta erat, & pene solo æquata, Sancti de Capranica diacono Sutrinensi, ut eam infra terminum quatuor annorum reparare, ac divina in ea officia persolvere faceret; sub annua pensione septem Florenorum: Anno M. CCCC. LI. indictione XV. die X. septembris pontificatus Nicolai V. anno V. ex codice ejusdem monasterii [b].

a *Fascic.* I. *num.* 3.

b *Pag.* 199.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi M.CCCC.LII. *ad annum* M.CCCC.LXI.

ANN. CHR. 1452.

I. Fundatio parthenonis S. Catherinæ de Cæsena.



EGITUR in chronico Cæsenate, quod Violanta Feltria uxor Dominici Malatestæ Camaldulenses sanctimoniales Cæsenam hoc anno advocaverit, ubi ipsis ædificari curaverit asceterium & ecclesiam sub titulo sanctæ Catharinæ virginis & martyris; in fornice aræ maximæ prostat hæc inscriptio: *Malatesta Novellus Pandulphi filius Malatestæ nepos dedit anno Domini* M.CCCC.LII. Multa pietate vixerunt & vivunt sub instituto & habitu Camaldulensi, sed episcopo subjectæ hæ moniales; & anno 1505. ipsarum colonia deducta fuit ad oppidum sancti Archangeli in territorio Ariminensi, ubi alterum fundarunt Camaldulensium virginum monasterium. Consecrata fuit sanctæ Catharinæ ecclesia anno 1535. ex sequenti monumento: *Anno* M.D.XXXV. *die* IV. *novembris. Ego Laurentius de Sanctorellis episcopus consecravi ecclesiam & altare hoc in honorem sanctæ Catharinæ, & reliquias S. Alexii confessoris, S. Mauri episcopi, S. Vitalis martyris in eo inclusi. Singulis Christi-fidelibus hodie & anno & in die anniversarii consecrationis hujusmodi templum visitantibus* XL. *dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta concedimus*. Laurentius de Sanctorellis non reperitur inter episcopos Ughellianos. Constitutiones observant moniales factas præsertim sub finem seculi præteriti a Johanne-casimiro Denoff S.R.E. cardinali, & episcopo Cæsenate.

II. De Ludovico Angelorum monacho, & de Gregorio abbate S. Gregorii de Urbe.

VIVEBAT hoc tempore Ludovicus monachus Camaldulensis filius comitis Rainerii filii comitis Tancredi de Porciano, qui anno 1442. vestem monasticam assumpserat in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & ante emissionem professionis donationem omnium bonorum suorum fecerat Jacobæ & Agneti comitissis sororibus suis. De Ludovico verba facit etiam Mannius in opere de Sigillis [a], ubi Jacobam uxorem Johannis de nobilibus Montauti de Barbolanis facit, Agnetem autem conjugem Johannis Brancaleoni domini de Plovico. Gregorius Farullius in historia chronologica monasterii sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ Ludovicum

[a] T. *V. pag.* 77.

vicum monachum factum scribit die prima januarii anni 1443. die autem XXV. julii transiisse ad cœnobium sancti Savini Pisarum, obiisse vero mense martio anni 1452. Sed Admiratus junior supervixisse asserit Ludovicum saltem ad annum 1455. indictionem quintam diem dominicam & nonam novembris, qua affirmat ipsum ut procuratorem comitissæ Jacobæ hominibus Porciani finem fecisse de dote & alimentis relictis a comite Nerio seu Raynerio comitissæ Franciscæ uxori suæ & matri tam ejusdem Ludovici, quam comitissarum Jacobæ & Agnetis suarum sororum.

Ann. Chr. 1452.

Gregorius Amatisco monachus congregationis Montis-oliveti abbas eligitur monasterii sancti Gregorii de Urbe. Secundus Lancellottus hæc de eo habet [a]: *Sub ea ætate Nicolaus V. pontifex maximus Gregorium Amatiscum Romanum Olivetanum in Urbe renuntiat abbatem sancti Gregorii. Tacent de illo monumenta Olivetana; loquitur tamen satis honorifice epitaphium in eodem templo sancti Gregorii, marmore in solo legitur incisum ad dexteram aræ maximæ: Gregorio Amatisco Romano e congregatione Montis-oliveti, in qua annis XXXIV. pie sancteque vixerat, in abbatem sancti Gregorii Urbis Romæ a Nicolao V. summo pontifice electo licet invito & recusanti. Paulus pontifex, curante Matthæo Saxo Amatisco faciundum mandavit ob ejus castissimam vitam sanctissimosque mores, & restitutum egregia impensa monasterium. Vixit annos LXXI.* Gregorium abbatem memorat etiam Belfortius [b]. Idem Lancellottus addit *sub Johanne-baptista Podio-bonitiensi præside ab eodem Nicolao pontifice fratrem Hippolytum Romanum in sancti Gregorii abbatem electum fuisse*; fortasse ante Marcellum; nam Gregorii mentio fit in codice Gregoriano ad annum 1453. quo die duodecima januarii acta leguntur in causa inter Gregorium abbatem, & Pandulfum comitem Anguillariæ super castro Guidonis; fit mentio ejusdem ad annum 1461. die enim XXVIII. maji ejus anni ipse locat tertiam partem castri de Sancto-vito diœcesis Narniensis Archangelo & Matthæo Anselmi de Scottis. Quare sub Nicolao V. Romano pontifice locus esse non potest Hippolyto post Gregorium abbatem. Rursus ad annos 1445. & 1441. vidimus Marcellum seu Marinellum abbatem sancti Gregorii. Superest ergo, si Hippolytus sub Nicolao regimen tenuit ejus monasterii, ut ipsum tenuerit ante Marcellum, tempore Sagacis episcopi Cavensis & Spoletani, qui erat abbas commendatarius, præfueritque tamquam abbas regularis. Quoad causam monasterii Gregoriani cum comitibus Anguillariæ, jam ab anno 1448. decimo-quarto kalendas januarii pontificatus sui anno secundo commiserat Nicolaus papa V. Roberto episcopo Volaterrano vicario suo per almam Urbem ipsiusque districtum ejus causæ cognitionem inter Marcellum abbatem sancti Gregorii, & inter Pandulphum, Jacobum & Felicem ex comitibus de Anguillaria circa castrum Guidonis Portuensis diœcesis, quod Sagax olim episcopus Spoletanus, & Gregoriani monasterii commendatarius iisdem comitibus ad censum annuum contulerat. Ante causæ cognitionem Roberto vita functo, rursus idem pontifex transtulerat ejusmodi causæ discussionem in Berardum Herulum episcopum Spoletanum vicarium æque Urbis, qui pro monasterio sancti Gregorii sententiam dixit, comites vero de Anguillaria ad restituendum castrum condemnavit. Appellavit Pandulphus ad ipsum Romanum pontificem, qui judicem constituit Alphonsum Seguram Mudoniensem, vel Mindoniensem episcopum auditorem sacri palatii, qui judicium Berardi confirmavit. Iterum provocavit Pandulphus, obtinuitque in judices Berardum de Rosso, & Bernardum Roviram decretorum doctores & palatii apostolici causarum auditores, tandem obtinuit Johannem episcopum Portuensem

[a] Pag. 46.

[b] Pag. 95.

ANN. CHR. 1452.

ſem, qui ſuperiores ſententias ratas habuit hoc anno 1452. viceſima decembris, pontificatus Nicolai V. anno ſexto.

Veneti, ne Claſſenſe ſancti Apollinaris monaſterium uniretur capitulo canonicorum Ariminenſium, ſtrenue agunt hoc anno apud Romanum pontificem Nicolaum, qui bullas unionis jam confecerat, & per literas tertio kalendas aprilis Foſcarus dux Benedicto Venerio prætori præfectoque mandavit, ne quemquam accipere poſſeſſionem cœnobii ſineret, ut legitur apud Rubeum [a].

a Lib. VII. pag. 633.

ANN. CHR. 1453. III.

Plura Nicolai V. brevia pro Camaldulenſibus.

ROMANUS pontifex Nicolaus precibus Petri Boldù prioris ſanctæ Mariæ de Carceribus commiſit Franciſco Gritti archiepiſcopo Corphienſi Martini ſucceſſori, & reſidenti in urbe Venetiarum, ut ad augendum divinum cultum in dicto monaſterio prioratum ipſum elevaret ad dignitatem abbatialem, ut fuerat ex conceſſione Martini V. ſub Franciſco Sandello abbate, munuſque benedictionis impenderet ipſi Petro. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno M.CCCC.LIII. decimo-ſexto kalendas maji pontificatus ſui anno ſeptimo.

Die octava julii idem Nicolaus inſtrumentum ceſſionis, quo Petrus abbas ſanctæ Mariæ de Fullina viſitationem monaſterii ſanctæ Margaritæ de Torcello conceſſerat abbati ſancti Thomæ de Torcello revocavit ad inſtantiam Petri Barbi cardinalis commendatarii ejuſdem abbatiæ de Fullina, atque irritum eſſe decrevit. Ipſe poſtea Petrus Barbus die XXVII. auguſti commiſit Laurentio Juſtiniano patriarchæ Venetiarum curam & adminiſtrationem ejuſdem monaſterii, quod adjunctum ſubinde alteri ſancti Matthæi de Majurbio ad hodiernam diem ſubjicitur patriarchali juri; ex eccleſiis Torcellanis Cornelii [b]. Petri Barbi commendatarii abbatiæ Sanævallis de Fullina prima mentio occurrit ſub anno 1448. in tabulario ejuſdem loci [c].

b P. I. pag. 365.

c Num. 628.

Quinta novembris vacante prioratu generali Camaldulenſi per deceſſum Franciſci prioris, præfatus Romanus pontifex electionem confirmavit rite factam per capitulum dicti ordinis de Mariotto abbate Decianenſe. Datum Romæ anno VII. Mariottus Deciani abbas, & ſub Eugenio IV., cui charus fuerat, puerorum inſtitutor in monaſterio Fontis-boni, Antonii filius ex familia erat Arretina de Allegris. In tabulato domicilii pro advenis in Camaldulo-majori, quod a fundamentis extructum fuit ab ipſo Mariotto, legitur: *Mariottus Arretinus Generalis Camaldulenſis ex genere Malduli natus* M.CCCC.LVII. Maldulus fuit, qui eremum Camaldulenſem donavit ſancto parenti noſtro Romualdo. Die prædicta Nicolaus V. omnibus abbatibus præcepit, ut Mariottum in priorem generalem admitterent, ſimulque ipſa die ad hoc, ut decentius ſtatum ſuum ſervare poſſet, commendavit illi ad decennium abbatiam Decianenſem, & diſpoſitionem fructuum ipſius monaſterii; ex tabulario Fontis-boni [d].

d §. Electio 100. A. 5. 165. 166. 167.

Demum hoc anno die VII. martii pontificatus VI. idem pontifex commiſit Franciſco Gritti archiepiſcopo Corphienſi & Petro Boldù abbati Carcerum viſitationem monaſterii ſanctæ Chriſtinæ de Tarviſio.

Pulſis monialibus ſanctæ Mariæ de Cortina, quæ degebant extra urbem Britonorii, Johannes de Ferro generalis prior ſanctæ Mariæ de Vincareto ipſarum locum ſtatuit deinceps domicilium futurum monachorum.

Franciſcus Foſcari dux Venetiarum die vigeſima-quinta auguſti hujus anni ſcribens Marco Barbo poteſtati Parentii narrat, quod audita per nobiles viros Thaddæum Juſtinianum & Candianum Bollani auditores appellatione facta a communitate Parentii in ſententia lata contra dictam communi-

munitatem ab Andrea Barbadico olim potestate Parentii in causa confinium ejusdem communitatis cum monasterio sancti Michaelis de Lemmo, ipsi auditores confirmaverant præfatam sententiam; proinde ipse dux mandat fidelibus suis observationem dicti judicii, obligans communitatem Parentinam ad solvendas expensas, quas pro hujusmodi lite fecerat abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano, cui subjecta erat altera sancti Michaelis in Lemmo abbatia. Vide Appendicem.

Ann. Chr. 1453.

IV. Obitus Petri de Sardinia monachi S. Michaelis de Muriano.

Ad Deum evolavit hoc anno XIII. kalendas januarii post quadraginta-tres monasticæ conversationis, altissimæ contemplationis & haud interruptæ pœnitentiæ annos in suo sancti Michaelis Venetiarum monasterio beatus Petrus de Massallenis Sardus. Ipsius obitum verbis describimus Mauri Lapi: *Veniamus*, inquit, *ex brevitate ad ultimam nescio quam infirmitatem, quia nec ipse Beatus, neque medici ipsam agnoscebant. Tantum erat, quod oportebat ipsum quiescere contra suam voluntatem; & omnibus ipsum visitantibus & interrogantibus, quomodo & quid haberet: Bene, dicebat, voce illa pecorina, quæ quamdam laxitudinem corpoream habebat, sed non mentalem, quia majora pati desiderabat. Quantas visitationes religiosorum & clericorum, ac nobilium habuerit, audivi, & ego minimus omnium et indignus affui, et audivi cum alacri facie et animo ab ipso illa beata et consueta verba; sed non dubito illum desiderasse jam dissolvi, et esse cum Christo, quia tempus suæ retributionis adesse sciebat, sed ne fratres nimis contristaret, et alios suos multos in Christo amicos, ipsam dormitionem omnibus abscondit, quia videbat, quantam sollicitudinem haberent, ne ipsos corporaliter relinqueret. Medicus ipse suus, qui tam devote et sollicite attendebat, idest magister Pantaleonus, quamvis et alios non dubito affuisse, multa dixit de sua consueta patientia, et alii monachi et fratres sui in Christo, et tale miraculum coram reverendo priore meo aliisque et me recitavit. Ego disposui mittere sibi de meo optimo vino, et ita feci, et mirati sunt valde, quia procedendo in domo sua in portando de illa butte, ultra consuetum, vinum multum duravit, unde ipse et uxor sua et sui familiares putaverunt propter merita istius beati patris Petri fuisse, et beatum se putabat. Paulatim vero appropinquans ad ultimum finem, tam dulciter et suaviter, et alacriter accedebat, quod omnes videntes pariter lacrymabantur, et congratulabantur cum illo. Facta cum abbate generali confessione, et devote sibi portato Sacramento, ipsum sumpsit cum cordiali devotione secundum formam devotam nostræ religionis. Quæ suæ contritiones et devotiones magis erant semper intrinsecæ, quam extrinsecæ, non tamen potuit se abscondere, quando fui ibi, quod ego subtiliter attendens in ipsum, vidi illum angelicas lacrymas fundere sine aliquo strepitu et excreatione, aut nasi mundatione. Veniens autem ad desideratum finem, non pœnando, sed velut obdormiendo quievit in pace, qui in pace et cum pace semper vixit, idest in Christo. Et taliter quod dubitabant tam monachi, quam ipse medicus, quod adhuc viveret, quia calidus erat, et sanguis ex naso exibat, et multum pulcher in facie erat, et consimilia dicunt occurrisse sancto Bernardino. Unde ut se certificaret ipse medicus, aliquas experientias communes fecit; finaliter calidos testos super caput ejus posuit, et sic pro certo ipsum migrasse ex hac valle miseriæ certificati sunt, mœsti et lacrymosi, et plorantes de privatione sancti optimi patris. Et lavato devote ejus corpusculo cum hymnis et psalmis, et orationibus, cum magnis obsequiis, et cum monachis sancti Mathiæ, et procuratoribus, et militibus atque doctoribus, necnon aliis nobilibus ipsum tumularunt. Quidam novitius infirmus petiit ab abbate, ut super suum lectum permitteret ipsum jacere, ut sanitatem recipe-*

ciperet, & ita factum est, ut dicitur. Aliud miraculum, quod scitur ab omnibus verum fuisse, scilicet, quod post ejus obitum & sepulturam ex fama publica ejus sanctitatis ser Benvenutus & ejus uxor de confinio sancti Cantiani, qui filium eorum parvum morientem videntes, vel post partum parvuli, & hoc extitisse ajunt, quando pater ipse migrabat, voverunt ipsum filium ad ipsum patrem beatum, ut suum nomen sibi imponerent, & ita revixit, & suum nomen imposuerunt. Aliud miraculum, quod habui a domino Nicolao monacho dicti monasterii, atque digno vicario prioreque meo, quod ipse mihi luculenter scripsit, ita hic notabo. Vir quidam nobilis de Civitate-Austriæ nomine Antonius de Nordiis cum quadam vice Venetias se contulisset, præfati venerabilis domni Petri sanctitatis fama comperta, devotionis desiderio accensus ipsum videre, ab illoque benedici, ad monasterium nostrum usque pervenit. Cum autem illius adventus & causa reverendo domino abbati nuntiatus fuisset, ut devote poscebat, benigne impetravit. Fruitus vero ad vota, ut optabat, illius gratiosissimo venerandoque aspectu, ac speciali colloquio receptus, illius benedictione maxima cum devotione percepta, viri dicti orationibus humiliter ac instantissime se commendavit. Mirabatur enim valde servi Dei modestiam vultus, & omnium actuum gravitatem ac prudentissimam puritatem, ac profundissimam humilitatem, asserens vere hunc servum esse Dei, seque fama personante de multis pauca didicisse. Quibus ædificatus plusquam fari potest, viri Dei & omnium fratrum orationibus iterum se commendans, lætus ad patriam remeavit. Accidit autem, ut post obitum viri Dei præfatus vir Venetiis existens diro laterum dolore lecto detentus gravissime torqueretur; cum autem nullis medicorum remediis a doloribus liberari potuisset, per duos & eo amplius menses in eadem infirmitate dire detentus esset, cernens dolorem in dies excrescere, seque paulatim consumi, ad finemque perduci, reminiscens viri Dei modestiæ, gravitatis, humilitatis ac sanctitatis, & illius benedictionis, quam super eum olim impresserat, ac confidens plurimum in ejus precibus, statim sanitas rediit, paucisque diebus ad monasterium veniens quid acciderit, abbati fratribusque enarrare studuit, orans, ut viri Dei sibi ostenderent sepulturam, & visa toto corpore super ipsam prostratus, omnipotenti Deo ac viro Dei cum lacrymis gratias referebat. Demum omnium fratrum orationibus se commendans sanus ad patriam remeavit. Fuerunt in die beati Mathiæ apostoli anno M. CCCC. LV.

Sed ipsam epistolam Nicolai monachi ex eodem nostro codice subjicimus.

Copia epistolæ rev. mei patris priorisque domni Nicolai de Thulmetio, quando erat monachus vel prior claustralis sancti Michaelis de Muriano de aliquibus miraculis patratis per beatum Petrum de Sardinia post obitum suum, & etiam in ultima sua infirmitate, sicut vidit & audivit, & credidit.

Optimo atque modestissimo monacho domno Mauro de Florentia in monasterio sancti Mathiæ de Muriano Nicolaus omnium monachorum infimus humillima cum recommendatione.

Venerande pater. Si quod promiseram, non citius exsolverim, precor devotissimam caritatem tuam, ut occupationibus potius quam oblivioni imputare dignetur. Nunc autem captato paululum otii, tuis desideriis satisfacturus, sicut a fide dignis audivi, virtutem seu sanctitatem, quam Dominus meritis venerabilis domni Petri de Sardinia operari dignatus est, tuæ colendæ religiositati pro modulo meo fideliter enarrare curabo. Si quid vero minus congrue dixerim, tuæ prudentiæ correctioni relinquo, rogans, ut accuratius hoc explicare digneris. Res autem, ut mihi revelatum est, sic se habet. Vir quidam

quidam nobilis de Civitate Austriæ nomine Antonius de Nordis, cum quadam vice Venetias se contulisset, præfati venerabilis domni Petri sanctitatis fama comperta, devotionis gratia desiderio accensus, ut ipsum videre, alloqui, ab illoque benedici mereretur, ad monasterium nostrum usque pervenit. Res autem, ut mihi revelatum est, sic se habet. Cum de illius adventu & causa reverendo domno abbati nuntiatum fuisset, quod devote poscebat, benigne impetravit. Fruitus vero ad vota, ut optabat, illius gratissimo venerandoque aspectu, ac speciali colloquio recreatus, simulque sancta illius benedictione maxima animi devotione percepta, viri Dei orationibus humiliter ac instantissime se commendavit. Mirabatur enim valde servi Dei modestiam vultus & omnium actuum, ac profundissimam humilitatem, asserens vere hunc Dei servum, seque personante fama de multis pauca didicisse. Quare plusquam fari potest, ædificatus, viri Dei & omnium fratrum orationibus iterum se commendans, lætus ad propria remeavit. Accidit autem, ut post obitum viri Dei præfatus vir Venetiis existens, diro laterum dolore lecto detentus, gravissime torqueretur. Cum autem nullis medicorum remediis a doloribus liberari potuisset, per duos & eo amplius menses in eadem infirmitate diu detentus est. Cernens vero dolorem in dies crescere, seque paulatim consumi, ad finemque reduci, omni humano auxilio desperatus, divinæ gubernationi atque providentiæ se totum commisit. Cumque sic de solo Dei adjutorio confidens acerbis doloribus infirmus jaceret, pius Dominus illius doloribus miseratus, misit in ejus mentem memoriam venerabilis servi sui; & hoc, ut arbitror, ut illius merita comprobaret. Reminiscens vero venerabilis viri Dei modestiæ, gravitatis, humilitatis ac sanctitatis, & illius benedictionis, quam super caput ejus dictus vir Dei signo Crucis propriis digitis devotissime impresserat, ac de ipsius meritis plurimum confidens, toto mentis conamine oravit Dominum devotissime dicens: Clementissime Deus, debilium sublevator, mæstorum consolator, ac infirmorum liberator immensam pietatem tuam humili devotione deposco, ut meritis & orationibus optimi ac venerabilis servi tui domni Petri de Sardinia, de cujus optimis meritis & sancta conversatione confido, ad laudem & gloriam nominis tui, & ad declarandam & ostendendam illius optimam vitam & sanctam conversationem, simulque illius sanctissima merita comprobanda me confortare & adjuvare, & ab hac dira infirmitate tua pietate liberare digneris. Vere pius Dominus, vere misericors, qui nunquam deest precibus invocantium se in veritate, ipse, qui electos suos exhortari dignatus est, dicens: Petite & accipietis, & omnia quæcumque petieritis Patrem in nomine meo, credite, quia fiet vobis. Sic enim sua benignitate non defuit precibus supradicti infirmi, sed quod fideliter postulavit, efficaciter illico meruit impetrare. Rem enim mirabilem loquor. Statim, ut præfatam orationem suppliciter ad Dominum fudit, dolor omnis cessavit, infirmitas fugiit, sanitas rediit, viresque perfecte recepit. At ubi tam subito mirabiliterque se sensit esse sanatum, plusquam dici potest, exhilaratus, omnipotenti Deo, qui per merita venerabilis servi sui Petri se tam stupende, tamque perfecte sanare dignatus est, immensas gratiarum actiones maxima cum devotione referre pro viribus alacriter curavit, paucisque decursis diebus ad monasterium nostrum veniens, quid acciderit, reverendo abbati fratribusque seriatim lætus statuit enarrare, orans, ut viri Dei ostenderent sepulturam, quam cum sibi ostensam cognovisset, toto corpore supra ipsam prostratus omnipotenti Deo ac viro Dei pro sui corporis sanitate cum lacrymis iterum gratias referebat. Deinde omnium fratrum orationibus se recommendans, sanus & incolumis cum gaudio ad propria remeavit. Hoc enim prodigium a quibusdam fratribus audivi,

ANN. CHR. 1453.

divi, qui de ore sanati, ut supradictum est, se audisse referebant; nam ea die, qua idem ad monasterium venit, sancti Mathiæ celebrabatur sollemnitas, ad quam vocatus cum aliquibus fratribus huic spectaculo interesse nequivi. Hoc ipsum etiam audivi ex ore nobilis & eruditissimi viri domini magistri Pantaleonis physici, qui una cum prædicto viro ad monasterium venit; est enim illius concivis. Hic dominus magister Pantaleon præfatum Dei virum maxima in devotione habebat; conscius enim erat virtutum illius ac optimæ vitæ, & perfectissimæ conversationis. Quaapropter in illius infirmitatibus suo liberali consilio & opere illi subvenire sollicite satagebat. Si autem certior de hoc fieri desideras, ipsum interroga. Hoc enim te postulante, utcumque prolixe, inculteque tuæ direxi paternitati. Tuum autem erit succincte accurateque diligentius exarare. Vale venerande pater, & pro me communem Dominum ora.

Quoad Pantaleonem physicum, legatur præfatio [a] Johannis de Augustiniis in historiam scriptorum Venetorum, ubi etiam affert bullam, quam ipse impetravit a Paulo II. Romano pontifice anno 1470. pro obtinenda erectione cujusdam novæ universitatis. Pantaleonis familia erat de Quaglianis, ipsiusque aliquot epistolæ leguntur inter illas præstantissimi senatoris Ludovici Fuscareni. Quoad vero Nordium Civitatis-Austriæ civem & jurisconsultum a beato Petro Sardo saluti donatum, extant ad ipsum binæ epistolæ Francisci Barbari ex editione cardinalis Quirini [b].

a *Pag.* 53.

b *Pagg.* 69. 76.

ANN. CHR. 1454.

V. Historia aliquot monasteriorum ex bullis Nicolai V.

ABBATIA sancti Johannis-decollati de Saxo Arretinæ diœcesis unita olim monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia per Johannem XXIII. & ex falsis relationibus postea discissa unione in pristinum statum redacta anno 1451. a Nicolao V. iterum literis Antonini archiepiscopi Florentini unita fuerat eidem monasterio ipso anno, ut vidimus. Nuperrime exhibitus fuerat eidem Romano pontifici supplex libellus tum ex parte monachorum conventus Angelici, tum aliorum Camalduli-majoris, ut dignaretur unionem postremam dissolvere, & abbatiam unire monasterio sanctorum Donati & Hilariani Camalduli-majoris nuncupati Fontis-boni pro alendis monachis studentibus in hoc postremo monasterio; quare idem [c] Nicolaus V. die XXVIII. maji commisit Hieronymo de Alleottis abbati sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio, ut executor esset literarum apostolicarum, & uniret abbatiam Saxi cum Fonte-bono; quam unionem die XXIV. julii Hieronymus abbas curavit.

c *Unio* 19. *A.* 5. 25.

Dictus Romanus pontifex anno VIII. vigesima-octava novembris [d] abbati sancti Johannis-evangelistæ de Burgo-sancti-Sepulcri mandavit, ut præficeret monasterio de Tiphio Michaelem priorem sancti Savini de Chio, qui ad decennium etiam retineret in commendam hunc prioratum. Prænarrat autem in bulla ipse Nicolaus unionem factam monasterii de Tiphio cum altero Deciani, pensione ejus antiquo abbati reservata, commendationem insuper eorumdem monasteriorum concessam per decennium Mariotto priori generali; cum vero prædictæ pensioni reservatarius cessisset, supplicationem pariter Mariotti, ut ordo Camaldulensis in dicto monasterio de Tiphio institueretur, & de persona superius nominati Michaelis provideretur; quæ proinde si vera forent, executionem ipsarum literarum præcepit supradicto abbati Burgi-sancti-Sepulcri.

d §. *Brevia* 69. *A.* 5. 30.

Andreas Bono episcopus Equilinus, qui delegatus fuerat judex apostolicus in causa, quæ vertebat inter monasterium sancti Michaelis de Lemmo, & inter episcopum Parentinum ratione confinium hujus monasterii cum dicto episcopatu, relata prius bulla Nicolai V. qua sibi & abbati

mona-

monasterii sancti Michaelis extra muros urbis Polensis, ac Silvestro Quirino canonico Cretensi in civitate Venetiarum residentibus mandabatur causæ hujusmodi cognitio, data ex Urbe apud sanctum Petrum anno M. CCCC. LIII. quarto Kalendas junii pontificatus sui anno VII. volens dictæ liti finem aliquando imponere, visa sententia super restitutione dicti abbatis ad appellationem, lata per egregium doctorem decretorum Nicolaum a Crucibus plebanum sancti Geminiani Venetiarum, qui alio tempore delegatus fuerat judex ab eodem Romano pontifice, quam etiam integram decisioni suæ inserit, quæque prolata fuerat anno M. CCCC. LII. die XXIX. martii; visa insuper appellatione virtute dictæ sententiæ facta a Petro abbate sancti Michaelis de Lemmo contra Johannem episcopum Parentinum, aliisque probe perspectis & cognitis, definivit optime fuisse appellatum ab eodem Petro contra eumdem episcopum, condemnans hunc postremum ad restitutionem omnium terrarum, quas injuste detinebat de jure dicti monasterii. Lata fuit hæc sententia die XXVIII. januarii anni M. CCCC. LIV. indictione II. Legatur tota series facti in Appendice.

ANN. CHR. 1454.

Post hunc annum defunctus est Petrus de Serra abbas sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, post quem commendationem monasterii accepit Bessarion episcopus Nicænus S. R. E. cardinalis.

Obiit etiam hoc anno Aloysius a Puteo abbas sancti Apollinaris in Classe; *quo vita functo anno M. CCCC. LIV. inquit Rubeus* [a], *deque suo jure Camaldulensibus jam deturbatis, Nicolaus V. pontifex maximus constituta monachis, unde viverent, pensione, Philippo illud fratri sancti Laurentii in Lucina cardinali Bononiensi episcopo commendavit, sed posteriore anno Franciscus divi Severi abbas ordinis Cisterciensis, ut Philippo cardinali morem gereret, prædiaque reverterentur varie distracta, in quibus insula domnicata est a Padiano flumine ad portum Candianum pertinens, & cœnobio Calixto III. pontifici maximo, qui tum primum Nicolao V. mortuo successerat, in manum tradito, fecit, ut cum Classensi conjungeretur, & Philippo migrante ex hac vita, ad Camaldulenses rediret.* Sed de ea unione nos anno sequenti.

a *Lib. VII. pag.* 633.

VI. Jura abbatiæ Burgensis a monacho nuncupata Nicolao V.

SUB hoc anno monachus, vel anonymus, qui jura abbatiæ Burgensis scripsit, lucubrationem suam Nicolao V. Romano pontifici nuncupavit: *Habes*, inquit, *ex hoc commentario, beatissime pater, habes enucleate causæ nostræ jura, quæ si vel titulis, vel continuata possessionis & jurisdictionis exercitatione consistunt ad parturiendum bonæ fidei possessorem, ut locus sit exceptioni præscripto jurisdictionis. Sane beatissime pater potissima sunt ac meliora jura nostra, quam episcopi Castellani; sed luce lucidius esse perspicitur titulos nostros & monasterii & antistitis nostri imperiali, & etiam pontificali & apostolica auctoritate exortos esse, quibus duabus auctoritatibus nulla potior, nulla præstantior, nulla potentior esse, aut dici aut intelligi potest. Nec tædeat beatitudinem tuam, pater sancte, legere & percontari a seculo hoc nostro, idest ab origine Burgi, quantis dominatibus subjecti jam fuerimus, præter dominatum Castellanorum. Num inveniri queat episcopum Castellanum, nisi violentam usurpationem in exercitatione hujusmodi ordinariæ jurisdictionis assecutum fuisse. Hinc est itaque, pater beatissime, quod decens est, expeditque clementiæ tuæ apostolica auctoritate rebus clementer prospicere, & ex novo indulto tuo apostolico decernere monasterium ipsum sancti Sepulcri & abbatem & Burgum nostrum cum pertinentiis suis, personisque Burgensibus omnibus utriusque sexus eo privilegio Alexandri IV. concesso legitime & inviolabiliter posse & debere potiri, quando etiam imperialia omnia & pontificalia privilegia simul & indulta, favoresque illorum,*

ANN. CHR. 1454.

rum, & jura quæcumque ejusdem monasterii & abbatis, & Burgi & suarum jurisdictionum & personarum continentia per ejusdem indulti sui seriem confirmare digneris & totaliter approbare. Datum ex imperiali pontificalique Burgo-sancti-Sepulcri anno incarnationis Dominicæ M. CCCC. LIV. *sub die tertia mensis decembris pontificatus tui anno* VIII.

Completo tertio triennio Gaspar prior sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, prius ad sancti Benedicti extra Florentiam, inde ad Camalduli Bononiensis monasteria regenda fuit translatus; successere Gaspari Nicolaus, tum Simon Neronis linguæ Græcæ & Hebraicæ studiosissimus, subinde Nicolaus Carduccius, Alexius Cypriani, Hieronymus Bertius, Romualdus Veronensis, Johannes Borromæus, Benedictus Alemannus, Silvester Antonii Casentinas, & Leonardus Brunus, de quo plura ad annum 1485.

ANN. CHR. 1455. VII. Postremæ Nicolai V. & primæ Calixti III. bullæ ad Camaldulensium favorem.

NICOLAUS V. pontificatus sui anno octavo pridie kalendas februarii anno incarnationis Dominicæ M. CCCC. LIV. more Florentino, episcopis Equilino & Justinopolitano, ac vicario in spiritualibus patriarchæ Venetiarum mandavit recuperationem bonorum monasterii sancti Michaelis de Muriano, quæ injuste occupata fuerant. Obiit deinde sanctissimus pontifex die vigesima-quarta martii, dieque octava aprilis electus fuit in ejus locum Alphonsus Borgia Valentinus episcopus & S. R. E. cardinalis assumpto nomine Calixti III.

Romanus itaque pontifex Calixtus III. die XXIX. maji pontificatus sui anno primo Mariotto priori generali Camaldulensi confirmavit singula privilegia, immunitates, exemptiones & libertates ordini & congregationi Camaldulensi olim concessa a suis antecessoribus Alexandris IV. & V.

Tertio nonas junii anno similiter primo privilegium Cœlestini III. indultum monasterio sanctæ Mariæ de Vangaticia Camaldulensis ordinis, quod rata habebat vetera diplomata Silvestri II. Calixti II. Innocentii IV. & Alexandri III. prædecessorum suorum, ad instantiam Ludovici Scarampi tituli sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis camerarii apostolici & perpetui commendatarii dictæ abbatiæ confirmavit, novoque robore communivit.

Quinta-decima junii archiepiscopo Florentino & abbati sanctæ Mariæ ejusdem urbis congregationis sanctæ Justinæ scribens revocavit commissionem ipsis factam visitandi monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, compertum habens relationes sibi factas falsas fuisse; & Mariotti generalis prudentia ipsum cœnobium reformatum egregie proficere; anno sequenti die XVI. januarii Augustinus a Porticu abbas sancti Zenonis Pisarum post Benedictum abbatem, comes olim itinerum Ambrosii, laudatusque a Hieronymo Alleotto, constitutus fuit a Mariotto priore generali vicarius in eodem Angelorum monasterio, Luca Carduccio abbate sancti Savini Pisarum curam hanc detrectante.; ex tabulario Fontis-boni [a].

[a] §. *Brevia* 70. *A.* 5. 32.

Abbati sancti Salvatoris Camalduli Florentini, narrata petitione Ugolini Petri Honuphrii de Antella prioris sancti Georgii de Suarca ordinis Camaldulensis Florentinæ diœcesis, qui a priore Angelorum de Florentia obtinuerat abbatiam sancti Petri de Cerreto Volateranæ diœcesis cum annuo censu persolvendo eidem Angelorum cœnobio, septimo kalendas septembris pontificatus primo confirmandam commisit eamdem locationem.

Cum Franciscus Ondedei Ravennas abbas monasterii sancti Severi extra muros Ravennates ordinis Cisterciensis per Bicium Hieronymi de Foro-livio civem Ravennatem procuratorem suum libere cessisset in manibus ejusdem Romani pontificis dictum monasterium sancti Severi, & cum Philip-

pus

pus tituli sancti Laurentii in Lucina S. R. E. presbyter cardinalis exposuisset facile regi & gubernari posse monasterium sancti Severi, si uniretur cum altero sancti Apollinaris in Classe sibi commendato, dedit in mandatis octavo idus decembris idem Romanus pontifex Blasio a Sancta-victoria abbati sancti Spiritus sive sanctæ Mariæ in Cosmedin de Ravenna, ut adnecteret ad invicem redditus utriusque monasterii, quod deinceps ab unico abbate Camaldulensis ordinis gubernaretur, assignatis quadraginta Florenis pro substentatione annua præfati Francisci abbatis sancti Severi resignantis, quos solverent idem cardinalis, aliique abbates commendatarii ejus successores. Anno sequenti die secunda martii indictione quarta egregius vir Antonius de Monte-causario procurator cardinalis Philippi inductus fuit in possessionem monasterii sancti Severi a dicto abbate Blasio. Blasii abbatis honorificam mentionem facit Rubeus, quem electum fuisse asserit in archiepiscopum Ravennatem anno 1446. [a] sed non confirmatum.

a *Pag.* 633.

Capitulum & canonici basilicæ Lateranensis magnifico & excellenti domino de Manfredis civitatis Faventiæ principi, & magnificæ dominæ Johannæ ejus uxori concessere licentiam introducendi in monasterium sanctissimæ Trinitatis extra portam pontis ejusdem urbis abbatissam, priorissam & moniales cujusve regulæ approbatæ ab episcopo Faventino, & de novo construendi monasterium super solo ejusdem Lateranensis capituli. Datum Laterani anno M.CCCC.LV. indictione III. prima die julii pontificatus Calixti papæ III. anno primo.

VIII. Epistola Nicolai prioris de Maphæo Gherardo abbate S. Michaelis de Muriano.

Vidimus superius revocatam fuisse a Calixto III. commissionem factam Antonino archiepiscopo Florentino & abbati sanctæ Mariæ reformandi monasterium Angelorum de Florentia, ob industriam prudentiamque Mariotti prioris generalis studiose reformatum. Notas proinde habens virtutes zelumque monasticæ disciplinæ, quibus præfulgebat, & quo ducebatur Maphæus Gherardus abbas sancti Michaelis de Muriano, cupiebat Mariottus eumdem præsidem dare eidem Florentino cœnobio, consensumque per literas expetierat monachorum sancti Michaelis, ut id prompto libentique animo paterentur. Verum Nicolaus de Tulmetio monasterii sancti Michaelis prior nomine omnium monachorum epistolam scripsit ad ipsum Mariottum exposcens, ut neque perpetuo, neque ad tempus privaret cœnobium sancti Michaelis tanto viro, quem patris loco tenebant. Ipsam epistolam, quæ laudes continet Maphæi abbatis, ab exemplis Mauri Lapi in codice sancti Mathiæ de Muriano [b] exscribimus & subjungimus.

b *Pag.* 173.

Copia epistolæ domni Nicolai sancti Michaelis ad reverendissimum Mariottum nostrum generalem, ut non tollat eis ipsorum abbatem ullo modo, ut volebat; & est responsiva ad aliam dicti patris nostri reverendissimi ex parte omnium fratrum.

Reverendissimo in Christo patri & domino domno Mariotto sacræ Camaldulensis eremi priori & ejusdem totius ordinis generali dignissimo.

Humillima semper ac filiali recommendatione præmissa, iis reverendissimam paternitatem vestram certiorem reddimus, reverendum nostrum dominum abbatem Dei gratia septima præsentis sanum & incolumem ad suum monasterium pervenisse, nobisque fideliter reverendissimæ paternitatis vestræ literas præsentasse, quas omni cum veneratione suscipientes, omnes insimul congregati eas perlegere fecimus studiose. Quocirca hinc inde diligenti habita consideratione, quid de re tam ardua nobis eligendum foret, tandem uno consensu, parique voto omnes simul nemine discrepante in hanc unam devenimus sententiam, quam per præsentes humillimæ vestræ paternitati reverendissimæ censuimus intimare. Gaudemus plane, omnipotentique Deo immen-

Ann. Chr. 1455.

ſas gratiarum referimus actiones, quod noſtro pene jam lapſo ordini tam ſtudioſum, tamque pervigilem, omnique conatu ſollicitum paſtorem, immo reparatorem ſua pietate largiri dignatus eſt; qui non ſolum oves, verum etiam & caulam ſolerti vigilantique induſtria in ſanctæ religionis propoſito reformare, regere & conſervare pro poſſe conatur. Hoc plane donum Dei eſt, & potiſſimum donum. Præterea nobis notiſſimum eſt de monaſterio Angelorum, quod Florentiæ eſt, quale fuerit, & quam hujus præclara monaſterii gloria extiterit apud omnes. Hoc etiam nos minime latet, quam magnæ virtutis homines, ſanctiſſimæque religionis perfectiſſimi ſectatores hactenus in eo floruerint, qui non ſolum Italiæ, verum & univerſo Romano orbi ipſum ſplendidum & famoſiſſimum merito reddiderunt. Hoc inſuper & nobis compertum eſt, quod defunctis ac cælo ſuſceptis patribus illis, ipſum ingentem ſui ſtatus ſuſtinuerit jacturam. Dolemus nempe vicem ſuam, dolemus totius ordinis dedecus, & poſtremo, quod maximum eſt, dolemus afflictiones, dolores ac ſollicitudines, quibus ob hujus monaſterii reformationem veſtra paternitas reverendiſſima quotidie afficitur. Sed & quod nobis poſſibile eſt, & ad nos attinet, libentiſſime impendimus, videlicet ut aſſidue devotas ad Dominum preces fundamus, ut qui vobis ad hujus monaſterii, totiuſque ordinis reparationem tam ardentiſſimum, divinumque tribuit zelum, ad hoc efficaciter exequendum ſua pietate tribuat & facultatem. Quod autem veſtra reverendiſſima paternitas venerabilem domnum Maphæum abbatem noſtrum in monaſterio Angelorum pro illius monaſterii reformatione aliquandiu eſſe neceſſarium judicavit, dummodo ipſi velimus, hortaturque nos, ut prompto ac paratiſſimo animo ſimus ad hoc exequendum, quod a nobis vehementer petit, ut ſibi permittatur eumdem abbatem noſtrum, virum religioſiſſimum aliquandiu in præfato monaſterio eſſe, rediturum poſtmodum ad nos. Revera nobis omnibus certiſſime conſtat, quod omnis intentio, voluntas, conatuſque animi veſtri ad nil aliud tendit, niſi ut lapſa membra ad priſtinum obſervantiæ redeant ſtatum; ſtantia vero non ut in deterius corruant, ſed divina cooperante clementia in dies in melius perſeverent. Quare, pater reverendiſſime, ſi plene perfecteque conſtaret apud reverendiſſimam veſtram paternitatem, quid jacturæ, quid diſpendii, quidve ruinæ ex hoc huic noſtro eveniret monaſterio, numquam profecto præfatum dominum abbatem noſtrum expoſtularet, immo omni conatu renueret, etſi noſtra ſponte ipſum vobis obtuliſſemus. Novit enim optime paternitas veſtra reverendiſſima, quam difficile ſit proprio abſente paſtore gregem a luporum morſibus poſſe tutari; quamque arduum ſit tanti monaſterii cura interius exteriuſque, aliquandiu ſuo privata rectore, pace omnium poſſe gubernari. Poſtremo certiſſime veriſſimeque ſciat reverendiſſima veſtra paternitas, hoc fieri minime poſſe ſine maximo ſcandalo & offenſione pene omnium ſpectabilium patriciorum, totiuſque civitatis, qui ob antiquam monaſterii obſervantiam ad noſtrum monaſterium maximam habent reverentiam & devotionem. Non minus etiam ob religioſiſsimam venerabilis abbatis noſtri vitam, nimio enim affectu complectitur omnium. Nam ſi aliquibus ingruentibus cauſis aliquorſum longius ipſum ire contigerit, cum viſitandi gratia ad ipſum monaſterium venerint, quod ſæpiſsime fit, ſollicite, anxieque ſciſcitant dicentes: Quid factum eſt de domino veſtro abbate? quo ivit? quando reverſurus eſt? Non enim, inquiunt, eſt bonum ipſum extra monaſterium morari. Sicque caritatis viſceribus ipſum complectuntur, ac ſi fratres filiique ipſius omnes forent. Quamobrem notum ſit veſtræ reverendiſsimæ paternitati, quod numquam noſtro conſenſu ſeu voluntate ipſum ad aliquod Beneficium ſive regimen perpetuo, ſive ad tempus permittemus abire; & hoc non pertinaci animo, ſed noſtri monaſterii conſer-

conservatione & religionis zelo. Quapropter omnes a maximo usque ad minimum omni humilitate, devotione & reverentia, qua possumus, petimus, rogamus & obsecramus vestram reverendissimam paternitatem, ut nobis gaudium decusque nostrum non auferatis, tali tantoque pastore monasterium vestrum adeo vobis carissimum, perpetuo sive ad tempus non privetis, eo maxime quod utrum illic aliquid proficere possit, dubium est, cum hic ruina manifestissima præ oculis sit. Et ideo iterum atque iterum omnes unanimes pari voto, uno consensu, consimilique voluntate vestram reverendissimam paternitatem exoramus, ut quod devote humiliterque postulamus, efficaciter consequi mereamur; quam Altissimi pietas ad vota longæve feliciterque conservare dignetur.

ANN. CHR. 1455.

Ex monasterio sancti Michaelis de Muriano M. CCCC. LV. *die* XI. *octobris.*

Devotissimi filii & dilectissimi oratores monachi & conventus sancti Michaelis de Muriano.

IX. Liberum jus monachorum Vangaticiensium in electionibus.

VACANTE ecclesia sancti Zenonis de villa Borsedi Placidus de Este prior monasterii sanctæ Mariæ de Vangaticia, congregato capitulo monachorum suorum, die decima-tertia martii hujus anni indictione tertia ordinavit Gregorium de Sclavonia monachum ordinis Camaldulensis in gubernatorem dictæ ecclesiæ. Licet enim Vangaticiensis abbatia esset commendata, jus tamen electionis rectorum in membris ipsius monasterii liberum relinquebatur priori regulari Camaldulensi, & monachorum conventui. Quoad Ludovicum Scarampum abbatem commendatarium, qui nova ædificia adorsus est in abbatia Vangaticiensi, extat hujusmodi inscriptio ex lapide in dormitorio ejusdem monasterii: *Reverendissimus dominus tituli sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis Aquilejensis, pontificis maximi camerarius, hujus abbatiæ commendatarius, cujus extant insignia, hoc dormitorium opus insigne cum suis inferius structuris novis ædificari jussit anno* M. CCCC. LV. *sicque claustrum lapideum collapsum antea construi fecit.* Hoc ipso anno consecrationis munus impendit ecclesiæ Vangaticiensi Antonius de Fabriano episcopus Suacensis.

X. Gasparis Perusini obitus.

OBIIT extrema senectute Gaspar Perusinus ex abbate sancti Johannis in eremo Camaldulensis ordinis episcopus Frequentinus celebris famæ, & legationum munere functus in conciliis Constantiensi & Basileensi. Scriptum reliquit de reservationibus Beneficiorum tractatum, qui habetur inter tractatus illustrium Juris-consultorum voluminibus 25. in folio magno comprehensos, Venetiis editos anno 1584. duce & auspice Gregorio XIII. Romano pontifice, tomo XV. prima parte, folio 244. Varia consilia Gasparem edidisse addit Oldoinus, qui etiam post Jacobillium ipsum asserit ad archiepiscopatum Sipontinum evectum. Idipsum legimus in veteribus paginis eremi Coronensis in diœcesi Perusina, in quibus elogium habetur hujus insignis viri, qui Camaldulensis appellatur. De Gaspare mentionem faciunt Johannes Volfgangus & Johannes-baptista Zilettus in illustribus Juris-consultis, Bzovius tomo X. Annalium, Alexander Balestrinus de Academia Perusina, Augustinus Fontana in bibliotheca legali, præter ea, quæ ab Ughellio congesta diximus ad annum 1415.

XI. De Inscriptione Burgensi.

SUPER æs campanum conflatum hoc anno in abbatia Burgi-sancti-Sepulcri legebatur hæc inscriptio.

Dum Jovis æterni colitur felicior ætas
Mille & quingentis triginta dempseris annos
Nec non terquinos opus est hoc fusile factum.
Tunc erat antistes templi Hieronymus abbas

ANN. CHR. 1455.

De Pagliaricio, genus fuit a sanguine clarum
Ampla Grifoneo domus est largita parentum
Johannes de Alamannia alta me fecit.

a *Num.* 307.

Nominatur sub hoc anno in archivo Fullinæ [a] Vincislaus comes Purliliarum legum doctor decanus Aquilejensis, qui tamquam procurator & vicarius generalis reverendissimi in Christo patris & domini domini Petri S. R. E. cardinalis perpetui commendatarii monasterii sanctæ Mariæ de Fullina locat bona dictæ abbatiæ, præsentibus Gottardo episcopo Caprularum, & Biaquino comite Purliliarum filio quondam Guidonis comitis.

ANN. CHR. 1456.

XII. Commissiones apostolicæ Calixti III.

ROMANUS pontifex Calixtus III. Amadeo abbati sancti Bartholomæi de Anglario, prænarrans, quod Benedictus prior generalis Camaldulensis olim univerat prioratui sanctæ Mariæ de Balneo capellam sancti Uberti, nuncupatam prioratum, in qua exercebantur opera hospitalitatis, & quod Ambrosius alter prior generalis Benedicti successor confirmaverat eamdem unionem, ratam habens & ipse dictæ capellæ unionem, auctoritate sedis apostolicæ mandavit, ut eam exequeretur tamquam delegatus pontificius, dummodo legitima fuerit unio facta in capitulo Britonoriensi anni 1431. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno M.CCCC. LV. nono kalendas februarii pontificatus anno I. Hæc bulla exhibita fuit die duodecima februarii a Valentino priore sancti Silvestri de Fonte-cluso, & facta est unio die vigesima-quinta ejus mensis ab eodem Amadeo ad petitionem Simonis de Balneo prioris sanctæ Mariæ itidem de Balneo. Usurpatur hic annus Florentinus; ex paginis ejusdem abbatiæ.

Instante Philippo cardinale commendatario monasteriorum simul unitorum sancti Apollinaris in Classe, & sancti Severi extra muros Ravennæ mandavit idibus februarii idem pontifex archiepiscopo Ravennati, & episcopis Bononiensi & Imolensi recuperationem bonorum utriusque monasterii, coercendo invasores & violentos detentores eorumdem, ex archivo Classensi.

Kalendis augusti pontificatus sui anno secundo commisit vicario episcopi Senensis, ut ad petitionem Dominici prioris sancti Petri ad eremum alias ad Vivum monasterii, quod a sexaginta & ultra annis propter bellorum & tempestatum discrimina destitutum, incultum & inhabitatum remanserat, uniret ipsi prioratui alterum sanctæ Mustiolæ dictum abbatiam Arcus Senarum, qui erat manualis ejusdem eremi; atque ita eremus ad Vivum denuo evasit caput ceterorum prioratuum & abbatiarum ditionis Senensis.

Demum quarto idus februarii impetravit Antonius Severius Eugubinus episcopus a Romano pontifice Calixto abbatiam sanctæ Mariæ de Alfiolo subjectam abbatiæ sanctæ Crucis Fontis-avellanæ ad sublevandam ecclesiæ suæ egestatem. *A civitate Eugubina*, subdit Sartius [b], *distat Alfioli abbatia ad tria millia passuum, præbetque nunc episcopis Eugubinis peramœnum secessum a curis urbanis. Postremus ejus loci abbas fuit Antonius Mediolanensis, cujus hoc monumentum extat ibidem in antiqua turri:* M.CCCC.LII. *tempore domni Antonii de Mediolano abbatis hujus monasterii reparatorisque hostiliter combusti atque diruti* M.CCCC.XLII.

b *De Episc. Eugubin. pag.* 208.

XIII. Historia litis abbatis S. Michaelis de Lemmo cum episcopo Parentino.

Ex chartis Fabrianensibus habemus etiam eumdem Calixtum commisisse priori sancti Silvestri de Monte-fano congregationis ejus nominis recuperationem bonorum monasterii Valle-castrensis.

ACERRIMA recruduit circa hæc tempora lis diutius antea agitata inter Johannem episcopum Parentinum, & inter Petrum abbatem monasterii sancti

ſancti Michaelis de Lemmo circa fines territorii epiſcopatus & abbatiæ, cujus hiſtoriam ex paginis ſancti Mathiæ de Muriano illuſtratam ſimulque collectam damus. Vidimus ad annum 1411. arbitrium Rogerii de Tarſia civis Juſtinopolitani inter epiſcopum Parentinum ejus temporis, & inter Benedictum de Raguſio abbatem dicti monaſterii, arbitrium plane injuſtum, quo monaſterium ſpoliaverat pluribus terris & nemoribus, eaque adjudicaverat epiſcopatui Parentino. Petrus de Monte Venetus electus anno 1446. die nona auguſti abbas ſancti Michaelis appellandum cenſuit ab irrationabili arbitrio, obtinuitque a Nicolao V. breve datum Romæ die tertia aprilis pontificatus ſui anno ſexto archiepiſcopo Corcyrenſi, & plebanis ſancti Geminiani & ſancti Lucæ Venetiarum. Nicolaus de Crucibus plebanus ſancti Geminiani per ſe pronuntiavit legitime a Petro abbate appellatum contra epiſcopum Parentinum terrarum reſtitutionem denegantem. Nicolai plebani ſententia data legitur anno M CCCC. LII. indictione XV. die XXIX. martii. Rurſus ad pleniorem literarum apoſtolicarum executionem plebanus Nicolaus ſubdelegavit Andream de Avenſago plebanum ſanctæ Margaritæ Venetiarum, qui tamen ſuſpenſam per annum ſententiam tenuit. Quare Petrus abbas non ſperans juſtitiæ complementum ab Andrea plebano, alios judices petiit ab eodem Romano pontifice Nicolao, qui dedit Andream Bonum epiſcopum Equilinum, abbatem monaſterii ſancti Michaelis extra muros Polenſes, & Silveſtrum Quirinum canonicum Cretenſem in civitate Venetiarum reſidentes anno M. CCCC. LIII. quarto kalendas junii pontificatus anno VII. Andreas itaque Bonus anno M. CCCC. LIV. die XXVIII. januarii indictione ſecunda ſententiam tulit pro Petro abbate contra Johannem Parentinum epiſcopum, quem damnavit ad reſtitutionem omnium terrarum juris monaſterii ſancti Michaelis, & fructuum ac redditaum detentorum hactenus. Appellavit Johannes epiſcopus a judicio Equilini antiſtitis, ſed re in longum trahente Parentino epiſcopo iterum Equilinus die jovis anni M. CCCC. LIV. ſecunda maji excommunicationis & ſuſpenſionis pœnas minitatus eſt, ſi poſſeſſionem eorumdem jurium abbati ſancti Michaelis tradere recuſaret. Scilicet die XXII. februarii Petrus abbas proteſtatus fuerat ante epiſcopum Equilinum, vocaveratque ſe gravatum appellatione epiſcopi Parentini a ſententia Equilini. Die autem XX. martii Nicolaus V. commiſerat Dominico de Dominicis epiſcopo Torcellano, ut epiſcopum Parentinum, ſi foret Venetiis, auctoritate pontificia moneret, quatenus circa litem ipſum inter & abbatem Lemmi ſtaret definitionis ſententiæ epiſcopi Equilini a ſancta ſede delegati, ac ipſe epiſcopus Torcellanus exequi curaret dictam ſententiam. Poſtea dati fuere alii judices. Die quarta junii epiſcopus Juſtinopolitanus citavit abbatem Petrum ſtante appellatione epiſcopi Parentini. Sed die XXVI. auguſti epiſcopus Torcellanus exequendam judicavit ſententiam Equilini epiſcopi, declarans eam juſtam, & appellationem Parentini nullam, licet admiſſam ab Equilino, quia facta non fuerat tempore congruo, in expenſis Parentinum damnans. Equilini epiſcopi ſententiam tutatus eſt die VIII. ſeptembris indictione ſecunda hoc ipſo anno etiam Ludovicus Bredano pro ſereniſſimo ducali dominio Venetiarum poteſtas ſancti Laurentii tamquam nuntius deputatus ab epiſcopo Equilino, & a magnificis advocatoribus communis Venetiarum, qui in poſſeſſionem controverſarum terrarum induxit Maphæum Gherardum abbatem ſancti Michaelis de Muriano nomine Petri abbatis ſancti Michaelis de Lemmo.

Obtentis tribus ſententiis Petrus abbas non idcirco evaſit violentias epiſcopi Parentini. Narrat ipſe Petrus in ſupplici libello, quem die nona maji

Ann. Chr. 1456.

maji anni sequentis hoc est anni 1455. obtulit Romano pontifici Calixto III. Nicolai successori, se quidem recuperasse post trinum judicium bona sui monasterii tam contra communitatem, quam contra episcopum Parentii; sed cum episcopus Parentinus alio modo ultionem sumere nequiret, violenter se e suo monasterio extraxisse, & manibus ligatis ad dorsum cum fune ad collum tamquam latronem evocasse ad episcopatum, & in carcerem conjecisse compedibus vinctum, ablato marsupio cum pecunia; se postea levasse super equuleum tribus vicibus, accessisse autem tunc vicarium episcopi remotis ceteris atque sibi abbati dixisse: Abbas i modo, & dic tuis judicibus, quos recenter ab Urbe impetrasti, ut te liberent ab hujusmodi tormentis. Si vis ea effugere, episcopus vult omnes tenere scripturas, quas ab Urbe portasti. Et licet abbas scripturas dedisset, ut effugeret a tortura, episcopus tamen eas obtinere nequivit. Idcirco volens episcopus una cum vicario tegere errorem suum alio errore, denuo sustulit abbatem super equuleum, interrogans eo temporis, an unquam sodomiæ vitio laborasset. Abbas dolore vexatus fassus est; post quam extortam confessionem quinquies denuo levari in equuleum jussit. Tunc vicarius campanam urbis Parentinæ tetigit, ubi erat congregata multitudo populi, quæ olim terras monasterii usurpaverat. Sedente vicario pro tribunali, commonito abbate, ut taceret, neque contradiceret, legi fecit processum contra dictum abbatem, ac pronuntiavit pœnam exilii ab urbe & diœcesi, mittens eum ad navilium, & mittens Venetias ad vicarium ordinis Camaldulensis generalem. Oravit itaque Petrus abbas Romanum pontificem, ut committeret alicui S. R. E. cardinali, quatenus citatis episcopo, vicario ceterisque complicibus demonstraret falsum hujusmodi processum, nullamque confessionem, & se famæ honorique suo quamprimum restitueret. Causa commissa fuit Dominico Capranicæ cardinali Firmano, qui die nona julii citavit episcopum Parentinum, sententiamque definitivam tulit contra episcopum, & declaravit maledicta & diffamationes fuisse illicita, processum contra abbatem nullum, restituit tamen & episcopum & abbatem pristino statui. Præterea ratas habuit, novoque robore firmavit sententias latas pro abbate & monasterio contra episcopum, asserens eas fuisse justas, & absolvens ad cautionem episcopum ab excommunicatione. Sententia definitiva excepta fuit ab episcopo & ab abbate, notario Johanne Maher.

Ipso mense majo die quinta-decima idem Calixtus episcopis Justinopolitano & Equilino, ac vicario patriarchæ Venetiarum mandavit, ut recuperare curarent bona ablata & detenta ejusdem abbatiæ Lemmi.

Die XVII. junii anni sequentis, hoc est M. CCCC. LVI. indictione IV. Franciscus Foscari dux Venetiarum Zachariæ Justiniano Parentii potestati mandavit, ut compromissum olim factum anno 1411. in Rogerium Tarsiam rescinderet circa fines monasterii Lemmensis; & hoc ex parte capta in consilio XL. virorum propter introductionem Advocatoris communis ex voluntate Petri abbatis ejusdem loci. Demum anno M. CCCC. LVII. indictione V. diebus VIII. & XI. augusti idem Zacharias potestas Petrum abbatem in pacificam possessionem suorum bonorum & totius territorii sui monasterii induxit. Hæc excerpsimus simul collecta ex paginis, quæ autographæ asservantur in tabulario sancti Mathiæ de Muriano, quarum aliquas ad Appendicem rejecimus.

XIV. De Bessarione abbate commendatario Avellanæ, & de eccl. sancti Silvestri Arimini.

Ex sententia Petri Benii abbatis sanctæ Crucis Fontis-avellanæ canonici regulares ex monasterio sancti Ambrosii ad illud sancti Secundi Eugubii transierunt, locum a mœnibus minus dissitum, quem obtinuerant anno

no præcedenti a Calixto III. qui Benio causæ cognitionem commiserat. Benius abbas erat regularis cœnobii Fontis-avellanæ post Petrum de Serra [a]. Scilicet sub hoc ipso anno abbatiam Avellanensem commendatam retinebat Bessarion S.R.E. cardinalis, ut ex sequenti epistola episcopi Ariminensis ad Nicolaum Perottum, quam subjicimus.]

Ann. Chr. 1456.

[a] Sartius pag. 207.

Viro præstantissimo domino Nicolao Perotto Secretario Apostolico atque venerabilis in Christo patris domini domini cardinalis Nicæni Vicario fratri optimo.

Vir præstantissime ac frater honorande salutem. Fuit ad me elapsis diebus monachus quidam abbatiæ Fontis-avellanæ, cujus nuper commendatarius effectus est Reverendissimus domnus Cardinalis Nicænus meus ac tuus communis dominus, cum literis patentibus vestra parte, qui ut reverendissimi domini præfati vicarius committitis citari ac moneri omnes & quoscumque tenentes ecclesias aut monasteria vel prioratus subjectos eidem abbatiæ, ut intra mensem, ut moris est, debeant ostendere ecclesiarum suarum titulos, ut sciat prudentia vestra juste, an injuste ecclesias teneant. Verum monachus ipse, ut diligens mandati vestri executor, & si literæ vestræ nullum certum ac nominatum continerent monendum, sed in genere, ut dixi, continerent omnes monachos, contulit se ad ecclesiam quamdam sancti Silvestri sitam in platea Ariminensis civitatis, & rectorem illius in forma, prout in literis commissa monuit, quasi prætendens abbatiam ipsam Fontis-avellanæ in eadem sancti Silvestri jus aliquod aut præminentiam habere; illius autem rector, qui ecclesiæ Ariminensis canonicus de principalibus, est ac civis optimæ conditionis, ætatis fere annorum LX. *non parum de hac re coram me admiratus est, asserens ecclesiam ipsam viginti septem annis titulo ac bona fide & sine abbatis præteriti molestia tenuisse, eamque sibi ac prædecessoribus suis sine contrarii memoria ab episcopis, qui pro tempore fuerunt, collatam fuisse, ut in registris episcopatus clarissime ostendi potest; dicit tamen jam ab initio, quo dictam ecclesiam habuit, quo tempore recolendæ memoriæ domini cardinalis de Comite ejusdem commendatarius erat, idem quasi perpessum fuisse, sed cardinalem ipsum de juribus utriusque certificatum hortatu atque consilio domni Johannis de Mella, qui est hodie Zamorensis episcopus adhuc vivens, cui dicta causa tunc terminanda commissa fuit, a causa ipsa, ut de non jure ejusdem abbatiæ, conscium destitisse, nihilque exinde ab aliquo alio unquam molestatum fuisse. Commendo prudentiæ ac sollicitudini vestræ, qui pro conservandis ac tuendis juribus dictæ abbatiæ ac pro interesse & honore reverendissimi domini mei domini cardinalis hoc agitis, quod ipse etiam agerem pro sua reverendissima dominatione, cum opus esset, pro quo non tantum in conservandis juribus, sed etiam augendis ac tuendis, quidquid apud me est, exponerem. Si enim reverendissima dominatio sua jurium meorum ac personæ protector ac defensor est, non dubium est me utique pro juribus suis certare. Quamvis igitur a multis hujus civitatis hortatus fuerit dictus Gerius canonicus & rector dictæ ecclesiæ, ut tamquam non subjectus nec in aliquo obnoxius dictæ abbatiæ, nec in citatione seu edicto comprehensus taceret, tamen mei hortatu, atque ipse urbanius agendo confisus, atque de benignitate ac justitia domini Cardinalis, non tamen intentione aliqua submittendi se juribus ecclesiæ seu abbatiæ, si de jure non teneretur, contentus est, ut mittam ad vos copiam tituli sui, atque ipse copiam privilegii episcopatus Ariminensis, ubi dicta ecclesia sancti Silvestri inter alias ecclesias hujus civitatis episcopatui subjectas continetur, quod privilegium renovari ac confirmari feci per felicis memoriæ domnum Nicholaum quintum, ut videbitis, hoc mitto vobis ad satisfactionem vestram, & ut videatis jura*

ra

ANN. CHR. 1453.

ra episcopatus ac dictæ ecclesiæ; ego autem paratus sum, ut dixi, jura reverendissimi domini mei nedum observare, sed tueri, si quæ valida habet. Ceterum restat, ut consideretis, quod præfata ecclesia per episcopos Ariminenses collata fuit, nec reperitur contrarium, ac etiam quod dominus Gerius præsens rector vir venerabilis canonicus, civis & antiquus sacerdos vir vitæ laudabilis, magnificoque domino hujus civitatis & mihi pergratissimus, XXVII. *annis ecclesiam ipsam absque aliqua controversia possedit, quem etsi de aliquo jure abbatiæ appareret, molestare sacrilegium esset. Me igitur, atque ipsum & ecclesiam primum Ariminensem reverendissimo domino meo commendatos facito, paratissimi enim sumus & ejusdem mandata exequi, ac jura fovere ex animo* XXIX. *Julii* M. CCCC. LVI.

Vester ac frater Ægidius
Episcopus Ariminensis.

XV. Historia hujus temporis parthenonis S. Christinæ de Tarvisio.

TRES moniales Cistercienfis ordinis post obitum abbatissæ sanctæ Christinæ de Tarvisio (facile Angelæ) ope nobilium virorum expetierant ab Ambrosio priore generali traduci in dictum monasterium, unamque ex iis ceteris monialibus præfici. Opposuerat se earum tentaminibus Franciscus Sandellius abbas Carcerum & Ambrosii vicarius, quia Camaldulenses constitutiones vetabant receptionem monachorum & monialium alterius ordinis vel congregationis. Datis tamen literis ab Ambrosio die XXVII. decembris anni 1436. ad eumdem Sandellium [a]; derogatum fuisse videtur constitutioni, & vi forte officiisque prævalentibus aliquo tempore Cistercienses moniales monasterium occuparunt. Lucia a Ponte abbatissa legitur ad annum 1437. ad annum vero 1439. Lucia Rosso. In ducali bulla Francisci Foscari [b] anno 1440. dicitur dictum asceterium concessum iterum fuisse sanctimonialibus Camaldulensibus; in alia supplicis libelli pagina habetur anno 1451. [c] a duodecennio ipsum monasterium restitutum Camaldulensi ordini. Quid contigerit, nos latet, nisi quod in charta locationis anni 1438. die III. maji [d] nomina monialium alia sunt a nominibus monialium, quæ interfuerunt pro charta similiter locationis conficienda anno 1439. XXIV. novembris [e], & in prima legitur abbatissa sancti Parisii ordinis Hierosolymitani. Pariter in Visitationum libro asservato in bibliotheca eremi Camaldulensis [f] reperitur Lucia abbatissa sanctæ Christinæ regimine privata anno 1438. a Francisco Sandellio abbate Carcerum. In eodem ducis Foscari diplomate honorabile testimonium profertur sanctitatis & decoris, quibus vivebant moniales sanctæ Christinæ, alia quoque honorifica mentio fit in subscriptione ad supplicem libellum anni 1451. Anno 1453. Nicolaus V. die VII. martii pontificatus anno VI. commisit Francisco Gritti archiepiscopo Corphiensi & Petro Boldù abbati Carcerum visitationem hujus parthenonis & Luciæ Rosso Venetæ abbatissæ ejus loci, quæ dicitur professa monasterii sancti Matthæi de Majurbio ordinis Cistercienfis. Præsenti anno M. CCCC. LVI. die XIX. januarii idem Venetiarum dux commendavit Mariotto priori generali sorores duas consobrinas Bartholomæi & Pauli Barbadico, quorum altera abbatissa, altera monialis erant sanctæ Christinæ de Tarvisio, quæ dicuntur monasterium ipsum a fundamentis exstruxisse, & tamen a monialibus fuisse expulsas, licet hæredes forent fratris sui demortui, adeoque suis opibus plurimum monasterium ipsum juvare possent. Rogavit igitur, ut eas in monasterium dictum permanere juberet; ex tabulario Fontis-boni [g]. Constanter tamen locum regiminis tenuit Lucia Rosso ad annum 1462. quo defuncta est.

a *Lib. XX. ep.* XX.

b *Caps.* 2. *n.* 15. *S. Parisii.*

c *Caps.* 26. *S. Michaelis.*

d *Caps.* 10. 3. *S. Parisii.*

e *Caps.* 7. *n.* 12. *Ibid.*

f *Pag.* 286.

g *S. Brevia* 71. *A.* 5. 41.

JAM

ANN. CHR. 1457. XVI. Translatio corporis S. Guidi Pisas.

JAM ab anno 1455. priores & collegia Pisanæ civitatis literas scripserant spectabilibus & egregiis viris comitibus de Castagneto familiæ Gerardeschæ civibus Pisanis, & cum literis miserant Laurentium Johannis canonicum ecclesiæ Pisanæ eorum nuncium, cui commiserant aliqua circa corpus beati Guidi de Donoratico. Ex Pisis in palatio nostræ residentiæ die x. novembris. Sequentem itaque epistolam hoc anno Calixtus papa III. scripsit archiepiscopo Pisano: *Venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii priores civitatis Pisarum zelo devotionis accensi, sicut eorum nomine nobis expositum fuit, summopere affectant, ut corpus sancti Guidi in ecclesia oppidi Donoratici Massane diocesis positum inde exhumetur, cum propter loci desolationem minus digne locatum esse dignoscatur. Afferunt quoque iidem priores, quod si dictum corpus ad tuam ecclesiam Pisarum transferatur, decentiori modo posset conservari, & populi devotio major exsurgeret, ob quod fidelium animarum salus proveniret. Nos hujusmodi pium & catholicum eorum desiderium in Domino commendantes, fraternitati tue, si ad id ven. fratris episcopi Massani loci ordinarii & patronorum prefate ecclesie accedat consensus, transferendi corpus predictum, & in tua ecclesia decenter collocandi, servatis sollemnitatibus in similibus servari consuetis, liberam licentiam & omnimodam facultatem per presentes concedimus, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum Rome apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris* M. CCCC. LVII. *pontificatus nostri anno tertio*. Hæc translatio tamen non contigit, nisi anno sequenti M. CCCC. LIX. more Pisano, hoc est 1458. die XVI. junii ex memoria ms. Matthæi Johannis capellæ sancti Andreæ extra portam, scribentis *eo die feria sexta corpus beati Guidi Pisas ex Donoratico seu Castagneto ductum, idest sacra ipsius lipsana in ecclesiam majorem, cum interventu priorum, & collegiorum ac officialium urbis Pisarum, cum clero, & regulis & battutis, cum intorticiis accensis, præsentibus civibus & advenis ad laudem Dei omnipotentis*. Hæc ex autographis apud comites de Donoratico. Refert Grandius noster ex memoriis mss. sui monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum Petrum de Tenagliis abbatem dicti cœnobii institisse apud priores urbis, ut corpus beati Guidi deferretur & deponeretur in ecclesiam sancti Michaelis, sed obstitisse canonicos metropolitanos, qui multas jam expensas fecerant, pro sacro sancti viri corpore collocando in sua majori ecclesia.

XVII. Statutum Camaldulensium confirmatum a Calixto III. quoad studia.

IDEM Romanus pontifex die XIII. maji pontificatus sui anno III. supplicationibus Johannis (de Turrecremata) sanctæ Mariæ in Transtiberim cardinalis, Camaldulensium protectoris (obivit is protectionis munus post Johannem de Cervantes cardinalem, qui decesserat in Hispania anno 1453. XXV. novembris), & precibus Mariotti prioris generalis ordinis Camaldulensis confirmavit quædam statuta, quæ decreta fuerant in capitulo generali celebrato in monasterio sancti Savini Pisarum, circa tres officiales præsidentes eligendos, nempe priorem generalem ordinis, Majorem eremi, & alium prælatum ordinis a prædictis duobus statuendum, qui perpetuo censeantur deputati, ad hoc ut in casibus vacationum in monasteriis Candiculano, Porciliensi, Bononiensi sanctæ Mariæ-Angelorum, Senensi, & Perusino per ipsos institutis & præficiendis onus imponant nutriendi atque substentandi studentes ordinis seu magistros, nec non deputent studentium numerum, qui ipsis expediens videbitur, atque studentes hujusmodi de loco ad locum dimovere possint, & impellant prælatos dictorum monasteriorum ad subeundum tale onus; ex tabulario Fontis-boni [a].

a §. *Privilegia* 15. *A*. 5. 42.

XVIII. Prioratus S. Petri de Este unitus alteri S. Firmi.

DIE XVII. julii Jacobus de Abbatia canonicus Veronensis & vicarius

Ann. Chr. 1457.

in tempotalibus & spiritualibus ac procurator Ludovici cardinalis abbatis commendatarii Vangaticiensis, simulque procurator ejusdem monasterii ad petitionem Placidi de Este prioris sancti Firmi de Este univit ecclesiam extra muros oppidi Este sub vocabulo sancti Petri eidem prioratui sancti Firmi, consentiente etiam Placido de Boncontibus Pisano abbate Vergaretano & priore claustrali monasterii Vangaticiæ, aliisque monachis ejusdem abbatiæ, cui subjiciebantur tum prioratus sancti Firmi, tum ecclesia sancti Petri.

Mariottus generalis die XVI. septembris [a] possessionem recepit monasterii Vincaretani in diœcesi Britonoriensi vacantis ob assumptionem Johannis a Ferro ad abbatiam Uranensem.

a §. Tenuta 31. A. §. 44.

Pacta & conventiones factæ hoc anno die decima aprilis inter Placidum de Boncontibus abbatem sancti Angeli de Vergareto cum licentia Mariotti prioris generalis, & inter commune Vergaretanum leguntur in eodem archivo Fontis-boni §. *Transactio* [b].

b Num. 4. A. §. 41.

XIX. De Mauro insigni cosmographo ejusque planisphærio.

Florebat hoc tempore in monasterio sancti Michaelis de Muriano Venetiarum Maurus monachus Camaldulensis, inter conversos ejus cœnobii recensitus in pagina annorum 1434. & 1449. & in codicibus introitus & exitus ejusdem monasterii ad annos 1457. 1458. 1459. Excelluit præsertim in efformandis tabulis geographicis, ob quarum peritiam æreo numismate decoratus fuit cum hac epigraphe. *Frater Maurus sancti Michaelis Morianensis de Venetiis ord. Camald. cosmographus incomparabilis.* Extant ad hodiernam diem duæ tabulæ prægrandes sive Planisphæria, quorum unum visitur in hoc nostro monasterio, alterum autem in cœnobio Alcobazæ in Lusitania. De Veneto planisphærio inter primos, qui verba fecere, fuit Johannes-baptista Ramusius [c] tomo secundo suæ collectionis *Navigationum* &c. *Resta, che io dica*, inquit, *in generale alquante cose sopra questo libro* (Marci scilicet Poli patritii Veneti) *che io già essendo giovane udii più volte dire dal molto dotto e reverendo don Paolo Orlandino di Firenze eccellente cosmografo e molto mio amico, che era priore del monastero di san Michele di Murano a canto Venezia dell' ordine de Camaldoli, che mi narrava averle intese da altri frati vecchj pur del suo monastero, & questo è, come quel bel Mappamondo antico miniato in carta pecora, e che oggidì ancora in un grande armaro si vede a canto il lor coro in chiesa, la prima volta fu per uno loro converso del monastero, quale si dilettava della cognizione di cosmografia, diligentemente tratto e copiato da una bellissima e molto vecchia carta marina e da un Mappamondo, che già furono portati dal Catajo per il magnifico messer Marco Polo & suo padre, il quale così come andava per le provincie d' ordine del gran Can, così aggiugneva e notava sopra le sue carte le città e luoghi, ch' egli trovava.* Et postea: *Si è venuto a conoscere, che il detto Mappamondo fu senza alcun dubbio cavato da quello di messer Marco Polo, & incominciato secondo quello con molto giuste misure, e bellissimo ordine, onde fin al presente giorno è dappoi continuamente stato in tanta venerazione & precio appresso tutta questa città, e coloro massime, che si dilettano di cose di cosmografia, che non è mai giorno, che da alcuno non sia con molto piacere veduto e considerato, e fra gli altri miracoli di questa divina città nell' andare de' forastieri a vedere i lavori di vetro a Murano, non sia per bella e rara cosa mostrato. E ancorchè quivi si veggano molte cose essere fatte alquanto confusamente e senz' ordine grado o misura, il che si deve attribuire a colui, che l' dipinse e fornì, vi si comprendono perciò di molte belle e degne particolarità, non sapute ancora nè conosciute meno dagli antichi,*

c Pag. 17.

chi, come che verso l' Antartico, ove Tolomeo e tutti gli altri cosmografi mettono terra incognita senza mare, in questo di san Michele di Murano già tanti anni fatto si vede, che il mare circonda l' Africa, e che vi si può navigare verso Ponente, il che al tempo di messer Polo si sapeva, ancorchè a quel capo non vi sia posto nome alcuno, qual fu per li Portoghesi poi a nostri tempi l' anno 1500. *chiamato di Buona speranza*. Constantissima tamen non est opinio sive traditio Maurum Camaldulensem monachum expressisse tabulam suam super exemplari Marci Poli; nam ut animadvertit noster Abundius Collina [a] in *Considerationibus historicis super Pixide nautica*, nunquam meminit describens sua itinera Polus se ex Catajo detulisse mappam aut chartam aliquam, vel si detulit, Maurus monachus ipsa charta uti potuit in describendo dumtaxat Catajo; pariter nunquam Maurus monachus memoriam ingerit in suis fusis notis, quæ planisphærio adjecit, Marci Poli, ut memorare solet indigenas locorum, ex quorum colloquio plura ipse didicerat; testatur Maurus, se præter plisphærium, alios typos topographicos efformasse: *Io ho lassato*, inquit in quadam adnotatione, *amplissimi desegni de tutte queste parte, zoe Armenia, Mesopotamia, Siria, Cappadocia, Cilicia, Pamphilia, Licia, Asia propria menor, Bitinia, Galacia e tutte le altre, che si sono mezo distinte & ordinate*. In codicibus quoque monasterii sancti Michaelis recensentur expensæ pro pictoribus & scriptoribus, quorum opera utebatur Maurus ad conficiendas geographicas tabulas; quare simplex exscriptor non fuit Maurus, ut existimant Ramusius & Fortunius, neque simplici exscriptori dedicasset antiquitas æreum numisma, quod superius diximus, ita ut potius arbitrari, indubitanterque credere possimus primigenium suique ipsius fœtum fuisse hocce Mauri opus. Ejusdem San-michaelianæ tabulæ præter Fortunium [b] & Collinam, mentionem faciunt dominus de la Motte le Vayer [c] in *Schola principum*, Vitalis Terrarossa [d], Eusebius Renaudotius [e] in notis ad binas relationes Arabum, & V. Cl. divi Marci procurator Marcus Fuscarenus [f] in sua *Veneta literatura*, sed ante omnes, & ante ipsum Ramusium Petrus Delphinus, qui etiam adnotata a Mauro in Pictura orbis Latina fecit, ut scribit [g] die XXVI. martii anni 1494. ad Bernardinum Gadolum inter epistolas mss. atque conscripsit manu sua, quæ tamen deperdita dolemus. Earum adnotationum exemplar Latinum ex archetypo sancti Michaelis Florentini pictores confecere, quod redactum in codicem asservari eo anno in domo Petri Medicei subdit Delphinus in eadem epistola, sed in ea rerum perturbatione, quæ tunc temporis Petrum divexabat, ægre posse reperiri.

a Pag. 83.
b P. II. lib. IV. cap. 23.
c Cap. 62.
d Cap. 2.
e Pag. 164.
f Pag. 419.
g Lib. XIII. ep. 73.

Alterius autem exemplaris Mauri, quod servatur in monasterio Alcobazæ, meminere [h] idem Renaudotius ex testimonio Antonii Galvani, & Francisci de Sousa Tauvarez, Alvarez [i] in suo Itinere in Æthiopiam, Castagneda, aliique Lusitani scriptores, & apertissime elicitur ex codicibus sancti Michaelis manu exaratis Maphæi Gherardi abbatis sancti Michaelis, sub cujus disciplina degebat Maurus. In his hæc Veneto idiomate leguntur [k]: M. CCCC. LVII. VIII. *fevrier, per che io avi contad da don Benedetto Miani per nome del Segnor de Portugal in summa ducati* 28. M. CCCC. LVII. *adi* VIII. *fevrer* [l]: *La Majestad del Segnor re de Portogal die dar a di sopradicto, perchè io ho dado a sier Lio Roso contadi in horo per suo nome per pagar pentori per lavorar el suo Mapamundi, & per altre spexe in suma ducati* XI. *Adi* XXI. *octobrio, che io ho dado contadi a frar Mauro per pagar uno scriptor a lavorado over scripto su el Mapamundi zorni* 17. *a raxon de soldi* 12. *al zorno, monta lire* 17. *soldi* 4. *val a soldi* 124.

h T. I. Viaggi c. 236.
i Lib. I. cap. 1.
k Pag. 123.
l Pag. 128.

ANN. CHR. 1457.

per ducato. Adi VII. *octobrio* 1458. *contadi a Don Francesco de Cherso per pagar un scriptor, el qual scripse al dicto Mapamundi zorni* 4. *a soldi* 14. *al zorno. Adi* IX. *dicto contadi al dicto per pagar uno maistro scripse alla dicta opera. Adi* XVII. *febrer* 1459. *a don Francesco da Cherso per far comprar azuro per la dicta opera* &c. M. CCCC. LIX. XVII. *marzo* [a] *la Majestad del segnor re de Portugal die dar a di sopradicto per chassa, che io ho dado a don Francesco de Cherso, che fra Mauro mandò a dimandar per certe opere lui dice aver fatte per el Mapamundi ducati duc.* M. CCCC. LIX. XXIV. *avril don Niccolò nostro mi ha dicto, che essendo io a capitolo a Camalduli, è sta salda la raxon a messer Stephano Trivixan per el dicto Segnor, quando per il dicto Messer Stefano li fo mandado il suo Mappamundi*. Has notitias olim ad Collinam nostrum transmisimus, quas ipse protulit in suo libello Pixidis Nauticæ, qui tamen emendandus est eo loci, ubi Henrico Portugalliæ Infanti tribuit, quod tribuendum est Alphonso regi IV. ut etiam animadvertit idem Fuscarenus in sua *Veneta literatura*. Mauro itaque Camaldulensi monacho ea gloria jure merito tribuenda erit, ut non parum tabulis suis geographicis juverit ad tentandas expeditiones in terras incognitas, quod postea præstitum fuit præsertim a Lusitanis.

a Pag. 170.

Ceterum planisphærium San-michaelianum quinque pedes & octo uncias Venetas protenditur, pictumque est super membranas cum notis nunc fusioribus, nunc brevioribus, locatis ad regna vel urbes. Prætermittuntur in eo plures insulæ ob defectum situs, ut notat ipse Maurus contra Norvegiam inferiorem: *In questo oceano sono molte insule, le qual non hò notado per non haver luogo*. Ad mare orientale super oras regni Fuguy inter Eogin & Wichen: *In questo mar oriental sono molte insule grande e famose, le qual non hò posto per non haver loco*. Fatetur se Ptolomæum secutum non fuisse in omnibus. *Io non credo di derogar a Tolomeo, se io non seguito la sua Cosmographia, perche se havesse voluto observar i suo meridiani over paraleli over gradi, era necessario quanto ala demostration dele parte note de questa circumferentia lassar molte provincie, de le qual Tolomeo non ne fa menzione. Ma per tuto maxime in latitudine, zoe tra ostro e tramontana, dice tera incognita, e questo perche al suo tempo non li era nota*. Ptolomæo tamen duce utitur pluribus in locis, præsertim in divisione Africæ ab Asia. *Perche io non ho habuto loco in Europa de dir la vera sententia de Tolomeo circa la division dell' Africa da la Asia. Però qui dico, che lui fa quasi do division. La prima el comenza da la ponta d' Etiopia, e vien zoso per la costiera del colfo de Arabia. Poi el dice, che per non divider l' Egypto el mete el fin del Africa nel Nilo. Cum el modo suo io me acordo*. Signis arborum virentium Maurus provincias dividit. *Nota, che per tuta questa opera sono fati alcuni desegni verdi e alcune piantade de arboseli, i quali no demostra altro che la division e confini de le provincie. Ma queli vuol intender, è necessario habino ben visto ad occhio, over ben leto e intendi diligente, & habi bona geometria e bona inteligentia de desegno, perche altramente ne caverano pocho fructo. E non potrano far bon zudicio de quelo i vedrano designato qui suso*. Europæ urbes describit minori charactere, e contra majori regna & urbes Asiæ & Africæ. *Non para da nuovo a queli, che vedeno in questa Europa cussi piccole cittade, & in Asia mazor cussi grande. Perche dove ho habuto campo, ho fato luoghi grandi, e dove son streto, picoli, per queli, che vede, habi patientia, se non li satisfazo in tuto quelo i vol*. Loca nominat, uti ea suo tempore appellabantur. *In questa opera per necessità ho convenuto usar*

usar nomi moderni e vulgari, perche al vero se io avessi fato altramente, pochi me haveria inteso, salvo che qualche literato, avegnache ancora lor non possa acordar li autori cum quel, che hora si pratica. Laboris autem sui rationem reddit Maurus: *Questa opera fata a contemplation di questa illustrissima signoria non ha in si quel compimento che la doveria, perche certo non è possibile al inteleto human verificar in tuto senza qualche superna demostration questa cosmographia over Mappamundi, de la qual se puo haver qualche notitia piu a degustation, che a suplimento del desiderio; unde se algun contradira a questa, perche non ho seguito Claudio Tolomeo si nela forma, come etiam ne le sue mensure per lunghezza e larghezza, non vogli piu curiosamente deffenderlo de quel, che lui proprio non se deffende, el qual nel secondo libro capitolo primo dice, che quele parte de le qual se ne ha continua practica, se ne puo parlar correctamente, ma de quele che non sono cussì frequentade, non pensi algun se ne posi parlar cussì correctamente, pero intendando lui non haver possudo in tuto verificar la sua Cosmographia si per la cosa longa e dificile, e per la vita brieve e l' experimento falace, resta chel conciede che cum lunghezza de tempo l' opera se posi meglio descriver, over haverne piu certa notitia de quel habuto lui. Per tanto dico nel tempo mio ho solicitado verificar cum la experientia, investigando per molti anni, e practicando cum persone degne di fede, le qual hano veduto ad occhio quelo, che qui suso fedelmente demostro.* Ope itaque virorum, qui ea loca viderunt, tabulas suas expressit. Memorat Petrum Quirinum ad Norvegiam inferiorem: *In questa provincia di Norvegia scorse missier Piero Quirini, come è noto.* Oculatorum testium ope pariter, præsertim Africam meridionalem describit Maurus a Sayto prope Nilum inter Nuba & Gion usque ad caput Diab, vocatum subinde *Capo di buona speranza. Perche ad alguni par da nuovo, che io parli de questa parte meridional, la qual quasi è sta incognita a li antichi, perho io respondo, che tutto questo desegno da Sayto in suso io ho habuto da queli propri, che sono nassudi qui, che sono sta religiosi, i qual cum le so man me hano desegnato tute queste provincie e citade e fiumi e monti cum li suo nomi. Le qual tute cosse non le ho possudo meter cum el debito ordine, per non esservi logo.* Ad idem Diab caput adnotat: *oltra questo cavo non impazano i naveganti.* Refert etiam navim Indicam anno 1420. prætergressam dictum caput, sed post longam navigationem reversam. Ad caput Diab exsurgere magnam insulam medio canali. *Questa region fertilissima è sta conquista nuovamente per el gran re de Abbassia circa il 1430. qui comenza el mar scuro.* Ex iis adnotationibus, quas ex planisphærio excerpimus, luce clarius evincitur Mauro monacho tribuendum non esse exscriptoris dumtaxat nomen, sed veri scriptoris & auctoris hujus tabulæ geographicæ. Termini sive confines planisphærii San-michaeliani sunt ad Orientem Java major, quæ sita est inter meridiem & septemtrionem, non inter orientem & occidentem; sicut Java minor non respicit ad septemtrionalem Javæ majoris, sed ad meridiem inter Javam majorem & Sumatram. Ad Eurum terminat cum Catajo. Ad septemtrionem finit cum Permia post Russias, ad Corum protenditur ad insulam Scandinaviam & Islandiam, ad occidentem cum Hispaniis, ad Africum cum insula Draconum & cum Æthiopia, ad meridiem cum capite Diab, ultra quod plures statuit innominatas insulas, quarum tamen præcipuam Mahal vocat, facile Madagascar; & demum ad Euronotum cum insula Columbi. Servabatur olim planisphærium hocce in quadam aula prope ecclesiam ex hac adnotatione facta anno 1655. *Hæc tabula geo-*

Ann. Chr. 1457.

geographica, cum per centum & nonaginta quinque annorum curricula partim in ecclesia, partim vero in aula, quæ suo nomini dicata erat, & dicebatur il Mappamondo, *fuisset appensa, tandem jussu reverendissimi patris domni Francisci Gherardi, dicti Erricii, abbatis hujus monasterii in hac bibliotheca ab ipso instaurata ditata & exornata translata & collocata fuit* 1655. *die* xx. *decembris*. Obierat verisimiliter Maurus ante diem vigesimam octobris ejusdem anni 1459. quo anno perfecit planisphærium pro rege Alphonso; nam in prælaudato codice Maphæi Gherardi abbatis hæc nota legitur: 1459. xx. *octubrio. Memoria fazo, chome le copie de Mappamondi e de desegni e scripture de frar Mauro ho depoxitade al monestier de misser san Zuane de la Zudecha in man del prior del dicto monastier, zoe don Andrea, le qual scripture e desegni tutti sono posti in una chassa over bancho, e serradi con un luchetto, la chiave del qual he qui appresso de mi. Ho auto tuto indrieto questo deposito adi* xxv. *octubrio* 1464. Hæc de Mauro monacho Camaldulensi & incomparabili cosmographo congessisse non piget; cujus æreum numisma ex nostro cimelio subjicimus.



Ex ære

Ann. Chr. 1458. XX.

Antonius Piccolomineus abbas factus episcopus Senensis.

OBIERAT die sexta augusti Calixtus III. & in ejus locum suffectus fuerat die xix. ejusdem mensis Æneas Piccolomineus Senensis, qui assumpto nomine Pii II. sollicitus pro dignitate patriæ suæ, & episcopatus Senensis, quem hactenus rexerat, Antonium Andreæ Piccolomineum ex dominis Modanellæ monachum & abbatem sancti Vigilii ac sancti Salvatoris Berardingorum ordinis Camaldulensis elegit in episcopum die xviii. septembris hujus anni, acclamantibus civibus hujusmodi electioni signis lætitiæ ad duos dies. *Die interea*, inquit Titius, *septembris octava atque vigesima Antonius abbas sancti Vigilii electus episcopus possessionem episcopii magna pompa & comitantibus multis civibus apprehendit. In publico palatio*

tio legitur. *S. P. Q. S. antiſtitem ſuum ad urbis portam obvia gratulatione accipit. Legati Senenſes Romæ gratias egerunt pontifici pro hacce electione, ejus vero paupertatem notam fecere; reſpondit pontifex ſe paratum ad bonoranda merita civium Senenſium tum in patria, tum extra, defluens interea in laudes Antonii electi epiſcopi*. In archivo archiepiſcopatus extat ejuſdem pontificis bulla, qua commiſit cuicumque catholico antiſtiti gratiam & communionem ſedis apoſtolicæ habenti, & cum aſſiſtentia duorum aliorum epiſcoporum impendere Antonio electo epiſcopo Senenſi conſecrationis munus, & de hujuſmodi conſecratione eumdem dominum papam quamprimum certiorem reddere. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem anno primo. Ad Antonium Piccolomineum abbatem ſancti Vigilii Senarum extat epiſtola XXX. libri XII. Ambroſii prioris generalis, ipſoque Antonio frequenter tamquam vicario in ditione Senenſi uſos fuiſſe ſubſequentes priores generales vidimus.

ANN. CHR. 1458.

XXI. De B. Angelo de Maſſaccio monacho Camaldulenſe martyre.

AD hunc annum communiter refertur a ſcriptoribus noſtris & ab exteris martyrium beati Angeli de Maſſaccio; defectu, ut credimus, cognitionis verioris anni ipſius mortis. Cum enim per hæc tempora inſudaſſent Romani pontifices, & præſertim Nicolaus V. nullamque operam prætermiſiſſent, ut omnino delerent Fraticellorum hæreſim, qui longe lateque per Picenum Marchiamque Anconitanam numero & potentia prævalebant, ac tum Johannem a Capiſtrano, tum Jacobum a Marchia, tum alios præſtantiſſimos prædicatores deſtinaſſent in Piceni provinciam, qui eam hæreſim affatim exterminarunt, ad eadem quoque tempora retulerunt martyrium beati Angeli; quod noſtra ſententia ultra quinquaginta annos eſt præveniendum. Vidimus ad annum 1401. Bonifacium IX. quinto-decimo kalendas januarii XIII. ſui pontificatus anno contuliſſe prioratum ſanctæ Mariæ de Serra ordinis Camaldulenſis Æſinæ diœceſis, qui vacaverat per obitum Angeli de Nuceria, Clementi epiſcopo Theleſino ordinis ſancti Auguſtini, quo utebatur confeſſario. Angelus de Nuceria, ni fallimur in conjecturis noſtris, prior ſanctæ Mariæ de Serra, in hac pontificia bulla nominatus ipſe eſt beatus Angelus, qui communiter dicitur de Maſſaccio, & eo proinde anno 1401. martyr occubuerat, manibus hæreticorum interemptus. Concurrunt enim omnia. Beatus Angelus martyr, dictus communiter de Maſſaccio, erat prior ſanctæ Mariæ de Serra. Porro Angelus ex urbe Nuceria oriundus erat prior ſanctæ Mariæ de Serra, qui prioratus milliario diſtabat a Maſſaccio, & regimen dicti loci tenebat ſaltem ab anno 1397. quo ipſi demandavit Andreas prior generalis Camaldulenſis, ut monaſterii ſancti Georgii de Monte-ruberto poſſeſſionem traderet Johanni olim Chriſtophori de Gualdo monacho, qui erat prior ſancti Angeli de Serra; ex quo obiter etiam obſervamus duplicem fuiſſe prioratum de Serra in finibus Maſſaccii, alterum dictum ſanctæ Mariæ, alterum ſancti Angeli. Idem Angelus de Nucerio erat etiam hoc anno 1401. prior ſanctæ Mariæ de Serra prope caſtrum Maſſaccii, ut compertum fit ex mox enunciata bulla, & inſuper ex alia electionis pagina, qua *vacante eo monaſterio per mortem Angeli de Nocerio, ultimi gubernatoris præfatus Andreas prior generalis die* XV. *decembris* [a] *de conſilio eremitarum præfecit in priorem & rectorem domnum Johannem Jacobi Guidonis de Burgo-ſancti-Sepulcri monachum dictæ eremi, ad beneplacitum ſuum & eremitarum, committens abbati ſancti Zenonis Piſarum & præpoſito eccleſiæ Maſſaccii dicti ordinis, ut eumdem Johannem in poſſeſſionem ejuſdem prioratus inducerent, promiſſa obedientia & præſtito juramento ſupra Dei evangelia. Actum in Fonte-bono manu Johannis quondam Franciſci Ciuccii de Burgo-ſancti-Sepul-* cri

[a] §. *Electio*.42. *A*. 5.128.

ANN. CHR. 1458.

cri notarii cum sigillo prioris. Idem Johannes die XXIII. novembris anni 1410. tamquam prior sanctæ Mariæ de Serra adstitit capitulo generali, quo electus fuit in priorem generalem Antonius abbas Vangaticiensis. Post Johannem nullus occurrit Angeli nomine prior sanctæ Mariæ de Serra. Ipso anno, quo communiter creditur obiisse Angelum priorem Maflaccii, nempe 1458. erat prior sanctæ Mariæ de Serra Massaccii Donatus. Illud additur, quod Angelus noster aliquot annis vixit passionemque subiit ante tempora sancti Jacobi de Marchia, cujus testimonium de beati Angeli morte mox afferemus; sed sanctus Jacobus ante annum 1458. contra Fraticellos dimicavit, missus ante decennium secunda vice in marchiam Anconitanam a Nicolao V. & prima vice a Martino V. Romanis pontificibus anno 1426. superest ergo, ut martyrium beati Angeli aliquo tempore ante annum 1458. sit statuendum. Testimonium itaque sanctitatis & martyrii beati Angeli omni exceptione majus est idem sanctus Jacobus a Marchia ordinis Minorum observantium, qui in libro per manum sui secretarii conscripto, sed sua propria manu signato & subscripto, in quo in forma dialogi disputat catholicus cum hæretico, hæc habet: *Ecco la carità della vostra chiesa. Queste sono le opere della vostra pietate. Christo in Cruce con li suoi Santi chiama: Perdona, perdona; e voi con li Giudei chiamate: Mora, mora; Uccide, uccide. Siccomo facesti del beato Angelo de 'l ordine di Camaldoli, lo quale perseguitava la vostra maladetta setta, la cui morte como digno sacrifizio offerto a Dio per diffensione della immacolata fede di Christo, lo ha justamente acceptato & demonstrato con evidenti segni di molti miracoli essere a Dio sommamente grato*. Qui liber reperiebatur in archivo conventus Eremitæ ejusdem terræ Massaccii, ut fidem facit Hieronymus Zanardus abbas Camaldulensis, qui ea verba legit capite VIII. pag. 27. & ad preces Johannis Mabillonii transcripsit. Confirmantur hæc a Wadingo [a] in Scriptoribus ordinis Minorum. Afferens enim invectivam beati Jacobi Marchiani contra Fraticellos scriptam circa annum 1450. sic catholicus exprobrat vitia & iniquitates hæreticorum. *Hæc est illa pietas ecclesiæ vestræ. Christus clamat in Cruce: Ignosce Pater, & vos continuo clamastis: Interfice, ut interfecistis beatum Angelum ordinis Camaldulensis damnatam vestram sectam persequentem. Hæc beatus Jacobus contra gentem perniciosissimam, quam nullo loco passus est consistere, donec totam verbo, scriptis & gladio exterminavit*. Mss. codex, characteris Gothici, qui sub finem seculi præteriti servabatur apud patres Reformatos Massaccii, modo creditur esse in Urbe, translatus occasione processus Sanctificationis beati Jacobi. Eadem verba in Italicum idioma adducuntur in vita ejusdem sancti Jacobi de Marchia a Johanne Barberio concinnata, sub capite V. pagina 17. quæ reperitur in bibliotheca patrum Reformatorum ordinis sancti Francisci ad sanctum Sebastianum de Urbe. Ex iis conficitur saltem ante annum 1450. martyrem occubuisse beatum Angelum. De ipso Angelo hæc [b] habet Fortunius: *Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo-octavo illustravit felici transitu suo templum sanctæ Mariæ de Serra extra Massaccium beatus Angelus ibi monachus, qui cum Berlotanæ sectæ extirpandæ, quasi auctor vehementi prædicatione sua fuisset, a quibusdam sceleratis propterea occisus fuit. Ad cujus tumulum Deus optimus maximus miracula multa ostendere dignatus est in ipsa ecclesia, quæ nunc ex ejus nomine sancti Angeli dicitur. Cujus rei gratia, eo inter Sanctos ordinis relato, carmen istud in sepulcro ad notissimam aram fuit sculptum imperiti artis metricæ auctoris*:

[a] T. V. p. 178.

[b] P. II. lib. III. c. 30.

Virgo

Virgo sacra Filio, Patrique corona donata
In cælis assistens sit tibi cura nostri.
Gemma monachorum arca jacet Angelus ista.

Thomas Minius in catalogo Sanctorum & Beatorum Camaldulensium [a]; „ Beatus Angelus de Massaccio martyr concionator insignis occisus ab hæ-„ reticis anno Domini 1458. & sepultus est in ecclesia suo nomini dica-„ ta. " At diligentissimus in conquirendis actis Sanctorum Camaldulensis ordinis, & ad Bollandistas socios transmittendis Andreas Vallemannius Camaldulensis, cum esset abbas monasterii sancti Laurentii de Massaccio, hæc ad eos scripsit [b]: „ De beato Angelo, qui nunc communiter italice dici-„ tur *del Massaccio*, præter ea, quæ habet Florentinus secunda parte pag. „ 145. addam aliqua. Ecclesia, quæ etiamnum ab omnibus dicitur sancti „ Angeli, distat ab hoc meo monasterio Massaccii milliare. Ejus corpus „ jacet sub altari majori, illudque invisi etiam transacta hebdomada. Ce-„ lebratur ejus festum die octava maji, concurrentibus vicinis populis. „ Transferendum est ad templum sancti Laurentii, collocandumque sub al-„ tare majori ex diversis marmoreis lapillis perpolitis affabre facto, quod „ propterea vacuum relictum est. Fiet autem Deo dante ejus translatio ad „ mensem maji anno 1664. Aderit tunc ad sollemnem translationem emi-„ nentissimus cardinalis Cybo pietate, zelo, vigilantia & summa integri-„ tate eximie præfulgens, optimus Æsii episcopus, fervido concionum ver-„ bo & exemplo pascens Christi gregem. Una cum præfati Angeli corpo-„ re transferentur etiam sacra corpora sancti Tiburtii martyris, & sanctæ „ Fortuniæ virginis & martyris ex cæmeterio Priscillæ via Salaria, & „ Calixti Romæ desumpta & huc translata, collocanda sub eadem ara ma-„ jori, quorum corpora habeo in meis ædibus. " Hæc ad Bollandistas abbas Vallemannius, qui in adjunctis literis subdiderat „ se post translatio-„ nem factam omnia transmissurum; quæ cum non afferrentur, eumdem „ (subdunt supradicti socii) promissi memorem fecimus per literas, sed pro „ eo tunc visitatoris generalis officio obeunte, Faventiæque absente, re-„ scripsit reverendissimus dominus Michael-angelus Ferraccius abbas sancti „ Laurentii Massaccii die XXVIII. maji 1667. translationem quidem de-„ stinatam tunc, sed nondum factam esse, eminentissimo cardinale Cybo „ Æsienses infulas transferente in consanguineum suum illustrissimum & „ rever. Laurentium Cybo, vigilantissimum etiam ipsum, optimumque pa-„ storem, animarum zelo, prudentia, integritate præfulgentem. " Vincentius Liveranus, qui pariter fuit abbas sancti Laurentii de Massaccio posterioribus annis, refert „ se ivisse ad abbatiam sancti Angeli, & dempto „ pallio altaris, quod unicum est in ea ecclesia, invenisse cratem ferream, „ quæ totum altare circumcludit cum foliis & laminis ferreis, intusque „ reconditam esse capsam, ubi quiescit corpus beati Angeli. Capsam es-„ se coloribus ornatam & cum ornamentis deauratis, super operculnm au-„ tem capsulæ expressa duo capita, & in eorum medio Seraphim dear-„ gentatum. Celebrem ipsius beati Angeli diem festivum haberi die octa-„ va maji, qua Missæ celebrantur, Missa sollemnis & vesperæ decantan-„ tur, & mane procedit suppliciter magistratus terræ ex consuetudine im-„ memorabili. In monasterio Massaccii marmoream tabulam existere pa-„ ratam jam ab anno 1664. cum sequentibus verbis: *Ossa corporis beati* „ *Angeli de Massaccio ordinis Camaldulensis ab hæreticis occisi anno* M. „ CCCC. LVIII. *huc translata anno Domini* M. DC. LXIV. sed eam trans-„ lationem effectum suum sortitam non fuisse. In eadem ecclesia sancti

[a] *Pag.* 20.

[b] *T. II. maji pag.* 356.

Ann. Chr. 1458.

„ Laurentii, in ipsa sancti Angeli abbatia, aliisque in locis varias extare „ effigies ejusdem beati martyris. “ Authenticum etiam instrumentum sive publicam fidem habemus Francisci Matolsi a Ripa-transona notarii & cancellarii episcopalis Æsini ad annum 1703. diem III. junii, in quo colliguntur aliquot visitationes factæ corporis beati Angeli, & inter ceteras legitur: „ Fidem facio ac testor, ut supra, qualiter in actis 1653. visita„ tionis sub die IX. decembris initæ ab adm. rev. p. Magistro Johanne„ baptista Pinna priore sancti Augustini Perusiæ visitatore deputato a bo„ næ memoriæ eminentissimi domini cardinalis Corradi tunc temporis epi„ scopi Æsini adsunt notata, quæ infra videntur: *Visitavit corpus beati An„ geli de Massaccio, qui, ut asseritur, fuit occisus ab hæreticis in odium fidei* „ & alias latius &c. Ad annum 1697. corpus visitavit episcopus Alexander „ Fidelis, & legitur in libro visitationis: *Sub ara Crucis viderunt requie„ scere corpus beati Angeli monachi Camaldulensis*; & ad annum 1700. „ idem episcopus Fidelis denuo visitans eamdem ecclesiam die XIV. maji „ scribere fecit: *Visitavit altare majus, quod est unicum, illudque reperiit „ decenter retentum, & sub ara ejusdem reconditum jacet corpus beati An„ geli martyris*. In fronte altaris apponi mandavit inscriptionem literis ma„ juscculis: *Hic requiescit corpus beati Angeli martyris ordinis Camaldulen„ sium*; “ quod authenticum Matolsi instrumentum reperitur in archivo sancti Romualdi de Urbe.

Communiter traditur ecclesiam, quæ prius appellabatur sanctæ Mariæ de Serra, cujusque prior erat beatus Angelus, ab ejus morte, & sepulturæ demandato in ea corpore ejusdem sancti martyris, relicta veteri nomenclatura, deinceps appellatam fuisse ecclesiam sancti Angeli. Leo X. Romanus pontifex nominans anno 1513. monasteria Camaldulensia: „ Mo„ nasterium, inquit, sancti Severi de Perusia cum prioratu sanctissimæ „ Trinitatis illi annexo & eorum annexis, quibus unimus prioratum san„ cti Antonii de Tuderto, *ac prioratum sancti Angeli dictum de Massac„ cio*; “ Paulus III. anno 1538. duodecimo kalendas aprilis pontificatus anno IV. episcopo Cajetano & abbati monasterii de Campo-fellone ac priori prioratus del Poggio Firmanæ & Æsinæ dioecesum: „ Significavit nobis „ dilectus filius Laurentius de Adimaris *prior prioratus sancti Angeli loci „ del Massaccio* Æsinæ dioecesis ordinis Camaldulensis, quod nonnulli ini„ quitatis filii &c. “ pari modo Sixtus V. „ *nec non in monasterio san„ cti Angeli de Massaccio nuncupati Æsinæ dioecesis*. “ Quod autem monasterium seu abbatia sanctæ Mariæ in Serra idem esset cum abbatia postea denominata sancti Angeli, locupletissime ajunt haberi ex instrumento anni 1573. quod extat in archivo monasterii Massaccii, quod tamen non vidimus. Atque ita duplicem in eadem Æsina dioecesi exsurrexisse ecclesiam sancti Angeli, aliam sancti Angeli, frequentius dictam sancti Michaelis de Valtricaria, seu de Quadrigaria, antiquissimum olim monasterium; aliam dudum dictam sanctæ Mariæ de Serra, quæ post tumulationem corporis beati Angeli martyris, sancti Angeli appellationem promeruit. In geographicis tabulis Atlantis magni tomo VIII. pagina 117. inter Massaccium, Staphylum & Æsium legitur nomen & locus *sancti Angeli*.

Lubet post ea, quæ afferimus, ut plenam de beato Angelo notitiam habeamus, subjicere, quæ ex codice Mabillonii transcripserunt in suo Thesauro Novissimo doctissimi collectores Martene & Durandus [a]. „ Ex anti„ quissima, inquiunt, traditione seniorum terræ Massaccii in Marcha An„ conitana in territorio civitatis Æsii accepimus beatum Angelum fuisse „ fami-

a T. VI. col. 1439.

» familiæ Urbanorum honesta & civili; nec multis ab hinc annis decessit
» e vita quædam mulier ejusdem familiæ ultima. Beatus igitur Angelus
» induit Camaldulensem habitum in monasterio sanctæ Mariæ posito ex-
» tra Massaccium itinere unius milliarii, hodie vocatur abbatia sancti An-
» geli. Fuit vir doctissimus, prædicator insignis, atque honoris Dei zelan-
» tissimus. Emicuit ejus virtus eo tempore, quo pestifera hæresis Barbo-
» tanorum, qui Itala lingua vocantur *i Fraticelli*, *ovvero i Barbozali*,
» grassabatur in Italia. Beatus Angelus cupiens eam extinguere, cepit suis
» ardentissimis prædicationibus hæreticos persequi, ac rationibus & Scri-
» ptura divina confutare. Tandem anno 1458. egressus e suo monasterio,
» & repertos in quodam nemore vicino aliquos hæreticos ejusdem sectæ,
» qui die festo ligna cædebant, & ex consueto illos redarguens, atque
» errores suos illis exprobrans, eisdem armis, quibus arbores cædebant,
» impie occisus fuit. In ejus martyrio hoc miraculum narratur, & in pa-
» riete post altare majus, ubi ejus corpus honorifice positum est, depi-
» ctum visitur. Nescientes monachi, ubi esset beatus Angelus, quia non
» revertebatur ad monasterium, canis, qui solitus erat Angelum sequi,
» dum extra monasterium pergebat, regrediens, & quasi gemens ac latrans
» videbatur monachis innuere, ut eum sequerentur, qui ab eodem cane
» ducti ad locum, ubi sanctissimum corpus suum sanguine totum consper-
» sum jacebat, perveniunt, & causam suæ mortis agnoscentes, atque an-
» te ipsum fratrem gemitibus magnis deplorantes, toto populo illuc accersi-
» to, ac omni clero celebri pompa vocato, ad suum monasterium detu-
» lerunt, & in ara magna, ubi nunc etiam est, deposuerunt, ubi Deus
» ad ejusdem Sancti preces multas gratias fidelibus populis concessit. De
» beato Angelo mentionem faciunt historiæ Camaldulenses libro tertio cap.
» 30. his verbis. " Hic verba Fortunii superius allata exscribunt. „ In
» eadem ecclesia, subdunt, etiam antiquissima extat pictura in pariete,
» & supra caput Beati leguntur hæc verba: *Beatus Angelus de Massaccio*,
» & sub pedibus: Anno Domini M.CCCC.LVIII. die primo mensis maji ".
Hæc de beato Angelo Camaldulensi monacho & martyre collegisse suffi-
ciat, conjecturasque nostras aperuisse, cur ad annum 1401. reducendam
credamus ipsius passionem, contra communem ceterorum omnium opinio-
nem, qui ad hunc annum 1458. referunt.

Ann. Chr. 1458.

Ann. Chr. 1459. XXII. Pius II. Petrum de Monte præficit monasterio Classensi.

PIUS II. Romanus pontifex relato, quod Nicolaus V. ejus prædecessor reservaverat sibi collationem monasterii sancti Apollinaris in Classe Ravennæ post mortem Aloysii de Puteo abbatis, qui extremum diem obierat anno 1454. & ipsum interea commendationi tradiderat Philippi Calandrini S.R.E. cardinalis, narrato etiam quod idem cardinalis hodierna die sponte cesserat & renuntiaverat commendæ ejusdem monasterii in manibus suis, Petrum abbatem sancti Michaelis de Lemmo, de quo plura retulimus ad annum 1456. constituit in abbatem sancti Apollinaris & sancti Severi monasteriorum unitorum, quarto-decimo kalendas aprilis pontificatus sui anno primo. Datum Senis. Eadem die conventui monasterii Classensis significavit, quod cessante commendatione Philippi cardinalis præfecerat in ipsorum abbatem eumdem Petrum. Extant etiam literæ Paschalis Maripetri ducis Venetiarum datæ die undecima septembris ad Marinum Maripetrum potestatem Ravennæ, quibus indicat ipsum Petrum electum fuisse abbatem Classensem a Romano pontifice. Similiter idem dux Maripetrus Petrum commendatum facit Sigismundo Pandulpho de Mala-

 testis

ANN. CHR. 1459.

testis Ariminensi domino die XXI. decembris indictione VIII. pro bonis ejusdem abbatiæ sitis in ditione Ariminensi; ex archivo Classensi.

XXIII. Idem erigit Senensem ecclesiam in archiepiscopalem.

DECIMO Kalendas maji pontificatus sui anno primo anno M. CCCC. LIX. ex Senis episcopalem Senensem ecclesiam in archiepiscopalem erexit, Antoniumque primum archiepiscopum declaravit, tributis ei suffraganeis Suanensi, Massana, Grossetana, Clusina, Pientina & Ilcinensi ecclesiis. Bulla erectionis extat apud Ughellium Tomo III. Italiæ sacræ [a], pallium archiepiscopale concedens Antonio archiepiscopo Senensi ejusque successoribus. Constitutiones etiam quinquaginta-sex confici curavit pro bono regimine ejusdem ecclesiæ, quas condidere idem Antonius archiepiscopus, & Agapitus Cincii de Rusticis canonicus basilicæ principis Apostolorum de Urbe referendarius & familiaris suus, ac causarum palatii apostolici auditor, quas confirmavit undecimo Kalendas maji pontificatus sui anno primo apud eumdem Ughellium [b]. Paulo post mensæ archiepiscopali Senensi assignata fuere bona monasteriorum Berardingæ & sanctæ Mustiolæ de Turribus. Sed ad parvum temporis archiepiscopali dignitate, imo lucis usura gavisus est Antonius, qui rediens e balneis Montis-amiati, infirmitate gravi laborans, die octava novembris hujus anni diem supremum obiit in Crevole castro suæ ditionis, tumulato ejus corpore in Metropolitana Senensi.

a Col. 575.

b Col. 577.

XXIV. Confirmat apostolica bulla monasteria & privilegia Camaldulensium.

EX urbe Mantuana, ad quam accesserat Pius II. pro habendo conventu ad conficiendam expeditionem principum Christianorum adversus Turcas pontificatus sui anno II. quarto nonas octobris ad petitionem Mariotti prioris generalis Camaldulensis confirmavit privilegia Alexandri IV. & V. & Calixti III. suorum prædecessorum, in quibus recensentur loca & monasteria omnia ordinis Camaldulensis. Verum quia post diploma Alexandri IV. plura ordini Camaldulensi succreverant loca, quæ in ejus privilegio expressa non erant, idcirco Mariottus institerat apud eumdem Romanum pontificem, ut ipsa recensere & confirmare dignaretur. Ea porro sunt: „ Monasterium sancti Clementis virorum, asceterium sancti Benedi„ cti sanctimonialium in urbe Arretina, cœnobium sanctæ Mariæ de Sa„ xo, possessiones emptæ a comitibus Reginopolis in Arretina diœcesi, „ sancti Martini de Tiphio Castellanæ diœcesis, sanctæ Mariæ de An„ gelis Florentiæ, sancti Felicis in Platea, sancti Benedicti extra muros „ ejusdem urbis, sanctæ Mariæ de Adelmo in Volaterrana, monasterium „ Eremitæ, aliud sancti Salvatoris in Podio Æsinæ diœcesis, sancti Seve„ ri extra mœnia Ravennatis urbis, & sancti Petri ad Vincula ejusdem „ territorii, sanctæ Mariæ de Vincareto, & sancti Sigismundi de Cave„ decollis in Britonoriensi, sancti Angeli de Vergareto in Sarsinate, una „ cum monasterio sancti Johannis inter Ambas-paras, sancti Hilari in Ga„ leata, sanctæ Mariæ in Balneo, sancti Johannis-baptistæ, sancti Maglo„ rii, sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo in Faventina diœcesi, san„ ctæ Mariæ de Angelis prope muros Bononiensis urbis, & sanctæ Ma„ riæ Camalduli Bononiensis, sanctæ Mariæ de Camaldulo Foro-liviensi, „ & sancti Salvatoris ejusdem urbis, sanctæ Mariæ de Carceribus, sanctæ „ Mariæ Montis-crucum, sanctæ Mariæ de Porcilia, cum ecclesiis sancti „ Michaelis, & sanctæ Mariæ de Orbisio Patavinæ diœcesis, sancti Johan„ nis-baptistæ de Judaica Venetiarum, sancti Johannis-baptistæ de Fossa„ clodia, sancti Martini de Opitergio in Tarvisina, & sancti Martini de „ Prata, sanctæ Mariæ de Rosa, & sancti Petri de Toma in Senensi, „ sancti Romualdi Vallis-castri in Camerinensi, sancti Blasii de Fabriano, „ sancti Urbani de Æsinante, hospitale Castri-cari in Faventina diœcesi,

„ omnia-

„ omniaque alia monasteria, prioratus & loca acquisita ab eremo Camal-
„ dulensi & ab ordine post Alexandrinum privilegium. " Cum autem in Alexandrino monasteria sancti Michaelis in Palude & sancti Mathiæ de Muriano dicta fuissent in diœcesi Tarvisina, quæ revera erant in Torcellana, voluit, ut de subreptione literæ præfatæ, propter hocce vitium, notari minime deberent. Confirmavit autem iterato præter loca, privilegia omnia, exemptiones, libertates, indulta, aliasque Alexandri IV. Alexandri V. & Calixti III. concessas gratias ordini Camaldulensi; ex archivo Fontis-boni [a].

Ann. Chr. 1459.

Petro Boldù abbati Carcerum dederat in mandatis idem Romanus pontifex Pius II. ut interesset electioni abbatissæ parthenonis sancti Benedicti de Padua, ab eoque factam executionem literarum apostolicarum laudat; verum cum electa abbatissa insignis satis monasterii esset decrepita, ideo ex eadem urbe Mantuana die XXVI. septembris pontificatus sui anno II. eidem Petro commisit, ut pro sua prudentia provideret auctoritate apostolica.

a §. *Privilegia* 17.

XXV. Monasteria Montis-crucum & Porciliense erecta in loca studiorum.

Mariottus prior generalis Camaldulensis Paduæ consistens in contrata sancti Johannis a Navibus in domo abbatis monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus hoc anno M. CCCC. LIX. indictione VII. die Lunæ XXIV. septembris exposuit, quod auctoritate apostolica Calixti papæ III. fuerat ordini Camaldulensi indultum, ut in dicto ordine tres officiales, præsidentes nuncupati, permanere deberent, quorum primus foret prior generalis, alter Major eremi, tertius alius prælatus ordinis per generalem & Majorem eligendus, quorum cura foret provisio & institutio studiorum literarum in nonnullis locis aptioribus dicti ordinis, & præsertim in monasteriis Candiculano, Patavino, Bononiensi, Senensi & Perusino, in quibus urbibus scholæ & studentes florebant. Volentes igitur ipse prior generalis Mariottus, & Franciscus de Hispania Major auctoritatem a sede apostolica ipsis commissam exequi, elegerunt Petrum Boldù Abbatem Carcerensem in tertium studiorum præsidentem pro deputando studio in civitate Patavina, assignato a Francisco Hispano loco sui Maphæo Gherardo tamquam electore, abbate sancti Michaelis de Muriano. Atque primum prolatæ fuere in medium literæ Calixti III. datæ Romæ apud sanctum Petrum anno M. CCCC. LVII. tertio idus maji pontificatus sui anno III. quibus copiam facit eligendi hujusmodi præsidentes pro studiis juxta statutum capituli generalis ordinis celebrati in monasterio sancti Savini Pisarum, & juxta petitionem Johannis cardinalis tituli sanctæ Mariæ trans Tyberim protectoris ordinis, alteramque petitionem Mariotti prioris generalis. Secundo allata fuere per extensum acta ejusdem capituli habiti anno M. CCCC. XLIX. indictione XII. mensis maji die XI. quoad studiorum loca deputanda, & quoad contributiones ceterorum monasteriorum pro hujusmodi locis studiorum. Tertio producta fuit electio Petri Boldù facta a Mariotto & a Francisco Majore, qui substituit Gherardum abbatem sancti Michaelis. Electio ista facta fuerat die XX. junii hujus anni. His in antecessum lectis ipse prior generalis, Petrus Boldù, & Maphæus Gherardus statuerunt, quod monasteria sanctæ Mariæ Montis-crucum, & sanctæ Mariæ de Porcilia cum omnibus juribus & pertinentiis suis sint & deputentur in usum studentium assignandorum in urbe Patavina per ipsos præsidentes, quorum numerus ad sex ascendat, redditus quoque eorumdem monasteriorum expendi debeant in substentationem dictorum studentium, in provisionem magistrorum & librorum, ita tamen ut divinus cultus in his monasteriis non negligatur. Subsidium quoque tribuere debeant pro studentibus monasteria

sancti

ANN. CHR. 1459.

sancti Martini de Opitergio, & de Prata, monasterium autem Carcerum & Petrus abbas se obligavit pro omnibus iis, quæ ultra hæc necessaria forent studentibus.

a Arch. S. Romualdi fasc. 53. 12.

Idem Mariottus prior generalis in epistola ad eumdem abbatem Carcerum scripta ex Vangaticia die XXVI. septembris hujus anni [a], & existente in tabulario sancti Romualdi de Urbe asserit se conscidisse unionem olim factam monasterii sancti Benedicti de Fileto cum altero sancti Martini de Opitergio, & velle, ut deinceps uterque prioratus separatus existat, & a duobus prælatis gubernetur.

XXVI. Capitulum Fontis-boni; & plures in eo latæ constitutiones.

ANTE hæc celebratum fuerat hoc ipso anno M. CCCC. LIX. indictione VII. tempore sanctissimi in Christo patris Pii II. die VIII. aprilis capitulum generale congregationis in monasterio Fontis-boni, cui interfuerunt tamquam definitores Maphæus abbas sancti Michaelis de Muriano, Philippus abbas sancti Hippolyti de Faventia, Hieronymus abbas Burgensis, Petrus abbas sancti Michaelis de Pisis, Nicolaus Major Camaldulensis eremi una cum ipso Mariotto priore generali. Inter cetera statuta legitur, quod attendentes definitores præfati monasterium sanctorum Jacobi, & Christophori de Mandriolis situm in curia Massaccii comitatus Æsii fuisse ab ordine Camaldulense ablatum, & a religiosis ordinis Minorum de observantia occupatum, & attento, quod existit quædam ecclesia, quæ est in castro Podii-cupi dicti comitatus sub vocabulo sancti Salvatoris constructa & unita cum dicto monasterio de Mandriolis, tamquam ejus manuale membrum, ad hoc ut titulus prioratus de Mandriolis non deficiat, definierunt, quod omnia bona & jura prædicti monasterii de cetero spectent ad dictam ecclesiam sancti Salvatoris, & prioratus erigatur in ipsa ecclesia, qui provideatur de rectore, ut agi consueverat in cœnobio de Mandriolis. Priori generali tributa fuit omnimoda facultas uniendi Camaldulensi ordinem Silvestrinorum monachorum. Pro obtinenda abbatia Berardingæ, ordinique restituenda scriptæ fuere epistolæ Francisco Piccolomineo nepoti Romani pontificis Pii II. Approbata quoque fuit in ipso Fontis-boni capitulo constitutio olim edita per Frigdianum priorem generalem & per definitores capituli generalis celebrati anno 1293. in monasterio sancti Vigilii Senarum contra rebelles ordinis; altera pariter facta sub Gerardo priore generali anno 1279. prohibens recursum ad Romanam curiam sine licentia prioris generalis, quam extenderunt etiam ad literas scriptas, vel ad personam interpositam absque prævia facultate cardinalis protectoris, vel prioris generalis; alia item de prælatis vel monachis non assumendis ad capellaniam alicujus domini; alia de falsariis sigilli prioris Camaldulensis, vel de aperientibus literas ejusdem prioris ad monachos, aut monachorum ad priorem. Has autem constitutiones, sive mavis confirmationes Leonardus Dathus secretarius apostolicus & ordinis Camaldulensis in Romana curia procurator exhibuit, ut eas ratas haberet, Johanni tituli sanctæ Mariæ Transtyberim cardinali presbytero nuncupato vulgariter sancti Sixti, & Camaldulensis ordinis protectori, (de Turre-cremata) quas ipse approbavit, & confirmationis robore communivit anno M. CCCC. LIX. die XIX. mensis julii pontificatus Pii papæ II. anno I. in urbe Mantuana in domibus suæ residentiæ. Ciacconius, ceterique continuatores passim habent Johannem de Turre-cremata fuisse episcopum Albanensem & Sabinensem sub Calixto III. & Pio II. titulum tamen semper in nostris paginis servat sancti Sixti, vel sanctæ Mariæ in Transtyberim.

ANTO-

Ann. Chr. 1460.

XXVII. Pii II. bullæ pro Camaldulensibus.

ANTONIO primo Senensi archiepiscopo defuncto datus fuit a Pio II. successor Franciscus Piccolomineus Nannis Tedeschini a Sarthiano, & Laudomiæ Piccolomineæ sororis ejusdem pontificis filius, cujus electio publicata fuit die XIX. februarii hujus anni, qui eodem tempore declaratus est abbas commendatarius sancti Vigilii [a]. Die quinta martii electus est diaconus cardinalis sancti Eustachii. Videbimus ipsum ad plures annos protectionis munus gessisse ordinis Camaldulensis.

Die XXIII. julii pontificatus sui anno II. mandavit Pius II. Mariotto priori generali, ut assumptis secum quatuor ordinis prælatis visitaret & reformaret monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, quod colore suarum exemptionum, immune se credebat, declinabatque prioris generalis correctionem, atque multum a pristina disciplina corruerat, revocatis quibuscumque delegationibus visitationum ab alienis peragendarum. Datum Senis; ex [b] tabulario Fontis-boni.

XXVIII. Quæstiones Camaldulenses habitæ in Fonte-bono.

HOC anno vitandi æstus, ac animi laxandi gratia Laurentius & Julianus Petri de Medicis Camaldulum venerunt una cum literatissimis viris Alamanno Rinuccino, Petro & Donato de Acciajolis, Marco Parente & Antonio Canigiano, quos apud eremi Camaldulensis cellas offendisse asserit Christophorus Landinus, cum in agrum suum Casentinatem Burgi Collinæ atque Camaldulum eodem tempore convenisset, quibuscum *Quæstiones Camaldulenses* habuit, assistente interdum priore generali Mariotto, & paulo brevi affuturis e Roma Leone-baptista Albertio, & a villa Figline Marsilio Ficino, qui simul caniculares dies in solitudine & per silvas Camaldulenses loquentes de vita activa & contemplativa & de summo bono transegere. Hoc opus Landinus edidit anno 1464. nuncupavitque Friderico Ubaldinio Urbinati principi mœcenati ea tempestate clarissimo. Hæc ex specimine Bandinii [c]; & ex chronico Baroncinii.

Die vigesima-secunda februarii hora vigesima hujus anni allata fuit in oppido Abbatiæ Pollicinii ad ecclesiam Vangaticiensem imago beatæ Mariæ virginis, ut legitur ad calcem necrologii Vangaticiensis, & apud Bronzerium [d], & Senesium [e].

XXIX. Maphæus Gherardus sæpius postulatus ad patriarchatum Venetiarum.

MAPHÆUS Gherardus abbas sancti Michaelis de Muriano prima vice hoc anno postulatus fuit ad patriarchalem sedem urbis Venetiarum post mortem Maphæi Contareni, item Petrus Boldù abbas Carcerum. Sed electio cecidit super Andream Marini Bondimerium fundatorem congregationis canonicorum regularium sancti Spiritus Venetiarum electum die XXVIII. martii. Iterum Maphæus postulatus fuit die nona augusti anni 1464. Prævaluit suffragiorum numero Gregorius Corrarius Gregorii XII. pronepos & Antonii cardinalis nepos, qui tertio ab electione sua mense decedens locum fecit Johanni Barotio Pauli II. nepoti. Competitores habuit Barotius die XXVIII. novembris tertio ipsum Maphæum Gherardum abbatem & vicarium generalem ordinis, & Petrum Donatum quondam Hermolai monachum ejusdem monasterii sancti Michaelis. Demum quarto postulatus ad Venetum patriarchatum Maphæus, electus remansit communi patrum voto anno 1466. ad diem octavam aprilis, Petro Boldù rejecto, qui etiam ipse nominatus fuerat ea vice, ut ad eum annum dicemus.

Ann. Chr. 1461.

XXX. Monumenta aliquot monasteriorum.

SEXTO kalendas decembris pontificatus sui anno IV. Pius II. ex petitione Petri de Monte abbatis sancti Apollinaris in Classe & sancti Severi monasteriorum unitorum mandavit episcopis Pisaurensi & Firmano, ac vicario archiepiscopi Ravennatis, ut recuperare satagerent bona dictorum cœnobiorum vel alienata vel distracta ab abbatibus antecessoribus vel a com-

[a] *Pecius pag.* 322.

[b] §. *Brevia* 72. *A.* 5. 3.

[c] *T. II. pagg.* 2. 18. 22. 28.

[d] *Pag.* 188.

[e] *Pag.* 71.

ANN. CHR. 1461.

a commendatariis, quandoquidem idem Petrus modernus abbas totis viribus contendebat monasteria dicta in structuris reparare , regularem observantiam inducere, & abbatiarum bona restituere; ex archivo Classensi, ex quo etiam habemus ecclesiam sancti Paterniani de Puteo adjudicatam fuisse die XV. aprilis spectare ad eamdem abbatiam Classensem , non ad Pisaurensem, in præsentia Antonii quondam Andreæ de Florentia abbatis sanctorum Decentii & Germani, in qua Raphael de Rinaldinis Florentinus abbas Pisauri anno 1447. XX. maji sui juris existimans rectorem instituerat.

Ex tabulario Fontis-boni [a] anno M. CCCC. LX. die XII. februarii ab Incarnatione Jacobus abbas monasterii sancti Salvatoris de Florentia commissarius apostolicus vigore literarum apostolicarum illi directarum requisitus immisit in corporalem possessionem monasterii sancti Felicis in Platea Florentiæ Lucam de Dathis fratrem Leonardi secretarii apostolici electum abbatem dicti monasterii; manu Petri Jacobi de Megliorellis notarii.

a Tenuta 32. A. 5. 7.

Maldolus Masii de Burgo-sancti-Sepulcri prior Montis-crucum & Porciliæ constituit in præsentia Mariotti prioris generalis in suum procuratorem Lucam quondam Antonii de Brixia monachum Camaldulensem die prima augusti hujus anni in monasterio Fontis-boni coram Jacobo abbate Silvæ-mundæ & Johanne priore sancti Laurentini; ex pagina archivi sancti Mathiæ de Muriano.

Braschius [b] in historia Cæsenatis urbis assignat huic anno fundationem monasterii sanctæ Catharinæ de Cæsena, sed jam vidimus ad annum 1452. prima eo anno jacta fuisse fundamenta ejus ecclesiæ ope Malatestæ familiæ.

b Pag. 295.

XXXI. Abbates S. Michaelis Pisarum rectores hospitalis papæ Alexandri.

PETRUS de Tenagliis Volaterranus abbas sancti Michaelis in Burgo Pisarum rector & gubernator erat hospitalis novi Misericordiæ sancti Spiritus de Pisis, quod papæ Alexandri vulgariter nuncupabatur, & ad Romanam ecclesiam nullo medio immediate erat subjectum . Codicem contractuum ad dictum hospitale spectantium, qui incipit ab anno 1461. & desinit ad annum 1474. efformavit ipse Petrus, in quo semper ipsius nomen prostat. Dictus codex extat etiamnum in archivo dicti hospitalis, ubi antiquiores codices visuntur ad ipsum hospitale pertinentes . Effigies sancti Romualdi facta facile tempore Petri visitur ad hodiernam diem super ostium hospitalis in parva perantiqua tabella. „ Sub Petro abbate, ait Fortunius [c], „ Michael Ludovici Gitalebraccia civis Pisanus cum suis fratribus patronis, „ annuente Juliano de Ricciis archiepiscopo copulavit cœnobio sancti Michaelis sacerdotium S. Michaelis Gessani, & ipse Julianus archiepiscopus addidit jura institutionis & collationis, quæ ad sedem archiepiscopalem pertinerent cum plenitudine juris canonici tam in spiritualibus, quam in temporalibus, III. die aprilis. Unde anno 1564. orta lite de præsentando ibi rectore Cornelius episcopus Tarvisinus nuntius apostolicus in Etruria jura cœnobii, ut supra, donata tutatus est definitiva sententia, & innovavit die XV. martii ".

c P. II. Lib. II. cap. 12.

Borsius dux Mutinæ & Regii, marchio Estensis Rodigiique comes suarum literarum tenore mandavit officialibus suis ad jus reddendum ubique deputatis, quatenus egregio viro Christophoro Rosino de Abbatia sindico & procuratori monasterii abbatiæ Vangaticiensis & cuilibet alteri sindico & procuratori contra omnes & singulos debitores ipsius monasterii & abbatiæ in jurisdictionibus eorum commorantibus justitiam administrarent summarie, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura judicii, & absque litigio & expensis, visa tantum veritate facti, & cavillationibus ac frivolis exceptionibus quibuscumque rejectis, & feriis non obstantibus , dando celerem expeditionem. Datum in palatio Belreguardi anno Dominicæ nativitatis M. CCCC. LXI. indictione nona die X. novembris. Ex tabulario Vangaticiensi.



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi M.CCCC.LXII. *ad annum* M.CCCC.LXXVI.



PATRIAM revisens hoc anno Pius II. & salubriora loca circum Montem-amiatum, aliquot diebus constitit apud eremum Fontis-vivi Clusinæ diœcesis, cujus etiam situm in sua historia descripsit. Ex ea itaque eremo anno M. CCCC. LXII. tertio-decimo kalendas augusti pontificatus sui anno quarto Mariotto priori generali Camaldulensi indulsit, ut de cetero ipse ejusque successores libere valerent amovere a monasteriis, prioratibus aliisque beneficiis omnes & singulos tam religiosos, quam clericos seculares, qui obtinerent quæcumque monasteria, prioratus, aliaque beneficia manualia ejusdem eremi, quorum possessores juxta illorum naturam, ac dicti ordinis statuta & consuetudines ad nutum essent revocabiles, quique etiam consueverant pro tempore a sede apostolica vel a legatis ejusdem titulum vel commendam, vel per modum unionis ad vitam, vel perpetuo, seu alias quommodolibet provideri; ac de beneficiis hujusmodi pro libitu suo & ipsorum priorum generalium Camaldulensium auctoritate ordinaria disponere & ordinare possent, facultatem fecit. Extat in Appendice.

ANN. CHR. 1462.

I. Pius II. Mariotto generali liberam monasteriorum dispositionem permittit.

IDEM prior generalis Antonium Matthæi decretorum doctorem de Castillione Vallis-urciæ abbatem Canta-gallinæ, & commendatarium sancti Petri de Monte-liscario Camaldulensis ordinis, vacanti monasterio Rosæ Senarum per renuntiationem Nicolai de Rimbaldesis Florentini postremi prioris præfecit, uniens denuo & unita declarans eidem monasterio Rosæ alterum sanctæ Mariæ de Toma Arretinæ vel Pientinæ diœcesis, & monasterium sancti Georgii de Apibus Senensis diœcesis, ad hoc ut teneri & ali in cœnobio Rosæ possent studentes. Pridie idus decembris indictione XV. anni M. CCCC. LXII. tempore pontificatus Pii II. papæ anno V. officii sui anno X. ex archivo sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia.

II. Aliqnot monasteriorum provisiones.

Ob mortem Benedicti de Venetiis idem Mariottus die tertia maji contulit prioratum sancti Viti de Vicetia Hieronymo de castro Socii pro-

Ann. Chr. 1462.

fesso monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia anno IX. sui officii. Post Justum Guiduccii abbatem possessionem cepit abbatiæ sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum Justus Gerardi de Bonvicinis Volaterranus, quam possessionem ei dedit Diotesalvi episcopus Volaterranus. De fatis ejus abbatiæ ad annum 1483.

Nicolaus de Tulmetio prior S. Michaelis de Muriano per mortem Felicis de Pavonibus eligitur prior monasterii sancti Mathiæ de Muriano. Extat hujusmodi S. C. pro ipso Nicolao apud Cornelium [a] in ecclesiis Torcellanis: M. CCCC. LXII. *die* XVIII. *novembris. Quia defunctus est prior sancti Mathiæ de Muriano, & per capitulum concorditer electus fuerit prior venerabilis domnus Nicolaus de Patria Foro-julii, qui fuit monachus in monasterio sancti Michaelis ipsius ordinis, & est virtuosus, doctus & exemplaris vitæ, & omnibus fratribus sive monachis & civibus ad ipsum monasterium conversantibus acceptissimus & gratissimus, vadit pars, quod possit scribi in ejus favorem summo pontifici ac aliis in Romana curia, ut opportunum videbitur.* Susceptis igitur senatus Veneti precibus Pius II. electionem Nicolai prioris die VII. insequentis mensis decembris apostolicæ confirmationis munimine roboravit. Optimi hujus viri merito monasterium sancti Mathiæ multis auctum fuit gratiis & privilegiis; juribus recuperatis & possessionibus, quæ alienatæ fuerant, denuo receptis. Legatur alterum Senatus-consultum [b] ad ejus gratiam obtentum die X. julii anni 1469. apud eumdem Cornelium.

a *P. III. pag.* 113.

b *Ibid. pag.* 114.

Frater Antonius de Ferris præpositus ecclesiæ sanctorum Philippi & Jacobi de Sapina Bononiæ, vicarius Philippi de Crivellis decretorum doctoris, & magistri generalis totius ordinis Humiliatorum Helisabetham de Aldovrandinis de Ravenna professam domus sancti Matthæi de Arimino ejusdem ordinis constituit in abbatissam novi parthenonis sanctissimæ Trinitatis extra Faventiam, quam ecclesiam ordini Humiliatorum concesserat Johanna de Manfredis domina Faventiæ. Datum die XIII. septembris hujus anni; ex tabulario ejusdem asceterii Faventini.

III. Primordia Petri Delphini monach. Camaldulensis.

PETRUS Delphinus Victore patre, matre Lucia Superantia nobilissimis patritiis Venetiis natus, decimum-octavum ætatis agens hoc anno sub Maphæo Gherardo abbate, & sub Petro Donato magistro cœnobium sancti Michaelis de Muriano ingreditur, cujus etiam post aliquot annos regimen tenuit, subvectus paulo post ad supremam generalatus in ordine dignitatem. Tempus indutæ monasticæ togæ indicat ipse in sua prima epistola ad eumdem Petrum Donatum. Ex Delphini literis multum exinde proficient Annales nostri, illud unum in antecessum monentes ipsius epistolas nitore & venustate, elegantia & lepore sermonis, frequentissimis testimoniis sacræ Scripturæ, nec non poetarum, aliisque memorabilibus factis, quæ ea tempestate per orbem acciderunt, ita aures legentium demulcere, ut vel pluries repetita ipsarum lectio semper placeat. Tria ejus manu descripta volumina tempore ipsius generalatus ab anno 1481. ad 1505. tres-mille epistolas continentes habemus in bibliotheca nostra sancti Michaelis, ceteræ ad annum 1524. servantur in tabulario Fontis-boni; autographæ autem ante generalatum extant in bibliotheca sancti Mathiæ de Muriano, præter selectas & eas quidem rarissimas inventu, quas uno volumine anno 1524. congessit, publicique juris fecit Jacobus Brixianus Opiterginus prior. Primis adolescentiæ suæ annis fuit lectioni poetarum & librorum gentilium scriptorum addictus, plusquam par erat, Petro Parleonio Ariminensi Græcis Latinisque literis apprime erudito magistro usus est, sub cujus disciplina multum rhetoricæ facultatis sibi comparavit, & condi-

condiscipulos habuit præ ceteris Petrum Barotium factum episcopum Bellunensem anno 1471. inde Patavinum, & Leonardum Lauretanum creatum patriæ suæ ducem anno 1500. Monachus factus epistolicum commercium cum pluribus tum literatissimis, tum potentibus viris tenuit, & præsertim cum præfato Petro Barotio, a quo plures quæsivit difficiliorum locorum sacræ Scripturæ solutiones. In epistola trigesima meminit Delphinus carminis elegi & odarum sancti Martini, quod & quas confecerat Barotius. In epistola sexagesima-nona alterius ejus opusculi de quatuor tentationibus. Sed de Delphino, aliisque clarioribus tum monachis, tum laicis Delphini amantissimis plura suis annis.

ANN. CHR. 1462.

Post Paschalem Maripetrum electus fuit hoc anno Venetiarum dux Christophorus Maurus. Ipsis electionis suæ initiis die XVIII. maji epistolam dedit [a] Maurus Lapi sancti Mathiæ monachus, qua præsertim illum hortatur, ut juvenibus vetet capillaturas longas, quas deferunt mulieres, mulieribus autem prohibeat vestes caudatas, judicibus demum imperet sollicitationem causarum sine acceptione personarum. Extant & responsivæ literæ ejusdem ducis ad eumdem Maurum, quibus rempublicam Venetam commendat ejus precibus contra Turcarum impetus, & ex utrisque elucet, quanto afficiebatur Christophorus dux amore erga Maurum ceterosque Camaldulenses monachos, quantum autem gratiæ invenirent tum ipse Maurus, tum alii consodales sui apud pientissimum principem.

a Pag. 222.

ANN. CHR. 1463.

IV. Provisio monaster. Agnani & Vallis-castri facta a Pio II.

PIUS II. Josephum abbatem sancti Romualdi Vallis-castri ad Agnaniensem, & Michaelem abbatem Agnani ad Valle-castrensem abbatiam hoc anno traduxit. Cum autem Joseph, dum Vallis-castri monasterium regeret, ecclesiam sancti Johannis de castro Petrioli nuncupatam præpositura, Firmanæ diœcesis, olim manualem sancti Blasii de Fabriano uniri curasset cum abbatia Valle-castrensi, & magnis laboribus ac expensis ad bonum statum restituisset, eam ipsi Josepho electo Agnaniensi cum consensu Michaelis ad vitam concessit, dividens eamdem ecclesiam sancti Johannis a monasterio Vallis-castri, proviso, quod dicta ecclesia debitis frequentaretur honoribus. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno M. CCCC.LXII. septimo idus februarii pontificatus sui anno quinto. Hic usurpatur annus Florentinus. Extat in Appendice.

Die vigesima-sexta maji indulsit Mariotto priori generali, ut in commendationem retineret monasterium sanctæ Mariæ de Deciano ob graves expensas factas, licet expirasset decennium, cujus termino dictum monasterium præfato Mariotto concesserat Nicolaus V., ex tabulario Fontis-boni [b].

b §. Brevia 75. A. 5. 15.

V. Aliquot Camaldulenses notitiæ.

MICHAEL mox electus abbas Vallis-castri, simulque unitorum monasteriorum sancti Blasii de Fabriano, & sancti Urbani de Æsinante die XXII. novembris providit Ambrosium de Florentia monachum suum de ecclesia sancti Martini de Domo, quæ subjiciebatur monasterio sancti Urbani, præsentibus, inter ceteros, Bartholomæo præposito ecclesiæ sanctæ Mariæ de Massaccio ordinis Camaldulensis, aliisque monachis ejusdem ordinis.

Supradictus Mariottus prior generalis elegit Genevram olim Andreæ Martini de Florentia monialem sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, quæ tunc erat abbatissa sanctæ Christinæ de Bononia, in abbatissam sancti Petri de Luco. Vacabat autem monasterium Lucense ob promotionem Eleonoræ de Bardis de Florentia abbatissæ ad regimen parthenonis Prato-veterensis. Actum die XIII. januarii indictione XI. officii sui primo XI. Ex Luci tabulario [c]. Ex illo autem Fontis-boni separatum fuit monasterium

c Num. 373.

ANN. CHR. 1463.

rium sancti Mauri de Solarolo ab alio sancti Eustachii de Imola, & erectum in prioratum, ut ibidem monastica observatio vigeret.

VI. Ædificatio cellæ Pallarum in eremo Camaldulensi.

AEDIFICATUR hoc anno in eremo Camaldulensi cella sancti Johannis-baptistæ, quam *Pallarum* vocant, ex insignibus familiæ Mediceæ marmori in fronte ipsius appositis. Hanc construi fecit Petrus senior filius Cosmi Medicei pietatis voto. Tabulam sancti Johannis-baptistæ frater Pippus Lippi Carmelita sibi depinxerat pro suæ cellæ oratorio, ut in vita ipsius habet Georgius Vasarius libro primo de Vitis Pictorum. Petrus vir erat Lucretiæ de Tornabonis, quæ curata est ab infirmitate meritis sancti Romualdi, ut dicemus ab annum 1468. quæque paramentum aureum transmisit ad Vallem de Castro; hinc etiam in ipsa cella conspiciuntur insignia familiæ Tornaboniæ in altaris pallio inserta insignibus Mediceis. Cellam sancti Johannis-baptistæ habitabat anno sequenti Alexius Major. Hæc Baroncinius in chronico.

Dominicus episcopus Torcellanus sanctissimi domini nostri papæ referendarius venerabili in Christo patri domno Mauro Lapi Florentino in monasterio sancti Mathiæ de Muriano commoranti ex Urbe die XXVI. decembris hujus anni epistolam scripsit, qua significat se obtinuisse a Romana curia expeditionem literarum pro novo priore sancti Mathiæ, nempe Nicolao de Tulmetio. Initium hujus epistolæ refert Augustinius [a] inter scripta Dominici de Dominicis Torcellani episcopi; tota autem habetur in codice ejusdem monasterii.

[a] T. I. pag. 435.

Sententia lata fuit hoc anno M. CCCC. LXIII. die martis X. mensis junii Vicetiæ per dominum Antonium Severium Eugubinum episcopum locumtenentem Petri sancti Marci cardinalis episcopi Vicetini contra monachos nigros & albos sancti Felicis & sancti Viti ejusdem urbis, quod canonici regulares in loco digniori poni & stare deberent ante monachos.

ANN. CHR. 1464.

VII. Pii II. bullæ in favorem Camaldulensium.

DEFUNCTA erat abbatissa sanctæ Christinæ de Tarvisio Lucia, quæ decesserat die decima septembris feria sexta anno 1462. moniales autem in duas partes distractæ, aliæ suffecerant Ursam de Cadaboro, aliæ Blasiam. Commisit ergo Pius II. Romanus pontifex Moysi de Buffarellis Polensi episcopo examen rei, qui illegitimam pronuntiavit Blasiæ electionem, ratam autem habuit illam Ursæ. Appellavit Blasia in curia apostolica, obtinuitque in judices Marcum Venerio archidiaconum Constantinopolitanum, & Antonium Dyracchiensem canonicum commorantes in civitate Tarvisina, inde nulla facta mentione rescripti impetrati alium judicem Simonem de Vivianis canonicum Concordiensem vicarium episcopi Tarvisini, qui tres cassarunt Moysis episcopi sententiam. Iterum appellationem interposuit Ursa, delegatique fuere a Romana sede Petrus Boldù abbas monasterii Carcerum & Alexander del Nino canonicus Vicetinus, cum clausula, quod unica sententia, a qua neutri partium appellare liceret, dictam causam terminarent, qui primam sententiam Polensis episcopi confirmarunt. Sed Blasia denuo impetravit judicium Andreæ Bono episcopi Equilini residentis in civitate Venetiarum, qui traxit in causam Ursam, & contra eamdem sententiam promulgavit. Appellationes & examina iterata fuere sub Paulo II. ut inferius videbimus. Extat Pii II. bulla data Petreoli Senensis diœcesis die XXV. aprilis hujus anni M. CCCC. LXIV. pontificatus sui anno VI. qua in vim sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna mandavit Petro Boldù abbati, qui quibusdam causis frivolis, puta ne generali Mariotto displiceret, commissionem apostolicam non fuerat exequutus, ut una cum collega causam terminaret in hujusmodi controversia.

Ex

ANN. CHR. 1464.

Ex eodem loco eademque die absolvit Pius generalem Mariottum a cura exigendi medios fructus beneficiorum ipsi & prælatis ordinis Camaldulensis in dominio Florentino imposita pro Cruciatis persolvendis, quarum loco mandavit unius decimæ atque tertiæ alterius portionem persolvi Nicolao de Ghivizano collectori apostolico; ex tabulario Fontis-boni [a].

Prædictus pontifex ex Senis die XV. martii anno VI. concesserat, ut Jacobo monacho Morronensi olim abbati, sed decrepito, ad usum fructum relaxaretur una ex possessionibus monasterii pro sua substentatione.

VIII. Ejus mors, & anima ipsius in cælum abire visa ab eremita Camald. Petro.

Ex Senensi ditione Romam postea se contulit Pius, ex qua urbe iterum abscessit die XVIII. junii, uti Anconam pergeret, ubi classem maritimam Venetorum sub Christophoro Mauro principe præstolatus est. Dum itaque expeditionem sollicitaret, mala valetudine pressus vitam cum morte commutavit die decima-quarta augusti in nocte pervigilii Assumptionis beatæ Mariæ, pontifex æterna memoria dignus.

Hæc ad Pii II. gloriam adjicimus ex Fortunio. „ Tulerunt, inquit, „ hæc tempora venerabilem Petrum Zelandrinum Teutonicum clarissimum „ eremitam. Is intra domini papæ primum, & postea sancti Bartholomæi „ cellæ secreta ad triginta annos squallidus incultusque corpore moram „ traxit, dum nitidissimus in anima pro incolumitate sanctæ matris eccle- „ siæ in abscondito cœlestem patrem perpetua prece fatigare non cessaret. „ Quapropter, sicut erat divinæ bonitati acceptissimus, factum est, ut Pii „ II. pontificis maximi animam ad cœlos per Angelorum manus deferri „ viderit, perinde ac sancto patri Benedicto in excessu Germani Capuani „ episcopi contigisse proditum est memoriæ, collecto ante ipsius oculos „ omni mundo sub quodam rutilante splendore. Ferunt adhuc ex tradi- „ tione eum in hæc tunc cum clamore verba ineffabili cordis jubilo præ „ mysterio prorupisse: Respicite fratres, respicite, ecce summi sacerdotis „ animam ab Angelis in cœlum evectam gloriosa assumptione æthera pe- „ netrantem; quod ipsum nec qui gesta ipsius Pii literis mandavere, in- „ tactum reliquere. " Id nimirum testatum reliquit Johannes-antonius Campanus in vita Pii II. referens „ eremitam vidisse hora tertia noctis die „ XIV. augusti ea ipsa hora, qua animam Deo reddidit, ferri in cœlum „ summum pontificem sacris vestibus ac thiara redimitum Virginum cœ- „ tu & nubecula septum. " Subdit idem Campanus, qui erat inter familiares pontificis, quadraginta & amplius annos senem illum Teutonicum duxisse in eremo Camaldulensi carnis magna maceratione & abstinentia. Ipsius Petri certa monumenta extant in tabulario Fontis-boni ab anno 1445. ad 1466. inclususque dicitur in cella sancti Bartholomæi. In bibliotheca cathedralis ecclesiæ Senensis, ubi asservantur libri ad usum chori necessarii, penicillo Raphaelis Urbinatis & Petri Perusini describitur integra vita Pii II. Sub altera ex ipsius fenestris literis aureis legitur: „ Pius cum Anconæ expeditionem in Turcas accelerarct, ex febre inte- „ riit, cujus animam eremita Camaldulensis in cœlum efferri vidit, cor- „ pus vero Patrum decreto in Urbem reportatum. In Oldoini additionibus ad Ciacconium visio hæc tribuitur beato Petro Teutonico, sive beato Cornelio Calabro eremitæ Camaldulensi, quod unde desumpserit Oldoinus, ignoramus, cum visio Petro Teutonico constanter tribuatur a Fortunio, ceterisque nostris scriptoribus; Cornelius autem Calaber serius vixerit, nimirum seculo integro.

IX. Alia memoranda ejusdem Petri eremitæ.

De eodem Petro Teutonico eremita hæc addidit Fortunius. „ Fama „ est præterea in transitu cujusdam exercitus quamdam militum phalan- „ gem ad depopulandam sacram eremum venire decrevisse, quod illuc ma- „ gnam

a §. Brevia 76. A. 5. 19.

Ann. Chr. 1464.

„ gnam frumenti & utensilium copiam a Casentinatibus ob timorem belli asportatam fuisse percepissent. Eam ob rem eremitæ maximo affecti sunt mœrore, adeout non defuerint pavidi, qui per alta juga fugiendo salutem sibi comparare studuerint. Verum venerabili Petro incluso familiam in Domino Jesu sperare enixe hortante, sollemnemque supplicationem haberi, ubi eremitæ bini & bini, præcedente sanctæ Crucis vexillo, ad ejus cellam propinquant, vir Dei ab oratione exilit, dexteraque signum sanctæ Crucis contra milites, qui jam silvam ingressi fuerant, vix formaverat, quando Deus magno miraculo muro inexpugnabili densissimæ atque frigidissimæ caliginis eremum in ictu oculi circumcinxit, ut dies antea clarissima in atras quasi noctis tenebras sit conversa, tantusque horror omnes invasit, algor & confusio, ut non absque magna difficultate in castra demum sit reditum." De Petri morte suo anno.

X. Electio rectoris S. Martini de Cellulis.

Anno M. CCCC. LXIV. indictione XII. secundum consuetudinem & stilum urbis Senarum die XVIII. junii tempore Pii II. & regis Romanorum Friderici III. vacante parœciali ecclesia seu canonica sancti Martini de Cellole infra massam civitatis Senarum per renuntiationem Christophori Johannis de castro Forani in manibus Bartholomæi Johannis de Sanale Casentinatis comitatus abbatis sancti Petri de Rotis, Antonium Benedicti de Senis monachum Camaldulensem idem Bartholomæus præficit. Actum in dicta ecclesia de Cellole, coram Mariano Andreæ de Castillioncello abbate monasterii & abbatiæ de Quarto Senensis diœcesis; ex apographo sancti Romualdi de Urbe.

XI. Paulus II. suffectus Pio. Ejus bullæ.

Defuncto Pio II. relatoque ejus corpore in Urbem purpurati patres simul convenientes die trigesima augusti unanimiter elegerunt in Romanum pontificem Petrum Barbum Venetum cardinalem sancti Marci, qui assumpto nomine Pauli II. coronatus fuit die decima-sexta septembris. Extat in memoriis ad vitam sancti Parisii [a] bulla ipsius Pauli committentis Marco episcopo Catharensi residenti in civitate Paduana, & Antonio de Capitibus-listæ canonico Patavino examen sententiæ latæ ab Andrea Bono episcopo Equilino contra Ursam legitime electam abbatissam sancti Christinæ de Tarvisio, & causæ ipsam inter & Blasiam electam a quibusdam factiosis monialibus, de qua superius diximus sub Pio II. Bulla data est apud sanctum Petrum anno M. CCCC. LXIV. nonis januarii pontificatus sui anno primo stylo Bullarum. Nominatur in hac bulla Moyses *tunc Polensis episcopus*. Nonis ergo januarii anni 1465. Moyses translatus jam fuerat ad Bellunensem ecclesiam, ad quam translatum dumtaxat anno 1465. mense junio asserit Ughellius [b]. De Ursa abbatissa iterum ad annum 1467.

[a] Pag. lxxiv.

[b] T. V. col. 482.

XII. Traductio cujusdam operis S. Bonaventuræ facta a Mauro Lapi.

In codice chartaceo sanctæ Mariæ-novellæ de Florentia, teste Cl. Mehus, extat versio Mauri Lapi sic inscripta: *Divoto libricciuolo, chiamato degnamente Stimolo dell' amor di Cristo fatto originalmente per beato Bonaventura cardinale e dottore in sagra teologia dell' ordine de frati di san Francesco, benchè alcuni dicono, che sia di san Bernardo; volgarizzato per me don Mauro indegno monaco dell' ordine di Camaldoli per anni* XXXII. (legendum XLII.) *ed inanzi dell' ordine di santa Maria del Carmino per anni* XIV. *ed in san Mattia di Murano per anni* XXI. (melius XXXI.) *e due in san Michele, e dieci al nostro eremo sagro. La prima volta il meglio, che io seppi, il volgarizzai, mezzo in esso san Michele, l' altro mezzo compiei qui poi in esso san Mattia, dove ora voglio copiare questo secondo col divino ajutorio nel* M. CCCC. LXIV. *a mezzo marzo* &c.

Ex archivis Foro-liviensibus hoc monumentum extraximus: *Anno Domini*

mini M. CCCC. LXIV. *die* III. *mensis julii Daniel de Arluno de Cremona episcopus Foro-liviensis uti delegatus a legato contulit curam sive regimen loci seu monasterii sancti Barnabæ, quod est membrum monasterii sanctæ Mariæ de Vincareto, & est subjectum ordini Camaldulensi, jam propter excessus destitutum sororibus, domno Andreæ quondam Baldassaris, & prior Vincareti creavit eum in rectorem dicti monasterii; ser Philippus ab Astis notarius rogatus.*

ANN. CHR. 1464.

CUM Felix de Pavonibus prior sancti Mathiæ de Muriano jam ab anno M. CCCC. XLI. indictione IV. die XXVI. aprilis cessisset Gometio priori generali Camaldulensi omnem jurisdictionem, quam suum monasterium sancti Mathiæ habebat in monasteria manualia a suis majoribus fundata, Nicolaus de Tulmetio Felicis successor in dicto prioratu animadvertens læsionem jurium suorum, expostulavit hoc anno cum Mariotto priore generali, quod Felix quidem potuerat pro tempore sui regiminis dimittere hujusmodi jurisdictionem, non autem pro tempore suorum successorum, in grave præjudicium monasterii San-mathiani. Quare Mariottus æquas querelas Nicolai excipiens eamdem plenam & integram jurisdictionem restituit dicto priori anno M. CCCC. LXV. die XVIII. junii indictione XII. tempore pontificatus Pauli II. anno primo, officii sui anno XII. Eapropter Nicolaus prior lectis in capitulo sui monasterii Mariotti literis, in vicarium suum, præsertim pro monasteriis sancti Johannis-baptistæ de Faventia, sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo, & sanctæ Mariæ de Angelis prope Bononiam constituit Hieronymum de Griffonibus abbatem Burgi-sancti-Sepulcri die XXVI. julii hujus anni, conferens subinde hoc & sequentibus annis regimina monasteriorum manualium principis loci sancti Mathiæ; ex tabulario hujus monasterii.

ANN. CHR. 1465. XIII. Restitutio manualium monasteriorum facta cœnobio S. Mathiæ.

Lucas quondam Antonii de Verona sindicus monasterii sanctæ Mariæ Montis-crucum instituit in suum procuratorem Franciscum quondam Thomæi de Verona priorem sanctæ Mariæ de Ruha ordinis Camaldulensis die nona februarii; ex tabulario sancti Michaelis de Muriano.

LUCAS Dathus ex abbate sancti Felicis in Platea Florentiæ transiit ad regimen monasterii sancti Salvatoris Camalduli Florentini. Mandavit ea occasione Paulus II. die XXVII. septembris anno II. archiepiscopo Florentino, ut reciperet sacramentum fidelitatis ab eodem Luca; ex archivo Fontis-boni [a]. In vita Leonardi Dathi ejus fratris a Salvino Salvinio exornata [b] refertur epistola hoc anno a Republica Florentina scripta Paulo II. qua commendatur Lucas his verbis: *Lucæ Dathi abbatis sancti Felicis mores, religio, vita, virtus silere non permittunt. Is est nostra sententia summo quoque honore dignissimus.*

XIV. De Luca Datho abbate S. Felicis de Florentia.

a §. *Brevia* 77. *A.* 5. 20.
b *Pag.* LXVII.

Dicavit hoc anno Maurus Lapi monachus sancti Mathiæ itinerarium suum Hierosolymitanum viginti & uno capitulis Latina lingua scriptum Marco Barbo nepoti Romani pontificis Pauli II. S. R. E. cardinali, episcopo primum Tarvisino, tum vero Vicetino.

OBIIT hoc anno Ludovicus Scarampus S. R. E. cardinalis & abbas perpetuus commendatarius abbatiæ Vangaticiensis die vigesima-septima martii ætatis habens annos 63. eique successor datus fuit a Paulo II. Bartholomæus Roverella Ferrariensis, ab aliis dictus Rhodiginus, S. R. E. cardinalis & archiepiscopus Ravennas, appellatus etiam cardinalis sancti Clementis. Ad fores sacrarii ecclesiæ Vangaticiensis legitur. *Insignia reverendissimi domni Bartholomæi tituli sancti Clementis divina providentia cardinalis Ravennatis hujus monasterii commendatarii. Opus vero magistri Lucæ de*

XV. Obitus Ludovici Scarampi commendatarii Vangaticiensis.

Ragusio

ANN. CHR. 1465.

a §. Brevia 78. A. 5. 21.

Ragusio A. D. M. CCCC. LXVI. Ipse Bartholomæus die quarta augusti constituit Marianum de Pisis decretorum doctorem in vicarium ejusdem monasterii; & in suum familiarem [a] Placidum de Boncontibus Pisanum abbatem Vergaretanum.

Ecclesia sanctæ Luciæ de Vicetia unita monasterio sancti Viti extra urbem ordinis Camaldulensis reparatur hoc anno beneficio etiam concessionis indulgentiarum Moysis de Buffarellis episcopi Bellunensis.

b T. V. col. 1409.

Paulus II. ex Ughellio [b], pontificio diplomate abbatiam sanctæ Margaritæ de Torcello eximit a jurisdictione abbatis Fullinæ, & subjicit patriarchæ Venetiarum, quod & fecerat, cum esset Fullinæ abbas commendatarius.

ANN. CHR. 1466.

XVI. Referatio sarcophagi S. Romualdi in Valle de Castro, & miracula.

c P. II. lib. III. cap. 27.

POST quadringentos & amplius annos, quibus corpus beatissimi parentis Romualdi intemerate quievit in suo Valle-castrensi sepulcro, referatus est hoc anno tumulus, quod qua ratione factum fuerit, verbis exponimus historici nostri Fortunii [c], qui post centum annos accola ad tempus fuit ejusdem Valle-castrensis cœnobii. *Anno*, inquit, *a partu Virginis millesimo-quadringentesimo-sexagesimo-sexto, Michaele a sancto Laurentio Montis-falisci* (hodie *Flasconis*) *abbate, cum incidisset sermo inter suos monachos, utrum corpus sacratissimum sancti patris Romualdi in sepulcro adesset, nec ne, dicentibusque nonnullis non esse verisimile, quin ex variis rerum ac temporum mutationibus sarcophagum aliquando temeratum esset, refellentibus aliis argumentum ea potissimum ratione, quia sepulcrum integrum in omni sua parte appareret, factum est, ut unus ex illis omnium audacissimus Bartholomæus nomine, sic divina disponente providentia, quomodo se se haberet, tacitus videre velle disposuerit. Is noctis tempore ad sepulcrum accedens cum quodam complice, cuneisque vasto superiori lapide per vim elevato, facinoreque detecto die vigesima-secunda novembris, mirabilia Dei ex illius audacia eo modo patefacta sunt; sicut ipse venerabilis Michael abbas his verbis testatum ex sua epistola reliquit.*

Spectabilibus & honorabilibus viris priori & communitati Serræ-sancti-Quirici mihi majoribus præcipuis salutem.

Decet per omnia meam parvitatem primum aperire literis meis, quid mirandum nuper illuxerit obtutibus nostris. Notum siquidem est cunctis tum de provincia Anconitana, tum de tota Italia sanctissimum Romualdum, qui fundavit primordia nostræ religionis in monasterio Vallis-castri, per quadringentos quadraginta annos vel circa jacuisse invisum, & antea quam tumulus ejus patefieret nobis, omnes qui illuc confluxere a die sepelitionis ejus, sacrosanctum corpus sedulo veneratos fuisse. Placuit novissime sanctissimo patri (licet per temerarium & præsumptuosum sarcophagum illud fuerit apertum) se diebus istis palam facere obtutibus nostris, ut quod diu latuerat, ad infidorum fortasse confusionem se visibilem faceret mortalibus oculis. Vidi propriis oculis sanctissimum cadaver sacco cilicino vestitum usque ad talos, desuperque parvo habitu posito. Accersivi primates Fabrianenses, ut ad tale spectaculum visendum properarent. Qui quidem omni mora postposita, una cum præsule Camerinense, atque commissario apostolico, adjuncta maxima virorum multitudine, ad monumentum ipsum Vallis-castri protinus accesserunt. Stabant circa sepulcrum vehementer attoniti, videntes sanctissimum virum ætate longævum (nam centenarium & vigesimum annum transegit in terris) & diuturnitate quadringentorum quadraginta annorum, vel circiter ibi jacentem, maximam devotionem præcipuamque venerationem præseferentes. Quo viso præsul Camerinensis assurgens e terra, omnibus accurrentibus

tibus præter visum a tactu probibuit; quisquis enim aspicere, non tamen tangere sacrosanctas reliquias debet. Post quam probibitionem ex sua liberalitate quadraginta dierum veniam advenientibus indixit. Lætetur modo sancta mater ecclesia, quæ una cum ceteris Sanctis beatissimum ascivit Romualdum. Gaudeat non solum Fabriani tel'us, verum quoque provincia omnis, in cujus gremio noscitur consedere. Plaude & tu Quiriquina tellus, quæ talem ac tantum tua juxta confinia meruisti habere Romualdum sanctissimum. Quem si tota animi devotione ac fide integra imitati fueritis, pro certo sciatis vobis semper adesse propitium. Timeant vebementer illi, qui vobiscum incolunt, non verentes procacissimam eorum linguam adversus illud venerabile corpus commovere. Expectent pau'isper ultionem, qui nituntur adversari veritati. Placuit igitur mibi præ eximia affectione, quam gero erga terram & castrum vestrum, bæc scribere, ut tanti viri mirabilium ac meritorum participes efficiamini. Bene valete. Die III. *decembris* M. CCCC. LXVI. *Vester filius Michael abbas monasterii Vallis-castri*.

„ Interea missis nunciis Camaldulum, quæ gesta fuissent, in primis Ma-
» riotto generali nuntiata sunt. Qui factus certior rem magni momenti
» talem accidisse, adeout nemo, ipso absente, quidquam deliberare aude-
» ret, festinanter iter in Picentes arripuit, circumstantium prælatorum co-
» mitante caterva, acriusque solito impulsis equis Fabrianum ad quintam-
» decimam diem pervenit. Ibi autem visitato episcopo, impetravit sibi
» tradi ipsum Bartholomæum monachum detectionis auctorem, quem in
» vinculis habebat, ut scilicet secundum libertatem privilegiorum in eum
» per se animadvertere posset, qui nec leves quidem suæ temeritatis, ad-
» mixta misericordia, luit pœnas. Porro dum Mariottus generalis in cœ-
» nobio sancti Blasii Fabriani degeret, dum nobiles quique illum visita-
» tum adirent, gestiebant multi enarrando miracula, quæ Deus O. M. ad
» sacratissimum corpus patrare dignabatur in horas. Quæ cum ille digna
» reputaret, quæ posteritati commendari deberent, eam operam Johanni
» Juliani a Laterino notario & scribæ suo demandavit, se dictante. Ea
» nos in bibliotheca sancti Mathiæ Muriani invenimus, sicut Maurus La-
» pi illa ab ipso domino generale & Michaele abbate acceperat, & ab
» originali transcripserat. " Tum aliqua ex ipsis miraculis describit Fortunius, quæ nos ex ipso autographo Lapi existente in monasterio sancti Mathiæ exscripsimus, & ad Appendicem remittimus. „ Subdit autem
» Fortunius, quod tertia die advenienti generali ad Vallis-castri cœnobium
» occurrit monachorum conventus cum processione, ipse vero templum
» ingressus, & sacratissimum corpus pronus reverentissime in primis ado-
» ravit, & tres ulnas serici panni illi obtulit. Cum vero propter poda-
» gram Missam canere non posset, ab uno ex sociis prælatis id muneris
» præstari voluit. Ecce autem inter Missarum sollemnia mulier unicum
» filium in ulnis gestans, duos cereos sacrato corpori offerre nititur, sed
» nimia populi multitudine, quæ aderat, impeditur ad illud accedere.
» Cui populi frequentia denique per strictum callem locum dante, illa
» propius ad sepulcrum facta, gratias agere Deo & sancto Romualdo ex-
» satiari non poterat, narrans, quomodo filius a media corporis parte in-
» fra deperditus & contractus meritis sanctissimi patris in vota invocati
» fuisset liberatus; quæ res omnibus lacrymas ob lætitiam excussit. "

Prosequitur Fortunius: „ Dum hæc Deo O. M. per merita sacratissimi
» patris Romualdi exhibere populis beneficia placet, Mariottus generalis
» ante suum discessum locum opportune reformare volens ad consolatio-
» nem populorum, qui ita fieri flagitabant, utque religio ibi atque ad se-

Ann. Chr. 1466.

" pulcrum sancti patris Romualdi in dies majora caperet incrementa, habito prælatorum conventu hæc ordinat: Ut in cœnobio regularis observantia de cetero perpetuo vigeret, simul ut illuc quinque ex sancta Camalduli eremo locarentur eremitæ, quos & matura ætas, & vitæ merita commendarent, quique optime regulariter vivendi normam tenentes, & observantiæ initium præstarent, & ceteros ibidem viventes ad bene regulariterque vivendum verbis & exemplis provocarent. Amovit præterea ex loco monachos aliquot licentius & lascivius viventes. Quoniam autem non sine difficultate per solum abbatem in spiritualibus ac temporalibus regi ac gubernari duo illa monasteria possent, (Vallis-castri scilicet, & sancti Blasii de Fabriano) videreturque abbas alterius auxilio indigere, de consilio omnium prælatorum, necnon prædictorum monachorum abbatisque voluntate, datus est ipsi abbati pro adjutore in temporalibus tantum, abbas sanctæ Helenæ, qui & naturam loci calleret, & rerum peritiam habere videretur. Nullo etiam prælatorum discrepante, in eodem loco indictum est generale capitulum de mense junii in festo sancti Romualdi proxime futuro sollemniter celebrandum, ad quod ut convenirent universi ordinis prælati tum pro negotiis ordinis tractandis, tum pro honore illius sanctissimi corporis diligenter significatum est. Data deinde per domnum generalem fuit opera ut corpus ipsum Romualdi sanctissimum arctissimis custodiis traditum tegeretur, relicta ibi a superiori parte ferrea crate, per quam inspiciendi corpus eo convenientibus daretur facultas, minime autem tangi, vel aliqua parte minui posset. Decretum postremo est, ut pecuniæ ceteraque votiva dona, quæ continuo ad sancti Romualdi corpus offerrentur, in ligneo stipite aliquo tutiori loco reconderentur. Et quoniam ob quorumdam malignitatem dictarum pecuniarum & munerum numerus convenire non videbatur, constitutum est, ut eorum reclusorium tribus clavibus custodiretur, quarum primam abbas ob dignitatem, alteram capellanus, tertiam homines oppidi Porcarellæ conservarent. Inter cetera missus est abbas Anglariensis ad Urbem pro obtinenda indulgentia, pro qua impetranda generalis scripsit literas pluribus cardinalibus in curia valde potentibus & religioni apprime amicis.

KVII. Maphæus Gherardus eligitur patriarcha Venetiarum.

Maphæus Gherardus abbas sancti Michaelis de Muriano, mortuo Johanne Barotio patriarcha, congregatoque, ut mos est, Rogatorum consilio, nominatus fuit hoc anno quarta vice, & electus omnium votis in patriarcham Venetiarum. *Sed ejus electionem*, subdit Angelus canonicus in adnotationibus ad epistolam Delphini, *summus pontifex Paulus Barbus natione Venetus acceptare noluit. Qua de causa hoc idem fecerit, diversi diversa sentiunt. Sunt nonnulli dicentes, hoc esse summi pontificis juspatronatum, alii vero asserunt Paulum Venetis tum oppido fuisse iratum. Alii vero dicunt eum fuisse virum severissimum & sui capitis; nam quod semel facere proposuerat, non facile in contrarium vertebatur, aut revocabatur. Ob id nempe sedes patriarchalis Veneta per triennium vacaverat. Hinc & inde interim deferuntur literæ; summus pontifex semper in sententia perstat; itidem faciunt Veneti. At Paulus quatuor viros nobiles, qui tunc erant in curia, ad hanc sedem patriarchalem Venetam ipsis Venetis fecernit, & dare intendit, quorum hic nomina tangam, dominum Hieronymum Landum Cretensem archiepiscopum, dominum Petrum Foscarum sancti Marci primicerium, dominum Laurentium Johannem episcopum Brixiensem de domo Zane, dominum Petrum Donatum episcopum Æmoniensem, idest de Limiso. Quos senatus renuit. Verum post multa pontifex ad Venetos legatum mittit*,

Ann. Chr. 1466.

mittit, cardinalem videlicet sancti Angeli, virum quidem sagacem atque eruditissimum & probatissimum, satisque catholicum. Qui cum primum ad ecclesiam Castellanam ivisset, pedesque in ecclesiæ limine fixisset, templique latitudinem, longitudinem, & pulchritudinem & proportionem contemplatus fuisset, & diu illic perstans miratus, dixit se nusquam in Italia templum aptius & venustius vidisse, sed a ministris ecclesiæ non recte ab immunditia purgatum. Tunc ecclesiæ ad se custos vocatur, eumque submisse redarguit, jubetque templum purgari, uno ex loculo exempto aureo, jubetque, ut imposterum suis expensis purgetur. Ad rem itaque, unde paulum digressi sumus, jam revertamur. Nec legatus exercuit, quod intenderat. Videns autem summus pontifex Paulus non posse assequi, quod jam diu præoptaverat, bis ad Venetos scripsit, bisque Senatus ad eum dulcissimis verbis rescripsit. Decreverunt nihilominus Veneti tamdem apud Paulum conari pro viribus, literis & nuntiis pervolantibus, ut ne hunc sibi Maphæum legitime nominatum in patriarcham ullo pacto auferat, sine quo Veneta civitas plane potius duce carere eligeret, quam antistite hujusmodi religiosissimo atque sanctissimo. Experimento enim pellucidissimo antea in Johanne Barotio Veneti senatores didicerant, quid in Venetos irreverentiæ, audaciæ & animositatis ipse habuerat; jam actuum suorum nec immemores fuerant. Ex illa itaque tempestate omnes gregatim & unanimiter votis omnibus in Maphæum ob ea, quæ præmisimus, conjurarunt, ut posthac & de cetero nullus ad patriarchalem Venetam susciperetur, nisi esset de aliquo religiosorum ordine vir imprimis approbatus & cognitus; idque ad hanc usque diem quam optime observatur. Erant propterea ex iis nobilibus, qui suadebant non esse summo pontifici obluctandum, sed parendum Christi vicario; ii profecto erant inopes animi. Nonnulli vero animi robustiores & fortiores usque etiam ad sanguinem obluctandum alios adhortabantur, ut in sententia pertinaciter omnes persisterent; alii vero Maphæo suadebant, ne mundi fastus & insueta onera susciperet, corporis imbecillitatem memorantes; fuere etiam, qui suaderent, ut fugeret, & afferebant singuli Sanctorum exempla, qui vel suscepissent, vel renuissent, vel incogniti profugissent. Inter has potiunculas & delicias suavissimas cordis Maphæus quotidie in monasterio versabatur, cui denique viæ aut itineri adhæreret, Dominum sæpius in oratione pernoctans consuluit. Indicto tamen triduano jejunio ex mandato suffraganei, qui tunc temporis interim patriarchatui præfuerat, factum est non diu post confectum jejunium triduanum, quod summus pontifex Paulus Maphæum in Venetum antistitem confirmaret, cognitaque viri optimi virtute & sanctitate, nonnullas etiam gratias personales eidem gratis postea concesserit. Sed de iis clarius annis sequentibus.

XVIII. De monast. S. Mathiæ, & de abbatia Galeatana.

Nicolaus de Tulmetio prior sancti Mathiæ de Muriano cassato instrumento vicariatus, quod anno præterito fecerat Hieronymo abbati Burgensi, assumpsit hoc anno M. CCCC. LXVI. indictione XIV. die sabbato XVIII. januarii pontificatus Pauli II. anno II. Rodulphum Missirolium priorem sancti Johannis-baptistæ de Faventia in vicarium suum, ad visitanda & reformanda monasteria subjecta cœnobio sancti Mathiæ. Idem utens sua jurisdictione in monasteria manualia acceptavit renuntiationem prioratus sancti Johannis-baptistæ de Fossa-clodia factam a Johanne Contareno monacho & priore ejusdem monasterii. Iterum tamen ipsum elegit in priorem ejusdem loci die XXIV. julii, eumque in possessionem immisit. Extant acta in Appendice.

Septima februarii Johannes de Venturellis de Amelia locum tenens domini sanctæ Crucis in Hierusalem cardinalis Reatini, in civitate Bononiæ,

Ann. Chr. 1466.

nec non in exarchatu Ravennæ & Romandiolæ legati, precibus Bartholomæi Blasii de Pupio prioris ecclesiæ sine cura sanctæ Mariæ de Eremonova partium Romandiolæ ordinis Camaldulensis, cujus ecclesiæ possessionem literis collationis per Mariottum priorem generalem ordinis consequutus fuerat, vacante ecclesia curata sancti Martini de villa sancti Martini per resignationem ultimi rectoris ejusdem coram vicario monasterii sancti Hilari de Galeata, a quo monasterio dicta ecclesia dependet, cui quidem ecclesiæ unitæ sunt ecclesiæ sancti Bartholomæi de Pleda, & sancti Paterniani de Radio ordinariæ jurisdictionis dicti monasterii sancti Hilari, præmissa præsentatione tam per vicarium Fortunati de Policanis de Macerata episcopi Sarsinatis ac perpetui commendatarii abbatiæ Galeatensis, quam per Jacobum abbatiæ Insulæ Galeatæ, vicarium in spiritualibus, ad quem institutio rectoris dictæ ecclesiæ sancti Martini una cum abbate sancti Hilari spectat, auctoritate sibi delegata a præfato cardinale Reatino, confirmavit possessionem duorum beneficiorum, simulque utrumque retinere benigne concessit. Datum Bononiæ; ex tabulario Fontis-boni [a]. Galeatana abbatia in commendam transierat, nondum elapsis triginta annis, ex quibus recuperata fuerat.

[a] §. *Electio* 106. *A.* 5. 24.

XIX. Monast. S. Savini de Pisis exhibitum congregationi S. Justinæ.

Lucas Carduccius abbas monasterii sancti Savini de Pisis transferre satagit hoc anno monasterium suum ex congregatione Camaldulensi ad illam sanctæ Justinæ de Padua sequenti declaratione, quam ex archivo abbatiæ Florentinæ [b] subjungimus.

[b] *Lib. XXVIII. pag.* 17.

Ad laudem omnipotentis Dei. Ego Lucas humilis abbas sancti Savini de Montione ordinis Camaldulensis & Pisanæ diœcesis, recolens hanc abbatiam a sancta memoria Eugenii papæ IV. *accepisse sub tali, ut arbitror, intentione, ut eam valde collapsam pro viribus repararem, & in bona observantia reducerem, & videns, quod difficile nimis est mihi jam debili & infirmo dictam observantiam jam pluries attentatam manutenere, & ad perfectum ducere in isto ordine Camaldulensi, propter dispares & varios usus in eo viventium, cogitavi, ne tam sancta & bona intentio præfati domini Eugenii evanescat, transferre me ipsum & dictam abbatiam in congregationem famosissimam sanctæ Justinæ, ut dicta abbatia optime reformetur, & in sancta observantia Domino concedente firmetur, & in perpetuum perseveret. Quamobrem præsenti pagina manu propria scripta patribus ejusdem congregationis sanctæ Justinæ fidem facio, qualiter retenta in titulo dictæ abbatiæ sancti Savini, & pro sustentatione meæ vitæ loco pensionis possessione quadam ipsius abbatiæ dicta* el Coltano, *ac etiam domo posita Pisis prope ecclesiam sancti Ægidii, reliquos omnes fructus & proventus ipsius abbatiæ eidem congregationi & monachis, qui pro tempore habitabunt in abbatia, deputare volo. Et sum contentus, quod dictam abbatiam impetrent, & prædictæ congregationi incorporent, cedente me vel decedente; ita tamen quod mihi abbati & monachis, & conversis liceat, si ita placuerit, habitum dictæ religionis sanctæ Justinæ accipere, & sub districtione regulæ & constitutionum societatis sanctæ Justinæ vivere. Quod si vitam regularem & observantiam facere noluerint fratres, tunc & in tali casu remanere debeant in dicto ordine Camaldulensi, in aliis tamen abbatiis & locis dicti ordinis sub solita observantia domini generalis Camaldulensium.*

Hæc, quæ scripsi breviter, videntur mihi sufficere, & si plus vel minus caritas poposcerit, vos patres, & ego filius & devotus vestrarum paternitatum bene erimus contenti & concordes. Scitis, quod ego in primordio meæ conversationis fui cum habitu nigro in vestra abbatia Florentina tempore domni Gometii abbatis, cum quo transivi in isto ordine Camaldulensi.

Commen-

Commendo me orationibus vestris cum multa devotione & fide. Datum in supradicta abbatia sancti Savini die XII. *mensis aprilis* M. CCCC. LXVI. *manu propria scriptum, atque sigillo, quo utimur, munitum.*

ANN. CHR. 1466.

Loco † sigilli.

Lucæ tamen intentio effectu caruit, & abbatia sancti Savini in ordine Camaldulensi perstitit, licet commendata, usque ad tempora institutionis militaris religionis equitum sancti Stephani, quibus fuit assignata ecclesia, cum monasterio & redditibus.

XX. Petrus Donatus factus abbas S. Michaelis de Muriano.

POSTULATO Maphæo Gherardo abbate sancti Michaelis di Muriano in patriarcham Venetiarum eligitur abbas ejusdem monasterii Petrus Donatus Hermolai filius patritius nobilissimus Venetus. Is ante biennium votis expetitus fuerat ad patriarchatum Venetiarum. Factus abbas primæ sollicitudinis suæ opera fuere comparatio magistrorum pro erudiendis monachis suis in sacris literis, deinde reparatio novaque magnifica ædificatio templi sancti Michaelis, quam ad tempus intermittere suasit ipsi Petrus Delphinus [a] anno 1469. ob novas exactiones, & periculosa bella exorta inter Rempublicam Venetam & Turcas. Conduxit inter ceteros Ambrosium Sebenicensem, clarum ob orationes habitas ad dominium Venetum, virum facundum & literatum, quem idem postea Delphinus proposuit in magistrum pro Bellunensi civitate Barotio episcopo [b].

a *Ep. II.*

b *Ep. LXXXIV.*

ANN. CHR. 1467.

XXI. Moniales S. Maphæi de Majurbio subjectæ patriarchæ Venetiarum.

MONIALES sancti Maphæi de Majurbio hucusque vixerant sub regimine abbatis de Columba, qui visitationis, correctionis & reformationis munera obibat. Cum vero exortæ fuissent in eo parthenone turbæ, quæ pacem loci lædebant, visum est Senatui Veneto scribendum in hæc verba esse ad Romanum pontificem: *Cum moniales*, inquiunt, *sancti Maphæi de Majurbio reperiantur in non parva differentia, & conveniens sit per aliquam personam probatæ vitæ & religionis gubernentur: Vadit pars, quod scribatur oratori nostro in Curia in opportuna forma, ut impetrare debeat a summo pontifice ad committendam hanc rem uni ex his, videlicet aut reverendo domino episcopo Torcellano, aut venerandis abbatibus sancti Michaelis de Muriano, aut sancti Georgii, aut sancti Nicolai in Litore Venetiarum.* Subjectæ demum fuere moniales patriarchæ Venetiarum, sicut prius suppositæ erant abbati de Columba, Paulusque II. postea Maphæo Gherardo per literas in forma brevis in mandatis dedit curam reformandi dictum monasterium; ex Cornelio in ecclesiis Torcellanis [c].

c *P. I. pag.* 308.

XXII. Iteratæ preces ad Rom. pontificem pro Maphæo patriarcha.

SUSPENSUS adhuc erat idem Romanus pontifex in admittenda electione ejusdem Maphæi Gherardi in patriarcham Venetiarum; quare Senatus Venetus sequentes literas scripsit suis oratoribus in Curia, Johanni Superantio, & Petro Mauroceno: M. CCCC. LXVII. *die* XXX. *octobris.*

Quoniam civitas nostra ista male stat sine patriarcha, per cujus absentiam cessant eleemosynæ fieri consuetæ, augescunt multæ enormitates & inconvenientiæ, adeout penitus necessarium sit providere, propterea vadit pars, quod oratoribus nostris in Curia existentibus scribatur in hac forma. Inter cetera, quæ vobis commissa sunt, est negotium patriarchæ Venetiarum, in quo nobis, desiderioque universæ civitatis satisfieri a summo pontifice maximopere cupimus. Et certe considerata integerrima vita moribusque tum castissimis & probatissimis, tum civitati nostræ plurimum convenientibus venerabilis domni Maphæi Gherardi abbatis sancti Michaelis de Muriano, in quo viro præ ceteris optando totius civitatis vota consensere, non possumus conjectura assequi, unde tanta intervenerit difficultas, & cur beatitudo summi pontificis tot nostris instantiis & supplicationibus annuere ad hunc usque diem digna-

ta

ANN. CHR. 1467.

ta non sit. Et quoniam eleemosynæ per patriarchas fieri populo nostro consuetæ cessant, augescuntque & multiplicant in dies multa inconvenientia, volumus, & vobis mandamus cum nostro consilio Rogatorum, ut conspectum summi pontificis adire debeatis, & dicere habuisse a nobis recentia mandata nostra, quibus non alicui difficultati, vel rationabili causæ aut respectui, sed vobis imputamus, & cum omnibus illis opportunis efficacissimis & gravibus verbis, quæ vobis occurrent, beatitudini prædictæ supplicate, ut de eodem domno Maphæo nobis complacere dignetur, quem, & neminem alium desideramus. Indulgentiæ vero benignitatique pontificis consentaneum est, complacere gratificarique filiis & patriæ suæ de pastore eis tantopere grato & accepto, hanc eamdem instantiam volumus non semel, sed sæpe faciatis, & totiens, quod impetretis, satisfiatque nostro & universæ civitatis nostræ maximo desiderio ob singularem, quæ habetur de virtute & bonitate suprascripti domni Maphæi, opinionem & existimationem. Facite ambo, dum vos Johannes in curia fueritis, instantiam prædictam, & post vestrum discessum ob licentiam vobis concessam repatriandi, facite vos Petre, quantum superius mandamus.

XXIII. Electio abbatissæ S. Christinæ de Tarvisio.

STEPHANUS olim Francisci Pauli de Cascesis habitator Pupii in omnibus bonis suis hæredem esse voluit eremum Camaldulensem, cum onere, ut infra annum a die mortis ipsius in castro Pupii ædificaretur oratorium sub invocatione sancti Antonii, & ad ipsius servitium deputaretur capellanus, & tam ipse quam oratorium subjicerentur eremo, in quo etiam ad capellam domini papæ Gregorii quotidiana perageretur Missarum celebratio ex tabulario Fontis-boni [a].

Instituerat Mariottus prior generalis Camaldulensis Franciscum Barrotium episcopum Tarvisinum in suum commissarium, reformatorem & visitatorem monasterii sanctæ Christinæ de Tarvisio. Barotius autem episcopus sui loco substituerat Ludovicum Longum episcopum Mothonensem, Galassium de Capitibus-listæ canonicum Pergamenum vicarium suum, & Leonardum de Teramo archidiaconum Tarvisinum. Hi igitur, cum ingressa fuisset viam universæ carnis Blasia, quæ eatenus abbatissalem dignitatem in eo monasterio usurpaverat contra Ursam Decadaboro legitime ante aliquot annos electam, congregato monialium capitulo in ipsorum præsentia, & Johannis insuper Mocenici civitatis Tarvisinæ potestatis, aliorumque nobilium virorum & civium facti testium, pro sedando tumultu, qui propter præteritas discordias verisimiliter oriri potuisset, tandem obtinuere, ut unanimiter eligeretur in abbatissam eadem Ursa, in ejusque manibus debita exhiberetur & juraretur reverentia & obedientia. Deducta fuit Ursa in ecclesiam sanctæ Christinæ, comitata, præter suas moniales, a venerando choro sanctimonialium sancti Theonisti & Omnium Sanctorum coram populo ibidem congregato die XXVI. decembris indictione XV. die sabbati. Tertia die januarii anni sequentis die dominica in præsentia suprascriptorum aliorumque clarorum civium, idem episcopus Longus Ursam benedixit sollemniter, confirmavitque, quæ obedientiam & juramentum præstitit tum Romano pontifici, tum Mariotto priori generali. Die autem XXVI. aprilis ejusdem anni officii sui anno XXI. Mariottus prædictis sibi expositis per abbatem sanctæ Agathæ, ipsius Ursæ electionem ratam habuit. Vixit ad multos annos Ursa, præfuitque laudabiliter & utiliter suo monasterio sanctæ Christinæ sive sancti Parisii. Paginas autographas per extensum produximus in Monumentis veteribus ejus parthenonis [b]. Eidem episcopo Mothonensi Longo & Donato de Zuccareda canonico Tarvisino Paulus II. quinto kalendas junii pontificatus sui anno

a §. *Testamentum 60. A. 5. 27.*

b *Pag.* lxxix.

anno IV. M. CCCC. LXVIII. commisit recuperationem bonorum ejusdem monasterii [a].

ANN. CHR. 1467.

a Ibid. pag. lxxxviii.

REFERT ad hunc annum Fortunius [b] conspicuum miraculum sancti Romualdi ex epistola Michaelis abbatis Valle-castrensis ad Maurum Lapi monachum sancti Mathiæ de Muriano. *Venerabili in Christo domno Mauro monacho in monasterio sancti Mathiæ de Muriano fratri suo amantissimo salutem. Capta opportunitate nuntii, placuit has literas meas ad te mittere, quibus, etsi perlatum est ad te de miraculis patris nostri sanctissimi Romualdi tibi quoque ignotis, dici neque scribi vix unquam posset, quam mirabiliter se gerat hic sanctissimus pater noster, & ob id placuit duci illustrissimo ac patri meo scribere de tanto patre, illumque ex'ortans, ut ibi nomen tanti patris clarificet atque manifestet clarissimis civibus Venetis. Petrus de Medicis in die sancti Romualdi paramentum integrum aureum obtulit pro maximo beneficio, quod ab ipso patre sanctissimo recepit uxor ejus Lucretia, quæ de morte ferme ad vitam restituta fuit. Et tu quoque Maure age cum civibus, ut tua prece moneas ipsos, ut illustrent hunc locum ex eorum largitate, quatenus meritis tanti patris serventur & ipsi una cum republica a pestifero morbo. Bene valeas. Ex abbatia Vallis-castri die* XIII. *junii* M. CCCC. LXVIII. *Tuus Michael abbas Vallis-castri.*

ANN. CHR. 1468.

XXIV. Miraculum S. Romualdi.

b P. II. lib. III. cap. 29.

HOC ipso anno idem Michael abbas, testimonio ejusdem Fortunii [c], copulavit ecclesias sanctæ Mariæ Templani, ac sancti Petri de Moliis domui hospitali sanctæ Mariæ oppidi Moliani dioecesis Firmi utilibus contractibus pactis prima februarii 1468. manu Galeoti notarii; deinde abbas Tiphii factus est. Sed ad hanc abbatiam transiit post annum 1470. Quoad hospitale sanctæ Mariæ Moliani, ex paginis sancti Blasii de Fabriano excerpsimus, quod „ anno M. CCCC. LXVIII. indictione prima die „ prima februarii communitas & homines castri Moliani comitatus & di„strictus Firmi in eodem castro ædificaverunt ecclesiam seu oratorium „ sub invocatione sanctæ Mariæ in Platea cum hospitale ad alendos pau„peres, & alia pia opera exercenda, qui petierunt ab abbate sancti Bla„sii ecclesiam sancti Michaelis de Templano sine cura & campestrem „ spectantem ad ipsum monasterium, una cum ecclesia campestri sancti „ Petri de Moliis unita præfatæ ecclesiæ sancti Michaelis, & jus obtinue„runt his conditionibus, quod dictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ in Platea, san„cti Michaelis, & sancti Petri simul uniantur, quod auctoritas & hono„res abbatum sancti Blasii remaneant integri & illæsi, quod communi„tas Moliani teneatur solvere quotannis monasterio sancti Blasii in si„gnum subjectionis, & portare in die festo sancti Romualdi quatuor me„tretas olei, & ducenta poma aurancia, vel viginti-quinque libras ce„ræ; quod presbyter eligendus a communitate debeat confirmari ab ab„bate, & hoc de triennio in triennium; quod idem presbyter debeat „ aliquando celebrare in ecclesia sancti Michaelis, & præsertim in die „ festo dicti sancti Archangeli, & quod communitas infra annum debeat „ reaptare dictam sancti Michaelis ecclesiam. Rogavit Jacobus Galeoti „ de Fabriano imperialis notarius [d]. “

XXV. De ecclesiis Firmanis subjectis monast. Vallis-castri.

c Ibid.

d Protoc. I. S. Blasii pag. 163.

SPECTAT ad hunc annum testamentum magnificæ, potentis & prudentissimæ comitissæ Johannæ consortis olim magnifici & potentis domini Astorgii de Manfredis Faventiæ domini, quæ die III. septembris indictione I. decrevit se velle corpus suum humari apud ecclesiam sancti Hieronymi ordinis fratrum observantiæ sancti Francisci extra portam Montanariam de Faventia, ubi est sepulcrum consortis sui. Præter varia legata

XXVI. Testamentum Johannæ de Manfredis Faventiæ dominæ.

Ann. Chr. 1468.

gata & prædia relicta, pro ædificando loco sanctæ Trinitatis extra portam pontis, ubi advocatæ fuerant moniales Humiliatæ, hæredes bonorum suorum instituit Galeatium, Carolum, Fridericum & Lancellottum filios suos legitimos. Hæc prædia pacifice tenuerunt moniales Humiliatæ aliquot annis; sed deficientibus monialibus, ecclesia sanctissimæ Trinitatis erecta fuit in simplex beneficium & gubernata per rectores. Galleottus de Manfredis terras occupavit, & post mortem ipsius Astorgius ejus filius, quas hic vendidit fratribus ecclesiæ sanctæ Mariæ Servorum. Benedictus tunc rector ecclesiæ confugiit ad cardinalem Salernitanum, qui die III. junii anni 1501. commisit Leonardo magistro domus suæ cognitionem causæ; & post biennium ad Romanum pontificem Julium II. qui demandavit rei examen præposito & vicario Faventinis; ex tabulario ejusdem parthenonis sanctissimæ Trinitatis.

Scribebat hoc tempore suum librum appellatum *Theotocos* Dominicus a Corella asceta ordinis Prædicatorum, in quo de monasterio Angelorum aliquot inspersit carmina. Legatur Bandinius [a] in specimine Literaturæ Florentinæ.

[a] Pag. 17.

Ex Socio die octava januarii Mariottus generalis confirmavit electionem Muzolæ de Salosmeis in abbatissam sanctæ Christinæ de Bononia, ad quam deputaverat cardinalem Reatinum Bononiensem legatum, qui tamen impeditus subdelegaverat Ludovicum priorem Angelorum Bononiæ.

XXVII. Philippi Ariminensis epistola ad Nicolaum priorem S. Mathiæ.

SUBJUNGIMUS ex tabulario sancti Mathiæ de Muriano sequentem epistolam Philippi Ariminensis ad Nicolaum de Tulmetio priorem ejusdem monasterii.

Philippus Ariminensis Religiosissimo Viro D. Nicolao S. Mathiæ Priori dignissimo salutem plurimam dicit.

Blasius Leonardus a te accepisse ad me scripsit rem diu cupitam in portum velo pleno deferri. Ecquis alius nuntius nuntiari mihi jucundior potuit? Quid aliud voluptuosius aures haurire meæ potuerunt his temporibus? Nihil profecto, nihil, nisi illud unum, cum in tuis literis legero. Philippe, veni, propera & fruere communi lætitia nostra. Tunc ego navim conscendam intrepidus. Non me uxor, non liberorum amplexus, non magistratus occupationes, me non amicorum negotia retardabunt. Non Pelagus, si fremet, horrescam. Non hyberna tempora, non inclementiam aeris formidabo. Modo tuis literis optata nunties, adero, cum vix me moveri potuisse credideris. Nam cetera mea vota præ hoc uno, quo potiri spero, & pene ope tua certior sum, vana & invalida sunt. Tu vir sancte primus fundamenta jecisti. Fac quæso, ut opus naviter opera tua consumes. Amicum in medio cursu juva. Benemerendo ne fatigare de cliente, de vernula tuo, vir sanctissime, cujus mens post servitia Dei est inservire amicis, subvenire inopi, implorantem audire, amplecti & misereri. Hæc tuæ sunt artes, vir vere sancte, vir religiose, vir humanissime & clementissime. Non dubito te alium in me futurum ac fuisti in reliquos ordinis mei pauperes pusillo contentos. Quod vero tuis verbis idem Blasius nuntiavit de codice remittendo, aut ære solvendo, alterutrum fiet, ne vereare. Solvam me ab hoc, quod persolvi, & justum ac æquum esse confiteor. Vale.

Ex Cherpso VIII. Kal. Martias 1468.

Philippum Ariminensem legimus in apographo fundationis monasterii sanctæ Mariæ in portu Pisauri ab ipso conscripto anno 1488. & se nominat *Filium quondam Federici publicum imperiali auctoritate notarium & cancellarium reverendissimi domini Patriarchæ Venetiarum.* Nimirum ope Nicolai

colai de Tulmetio exoptabat, & obtinuit Philippus officium gerere cancellarii apud Maphæum patriarcham.

Ann. Chr. 1468.

Franciscus Tolosinus de Medicis die XXI. januarii hujus anni electus fuit abbas sancti Zenonis Pisarum, facile ob mortem Augustini de Porticu abbatis dicti loci.

Ann. Chr. 1469.

XXVIII. Pauli II. commissiones & bullæ.

PAULUS II. Romanus pontifex Josepho abbati sanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœcesis committit traditionem oratorii sive ecclesiæ sanctæ Mariæ del Saxo juxta castrum Biblenæ patribus ordinis Prædicatorum ad fundandum in ea cœnobium ejus ordinis. Anno M. CCCC. LXVIII. sexto idus martii pontificatus sui anno quinto, stylo bullarum, æræ communis M. CCCC. LXIX. Collector bullarii ejus ordinis [a] commissionem factam scribit abbati monasterii de Agriono Arretinæ diœcesis, quod nullum est in ea diœcesi; quare legendum de Agnano.

a T. III. pag. 464.

Idem pontifex episcopo Patavino, & Petro Boldù abbati sanctæ Mariæ ad Carceres mandavit hoc anno executionem traditionis cujusdam ecclesiæ, quam pro iisdem fratribus ordinis Prædicatorum in honorem sanctæ Mariæ de novo constructam in oppido Athestis ædificaverant universitates & homines Vallanconi, & Brisigæ, & Paluganæ & Hospitalis, quæ erant villæ Patavinæ diœcesis. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno M.CCCC. LXIX. tertio nonas julii pontificatus sui anno V. Extat in Appendice.

Ex tabulario Rosæ Senarum univit eremo de Vivo hospitalia sancti Petri de Canneto & sancti Benedicti de Paterno.

Ex illo sancti Michaelis de Muriano confirmavit Petro Donato abbati ejus monasterii usum mitræ & baculi pastoralis.

Demum ex tabulario Fontis-boni [b] die decima-tertia novembris pontificatus sui anno sexto, supplicationibus Mariotti, & moderni abbatis sancti Felicis in Platea, narrata hujus monasterii separatione facta ab abbatia Nonantulana, & erectione ejus loci in cœnobium, ita tamen ut prior sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia primam vocem haberet in electione abbatis, approbavit hujusmodi bullam factam a Johanne XXIII.

b §. Unio 20. A. 5. 33.

XXIX. Aliquot monasteriorum historica.

Ex paginis monasterii Angelorum de Florentia Julianus de Florentia ordinis Prædicatorum episcopus Citharidensis & vicarius Johannis de Deo-tesalvi archiepiscopi Florentini, monachorum sancti Benedicti extra muros ecclesiam visitantibus indulgentiam concedit. Is episcopus Citharidensis habitabat in ecclesia Montis-lupi ex monumentis Nicolai del Biada.

In capella appellata familiæ Salviatorum ad sanctum Gregorium de Urbe in ornamento antiqui ciborii lapidei ex marmore albo legitur: *Fr. GG. hujus monasterii Romanus abbas fieri fecit hoc opus*; & inferius: *Anno Christi* M. CCCC. LXIX. Ipse est Gregorius Amatisco abbas, de quo ad annum 1452.

Obeunte Johanne postremo abbate regulari sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ, de quo mentio fit in necrologio Avellanense ad diem XVIII. martii, & apud Tonduccium pagina XIX. commendatum fuit monasterium Friderico Manfredo episcopo Faventino. In pagina tabularii sancti Laurentii de Faventia [c] ad annum 1466. die X. junii appellatur Johannes Bartholi abbas sanctæ Mariæ foris portam de Faventia ordinis & congregationis sanctæ Crucis de Avellana, & sic ordo Avellanensis defecit in eo monasterio post tercentos annos ab anno 1168. quo fuerant evocati ex Avellanensi cœnobio monachi.

c Capf. 6. fascic. 64. n. 639.

XXX. Maphæus Gherardus pacificam possessionem obtinet patriarchatus Veneti.

TRIENNIUM vacabat sedes patriarchalis Venetiarum, obdurato animo refragante Romano pontifice, neque tamen alium volentibus patriar-

 cham

Ann. Chr. 1469.

cham Venetis patriciis, quam Maphæum Gherardum: tandem hoc anno ipsorum constantissima vota precesque excepit Paulus II. & Maphæi electionem apostolica confirmatione approbavit. Voluit tamen, ne suo jure decedere videretur Romanus pontifex, constitui ipsi electo duos coadjutores. Sed Angeli canonici narrationem prosequamur: *Cognita viri optimi virtute & sanctitate in Venetum antistitem confirmavit.*

Duo etiam a pontifice dantur eidem vicarii & coadjutores, qui & in patriarchali palatio cum eodem morabantur; quorum alter Aloysius de Medicis doctor juris nuncupabatur, alter vero Andreas de Crema & ipse juris eximius doctor appellabatur, qui jura in civilibus & criminalibus rebus dare deberent. Is clericos comam aut barbam nutrientes pati non poterat. In eodem quoque tuo cubiculo satis inculto, quo nunc dignatio tua utitur, (verba facit ad Antonium Contarenum ipsius Maphæi in patriarchatu successorem post alios patriarchas), *& ipse semper etiam est usus, quo usque in patriarchio permansit. Delatorem neminem audire volebat; verum si forte eveniret, ut aliquis alicujus criminis labe aliquem accusaret, & accusantes evocabantur. Sed si forsitan, qui crimen objecerat, legitimo approbare non potuisset testimonio, talionis pœnam hujusmodi accusatorem perferre cogebat, dicebatque nil pejus in quacumque civitate reperiri posse, quam detractoris & delatoris linguam. Nulla ardentior pestis in clerum tunc viguerat, quamquam eam hoc pacto Maphæus extinxerat parvo tempore. Dicere etiam erat solitus illud Hieronymi: Si deessent auditores, delatores non essent. Turrim campanariam opere non ignobili lapideque peregrino ad summitatem usque sumptibus multis, multiplicibusque sudoribus acquisitis tandem ipse perduxit, cui parem in Italia nulla habet ecclesia. Opus enim hoc quinque & viginti millibus aureis æstimatur omnino. Eam itaque primus Andreas Bondimerius cepit, deinde Johannes Barotius sequebatur, demum is noster, uti nunc videtur, Maphæus perfecit, sed & atrium tui palatii tam ex latere tui cubiculi vergente, quam ex altera parte, quæ vergit ad ecclesiam Castellanam, ipse refecit & restauravit. Sacerdotalia indumenta & ecclesiastica, idque genus plura fecit. Redditus patriarchatus magnopere auxit, omnia, quæ poterat habere Maphæus, optabat in pauperes Christi distribuere. Duos secum nostri ordinis fratres semper habere voluit. Sed alter eorum propter aeris intemperiem post quartum-decimum annum obiit, sed domnus Johannes usque ad vitæ terminum secum perseveravit. Sed ne in longum videar sermonem trahere, intermissis ceteris venio nunc ad explicandam ejus promotionem ad cardineum culmen* &c. Verum de Maphæi promotione ad cardinalatum alio anno. Impetravit die XXIX. octobris anni 1470. a Senatu Veneto, ut Romano pontifici supplicaret, ne Venetis clericis talia concederet privilegia, quorum virtute ab obedientia & subjectione patriarchæ eximerentur. Item die XXVIII. septembris anni 1472. exoravit liberam correctionem & reformationem earum ecclesiarum & monasteriorum, quæ ex privilegio exemptionis impediebantur visitari a patriarcha. Item anno 1489. die XXIV. septembris obtinuit visitationem monasteriorum monialium conventualium, quæ erant segregata & immunia ab ejus superioritate. Constructioni turris quartam partem decimarum emortualium mensæ suæ patriarchali ex antiquo more spectantium assignavit, obtenta facultate anno 1472. a Sixto IV. eas pecunias convertendi in erogationem pro dicto opere, licet Paulus II. easdem decimas certis personis distribui mandasset. Ad temporale clericorum subsidium a præjudiciis tutandum apostolicas excepit ejusdem Sixti epistolas anno 1476. die XVIII. martii exaratas, quibus decretum est, quod non obstantibus privilegiis & indul-

tis

tis ordinibus Mendicantium concessis, antiquæ consuetudines quoad funeralia & sacramentorum administrationem in civitate Veneta servari deberent. Anno 1470. die XVI. augusti ex commissione Pauli II. univit monasterium sancti Jacobi de Palude Muriani cum magna domo sanctæ Mariæ gloriosæ fratrum Minorum Venetiarum. Sed de indultis apostolicis Maphæo concessis legantur ecclesiæ Venetæ & Torcellanæ Cl. Cornelii, ubi per extensum referuntur. In patriarchali dignitate constitutus Maphæus virtutes, quas in monasterio abbas rigidissime excoluerat, secum in patriarchatu indivisas comites habuit, modestiam, humilitatem & benignitatem, quarum merito universæ civitatis amorem sibi promeruit & venerationem.

Ann. Chr. 1469.

PRÆSENTI anno M. CCCC. LXX. indictione III. tempore domni Pauli papæ II. die XXVI. mensis aprilis Michael abbas Vallis-castri & sancti Blasii de Fabriano monasteriorum simul unitorum cupiens reformationem inducere in sua cœnobia una cum membris ipsis adnexis & cum aliis præcisis tum per apostolicam sedem, tum per episcopos, quæque sita erant in variis diœcesibus, constituit in procuratores suos Johannem Guasparis, & Baptistam Nicolai de Fabriano ad resignanda dicta monasteria cum membris in manus Romani pontificis Pauli II. cum ea conditione, quod unirentur congregationi monachorum sanctæ Justinæ, & abbas ac monachi Valle-castrenses & sancti Blasii gestarent deinceps habitum nigrum sanctæ Justinæ. Qui procuratores substituerunt Justinum de Feltrio priorem sancti Petri in Glassiate de Mediolano præsidentem monachorum sancti Benedicti unionis sanctæ Justinæ, & Severinum de Bitonto abbatem cœnobii sanctæ Justinæ. Actum anno M. CCCC. LXX. dietertia junii Perusii in domibus I. V. D. Balionis Ugolini de nobilibus deMonte-ubiano de Perusio; ex volumine B. pagina 68. archivi sancti Petri de Perusio.

Ann. Chr. 1470. XXXI. Valle-castrense cœnobium propositum congregationi S. Justinæ.

Nihil tamen actum, & ipse Michael abbas vel decessit, vel ad alium locum & facile ad monasterium Tiphii translatus est hoc anno, quo reperimus Julianum Amadei Florentinum administratorem cœnobii Vallis-castri Michaeli successisse. Ipse tamen Julianus vix electus, ut abbatiam Agnani in diœcesi Arretina, quam cupiebat, obtineret, cessit cœnobium sancti Urbani alterum ex tribus unitis Nardo Palmerio canonico Neapolitano secretario Baptistæ Zeni cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu, qui opem tulit. Quamobrem excitatis controversiis inter ipsum & Camaldulenses, cœnobium quoque Vallis-castri in commendam concessit. Igitur Juliano de possessione ejecto impetravit cœnobium Jacobus Nucerinus episcopus Agathensis, qui possessionem accepit kalendis maji, cum onere nutriendi ibi septem monachos, quibus Julianus ipse, qui Agnanum amiserat, præsideret abbas. Ex Fortunio [a]. Re enim vera Julianus ex abbate sancti Urbani extra muros castri Pyri constitutus fuit abbas Agnaniensis post mortem Josephi abbatis a Paulo II. cujus familiaris erat, vel saltem primus fuit commendatarius abbatiæ Agnani ad aliquod tempus. Datum Romæ anno VI. die octava junii; ex tabulario Fontis-boni [b].

a *P. II. lib. IV cap. 19.*

b *§. Brevia 81. A. 5. 2.*

Ex eodem Fortunio, [c] Bartholo Volaterrano abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum, Andreas Arretinus presbyter contulit in cœnobium jus capellæ sancti Blasii sitæ in templo sanctæ Cæciliæ.

XXXII. Historica aliquot monasteriorum.

Anno M. CCCC. LXX. indictione IV. die IX. octobris Ginevra olim Andreæ Jacobi de Martinis de Florentia abbatissa sancti Petri de Luco elegit Stephanum olim Jacobi monachum Camaldulensem in rectorem ecclesiæ sancti Georgii alla Rena de Mucello, cui unita dicitur ecclesia sancti Nico-

c *P. II. lib. II. cap. 12.*

ANN. CHR. 1470.

Nicolai, ipsumque in possessionem induxit; ex archivo dicti parthenonis [a].

Monachi Camaldulenses sancti Felicis in Platea sacramenta ministrabant per hæc tempora monialibus sanctorum Stephani & Vincentii de Florentia, quæ residebant in eorum parœcia, ut fidem facit Johannes archiepiscopus Florentinus in concessione facta eisdem monialibus petitione magnifici viri Petri-francisci de Medicis oratoris Florentini, eligendi sibi confessarium & administratorem Sacramentorum, quæ extat apud Mannium Sigillorum tomo quinto [b]. Hujus archiepiscopi Johannis vicarius erat Ardicinus a Porta canonicus Novariensis, & postea S. R. E. cardinalis, de quo aliqua dicemus; ex eodem Mannio [c].

Petrus Barotius patritius Venetus promotus fuit a Paulo II. ad episcopatum Bellunensem ex epistola Petri Delphini [d], qui cum eo studiis adolescens vacaverat, quique ejus dignitati gratulatur.

In ecclesia veteri sancti Gregorii de Urbe extabat hocce monumentum: *Hic in pace requiescit dominus Petrus Freberti de Normania presbyter cantor capellanus in capella papæ canonicus & scholasticus Lexoviensis ; obiit* XIII. *julii* M. CCCC. LXX.

a *Sacc. E.* 35.

b *Pag.* 93.

c *Ibidem.*

d *Ep. V.*

ANN. CHR. 1471.

XXXIII. Pauli II. & Sixti IV. bullæ.

SIXTUS IV. Romanus pontifex, qui in locum Pauli II. creatus fuerat nona die augusti, abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum, & Bartholomæo Benedicti de Lambardis canonico Pisano, prænarrata & inserta bulla prædecessoris sui Pauli de *Alienationibus* facta anno M. CCCC. LXV. quinto idus maji pontificatus anno I. commisit quamdam causam vertentem inter Miniatem abbatem sancti Pauli ad ripam Arni Vallis-umbrosanæ congregationis, & inter quosdam laicos super certa terrarum quantitate, scilicet ut ad examen revocarent, an conventio cederet in utilitatem dicti monasterii sancti Pauli. Datum Romæ anno M. CCCC. LXXI. decimoseptimo kalendas februarii pontificatus sui anno primo, more Bullarum, hoc est initiis anni sequentis.

Die XXV. octobris Fridericus de Manfredis episcopus Faventinus visa electione facta a Philippo de Ragnolis abbate sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia Benvenuti de Glutolis monachi Camaldulensis in rectorem ecclesiæ sancti Antonini, eam ratam habuit.

Pertinent ad hunc annum epistolæ Mauri Lapi monachi sancti Mathiæ de Muriano, quas scripsit tum oratoribus Venetis in Romana curia, tum cardinali sancti Marci, tum demum ipsi Romano pontifici Paulo II. pro obtinendis iisdem indulgentiis in ecclesia sancti Mathiæ, quas tempore Eugenii IV. patruelis sui obtinuerant monachi sancti Michaelis, ea vel maxime ratione, quia in ecclesia sancti Mathiæ *recondita* erant *ossa Angeli viri famosi & catholici avi* sui, & *patris* ejusdem *Eugenii*, quæ literæ effectum suum sortitæ non fuere ob mortem ejusdem Romani pontificis secutam die XXV. julii.

XXXIV. De Nicolao Malerbio monacho Camaldulensi.

FLOREBAT in eodem monasterio sancti Mathiæ de Muriano per hæc tempora Nicolaus Malermius vel Malerbius Venetus & monachus. Anno præterito Petrus de Monte abbas sanctorum Apollinaris in Classe & Severi prope Ravennam, major ordinarius in partibus Ravignanæ, nec non perpetuus commendatarius abbatiæ sancti Michaelis de Lemmo Nicolao monacho nato quondam spectabilis & generosi viri domini Philippi de Malerbis de Venetiis procurationis paginam facit pro hac postrema abbatia die XXVIII. januarii. Frater appellatur Nicolaus Angeli Tomasini in alia pagina. Is itaque commorans hoc anno in cœnobio sancti Mathiæ de Muriano typis Vindelini de Spira kalendis augusti edidit Biblia Italica duobus

duobus tomis in folio cum hoc titulo: *Biblia volgare historiata*, cum epistola Italica ad fratrem Laurentium theologum Venetum ordinis sancti Francisci, in qua rationem reddit suæ versionis septem capitibus. Docet inter cetera se psalterium vertisse juxta doctrinam sacrorum doctorum Aurelii Augustini, Magistri sententiarum, Remigii, Ambrosii, & egregii doctoris magistri Michaelis Bononiensis ordinis Carmelitarum; libros autem Salomonis juxta doctrinam Nicolai Lyrani. Capite quinto, *ad confirmandam*, inquit, *hanc veritatem, licet parvo & mediocri polleamus ingenio, integra tamen Biblia secundum proprietatem literæ de verbo ad verbum transtulimus ,... nulla re mutata, vel omissa vel addita, nisi quæ literæ & germano sensui prorsus essent consentanea.* Et capite sexto: *Verum est jam conversas esse in Italicam linguam quasdam sacræ Scripturæ partes, quæ in manus nostras devenerunt; has si legisses, ut feci, multis erroribus vitiisque deprehendisses ita refertas, ut majus temporis spatium, nec non graviorem laborem in illis emendandis, quam in nova condenda versione insumendum esse concederes.* Et capite VII. *Posthabitis aliis negotiis octo menses huic lucubrationi operam dedi.* Eadem Biblia reimpressa hoc anno, quorum Veteris Testamenti versio a præcedenti plurimum differt, sed in Novo eadem est, parumper recognita, cum prologo sancti Hieronymi Italice ex versione Nicolai Malermii duobus voluminibus in folio, & ad calcem ultimi adnotatum legitur M. CCCC. LXXI. Kalendis octobris absque loco impressionis & nomine typographi. Johannes la Caille apud Jacobum le Long meminit Bibliorum Italicorum editionem factam in folio Pinarolii a Johanne de Rubeis anno 1475. Biblia Italica Nicolai de Malermi cum ejus epistola ad Laurentium, hujus responsione & summariis Marini Veneti duobus voluminibus in folio. In fine prioris legitur: *Completa sunt Biblia rubricata per me Marinum Venetum ordinis Prædicatorum.* In fine posterioris: *Perfecta sunt hæc Biblia summo studio correcta, & Venetiis magna vigilantia magistri Antonii Bononiensis excusa, Sixto IV. pont. max. regnante Andrea Vendramino inclyto Venetiarum principe* 1477. Eadem cum præfatione Hieronymi Squarzafici, qui Malermium in his concinnandis plurimum juvit, in folio *Venetiis per Gabrielem de Piero Trevisanum Sixto IV. pont. max. regnante Andrea Vendramino duce Venetiarum* 1477. Altera eodem anno, XXIII. decembris, in qua sic præfatur Hieronymus: *Venerabilis dominus Nicolaus de Malermi sacra Biblia ex Latino Italice reddidit, eos imitatus, qui vulgares antea conversiones, si sunt hoc nomine, & non potius confusiones nuncupandæ, confecerunt. Quantum ad hanc, an fida sit, & juxta vulgatam Latinam emendata, testificari id valeo, siquidem meam in illa condenda operam præbuerim. Quam quidem rogante magistro Gabriele de Piero iterum sic recognovi, ut libere in publicum prodire possit.* Alia absque loco, anno & typographi nomine. Subinde versio Malerbii edita fuit annis 1481. 1484. 1490. 1492. 1502. 1507. 1517. 1525. 1532. 1535. 1541. 1546. 1553. 1558. In forma quarti 1566. & denuo cum Latina versione collata cum licentia sacræ congregationis Inquisitionis ab omnibus mendis summa diligentia purgata in folio Venetiis typis Hieronymi Scoti anno 1567. ut ex recensione ejusdem Jacobi Le-long [a], quem exscripsimus, notum habemus.

Ann. Chr. 1471.

Idem Nicolaus *anno* M. CCCC. LXXV. *ex cœnobio sancti Mathiæ de Muriano Romano pontifice Sixto IV. Maphæo Girardo devotissimo patriarcha Venetiarum quinto, Petro Mocenico inclyto duce Venetiarum* edidit *Vitas Sanctorum* folio maximo typis magistri Nicolai Jensoni Gallici. Reddens autem

[a] T. I. Bibl. Sacræ pag. 354.

ANN. CHR. 1471.

autem rationem hujus sui operis asserit se ex Latina in vulgarem linguam reddidisse legendas seu vitas Sanctorum & Sanctarum, ætate sua ingravescente, & vocato ad se clarissimo cive Florentino (Hieronymo Squarzafico) erudito in sacris literis opus suum ejus correctioni subjecisse, magistrumque Nicolaum impressorem se rogasse, ut eas ederet. Addidit autem de suo penu plures vitas Sanctorum, qui postremis temporibus floruerant, ut puta sancti Parisii, sanctæ Catharinæ Senensis, sancti Nicolai de Tolentino, sancti Laurentii Justiniani, ac narrationes aliquot inspersit de cultu Sanctorum, qui colebantur Venetiis. Iterum anno 1477. impressum fuit hoc opus a magistro Gabriele Petri Tarvisino die XXVI. julii Venetiis. Abbatis officio posthac nomine monasterii sancti Michaelis de Muriano functus est Nicolaus in cœnobio sancti Michaelis de Lemmo. Anno 1480. degebat in monasterio Classis Ravennæ ex epistola CLVI. Petri Delphini, & anno 1481. in monasterio sancti Michaelis de Muriano annos habens quinquaginta-novem, religionis autem undecim, ex quo conficitur ipsum provectæ ætatis, annosque natum quadraginta-octo ad claustrum sancti Michaelis accessisse circa annum 1470.

Ex codicibus cl. senatoris Petri Gradonici de confinio sanctæ Justinæ die quinta augusti hujus anni venerandus domnus frater Johannes Memmo ordinis sancti Michaelis de Muriano, nepos reverendissimi domini patriarchæ Venetiarum scriptus fuit ad probam episcopatus Torcelli ; ob mortem scilicet Placidi Pavanelli episcopi ; sed pontifex Simonem Contarenum elegit & præfecit ei ecclesiæ.

Petrus de Monte abbas Classensis contulit ecclesiam sancti Michaelis de Monte-sirico diœcesis Faventinæ subjectam suo monasterio fratri Felici de Felicis ordinis sancti Augustini. Indulgentiæ huic ecclesiæ concessæ anno 1455. leguntur in paginis Faventinis.

ANN. CHR. 1472. XXXV. Reparatio ecclesiæ S. Urbani. Obitus Bessarionis cardinalis.

RODERICUS episcopus Albanensis, Oliverius tituli sancti Eusebii, Amicus sanctæ Mariæ Trans-tiberim, Jacobus sancti Grisogoni, Julianus sancti Petri ad Vincula, Baptista sanctæ Mariæ in Porticu, & Johannes sanctæ Luciæ S. R. E. cardinales episcopi, presbyteri & diaconi concesserunt hoc anno indulgentias monasterio & ecclesiæ sancti Urbani pontificis & martyris de Pyro Camaldulensis ordinis, quæ reparatione indigebant, supplicationibus Johannis-pauli de Palmeriis dicti monasterii abbatis, & Nardi Palmerii canonici Neapolitani, sanctissimi domini nostri Sixti IV. subdiaconi & cubicularii secreti fratris germani prædicti abbatis, qui in fratrem abbatiam transtulerat sancti Urbani. Datum Romæ anno M. CCCC. LXXII. indictione V. die XXII. aprilis pontificatus Sixti IV. anno primo.

Cum reædificata fuisset ecclesia parœcialis sancti Andreæ de Zagonaria a Lugensibus permissu Antonii Castellani episcopi Imolensis, hi jus patronatus in hanc novam ecclesiam sibi vindicabant; quare Philippus de Rangolis de Faventia abbas sanctorum Hippolyti & Laurentii, ad quem de antiquo jure spectabat patronatus dictæ ecclesiæ, Romanam curiam adivit pro redintegratione sui juris ; ex Bonolo [a] in historia oppidi Luci.

Obiit hoc anno Bessarion cardinalis commendatarius abbatiæ sanctæ Crucis de Fonte-avellana. In necrologio Avellanensi ejus decessus refertur sub die XXIX. novembris. Franciscus Bentivolus Sentinas successor Bessarioni designatus brevi locum fecit Juliano a Ruvere cardinali sancti Petri ad Vincula, episcopo Ostiensi, inde Julio II.

a *Pag.* 369.

Su-

SUPERVIXIT ad hunc annum venerabilis vir Petrus Zelandrinus Teutonicus eremita Camaldulensis, inclusus, qui viderat animam Pii II. Romani pontificis in cœlum ferri. Reliquit is has fragiles umbras sexto kalendas maji nonagesimum & octavum annum agens. „ Corpore vero, „ subdit Fortunius [a], apud beatum Peregrinum condito, divini ei æque „ a patribus sunt tributi honores. " Idipsum habet Ractius [b] in Sanctis & Beatis Ethruriæ, Buccellinus & Bollandus tomo III. aprilis pagina 472. Carmina reliquit super Passione Domini, quæ extant in bibliotheca eremi Camaldulensis codice 251. vitamque beati Johannis Columbini per Feum Belcarium exaratam manu ipsius Petri reclusi in cella sancti Bartholomæi in codice 299.

ANN. CHR. 1473. XXXVI. Felix obitus Petri Teutonici eremitæ Camaldulensis, aliaque.

a P. I. lib. II. cap. 71.
b Pag. 96.

Sixtus IV. die decima aprilis [c] Mariotto priori generali Camaldulensi plusquam sexagenario & podagra laboranti concessit, ut alterum beneficium Camaldulense ex iis, quæ ad ejus liberam collationem pertinerent, retinere posset, ut scilicet ex ejus proventibus sustentari valeret extra eremum Camaldulensem, qui locus ætati & infirmitati ejus incommodissimus esse dicebatur. Indulsit etiam, ut continuare ei liceret commendationem monasterii Decianensis.

c §. Brevia 82. d. 5. 11.

Quinta-decima februarii eidem mandaverat, ut reformationem susciperet monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, quam potentium preces & populi favor impedire videbant. Datum anno II.

Nicolaus Tronus dux Venetiarum nobilibus & sapientibus viris Hieronymo Lauredano potestati & Leonardo Contareno capitaneo Paduæ commendavit fratres monasterii sanctæ Mariæ Montis-crucum & alterius cœnobii sancti Antonii Peregrini, hoc est Porciliæ, qui in eorum possessionibus & juribus multa damna sustinuerant. Datum die XXIII. julii indictione VI. anno M. CCCC. LXXIII. Extat in Appendice.

Post obitum Petri de Monte abbatis Classensis & commendatarii monasterii sancti Michaelis de Lemmo in Histria Mariottus prior generalis Camaldulensis univit monasterium Histriense cum illo sancti Michaelis de Muriano, literis datis ad Petrum quondam Hermolai de Donatis de Venetiis abbatem Murianensem sancti Michaelis anno M. CCCC. LXXIII. indictione VI. officii sui anno XX.

Obiit hoc anno Lucas Dathus monachus olim & abbas sancti Felicis in Platea de Florentia, inde abbas sancti Salvatoris Camalduli Florentini sepultus in ecclesia hujus postremi monasterii cum epigraphe: *Messer Luca Dati abbate de Camaldoli*. Frater ipse fuit Leonardi a secretis plurium Romanorum pontificum, qui decesserat anno præterito episcopus Massæ & Populoniæ.

Pridie kalendas maji pontificatus sui anno II. Sixtus IV. commisit Jacobo de Allegris abbati sancti Felicis in Platea unionem ecclesiarum sancti Georgii & sancti Nicolai cum parthenone sancti Petri de Luco. Executus est Jacobus apostolicam commissionem die XXVI. junii indictione VI. anno secundo Sixti IV., ex Lucensis parthenonis chartis.

EX epistola Delphini ad Venturam priorem Montis crucum [d] habemus *paucis ante diebus destinatas fuisse a legato Catareno Zeno ex castris Persarum literas ad Senatum, quibus significabat Persas per dies decem contra Turcos fortiter dimicasse, tantamque Turcorum stragem dedisse, ut ad* LXX. *millia in eo prælio cecidisse dicantur, inter quos plerosque ex primoribus fuisse trucidatos, captos etiam constat complures. Hoc prospero eventu, ac spe potiundæ victoriæ freti Persæ Turcorum exercitum insecuti sunt. Qui in terga vertentes cum se in locum tutissimum recepissent, atque in monte* quodam

XXXVII. Excerpta ex epistola Delphini.

d Num. XXIII.

ANN. CHR. 1473.

quodam edito consedissent, ad excipiendum Persarum impetum, quanta poterant diligentia se præparaverunt, undique machinis, ac præcipue tormentis, quas bombardas vocant, per gyrum collocatis. Persæ elatis animis, postquam tentoriis erectis castrametati sunt, quid facto opus esset consulentes, tandem consilium cepere, ut Turcorum exercitum summa vi adorirentur. Itaque diviso quadrifariam exercitu, dimicationi instructi intentique cinxerunt montem, datoque ad pugnam signo, minus fausto marte hostem aggrediuntur. Siquidem tormentorum multitudine ac frequentia rejecti, cum adiri locus tum sui natura, tum instrumentis bellicis munitissimus nulla vi potuisset, retulerant pedem Persæ. Quo viso sustulerunt animos Turci, insecutique Persas, duodecim millia ipsorum in ea trepidatione occiderunt, irrumpentesque tentoria, prædam haud quidem ingentem, videlicet mille camelos, inde reduxerunt. Princeps autem exercitus Persarum signo receptui dato, ad sarcinas, ubi uxores ac filios cum centum millibus armatorum reliquerat, sese recepit, statimque ad filium suum majorem natu, qui dimicationi huic minime interfuerat, nuntium destinavit, ut collectis centum millibus militum ad se properaret. Siquidem statuisset novo conflictu Turcum adoriri. Turcus autem hac hyeme ibidem est hybernaturus. Hæc ex legato nostro ad Senatum allata fuere.

XXXVIII. Causa inter monast. S. Gregorii & comites de Anguillaria.

HOC anno 1473. alia causa decisa est inter abbatem sancti Gregorii de Urbe, & inter Dominicum ac Ursum comites de Anguillaria circa castrum Mazzani situm in diœcesi Nepesina. Cognitio causæ primum commissa fuit cardinali Johanni episcopo Portuensi, dicto sancti Angeli, inde Bartholomæo Roverellæ archiepiscopo Ravennati cardinali tituli sancti Clementis, tum Amico tituli sanctæ Balbinæ presbytero cardinali & episcopo Aquilano sub pontificatu Pauli II. postea Nicolao tituli sanctæ Cæciliæ episcopo Theanensi sub Sixto IV. inde Guillielmo cardinali episcopo Ostiensi dicto Rotomagensi, qui postremus sententiam tulit pro monasterio sancti Gregorii, & pro Petro tituli sancti Sixti presbytero cardinale abbate commendatario ejusdem loci, qui abbatiam obtinuerat post Gregorium Amatiscum, & contra dictos comites, qui appellantes receperunt in judicem Franciscum sancti Eustachii diaconum cardinalem dictum Senensem, deinde Stephanum sancti Adriani cardinalem Mediolanensem nuncupatum, postea cardinalem Arelatensem Philippum sanctorum Petri & Marcellini titulo insignitum. Hic definitiva sententia comites de Anguillaria usurpatores declaravit, intentatis etiam pœnis & maledictis, si parere noluerint; Petrum e contra commendatarium, conventumque monasterii Gregoriani legitimos dominos castri Mazzani pronuntiavit, literis datis ad Latinum de Ursinis cardinalem camerarium episcopum Tusculanum, episcopis, senatori almæ Urbis, omnibusque in gradu positis. Post biennium, hoc est anno 1475. die XVII. martii Petrus de Nigrone abbas sancti Gregorii obtinuit iterum a Bartholomæo sancti Clementis, & a Juliano sancti Petri ad Vincula cardinalibus sententiam adversus Dominicum & Ursum de Anguillaria, qui nullas causantes fuisse præteritas sententias ad sanctissimum appellaverant; quare tam abbas, quam dicti comites concordaverant in Berardum cardinalem episcopum Sabinensem, simulque convenerant nominari ab utraque parte unum ex S. R. E. cardinalibus in judices ejus causæ. Electi ergo fuere Oliverius sancti Eusebii presbyter cardinalis, & Julianus sancti Petri ad Vincula, in illius autem locum processu temporis Bartholomæus sancti Clementis, qui una cum præfato Bernardo Sabinense causam reduxerunt ad priora jura, confirmataque habuerunt sententias eatenus latas ab aliis S. R. E. cardinalibus in favorem

vorem monasterii contra præfatos comites. Commissionum apostolicarum, & sententiarum tenores integri extant in toties citato codice Gregoriano.

Ann. Chr. 1473.

Ann. Chr. 1474.

XXXIX. Capitulum generale in Fonte-bono.

CELEBRATUM fuit hoc anno generale capitulum ordinis Camaldulensis in monasterio Fontis-boni, in quo interfuerunt, præter cardinalem protectorem Bernardum Herulum, & generalem Mariottum, Petrus Donatus abbas sancti Michaelis de Muriano, Nicolaus prior sancti Mathiæ, Bartholomæus abbas sancti Petri de Rotis, Philippus prior sanctæ Margaritæ de Tosina, Silvester Major eremi & Laurentius de Stia eremita, qui primas partes in eo egerunt. Constitutum est, ut monasteria sanctæ Mariæ Angelorum & sancti Benedicti Florentiæ unirentur eremo; ut congregatio nova fieret, eaque initium haberet in monasteriis sanctæ Mariæ de Carceribus, sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano. Ordinata fuere studia in potioribus cœnobiis; vetitum est, ne ullus monachus medicinæ operam daret, & pariter, ne abbatissæ amplius perdurarent toto vitæ suæ tempore in regimine parthenonum, neque priorissæ, atque etiam ne moniales recipi possent in asceteriis absque licentia prioris generalis. Decretum fuit, ut imposterum celebraretur sollemnitate plenissima festum Transfigurationis D. N. J. C. & sequenti die post officium sancti Donati commemoratio fieret de sancto Sixto papa, ac per totum ordinem perageretur octava Visitationis beatæ Mariæ. Extat oratio habita in eo capitulo a Petro Delphino octavo Kalendas majas, in qua patres ad reformationem ordinis hortatur, & hæc præsertim habet: *Quis alius in universa ecclesia Dei monachorum ordo tum cœnobiorum numero & amplitudine, tum vero in primis religione & sanctitate huic nostro ordini non dicam antecellere, sed ne æquari quidem unquam potuit? Quis universæ Christianæ reipublicæ severioris instituti, & conversationis exemplo splendidior eluxit? Innumera Camaldulensis propositi monasteria fuisse compertum est, nobilissima illa quidem, ac miro artificio constructa, & quod præstabilius fuit, disciplinæ regularis observatione eminentissima, ex quibus partim in alienam administrationem devenerunt, partim seu incuria male administrantium, seu vetustate corruerunt, partim vero nunc minantur ruinam, nisi per vos in hoc celeberrimo consessu jam labentia suffulciantur.*

XL. Unio monasteriorum pro efformanda nova congregatione in ordine.

QUOAD unionem monasteriorum Venetorum sciendum est, quod animadvertens Petrus Donatus abbas sancti Michaelis de Muriano, quod decretum Eugenii IV. de reducendis prælaturis perpetuis in novem locorum congregationem, suum effectum minime sortitum fuerat, ut diximus ad annum 1446. eo quia aliqui ex iis, qui consenserant, ambitiosius nimis se gesserant, ac continuare in prælaturis gestiebant, navavit ille egregiam operam, ut ducis & dominii Veneti decreto institueretur in eorum ditione congregatio nova perpetuis duratura temporibus, in qua aboleretur perpetuitas regiminis, & prælati ad triennium in monasteriorum sibi demandatorum administratione dumtaxat perdurarent. Exordia igitur congregationis Camaldulensis Venetæ ab hoc anno veniunt auspicanda, quo confugiens Petrus abbas ad Venetum dominium obtinuit, ut conficeretur sequens Senatus-consultum.

Die VI. ..... *in consilio Rogatorum.*

Cum sit, quod monasteria in terris & locis nostris ordinis Camaldulensis facile in commendam dentur, quando ipsa vacare contingit, quæ res ad nihilum deducet ipsam religionem amatam & honoratam a nobis, reperianturque in præsentiarum monasteria sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano, & sanctæ Mariæ Carcerum Paduæ optime & numero monachorum, & bo-

Ann. Chr. 1474.

bono regimine instituta & conditionata, quibus præstandus est omnis favor, ne per commendationes hujusmodi a norma & regula bene vivendi devient, & adnihilentur omnino. Vadit pars, quod pro conservatione dictorum monasteriorum scribatur, & committatur oratori nostro in curia Romana, quod nactus opportunitatem supplicare & impetrare debeat ad summum pontificem, quod restantibus prælatis dictorum trium monasteriorum in vita sua, sicut faciunt, & ..... in præsentiarum tam in spiritualibus, quam in temporalibus, dignetur de gratia speciali concedere, quod moriente aliquo ipsorum trium prælatorum, per capitulum ipsius monasterii, intervenientibus aliis duobus prælatis, fiat nova electio ad triennium, quæ valida sit, tamquam si per sedem apostolicam fuisset confirmata, & decedentibus aliis duobus, per capitula sua cum duobus prælatis supervenientibus fieri debeat similiter, & ita perpetuis temporibus de triennio in triennium fiat nova reformatio, conferendo quodlibet dictorum monasteriorum aut aliorum, quæ eis de novo unirentur, conventione quinto-decimo quoque anno sedi apostolicæ juxta taxam dictorum monasteriorum, ut per hunc modum cultus divinus habeat debitum suum.

Ex speciali itaque mandato capitum excelsi consilii Decemvirorum demandata fuit executio hujus decreti prælatis monasteriorum sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano, ceterisque tunc adnexis sub die XVIII. decembris hujus anni, præsertim quia decretum firmatum fuerat apostolica bulla, quæ incipit: *In suprema militantis ecclesiæ specula*, data nonis decembris pontificatus Sixti papæ IV. anno quarto, quam ad Appendicem remittimus.

XLI. De abbatia Camalduli Florentini, & de Avellana.

Idem Romanus pontifex anno sui quarto [a] Berardo Herulo Narniensi S. R. E. cardinali & protectori Camaldulensi in commendationem concessit monasterium sancti Salvatoris Camalduli-Florentini vacans ob mortem Lucæ Dathi postremi abbatis, cujus fructus erant tercenti Floreni, ea tamen lege, ut monachorum numerus non minueretur, bonave ipsius monasterii non alienarentur. Berardus protectionem ordinis susceperat post obitum Johannis sancti Sixti cardinalis.

a §. *Brevia* 84. *A.* 5. 13.

Impetravit hoc anno ab eodem Sixto IV. Julianus S. R. E. cardinalis a Ruvere monasterium sanctæ Crucis Fontis-avellanæ in commendam. Scribens enim idem pontifex anno quarto die XIV. octobris Johanni-baptistæ de Bentivolis equiti & jurisconsulto: *De monasterio*, inquit, *sanctæ Crucis Avellanæ desiderio tuo satisfecissemus, accedente præsertim non vulgari commendatione & intercessione dilecti filii nobilis viri Friderici ducis Urbini S. R. E. confalonerii, nisi prius illud a nobis dilectus filius & nepos noster cardinalis sancti Petri ad Vincula impetrasset.* Habetur Sixti epistola in thesauro novissimo Martene [b].

b T. *II. col.* 1471.

XLII. Monumenta aliquot historica.

Maphæus Gherardus patriarcha Venetiarum ex commissione prædicti Romani pontificis data die VII. junii hujus anni exequutus est unionem parthenonis sancti Angeli de Contorta cum altero sanctæ Crucis de Judaica Venetiarum, quam die XVIII. februarii anni 1440. primum præceperat Laurentio Justiniano episcopo Castellano Eugenius papa IV. ex [c] Cornelii ecclesiis Venetis.

c *Dec.* I. *pag.* 71.

Lucas Carduccius abbas Camaldulensis eligitur hoc eodem anno a Sixto IV. episcopus Auximanus in Piceno. Is patria Florentinus, Nicolao patre, Petraque Foraboschia matre natus post regimen monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, ad quod ex abbatia Florentina una cum Gometio abbate transierat, post continuatum pluribus annis aliud regimen titulo abbatis in monasterio sancti Savini vel Sabini Pisarum, non

sanctæ Sabinæ, uti scribit Ughellius [a], quinto nonas decembris invitus ad sedem Auximanam fuit assumptus.

Ann. Chr. 1474.

Nicolaus de Tulmetio prior sancti Mathiæ de Muriano propter abdicationem prioratus sanctæ Mariæ de Rhua factam a Michaele de Venetiis, ipsum contulit Johanni Memmo monacho Camaldulensi, committens Lucæ priori sancti Benedicti de Fileto & vicario Montis-crucum & Porciliæ, ut Johannem in possessionem induceret. Datum die XXVIII. novembris M. CCCC. LXXIV.

[a] T. I. col. 507.

Ad faciem exteriorem ecclesiæ sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina sub vitrea fenestra ad latus monasterii, parieti inclusa est tabula marmorea, in qua insculpta est sequens inscriptio: *Petrus Leono episcopus Cenetensis & comes, atque hujus abbatiæ & beatæ Virginis templi perpetuus commendatarius id consecravit anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto die* X. *octobris*. Ipsius commendatarii nomen legitur in paginis ejus monasterii ab anno 1464. post Petrum Barbum abbatem commendatarium cardinalem, inde Paulum II.

Ann. Chr. 1475. XLIII. Classensia S. Apollinaris & S. Severi monasteria uniuntur novæ congregationi.

ROMANUS pontifex Sixtus IV. XIII. kalendas januarias pontificatus sui anno V. ad normam similium literarum, quas relaxaverat anno præterito pro monasteriis sancti Michaelis & sancti Mathiæ ac sanctæ Mariæ ad Carceres, nimirum, ut cedentibus vel decedentibus eorum prælatis abbates exinde triennales eligerentur, extendit pares literas ad monasteria sanctorum Apollinaris & Severi de Ravenna invicem unita, quæ jampridem obtinebat venerabilis frater Philippus S. R. E. cardinalis episcopus Portuensis & major pœnitentiarius, qui commendæ cesserat, & ex dispensatione apostolica annuam quingentorum aureorum pensionem sibi reservaverat, volens, ut etiam in his monasteriis Ravennatibus præficeretur abbas regularis triennalis; & quoniam monasterium sancti Michaelis de Muriano, auctore in primis Petro Donato abbate, cujus opera industria & labore res hæc peracta est, ejus pensionis persolvendæ cardinali fidejussorem se dederat, propterea decrevit, ut prima futuri abbatis Classensis electio ad prædictum abbatem & conventum spectaret. Transacto autem primo triennio abbatis Classensis electio ad Classenses monachos una cum interventu abbatis sancti Michaelis pertineret, conventu sancti Michaelis nullum amplius suffragium præstante, exinde ab abbatibus sancti Michaelis & Carcerum & a priore sancti Mathiæ simul collectis abbas in eo monasterio constitueretur. Ita similiter cedentibus vel decedentibus abbatibus sancti Michaelis & Carcerum, & priore sancti Mathiæ abbas triennalis Classensis cum aliis prælatis superstitibus eligeret priorem sancti Mathiæ, vel abbates sancti Michaelis & Carcerum. Dimissio abbatiarum sancti Apollinaris & sancti Severi, quam recepit a Philippo cardinale Bononiensis Petrus Donatus abbas sancti Michaelis de Muriano, legitur in pagina archivi Classensis circa hæc tempora scripta. Relata enim dilapidatione basilicæ sancti Apollinaris facta a Sigismundo Malatesta Ariminensi domino, assentiente dicto cardinale Bononiense, subjungitur: *His ita gestis præfatus reverendissimus cardinalis vel fastidio vel conscientia motus, cum per ætatem sciret se non diu in hac vita futurum, videretque, quod ex dictis abbatiis & parum & nihil perciperet, utpote qui nunquam ultra quadringentos ducatos eas locasset, quos tamen nunquam integre exigere potuisset, tali se onere exonerare constituit. Erant eo tempore, qui cum existimarent præfatum reverendissimum dominum cardinalem cito e vivis migraturum, ut abbatias prædictas haberent, offerebant multo amplius*

Ann. Chr. 1475.

amplius de annua pensione, quam ex locatione annua perciperet, inter quos erat quidam presbyter Albanensis ex Epiro. Hos audiens reverendissimus pater domnus Petrus Donatus abbas perpetuus, non tamen consecratus, sancti Michaelis de Muriano Torcellanæ diœcesis ejusdem ordinis regulam observantis, ductus zelo religionis Romam venit, & cum prælibato reverendissimo domino cardinale tractare cepit, ut ordini potius & huic ipsi regulam observanti memoratas abbatias, quam alteri cuidam relinqueret. Scilicet propter competitores, qui (sicut supra diximus) maria & montes promittere non verebantur, difficultatis plurimum habuit, & in menses quinque continuos hac una de causa cum quinque equis & septem personis in hospitio permansit in laboribus plurimis & intolerabili sumptu, & ex una quidem parte propter zelum religionis susceptam semel provinciam nollet deserere, ac spem conficiendi negotii tantisper haberet, ex alia vero si infecto negotio Venetias rediisset, timeret, ne sine causa sumptum tam grandem fecisse argueretur, conditionibus, quæ a competitoribus dicto reverendissimo domino cardinali offerebantur, sciens prudensque acquievit, atque in hunc modum cum dicto reverendissimo domino cardinale convenit, ut debita quædam dictarum abbatiarum, quæ a præfato reverendissimo domino cardinale nunquam exigi potuerant, persolveret. Insuper modicum quid suppellectilis, quod in abbatiis prædictis remanserat, secundum æstimationem eo tempore factam persolveretur, quorum quidem & suppellectilium & debitorum summam præter ea, quæ morbo consumptis monachis his, apud quos servabantur, instrumenta quoque deperdita, aliter explicare non possumus, & præterea quolibet anno, quoad ipse reverendissimus dominus cardinalis vixisset, quingentos ducatos Venetos novæ pensionis appenderet, atque hoc modo memoratus reverendissimus dominus cardinalis abbatias memoratas in manibus sanctissimi domini nostri moderni renuntiavit, & in consistorio de consilio & assensu reverendissimorum dominorum cardinalium unioni abbatiarum sancti Michaelis de Muriano Torcellanæ, & sanctæ Mariæ de Carceribus Paduanæ diœcesis, & prioratus sancti Mathiæ de Muriano ordinis memorati uniri curavit, reservata sibi quoad viveret, pensione, de qua supra, & quia uniones prædictæ ad hoc solum factæ sunt, ut monasteria memorata nulli amplius in commendam darentur, ac ne ex ipsis apostolica camera damnum sentiret, si novi abbates ac priores fierent, qui annatam solvere debuissent, ordinatum fuit, ut decedentibus vel cedentibus sancti Michaelis de Muriano, & sanctæ Mariæ de Carceribus abbatibus perpetuis, & sancti Mathiæ de Muriano priore similiter, abbas vel prior triennalis per quosdam in literis apostolicis nominatos eligeretur, qui dimidium fructuum cameræ apostolicæ solveret, et rursus transactis quindecim annis dimidium. Quia vero monasteria sancti Apollinaris de Classe et sancti Severi extra muros Ravennates non solum abbate, sed etiam conventu carebant, ea prima vice per abbatem et conventum sancti Michaelis de Muriano; finito vero primo triennio per conventum dictorum sancti Apollinaris et sancti Severi una cum quibusdam aliis in literis apostolicis nominatis abbas similiter triennalis eligeretur cum conditionibus, de quibus supra, videlicet, ut primus eorum dimidiam partem fructuum, et quindecim annis transactis, rursus dimidiam solveret, qui tunc temporis abbas esse reperiretur, et sic de quindecim in quindecim annis, prout in literis apostolicis supra inde confectis continetur &c.

De eadem renuntiatione hæc habet Petrus Delphinus in epistola [a] ad Lucam abbatem sancti Viriani datam decimo kalendas septembris hujus anni: *Negotium Classensis monasterii per aliquot menses, ut nosti, cum reverendis-*

a Epist. XXXIII.

verendissimo domino cardinale Bononiense agitatum, optatum tamdem felicemque eventum sortitum est. Expectamus ad dies paucos unionis bullam, cujus minutam, ut vocant, frater Apollinaris noster his elapsis diebus Roma proficiscens attulit ad nos, ea quidem forma, quam magnopere expetivimus. Namque, ut summatim eam perstringam, cedit præfatus dominus cardinalis memoratæ abbatiæ, ea primum lege, ut cum hoc nostro sancti Michaelis monasterio ac reliquis duobus sanctæ Mariæ de Carceribus, divique Mathiæ uniatur, servata sibi, dum vixerit, annua quingentorum aureorum pensione. Et quoniam conventus hic noster auctore in primis patre nostro abbate, cujus opera & industria, laboreque haud modico res hæc peracta est, ejus pecuniæ persolvendæ se cardinali fidejussorem dedit, propterea decretum est, ut hæc prima tantum futuri abbatis Classensis electio ad prædictum abbatem nostrum, nostrumque pariter conventum spectet. Qui abbas ad triennium constituendus est, secundum formam prioris bullæ, quam anno exacto impetravimus. Transacto autem triennio, abbatis electio ad ejusdem Classensis cœnobii monachos una cum abbate nostro sancti Michaelis verget, conventu hoc nostro non amplius interveniente. Cum vero alia duo monasteria sanctæ Mariæ de Carceribus & sancti Mathiæ per cessionem prælatorum vel decessionem bullæ prioris effectum sortita fuerint, tunc & eorumdem monasteriorum prælati ad ejusmodi electionem in ferendis suffragiis convenient. Statim itaque acceptis a Romana curia unionis hujus bullis, quod ante dimidium proxime insequentis mensis futurum speratur, eligemus inter nos abbatem monasterio Classensi per triennium præfuturum, & jubente Domino etiam profuturum, qui aliquot ex monachis nostris secum ducet, ut monasterium diu male administratum, & in quo ne minimum quidem observationis regularis vestigium extat, pristinam, si Deus annuerit, recuperet sanctitatem, vivaturque in eo secundum beatissimi patris nostri Benedicti traditionem, atque instituta ordinis.

ANN. CHR. 1475.

Idem Romanus pontifex quarto kalendas decembris pontificatus sui anno quinto commisit episcopo Bitontino recuperationem bonorum monasterii Vallis-castri Camaldulensis ordinis, ad petitionem Juliani sancti Petri ad Vincula cardinalis abbatis commendatarii, & conventus ejusdem cœnobii; ex tabulario [a] sancti Romualdi de Urbe.

Ex Foro-liviensibus archivis habemus hoc anno die quinta maji vicarium generalem episcopi Foro-liviensis contulisse & confirmasse præsentationem domni Thomæ de Thomasiis de Ravenna ad plebem sancti Laurentii de Valderundino vacantem per obitum domni Benedicti de Carendis de Ravenna monachi monasterii sancti Petri in Vinculis Ravennatensis diœcesis Camaldulensis ordinis de jure patronatus dicti monasterii factam nomine reverendissimi domini Bartholomæi tituli sancti Clementis presbyteri cardinalis commendatarii dicti monasterii. Rogavit Philippus ab Astis notarius.

a *Fascic. XV. 27.*

ANN. CHR. 1476. XLIV. Obitus cardinalium commendatariorum Roverellæ & Calandrini.

OBIIT hoc anno S. R. E. cardinalis Bartholomæus Roverella commendatarius abbas monasterii Vangaticiensis. Scribens VII. idus maji hujus anni Petrus Delphinus ad Petrum Donatum: *Dum hæc scribo*, inquit [b], *factus sum certior, perlatum hodie illustrissimo dominio nuncium reverendissimum dominum cardinalem Roverellam vita decessisse. Ejus sane mortem acerbissime tuli, tum quia inter ceteros principes ecclesiasticos morum gravitate & sanctimonia pollebat, tum quia abbatia nostri ordinis ipsi commendata, quando amplius recuperanda sit, nullam spem relictam video.* Anno præterito Lucas abbas sancti Viriani, ex epistola ejusdem Delphini,

b. *Ep. XLVII.*

ANN. CHR. 1476.

ni [a], Romam hac de causa erat petiturus, ut coram commodius quam literis aut internunciis hoc negotium tractaret. Verum omnia incassum recidere, & post obitum cardinalis Roverellæ electus fuit in commendatarium Vangaticiæ abbatem Leonellus Trottus Ferrariensis, dimissa commenda prioratus sanctæ Mariæ in Vado Ferrariæ.

a Ep. XXXIII.

Eodem anno mense julio paucis mensibus post abdicatas abbatias sancti Apollinaris & sancti Severi in Classe decessit etiam Philippus Calandrinus S. R. E. alter cardinalis, cujus animam Delphino commendavit idem Petrus Donatus abbas sancti Michaelis. *Commendas*, inquit Delphinus [b], *nobis animam defuncti. Prævenimus commendationem tuam pater; nuntiato siquidem nobis felici decessu reverendissimi domini, sequenti die, ultima videlicet julii, Missam pro defuncto decantavimus, sollemnesque celebravimus exequias, me quidem Sacerdotalibus induto, ceteris vero accensas manibus candelas tenentibus. Postea omnibus in capitulum convocatis sacerdotibus, ut triginta Missas, quas vocant, sancti Gregorii, deincepsque sexaginta, quas Dominæ ajunt, sine intermissione celebrarent, injunxi, reliquisque tam noviis quam professis, ut per octo dies vesperas mortuorum accuratius dicerent; conversis quoque, ut orationem Dominicam, Angelicamque centies devote repeterent.* Immemor Romanus pontifex Sixtus eorum, quæ in consistorio de consilio & assensu reverendissimorum cardinalium anno præcedenti semel firmata fuerant & stabilita inter Philippum cardinalem, & Petrum Donatum abbatem, eamdem pensionem vel partem post mortem cardinalis, ut habet suprarelata pagina Classensis, reverendo patri episcopo Lunensi (Antonio Parentucello Philippi cardinalis affini) contulit. Qua super re perdiu in Romana curia litigatum fuit inter monachos novæ congregationis, & inter abbatiarum pensionarios, immo, ut videbimus, iterum malo fato commendata fuit abbatia Classensis, pluraque sustinuit ad multos annos incommoda, quæ fusissime leguntur in epistolis ejusdem Delphini.

b Ep. LI.

De nocturnis dæmonum infestationibus, quas patiebantur hoc tempore monachi sancti Michaelis de Muriano, legendus est idem Delphinus in epistola LX. ad Petrum Donatum abbatem. Consuluisse se asserit ea de causa *fratrem Michaelem Mediolanensem, & fratrem Jacobum de Chai summos viros, ac prædicatores nobilissimos.*



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi M.CCCC.LXXVII. *ad annum* M.CCCC.LXXXVII.

ANN. CHR. 1477.

I. Sixti IV. apostolica brevia.



SIXTUS IV. die secunda januarii speciali sua bulla facultatem fecit Leonardo Donati Bruni priori sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, ut liceret ipsi recipere ad habitum & professionem in dicto monasterio decem viros regulares alterius ordinis, exceptis Cartusianis, atque condere valeret leges & constitutiones, quæ tamen non adversarentur regulis & institutis Camaldulensis ordinis, ex tabulario dicti monasterii [a]. Eadem die ex Urbe [b] concessit monachis ejusdem cœnobii, in perpetuum, ut ad conservandam loci clausuram, quoties contriti & confessi diebus quadragesimæ visitaverint septem altaria ipsorum ecclesiæ, & submissa voce recitaverint psalmum *Miserere*, idipsumque peregerint in cellis suis monachi inclusi, consequerentur omnes indulgentias & remissionem peccatorum, quas consequuntur ii, qui tempore quadragesimæ loca adeunt Urbis pro stationibus assignata.

a *Num.* 206.
b *Num.* 226.

Idibus junii pontificatus sui anno sexto commisit Petro Donato abbati sancti Michaelis de Muriano, ut licentiam concederet fratribus ordinis Prædicatorum ampliandi conventum suum sancti Petri de Muriano, quod una cum ecclesia novissime conflagraverat ut legitur tum apud Cornelium [c] in ecclesiis Torcellanis, tum in Bullario ejusdem ordinis [d]. Iisdem fratribus Prædicatoribus, qui degebant in conventu Utinensi, hoc anno consortes nobilis familiæ de Fonte-bono donarunt capellam sanctæ Fuscæ de Adiliaco, qua nunc utuntur pro hospitio. Fuerat ipsa capella donata Camaldulensibus, & adjecta monasterio sancti Gottardi de Utino anno 1426. & antea fuerat sacrarum virginum domicilium, cujus priorissa Margarita nominatur in pagina anni 1303. & moniales Palma & Palmira in altera pagina anni 1319. Converso autem sancti Gottardi monasterio in Lœmocomium, desiere Camaldulenses sedes ibidem habere.

c *T. II. pag.* 368.
d *T. III.* 553

II. Historica monumenta plurium monasteriorum.

ANDREAS Vendramenus dux Venetiarum die XXX. junii indictione X. commendavit Nicolao Leono potestati & capitaneo Ravennæ eumdem

Petrum

ANN. CHR. 1477.

Petrum Donatum abbatem sancti Michaelis, qui ad redimendam abbatiam Classis lites agebat contra Parentucellum episcopum Lunensem, qui tercentorum ducatorum pensionem annuam sibi asserebat super ea abbatia contra conventiones statutas olim cum cardinale Bononiense commendatario & confirmatas a Romano pontifice Sixto, declarando mentem suam archiepiscopo Ravennati; ex archivo Classensi.

Idem Petrus Donatus ex tabulario archiepiscopali Ravennæ [a] erat conservator hoc tempore jurium & bonorum monasterii sancti Vitalis de Ravenna.

Baptista Zenus S. R. E. cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu episcopus Vicetinus & apostolicæ sedis legatus in Venetiarum, Florentiæ, Ferrariæ & Senarum dominiis die XXII. octobris pontificatus Sixti IV. anno VII. ex monasterio sancti Eustachii de Nervesia Tarvisinæ diœcesis indulgentiam plenariam concessit visitantibus ecclesiam sancti Parisii de Tarvisio die Parasceves, & in festo ejusdem sancti Parisii; ex collectione [b] monumentorum ad dictam ecclesiam spectantium. Scribit Delphinus [c] hoc anno tandem cardinales Venetos obtinuisse episcopatus suos.

Ex libro XXVIII. Reformationum populi Fabrianensis [d] die IV. martii hujus anni in consilio Credentiæ propositum fuit; „ quod reverendus „ dominus Agathensis commendatarius abbatiæ Vallis-castri in animo ha- „ bet mittere observantiam in monasterio sancti Blasii, & eo deferre cor- „ pus sancti Romualdi suis sumptibus; vellet propterea, ut mitteretur „ orator Romam, qui ista peteret. Super qua propositione dominus Pe- „ trus Loysius doctor legum clarissimus & comes præstantissimus de Be- „ nignis consuluit, gratias referendas prædicto commendatario, & quod „ agatur, quod petit, ad votum. Die tertia junii [e] Angelus domini Be- „ nigni, qui orator communitatis iverat ad Urbem causa dicti corporis „ sancti Romualdi, rediit. “

Petrus Delphinus Ambrosium Sebenicensem, qui præceptorem eatenus egerat in monasterio sancti Michaelis, virum ætate & moribus gravissimum, cujusque epistolas & orationes ab ipso habitas apud dominium Venetum laudat, misit institutorem juventutis Bellunensis ad Petrum Barotium episcopum [f].

a Capf. L. 1742.
b Num. XXXV.
c Ep. LXIV.
d Fol. 198.
e Fol. 199.
f Ep. LXXXIV.

ANN. CHR. 1478. III. Defuncto Mariotto eligitur generalis Hieronymus Griffonius.

DECESSIT hoc anno Mariottus prior generalis Camaldulensis, qui cum propter infirmitatem valetudinis suæ sacræ eremi ac Camalduli cœli frigidam intemperiem sustinere non valeret, ut sibi apud abbatiam Deciani immorari liceret, jampridem impetraverat. „ Quievit in „ pace quarto kalendas octobris in ædicula sacelli eremi pro meritis san- „ ctissimæ domus conditus, “ ut ait Fortunius. Fama est corpus ipsius pene siccum, sed integrum pone altare majus servari. Vir fuit doctrina, pietate rebusque gestis clarus, Beati quoque titulo in nonnullis catalogis nostris insignitus. Successit in ejus locum Hieronymus Griffonius Florentinus decretorum doctor, prior generalis quadragesimus-quartus, generalatus insignibus honestatus quinto idus novembris, cujus electionem pontifex duodecimo kalendas decembris anno pontificatus sui octavo comprobavit. Extat sub die XX. novembris Sixti IV. bulla in archivo Fontis-boni [g], qua Hieronymum rite electum a capitulo congregationis confirmat ex abbate Burgense, decernens, quod monasterium Burgi-sancti-Sepulcri vacare per hanc promotionem minime intelligatur, volens proinde, ut ipsius regimen quoque ad vitam teneat. Præfuit is biennium, homo ætate quasi quinquaginta annorum, dignitate vero apud contribules maximus, animo

g Brevia 87. A. 5. 24.

animo sapientissimus, ad dicendum potentissimus, & circa negotia agenda sicut nullus alter expertus, ut elogium ipsius texit, idem Fortunius. Ex tabulario Fontis-boni [a] habemus die XVII. junii anni 1479. octoviros baliæ & custodiæ imperii Florentini, visa quadam deliberatione facta per dominos priores libertatis & vexilliferum justitiæ populi Florentini, viso etiam & intellecto, quod idem Hieronymus electus & assumptus ad dictum prioratum eremi tempore prohibitionis, de qua in deliberatione, supplicavit & impetravit confirmationem suæ electionis a Sanctissimo, visa defensione ejusdem ac præcipue ratione accommandisiæ factæ anno 1382. communi Florentino de toto territorio præfatæ eremi, declarasse, dictum generalem non teneri renunciare dictæ suæ confirmationi, eumque absolvisse a pœnis & præjudiciis in deliberatione contentis; manu Basilii Pacis alterius Zenobii Pacis notarii.

Ann. Chr. 1478.

a §. Amissæ 4. A. 19.

IV. Mors & scripta Mauri Lapi monachi, S. Mathiæ de Muriano.

b P. II. Lib. IV. cap. 12.

IPSO anno M. CCCC. LXXVIII. testimonio ejusdem Fortunii [b], „ migravit ex hoc miserabili hospitio plurimis persecutionibus superatis in monasterio sancti Mathiæ de Muriano septimo idus novembris octuagenario major, cum quinquaginta fere annos in eo cœnobio peregisset, Maurus Lapi Florentinus monachus probatissimus & incorrupta observantia, doctis ac principibus viris ejus seculi notissimus. Is ex Carmelitano ad sacram eremi militiam venerat, ut ipse memoriæ prodidit hortatibus cujusdam venerabilis sanctimonialis Lucensis motus. “ Historiam hanc Mauri ipsius verbis subjicimus.

Anno Domini 1422. *existente mea parvitate in civitate, ubi natus sum, annorum* 32. *& indignus subprior sancti Petri Sigoli ordinis tunc Carmelitarum, vocatus ut Paulus ad aliter vivendum* &c. *disposui ire ad observantiam dicti ordinis, quæ dicitur Silva prope Florentiam ad sex milliaria vel circa. Sin autem mihi impedimenta occurrerent a conventualibus meis, tentare ire ad sacram eremum Camaldulensem, quia jam audiveram alium ex dictis fratribus ibi fuisse sanctæ vitæ atque Parisiensem doctorem, qui fuit consanguineus generalis Mariotti, quique domnus Gregorius vocatus fuit. Ex cujus manibus, ut vidi & legi, est liber unus in sancto Michaele nostro de Muriano, qui* Diadema monachorum *vocatur, & alia theologica scripta vidi in ipsa sacra eremo, & alibi per ordinem sua manu & intellectu composita. Dicam ut potuero breviter, existente mea exiguitate in illis anxietatibus. In somnis aut revelationibus super magnum pullum sine sella & capistro videbar esse & sine baculo, & ipse ex planitie ascendebat in montem. Ego vero timebam mortem, si ipsa bestia faceret, quod minabatur sæpe. Orabam cordialiter, ut me Deus adjuvaret in tanto periculo. Sed sic ambulante illa bestia fera occurrit juxta viam senex cum magna barba, ut moris erat antiquis temporibus, quando sanctus Romualdus vivebat. Unde ipsa bestia dimissa omni ferocitate ivit ad ipsum senem, & excitatus fui a somno, & valde lætus & consolatus accessi, dispensante divina gratia, ad ipsam sacram eremum; unde cum isto concordavi, quod quædam antiqua virgo & prophetissa atque miraculis florens in civitate Lucana, & quamvis multum velata tunc prophetavit me ad ipsam eremum accessurum, ubi infinitas gratias recepi per annos novem & ulterius contra tentationes absque mortali peccato, uti humiliter judicare possum. In ea eremo ad tempus officium gessi prioris claustralis.*

„ Missus subinde ad sancti Michaelis de Muriano cœnobium ab Ambrosio generale, exindeque semel familiæ sancti Mathiæ adscriptus, „ nunquam exinde revocari voluit. Consumpsit Maurus omnem longævam „ ætatem in scribendis voluminibus, commentaria quædam rerum suorum „ tem-

Ann. Chr. 1478.

„ temporum quasi edens ; narrat quippe ipsemet se millenos codices & „ eo amplius & lectitasse, & rescripsisse. Edidit vitam beati Laurentii Ju„ stiniani, vitam beati Petri de Sardinia, epistolam longissimam de dor„ mitione Ambrosii generalis ad Eugenium quartum pontificem, tracta„ tum itineris Terræ-sanctæ, quam bis adivit. Redegit ad bibliothecam „ sancti Mathiæ omnia volumina nova, quæ circumferrentur. Inter quæ „ habentur miracula facta in detectione corporis sancti Romualdi, & plu„ rima alia, quæ nimis longum esset retexere; quæ omnia Theophylus „ Balneensis prior & Germanus Vecchius monachus superioribus annis „ mihi legenda, subdit Fortunius, cujus verba referimus, exhibuerunt. „ Usus est omnibus valde familiariter Sanctis ac magnis viris ejusdem se„ culi, ad quos volumina literarum leguntur. Impetravit multa bona suo „ cœnobio tam a Senatu & duce Veneto, quam ab aliis principibus & „ potentibus viris, sicut ex ipsius libris legere est. " In veteri pagina monasterii sancti Mathiæ de Muriano apud Augustinium [a] tomo primo Scriptorum Venetorum legitur: *Anno Domini* 1478. *die* VII. *novembris domnus Maurus Lapius de Florentia monachus sacræ Camaldulensis eremi professus subprior ætate annorum* 88. *vel circa plenus virtutibus diem suum in Domino clausit extremum, qui in hoc sancti Mathiæ monasterio assidue, laudabiliter, & perseveranter virtuose conversatus est annis* 46. *mensibus* 7. *vel circa. Fuit enim optimus mechanicus, & regularis vitæ zelantissimus observator, vigiliis, psalmodiis, orationibus, lachrymis & aliis bonis operibus deditus, cujus anima in pace requiescat.* In altero ex ejus codicibus, quos conscripsit, habetur: *Maurus fuit ex Florentia missus Lucam in pueritia ad fratres Carmeli, ubi stetit quatuordecim annis, inde ad eremum annis novem mensibus septem; ad sanctum Michaelem mensibus* 19. *inde ad sanctum Mathiam.* Deinceps refertur catalogus ejus operum his verbis: *Rogatu Laurentii Justiniani vulgare fecit ejus opus de Humilitate. Itinerarium Terræ sanctæ quater composuit; rogaverat ipse Dominicum episcopum Torcellanum & Laurentium Castellanum, ut id opus assumerent, qui non potuerunt ob curas pastorales. Dicavit autem ipsum opus Marco Barbo cardinali, quem optabat ire ad loca sancta; dicavit autem ipsi, & Andreæ Contareno & Mauroceno; constat viginti & uno capitulis. Conscripsit mysticam theologiam Dionysii Cartusiani; De virtute orandi Hugonis a sancto Victore; Regulam & vitam quærentium dominum nostrum Jesum-christum; De arca mystica secundum Riccardum; De caritate perfecta juxta Hugonem a sancto Victore; De septem gradibus caritatis perfectæ juxta Riccardum; De vilitate humana sancti Anselmi; Breve itinerarium Bonaventuræ; Eumdem super Salve regina; Dialogum consolatorium animæ fratris Jacobi Capræ Januensis in vulgari, qui combustus fuit requirente Johanne Marcanova; De gratiis agendis Deo vulgariter scriptum; Epistolam Hieronymi de locis sanctis; Epistolam passaggii; De antiquo passaggio; Bullam Pii II. ad ducem Venetiarum de nova Cruciata; Breve summi pontificis ad cardinalem Nicænum legatum Venetum; Miracula sancti Romualdi; Sermonem Hieronymi Pragensis de sancto Romualdo; Sermonem Nicolai Barbo de sancto Romualdo; Sermonem de corpore Christi; Sermonem de eodem, forsitan cardinalis sancti Sixti; & Dialogum consolatorium in casibus fortuitis inter Jacobum de Ravenna, & Zampetrum de Villa civem Veronensem; Tractatum de arte moriendi; Tractatum de septem æternitatis itineribus editum a magistro Rodulpho de Bibriaco O. F. Minorum; Declarationes factas ab Eugenio IV. anno* 1439. *die* XXIII. *novembris in Florentia ad petitionem Nicolai de Arisino, Jacobi*

[a] Pag. 435.

cobi de Primaticiis de Bononia , & Francisci de Bononia O. F. Minorum; Sermonem ad moniales de Tarvisio; Sermonem sancti Bernardi de lapsu hominis; Ejusdem de passione Christi; De septem horis, quibus passus est Jesus-christus; Bernardi contemplationem primam super passionem; Ejusdem librum de Conscientia; Revelationes sanctæ Elisabethæ; Laudes fratris Jacoponi Tudertini; Alias ejusdem, & fratris Leonardi in commendationem beati Johannis Columbini Ingesuatorum institutoris & aliorum; Rythmos grammaticales in honorem sancti Benedicti abbatis; Laudes fratris Dominici Cavalca; Lamentationem Virginis vulgari idiomate factam a fratre Henselminio O. F. Eremitarum sancti Augustini; Tractatum de Vita solitaria editum a Petro Damiani ; Ejusdem de finali judicio . Librum de arte bene moriendi compositum per domnum Eusebium a Mutina monachum & olim priorem sanctæ Justinæ.

Exaratæ sunt in alio codice epistolæ, quas scripsit, recepitque ipse Maurus. Nomina eorum, qui literas ad Maurum dedere, sunt Johannes Marca-nova famosissimus doctor regens Bononiæ, Antoninus archiepiscopus Florentinus, Deodatus abbas sancti Chrysogoni Jaderæ, Mariottus prior generalis Camaldulensis, Christina de Barotiis priorissa sanctæ Mariæ Angelorum de Muriano, Johannes de Sancto-miniato ordinis fratrum Prædicatorum, Dominicus de Guiracis ejusdem ordinis, Lucas de Carducciis prior sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, Nicolaus Maurus potestas Opitergii, a quo etiam nuntium habuit de sui electione in priorem sancti Martini de Opitergio facta die v. julii anni 1448. Jacobinus de Bononia O. Prædicatorum, Marianus Cartusianus, Benedictus (forte Æmilianus) Paduæ studens 1449. Hieronymus Bembo canonicus de observantia sancti Spiritus Venetiarum filius spectabilis viri domini Georgii, Lucas vicarius Montis-crucum, Andreas prior sancti Johannis-baptistæ de Fossa-clodia , Bartholomæus monachus studens Bononiæ, Leonardus Dathus procurator ordinis & secretarius domini papæ anno 1455. frater Jacobus de Fesulis prior sanctæ Mariæ de Rovereto ordinis Carmelitarum, ubi narrat Ducem Austriæ & episcopum Tridentinum esse excommunicatos anno 1462. Moyses Contarenus potestas Rovereti 1461. frater Theodoricus librarius sancti Dominici de Castello anno 1456. Ludovicus ex monasterio Porciliæ, Dominicus episcopus Torcellanus occasione novi prioris sancti Mathiæ anno 1463. Johannes de Tossignano episcopus Ferrariensis, Petrus Foscari primicerius sancti Marci sedisque apostolicæ protonotarius, Johannes Contareno ex Padua , magister Angelus de Cristallinis , Christophorus Maurus dux anno 1463. Nicolaus monachus sancti Michaelis , abbas Camalduli Florentini Jacobus Odonus, Johannes abbas sancti Michaelis de Arretio, Benedictus Ardighelli prior sancti Salvatoris Venetiarum , Antonius Senensis prior sancti Christophori de Muriano, aliique, inter quos reticendus non est Ludovicus Fuscarenus insignis doctor, eques patriciusque Venetus, qui idibus junii anni 1461. Maurum *sanctissimæ vitæ monachum* appellat, eumque *ab omnibus laudari* asserit in epistola ad ipsum Maurum data.

Scripsit autem Maurus literas ad Bessarionem cardinalem Nicænum legatum Venetorum commorantem in monasterio sancti Georgii Venetiarum anno 1463. die XXII. novembris , ad eumdem Ludovicum Fuscarenum Utini locumtenentem, ad Christophorum Maurum ducem Venetiarum, ad Julianum abbatem sanctæ Mariæ de Agnano , ad Gabrielem Contarenum Venetum doctorem & auditorem Rotæ anno 1471. Eodem anno Ludovico Fuscareno & Andreæ Vendrameno oratoribus in Curia Romana, cardinali sancti Marci, episcopo Massano, primicerio sancti Marci , Juliano Florentino abbati pictori pontificio, immo ipsi pontifici Paulo II. commen-

ANN. CHR. 1478.

mendans monasterium suum pro obtinendis indulgentiis. Sed de Mauro Lapi hæc sufficiant.

V. De poemate monachi Avellanensis tempore pestis.

CUM Leonardus Gryphus Mediolanensis Eugubinam regeret ecclesiam, „ coorta est, ait Sarrius in Eugubinis episcopis [a], teterrima lues, quæ „ mortales multos sustulit anno M. CD. LXXVIII. & insequenti anno ex- „ tincta. Extat de ea re in archivo Armanno auctoris anonymi Italicum „ poema ipsi Leonardo inscriptum; in quo bonus quidam monachus ex „ monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ sanctum Ubaldum in visu con- „ spexisse fingitur adeuntem & rogantem singulos beatos cœlites, qui apud „ Eugubinos maxime coluntur, ut una secum vellent Eugubinæ civitatis „ in tanta calamitate pereuntis patrocinium apud Deum optimum maxi- „ mum suscipere. “

a Pag. 213.

VI. De Rodulpho Missirolo monacho electo episcopo Faventino.

FRIDERICUS Manfredus a Galeoto & Carolo fratribus germanis Faventia pulsus est, ubi episcopum agebat, sive potius invisis moribus ejusdem episcopi commotus clerus una & populus virum ad militaria potius quam ad sacra munera factum ejecerunt, & unanimi suffragiorum inspiratione in episcopum elegerunt Rodulphum Missirolum Faventinum monachum Camaldulensem monasterii sancti Johannis priorem. De hisce turbis altum apud omnes Faventinos scriptores silentium. Verumtamen indubia electionis Rodulphi testimonia extant in mss. codicibus bibliothecæ sancti Mathiæ Muriani; prior enim hujus monasterii mandatum dedit [b] *reverendo patri domno Galeoto de Casatis abbati sancti Hippolyti de Faventia, ut acceptaret cessionem prioratus sancti Johannis-baptistæ de Faventia a domno Rodulpho, & daret huic licentiam assentiendi ejus electioni in episcopum factæ a clero & populo Faventiæ, & hujus loco instituendi priorem sancti Johannis domnum Franciscum de Macchis de Faventia. Datum in præfato monasterio sancti Mathiæ de Muriano anno* M. CCCC. LXXVIII. *die octava octobris indictione* XII. *die jovis pontificatus Sixti* IV. *anno* VIII. *officii nostri anno* XVII. Inter epistolas Petri Delphini habetur epistola [c] Jacobo monacho data decima die octobris hujus anni: *Venit hodie a me domnus prior sancti Mathiæ, meque admonuit, electum in Faventinum episcopum priorem sancti Johannis ejusdem urbis.* Conjicere sane licet res utcumque compositas fuisse, nam & ad annum 1484. Fridericus sedit in episcopatu, & Rodulphus prior sui monasterii continuavit & decessit anno 1489. Hæc Cannetius in additionibus ad Italiam sacram Ughellii [d].

b Reg. pag. 20.

c Ep. XCVIII.

Maphæus Gherardus patriarcha Venetiarum consecravit altaria sancti Johannis-baptistæ, & sancti Petri in ecclesia præfata sancti Mathiæ de Muriano die XX. augusti [e].

d T. II. col. 505.

e Num. 145.

VII. Camaldulum Florentinum commendatum liberum dimittitur ordini.

VIGESIMA-QUINTA maji pontificatus sui anno septimo Sixtus IV. bulla sua acceptavit renuntiationem factam a Berardo Herulo episcopo Sabinense & ordinis protectore abbatiæ sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, quam commendatam obtinebat, suppressit vero in ipsa titulum abbatialem, & in prioratum constituit conventualem, atque unitum voluit cum prioratu monasterii sancti Benedicti extra muros Florentiæ. Eadem die aliis literis suis præcepit, ut monachi utriusque cœnobii congregarentur in alterutro ipsorum, & eligerent unius & alterius loci priores confirmandos postea a priore generali ordinis.

VIII. De abbatibus Vallis-castri, S. Urbani, S. Blasii de Fabriano.

IN parœciali ecclesia sanctæ Mariæ de Ficano subjecta monasterio Valle-castrensi visitur crux, in cujus pede legitur: M. CCCC. LXXVIII. *opus factum sub regimine fratris Jacobi Gallici*, nempe Jacobi de Minutolis Lucensis quidem, episcopi vero Nucerini, sed præterea antistitis Agathensis in Galliis, qui erat abbas commendatarius monasterii Vallis-castri. Eccle-

sia

Ann. Chr. 1478.

sia Ficani temporibus anteactis appellabatur etiam *de Fenestrellis*; distatque duobus milliaribus a Valle de Castro. Commendatarius trium monasteriorum Vallis-castri, sancti Urbani, & sancti Blasii unitorum Jacobus memoratur sub annis etiam 1476. & 1477. Quoad præsides tum regulares, tum commendatarios horum monasteriorum ex paginis Fabrianensibus hi innotescunt. Ad annum 1432. abbas sancti Urbani Bartholomæus Alenutii de castro Montis-abbatis. Ad annum 1444. 1452. 1456. Bartholomæus Stianus de Corsa de insula Dalmatiæ abbas sancti Urbani. Hilarianus Guillielmi de Sancto-laurentio ad annum 1464. Rodericus autem Borgia vicecancellarius, legatus Anconitanus & commendatarius sancti Urbani ad annum 1457. Michael Johannis de Sancto-Laurentio abbas trium monasteriorum sub anno 1469. & sequentibus. Johannes Paulus de Palmeriis Neapolitanus commendatarius sancti Urbani, & ante ipsum Anselmus commendatarius. Jacobus episcopus Agathensis, ut mox diximus, annis 1476. 1477. & 1478. Anno 1483. Julianus Amadei de Florentia abbas trium abbatiarum. Julianus cardinalis Ostiensis tituli sancti Petri ad Vincula anno 1488. Anno 1494. Fatius Sanctorius de Viterbio scriptor apostolicus abbas trium monasteriorum unitorum. Horum aliqui erant abbates regulares, alii commendatarii.

Johannes-gualbertus de Soderinis abbas sancti Stephani de Cintorio archiepiscopatus Pisani ordinis Camaldulensis, & abbas sancti Ægidii de Campriano diœcesis Arretinæ, & etiam prior sancti Nicolai de Curte-luponis vallis Clanarum elegit in suum procuratorem Bartholomæum de Soderinis priorem sancti Frigdiani de Florentia.

Ann. Chr. 1479.

IX. Mors Petri Donati abbatis S. Michaelis de Muriano; suffectus Delphinus.

INFIRMABATUR tum itineribus, tum noxio aere annis præteritis frequenter Petrus Donatus abbas sancti Michaelis de Muriano. Cessit tandem vi morbi, vel sub finem anni elapsi, vel initiis hujus anni, plenusque meritis occubuit præsul omni memoria dignus. Deplorat ipsius obitum Petrus Delphinus in epistola ad Hieronymum Griffonium priorem generalem [a], scripta quarto kalendas februarii hujus anni, qua post officia gratulationis ob evectionem ipsius Hieronymi ad supremam dignitatem, Petri Donati abbatis mortem significat, seque datum in locum Donati abbatem sancti Michaelis declarat. De Petro Donato hæc habet Jacobus Boldù Hieronymi filius Venetus patritius in oratione parentali Thomæ patriarchæ Venetiarum ejus fratris ad annum 1505. *Duo*, inquit, *Thomæ fratres, divi Michaelis sacerdotium iniere, quorum alter Petrus nomine, qui & cœnobii illius sanctissimus præses fuit, diligentissimusque instaurator, ob divinum pene ingenium, admirandamque doctrinam adeo claruit, ut usque in hodiernam diem de ejus excellentissimis virtutibus quam abundantissime prædicetur. Quatuor sanctitate insignes sorores habuit ad divum Servulum, quæ sub beati Benedicti regula monasticam usque ad præsens vitam degunt.* Ante Jacobum Boldù hæc ad annum 1493. scripserat ad eumdem Thomam patriarcham Bernardinus Gadolus de Petro & Ludovico ipsius fratribus: *Duo tui fratres in loco hoc*, hoc est in cœnobio sancti Michaelis, *plurimis annis sancte integerrimeque vixerunt; quorum alter in abbatia hac duodecim annis vixit, quo etiam tempore hoc nostrum magnificentissimum extruxit templum, & tam integerrime, tantaque cum omnium & hujus monasterii & totius religionis monachorum gratia præfuit, ut ejus memoriam nulla unquam sit deletura oblivio.* Ludovici monachi Petri fratris extat in bibliotheca Saibante Veronæ ms. oratio ad Petrum fratrem *de præstantia linguæ Græcæ*; in ea inter ceteros laudatur Leonardus Justinianus *præcipuus diale-*

a Ep. CV.

Ann. Chr. 1479.

dialecticus, magnificentissimus philosophus, dignissimus translator librorum Graecorum in Latinum, & praesertim vitae sancti Nicolai; de ea oratione verba facit Augustinius tomo I. Scriptorum Venetorum [a]. Praeter sorores virgines, tres alias, Catharinam uxorem Laurentii Zane, Christinam nuptam Andreae Gabriellio, aliam Homobono Gritti sorores habuere Petrus & Ludovicus, Johannes & Thomas quatuor fratres. Hos omnes in lucem edidit Marina Lauretana ex conjuge Hermolao Donato amplissimo senatore, de quo mentionem facit Ambrosius in Hodoeporico, legato Venetorum ad concilium Basileense, cujus infandam necem profert sepulcralis epigraphe, quae legitur in claustro monasterii nostri sancti Michaelis. HIC. JACET. V. CL. HERMOLAVS. DONATO. QVI. PER. INSIDIAS. GLADIO. IMPII. PRO. TVENDA. JVSTITIA. TRANSFIXVS. MAGNANIME. PARCENS. OCCVBVIT. DIE VII. NOVEMBRIS. M. CCCC. L. Petri Donati patrui fuere Hieronymus Andreae filius divi Marci procurator, frater proinde Hermolai, & Laurentius Lauretanus frater Marinae matris. Libenter ex codicibus dati & accepti monasterii sancti Michaelis de Muriano excerpsimus Petri Donati abbatis agnatos & affines, ut gloriosam ejus viri memoriam e tenebris excitaremus, cui congregatio sancti Michaelis sui institutionem & initia sua debet, cujus opera redemptae fuere abbatiae commendatae, qui demum incepit, & quasi perfecit magnificum sancti Michaelis templum. Penicillo Tintoretti egregie expressa visitur ipsius Petri effigies ad hominis altitudinem in nostro monasterio sancti Michaelis.

a Pag. 175.

Electo Petro Delphino abbati sancti Michaelis de Muriano vicariatus officium commisit Hieronymus generalis [b], quod excutere humilitatis gratia Petrus curavit, & in Nicolaum priorem sancti Mathiae transferre, virum, praeter aetatem, gravitate, prudentia, ingenio, & experientia insignem; qua in re ei morem gessit generalis.

b Epist. CVI.

X.

Protector ordinis eligitur Franciscus Piccolomineus cardinalis.

OBEUNTE mense aprili Berardo Herulo Narniense Spoletano episcopo & S. R. E. cardinale ordinis Camaldulensis protectore, in ejus locum suffecit Sixtus papa IV. hortatu ejusdem Hieronymi generalis, Franciscum Piccolomineum cardinalem Senensem dictum, ut ex sequenti Hieronymi ad Nicolaum priorem sancti Mathiae epistola.

Venerabili in Christo fratri nostro domno Nicolao priori sancti Mathiae de Muriano vicario nostro Venetiis.

Frater Hieronymus generalis ordinis Camaldulensis ven. fratri nostro salutem.

Puto admodum fraternitatem vestram de reverendissimi domini cardinalis Spoletani protectoris nostri obitu intellexisse; cujus animae Deus ipse, uti speramus, aeternam requiem parare dignatus sit, pro qua re cupimus ab universis ordinis nostri praelatis divina celebrari officia, Deique clementiam exorari, sicque officii fraternitatis vestrae erit, mentem hujusmodi meam cunctis aperire, atque id, ut faciant, efficacissime exposcere, quod tam gratum mihi, quam ex debito nostro factum animadvertetur. Substituit hortatu nostro sanctissimus dominus noster in ejus locum reverendissimum dominum cardinalem Senensem, ususque est in ipsius electione dulcissimis quibusdam verbis, quae nos maximopere affecerunt, prout ex verbis domni Sebastiani latoris praesentium discere poterit fraternitas vestra, cui fidem in omnibus, quae referet, adhibebit, & simul ab eodem aliquantisper crocei suscipiet nostro nomine oblatum, animum nostrum, non rem parvam intuebitur fraternitas vestra, & se a nobis plurimum diligi existimabit. Cujus rei indicium praebebo, si unquam, prout speramus, licuerit fraternitatem vestram una cum reliquis ven. fratribus nostris videre & alloqui, secumque diutius in dulcissima conversatione recreare. Quam rem nulla alia ex causa magis desidero,

nisi

nisi ut simul de optima ordinis reformatione tractare possimus cum paternitatibus vestris, quas scio optimum fore religionis nostræ membrum, optimeque modum tenere relevationis nostræ in melius. Valeat fraternitas vestra, & pro nobis jugiter oret. Ex nostro monasterio Fontis-boni XXX. *aprilis* M. CCCC. LXXIX. De cardinale Senense ait Delphinus [a], *quod præter summam, quam obtinebat apud pontificem gratiam, ejus erat integritatis & probitatis, ut monachus magis quam cardinalis existimaretur.*

ANN. CHR. 1479.

a Epist. CXVI.

XI. Urbanus Malumbra factus abbas Classensis.

MORTUO primo abbate regulari Classense post recuperatum monasterium, electus fuerat anno præterito a Petro Donato abbate sancti Michaelis una cum instrumentis procurationis abbatis Carcerum & prioris sancti Mathiæ, Jacobus monachus sancti Michaelis de Muriano, sed ipsi quoque obeunti intra paucos dies ab electione successor datus fuit anno præsenti nonis martii [b] alter sancti Michaelis cœnobita Urbanus Malumbra electus a Petro Delphino Donati successore & abbate sancti Michaelis, licet Classenses monachi alium sibi suffecissent in abbatem Arsenium nomine, qui sponte cessit tamen. Initiis regiminis Urbani composita fuit lis, quam patiebatur monasterium Classense cum camera apostolica, & cum episcopo Lunense ratione annatæ & pensionis, conveniente summo pontifice Sixto IV. cum cardinale Senense ordinis protectore, ut universa pecunia, quam ipse remiserat monasterio Classensi, expenderetur in restaurationem ædificiorum ejusdem cœnobii, signumque marmoreum suæ sanctitatis muro fabricæ apponeretur in monumentum & testimonium pietatis & liberalitatis ejus. Anno itaque sequenti quingenti aurei in reparando monasterio erogati fuere.

b Ep. CVIII. & CIX.

XII. Obitus Nicolai de Tulmetio prioris S. Mathiæ de Muriano.

TERTIUS, qui decessit hoc anno pridie nonas augusti fuit idem prior sancti Mathiæ de Muriano, Nicolaus de Tulmetio monachus olim sancti Michaelis. Venerabilem titulum *Beati* obtinet apud Germanum de Vecchiis Utinensem, qui seculo sequenti vixit in monasterio eodem sancti Mathiæ, quo elogio ornatur in eo opere, quod *Nemesis* inscribitur, quod ms. servabatur olim apud Justum Fontaninium archiepiscopum Ancyranum. Quinquaginta annos in monastico habitu vitam religiosissime duxisse, *virum singularis prudentiæ & mansuetudinis* afferit Delphinus [c]. Successit Nicolao invitus Lucas Veronensis prior sancti Benedicti de Fileto, retento hocce beneficio; isque primus electus fuit prior triennalis ad normam Sixtinæ bullæ pro congregatione sancti Michaelis.

c Ep. CXX.

ANN. CHR. 1480.

XIII. Erectio monasterior. Balnei & Poplenæ in abbatias.

d §. Unio. 21. A. 5. 3.

e P. II. lib. III. cap. 23.

EREXIT hoc anno pontificatus sui nono die vigesima-sexta junii [d] Sixtus IV. Romanus pontifex prioratus sanctæ Mariæ in Balneo, & sanctæ Mariæ de Poplena in abbatias, suppresso in iis titulo priorali. In missali tamen veteri membranaceo monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia factum hoc fuisse ad XV. kalendas julii legitur: *Hodie nomen prioriæ monasterii sanctæ Mariæ in Balneo creatum est in nomen abbatiæ per papam Sixtum* IV. *anno* M. CCCC. LXXX. Duodecimo autem kalendas julii adnotatur: *Dedicatio hujus ecclesiæ sanctæ Mariæ in Balneo*; ex quo conficitur, quod Missale hocce pertinebat ad præfatam abbatiam Balneensem. Regebat monasterium Balnei Benedictus Tenacius, de quo hæc profert Fortunius [e]: „ Fuit Benedictus a Planeto Galeatæ, vir multa prudentia & plurimo rerum usu. Quapropter non parum amplificationi cœnobii operam dedit, potissimum vero illud ex prioratu abbatiam fieri ex apostolica munificentia impetravit, quemadmodum ex elogio ibi constat hujusmodi: *Sixtus Quartus pontifex maximus Benedicto Tenacio*

priore

Ann. Chr. 1480.

„ *priore supplicante, hoc monasterium abbatiæ donavit dignitate*. Item carmen Johannis Rubei Balneensis.

Hanc abbas decorat Benedictus Virginis ædem,
Patria natale est, cui Galeata solum.
Plebs fuerat templum, quarti quod tempore Sixti
Pontificis studuit præsulis esse sedem.

Miratur tamen Fortunius, „ quomodo origo abbatialis dignitatis ipsi Be„ nedicto adscribatur, siquidem pateat ex monumentis cœnobii, qualiter an„ no 1412. Lazarus Venetus erat abbas; anno item 1449. Michael abbas „ magistratum cum Simone Balneense abbate Agnani permutavit, Nico„ lao quinto papa probante, sexto nonas octobris anno secundo. “ Unde conjecturam facit eam dignitatem longe antea obtentam fuisse, sed abrogatam, rursus Benedicti studio restitutam esse. Sed videantur, quæ diximus ad annum 1412. de Lazaro Veneto, quem eodem anno 1412. priorem etiam appellatum novimus, nilque facilius est, quam ut prælatus modo prior, modo abbas vocetur. Hoc ipso „ anno 1480. Benedictus Te„ nacius adhuc prior, testimonio ejusdem Fortunii, recuperavit ecclesiam „ sancti Bartholomæi Corzani. Dedit operam præterea requirendo corpo„ ri beatæ Agnetis, quæ Sarsinæ oriunda fuisse perhibetur, quiescitque in „ templo castri Pereti-parvi, ejus corpus ad abbatiam transferendi cau„ sa, ubi est ejus altare, quod a Balneatoribus multa aditur devotione. „ Ferunt enim, quod in die ejus natalis aquæ balnearum extra morem „ lucem emittere solent, & concrescere. Unde ejus memoria celebris de„ creto municipali quoque redditur. Sed quibusdam emergentibus pertur„ bationibus, negotium conficere non valuit. “

XIV. Postrema facta Hieronymi generalis & abbatis Burgensis, ac mors.

Mense majo celebratum fuit capitulum generale ordinis, convocante Hieronymo priore generali, in monasterio sancti Salvatoris Camaldu-li-Florentini; id liquet ex electione facta de Alexandro Alamanni Luci capellano a Genevra de Martinis abbatissa ejusdem parthenonis die XX. maji, ut nomine suo interesset eidem capitulo; ex archivo dicti loci [a].

Idem Hieronymus prior generalis hoc anno ecclesias sancti Petri de Teranzaula & sancti Blasii de Arsitio manuales Decianensis monasterii in territorio comitum de Monte-dolio sitas, invicemque inter se unitas, quarumque collationes spectabant ad dictum monasterium, unitas de cetero copulatasque voluit ipsi Decianensi abbatiæ.

Demolivit pariter ecclesiam sanctorum Jacobi & Christophori castri Mojonæ ruinam minantem, inque aptiore loco ædificavit ex concessione Francisci Piccolominei cardinalis & protectoris ordinis, vigore literarum datarum die vigesima-secunda februarii [b].

Antonium Berti abbatem Rosæ Senarum constituit vicarium suum in diœcesi Senensi, in qua exsurgebant duodecim loca monachorum Camaldulensium; ex archivo ejusdem monasterii Rosæ [c].

Sed inter has multiplices curas moritur hoc ipso anno idem Hieronymus prior pridie Kalendas novembris, sepultus, ait Fortunius, in Urbe ad ecclesiam sanctæ Mariæ super Minervam, ex laterum doloribus acerbissime exagitatus. Extat super ipsius obitu, qui & Burgensem abbatiam in commendam obtinebat, epistola Francisci cardinalis Senensis, quam ex libro communis Burgensis [d] subjungimus.

Magnificis viris conservatoribus populi, & vexillifero justitiæ Burgi amicis nostris carissimis F. sancti Eustachii cardinalis Senensis.

a Num. 89.

b §. Concessiones.

c Num. 348.

d Ab an. 1481. ad 1500. pag. 12.

Magnifici

Magnifici viri amici nostri carissimi. Vidimus literas vestras, quibus quam gravis & detrimentosus fuerit vobis reverendi patris generalis Camaldulensis abbatis vestri obitus, plane cognoscimus. Et certe jacturam gravissimam hoc tempore passi sumus omnes ex tanti viri amissione, qui suis dignissimis virtutibus non solum abbatiam vestram Burgensem, sed totam religionem Camaldulensem illustrabat. Verum acquiescendum est voluntati Dei æquo animo, & implorandum auxilium, ut & vobis, & religioni virum restituat, qui totus concipiat res ardentissime tractare, & prodesse, ut defunctus pater, qui totis viribus & affectu illis incumbebat. Ceterum quantum ad electionem factam & alia, quæ monasterium vestrum concernunt, cum varie intellexerimus, & maturius rem gestam intelligere cupiamus, mittimus isthuc reverendos patres abbates de Arretio, & de Poplena plene de nostra mente instructos, ut illis placeat in dicendis fidem habere. Nos parati sumus & erimus semper, ut abbatiæ vestræ de digno abbate provideatur, vobis grato, & abbatiæ necessario. Valete. Senis die XII. *novembris*. M. CCCC. LXXX.

ANN. CHR. 1480.

Ipsa die idem cardinalis scripsit Johanni abbati sancti Michaelis de Arretio, & alteri Johanni abbati Poplenæ, ut *attenta calamitosa & damnosa morte generalis Camaldulensis, & periculo cunctationis in providenda abbatia Burgi, quæ amisso pastore alium per concordiam capituli sui eligere constituit, ac electione facta cujusdam nobilis viri ordinis Camaldulensis scientia & moribus probatissimi, Burgum ipsi accedant, ac examinent, an electio capitulo & communi Burgensi placeat, pro obtinenda confirmatione electi a summo pontifice*. Electus fuit Simon de Gratianis, qui ad plures annos abbatiam Burgensem rexit.

XV. Petrus Delphinus abbas S. Michaelis de Muriano eligitur generalis.

VIDUATO itaque pastore ordine Camaldulensi Sixtus IV. mandavit die quarta decembris [a] Majori eremi, ut omnes, ad quos electio spectaret, moneret, quatenus ad electionem novi prioris devenirent, posthabitis privatis affectibus. Electus fuit decima die ejus mensis in priorem generalem Petrus Delphinus abbas sancti Michaelis de Muriano, ut hic de sua electione certiorem facit ipsa die [b] Petrum Barotium episcopum Bellunensem. Decima-quinta januarii anni sequentis Romanus pontifex Petri electionem confirmavit, sanavitque, quatenus indigeret. Abbas autem sancti Michaelis electus fuit Benedictus Justinopolitanus, & post aliquot menses Bonaventura Veronensis prior Montis-crucum, commutatis inter se monasteriis.

a S. *Brevia* 90. *A*. 5. 8.
b *P. I. lib. I. ep. I.*

In eodem Burgo-sancti-Sepulcri decessit hoc anno die quarta-decima septembris beata Anfrosina sive Euphrasia vidua, postea sanctimonialis parthenonis sanctæ Catharinæ ordinis Camaldulensis juxta Cinellium in chronico ms. dicti oppidi. Idem Cinellius refert floruisse & obiisse in eodem monasterio celebris famæ nomine Archangelam a Nursia, Apolloniam Alberti, Dorotheam & Philippam moniales ipsius monasterii. Jacobillius [c] asserit introductas in idem monasterium anno 1420. moniales ordinis sancti Francisci; quod veritati consonum non est, cum post duodecennium nempe anno 1432. tempore Ambrosii prioris generalis moniales essent ordinis Camaldulensis; quod constat ex ejus hodœporico.

c T. *II. pag.* 244.

XVI. Lucæ Carduccii episcopi Auximani gesta & obitus.

SANCTO fine quievit [d] etiam Lucas Carduccius ex monacho Camaldulensi episcopus Auximanus post sex concreditæ sibi ecclesiæ regiminis annos. In vita sanctæ Sperandeæ legitur eumdem episcopum Lucam visitasse corpus ipsius sanctæ. *Anno vero ante mortem, scilicet* M. CCCC. LXXIX. *indictione duodecima, tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri*

d *Martorelli pag.* 428.

Ann. Chr. 1480.

domini Sixti Divina providentia papæ quarti, præsidente in ecclesia Auximana reverendissimo in Christo patre & domino domino Luca Cardutio de Florentia, ipse episcopus audiens de sancto Leopardo, maximam erga Sanctum habuit devotionem, & perquirens cum suis canonicis, si possibile est dictum corpus videre, responsum fuit a canonicis antiquioribus, quod multi alii episcopi videre cupierunt, & tamen nullus ausus fuit manus mittere ad perquirendum. Postea die trigesima mensis octobris infrascriptos canonicos convocavit post horam vespertinam &c. *Et congregati omnes insimul prope altare majus sancti Leopardi, reverendissimus dominus episcopus supradictus sermonem fecit exhortando omnes ad bene vivendum, & devotionem habere erga patrem nostrum sanctissimum Christi confessorem Leopardum, & qualiter ipse cupiebat videre corpus ejus, quando esset datum desuper* &c. *omnes unanimiter uno ore cum gemitibus & lacrymis hoc expostulabant. Hæc audiens supradictus dominus Lucas episcopus licentiam dedit & benedictionem, ut cum omni devotione & diligentia sanctum corpus perquireretur. Hoc facto fores ecclesiæ clausæ fuerunt, & incontinenti ceperunt suprascripti domini canonici fodere retro altare majus dictæ ecclesiæ, fodiendo devenerunt ad quemdam murum ex lapide cocto arena & calcina factum ita durum, quod cum scarpellis frangere opportebat. Et videntes altare majus ex marmore facto fundatum esse super hunc murum, deliberatum fuit ad modum unius fenestræ illum solummodo aperire. Hoc facto inventum fuit culmen sive summitas unius arcæ saxeæ, & incontinenti æstimatum fuit illam esse arcam, ubi jacebat sanctum corpus. Postea concavatum fuit magis subtus, & inventa fuit arca saxea grandis, qua visa omnes gavisi fuere. Deinde deliberatum fuit, quod fieret una fenestrula in lapide, qui supra hanc arcam jacebat, ad hoc ut sanctum corpus videretur. Facta qua fenestrula inventum fuit corpus magnum & integrum, prout nunc stat, & videri potest ab omnibus congruis temporibus. Revelatum fuit per certos canonicos magnificis dominis prioribus, & hoc ex parte domini episcopi. Qui domini priores hæc intelligentes nuntiaverunt suis concivibus, & associati cum maxima comitiva civium venerunt usque ad locum, videntesque tam mirum, quod & patres eorum videre non potuerunt, cum lacrymis ex summa spirituali alacritate laudes Deo dederunt, & quia in antivigilia hujus gloriosissimi Sancti hæc fuerunt, crevit devotio & alacritas, publicatum fuit omnibus per civitatem degentibus, campanæ ecclesiam invitabant, populus jubilabat, infirmi congratulabatur, & multi surgebant, sacerdotes sacrificia Deo offerebant pro delictis & peccatis populi* &c. ut legitur tum apud Ughellium, tum apud eruditum Auximanæ ecclesiæ presbyterum Dominicum Pannellium in memoriis sancti Leopardi episcopi Auximani [a].

[a] *Pag.* 36.

Parum supervixit pius episcopus huic inventioni, & præsenti anno ad Deum transiit sepultus in medio cathedralis ecclesiæ cum hac nuda inscriptione: *Lucas Carduccius episcopus Auximanus* M. CCCC. LXXX.

XVII. Res ad plura monasteria spectantes.

Petrus de Cironibus Parmensis impetrato beneficio sanctæ Sophiæ villæ Canari collato sibi ab episcopo Ferrariensi, animadvertens beneficium illud spectare ad abbatiam Classensem, ipsum iterum impetravit ab Urbano Malumbra abbate sancti Apollinaris & sancti Severi de Classe, qui ei contulit die prima martii.

Fratri Antonio de Pedemontio eremitæ concessum fuit a monachis Vallis-castri ad incolendum oratorium sancti Blasioli positum in territorio Porcarellæ Vallis-arenæ.

Johannes de Nicolinis, ut scribit ad ipsum Marsilius Ficinus, vigesimo-quinto ætatis suæ anno creatus a Sixto IV. archiepiscopus Amalphitanus,

tanus, deinde Athenienſis, & epiſcopus Virdunenſis, erat commendatarius abbas ſanctæ Mariæ de Agnano, ex tabulario [a] monaſterii ſanctæ Mariæ in Gradibus.

ANN. CHR. 1480.

[a] *Num.* 689.

Summa Hoſtienſis typis Venetis edita anno 1489. die XII. decembris, hoc anno nuncupatoria epiſtola dicata fuit a Petro Altignani reverendiſſimo in Chriſto patri Maphæo Gherardo patriarchæ Venetiarum. Laudatur in ea epiſtola Maphæi *manſuetudo & miſericordia in pauperes, erubeſcentes præſertim*, & *imitator* dicitur *Laurentii Juſtiniani*.

Raynaldus Urſinus archiepiſcopus Florentinus conſtituitur viſitator monaſteriorum Camaldulenſium ſuæ diœceſis; ex tabulario Fontis-boni, & ex chronico Baroncinii [b].

[b] *Pag.* 525.

Moniales ſancti Georgii de Apibus transferuntur ad monaſterium urbanum Omnium Sanctorum Senenſis urbis. Decreverat ſiquidem Pius II. anno 1463. & mandaverat vicario archiepiſcopi Senenſis, ut monaſteria monialium extra urbem adnecteret monaſteriis intra urbem fundatis & eo modo provideret indemnitati & quieti monialium ab urbe diſſitarum, quæ Deo ferventius intra urbem poterant famulari; ex archivo Omnium Sanctorum in codice ſignato numero 82. [c]

[c] *Pag.* 6.

In eccleſia plebis Soaræ, ſed modo prope eccleſiam, legitur hæc inſcriptio: *Tempore domni P. Simonis hoc templum bædificatum eſt* M.CCCC. LXXX.

ANN. CHR. 1481.

XVIII. Translatio corporis S. Romualdi Fabrianum.

» INTER monachos, quos in cœnobium Valle-caſtrenſe collocavit Jacobus Nucerinus epiſcopus & Agathenſis, commendatarius ejuſdem cœnobii ſub Juliano regulari abbate, fuere Thaddæus ſacerdos & Rochus converſus, qui, teſte Fortunio, nocturno tempore clanculum monumentum ſancti patris Romualdi invadentes, eoque cuneis ac ſtipibus per vim aperto, ſacroſanctum corpus ſacrilegis manibus aggreſſi ſunt in fruſta concidere, quod in ſaccum paratum feſtinabundi recondentes, ſaccum ipſum in cubiculum alterius eorum tacitiſſimi abſcondere, ſive ut ſacras reliquias in patriam ſuam, ſive ad cœnobium Claſſis congruo deinde tempore deferrent. Quod, ut certius ab illis fieri poſſet, mane facto, ipſi primi rumorem aſtutiſſimi tollunt, temeratum fuiſſe monumentum prodentes. Tunc accurrente Juliano abbate cum fratribus, exulcerati ſunt adeo omnium animi, ut vix ſubſiſtere poſſent. Uſus autem fruſtra omni diligentia in requirendo ſacratiſſimum corpus aliquot dies, denique ad Fabrianenſium confugit auxilium, qui non ignorantes, quantum theſaurum amiſiſſent, congregato concilio populi, municipali ſtatuerunt decreto (ſicut in primo libro Statutorum rubrica decima habetur) ut rectores ſinguli Fabrianenſis territorii in ejus perſcrutatione omni diligentia incumberent, inventumque Fabrianum deferri facerent, re ad priores ante omnia renuntiata, ut congregari poſſet concilium populi, decerneretur que, quo honore ac reverentia recipi, aſſociarique deberet. Interea cum nullis indiciis detegeretur ſacrilegium, fures monachi (ſicut peccatum peccato addi frequentius ſolet) argenteis nobilioribus ex ſacrario ablatis de diſceſſione facienda conſilium ineunt. Igitur quadam die aſinam a quodam ruſtico Porcarellæ commodato accipientes ad Maſſaccium oppidum recta pergunt, ubi a Romualdo præpoſito abbate ſancti Laurentii hoſpitio nocturno ſuſcepti, ſubter ſcalam ſaccum diligenter reponunt, quod mane rapientes, vix orta luce, recta Æſim contendunt, ubi in ſuburbio ſancti Floriani ad hoſpitium Melchioris, exonerato jumento ſaccum in cubiculo aſſignato recondunt, factaque refe-

Ann. Chr. 1481.

„ ctione festini in urbem vadunt, ut argentea vasa vendant, ne pecuniæ
„ in itinere desint. Sed divina præventi ira, repente oculorum visum amit-
„ tunt, impotesque mentis effecti, huc illucque per civitatem vagantur.
„ Interea abbas Vallis-castri eorum cognita fuga, duos miserat monachos,
„ qui illos in itinere opprimerent, qui in Massaccio de eorum immatu-
„ ro discessu intelligentes, festinato & ipsi Æsium proficiscuntur. Inter
„ hæc in caupona prodigium oritur hujusmodi. Filius quippe cauponis in-
„ fans ante cubiculum, ubi saccus relictus fuerat, transitum faciens, ecce
„ videt per rimas ostii flammas ardentissimas exire, exclamabatque, ad
„ ignem, ad ignem. Tunc eo concurrente patre cum aliis, qui in diver-
„ sorio erant, dum alii aquam haurire & importare festinant, hospes
„ festinato ostium aperuit, intusque repente ignis extinguitur, adeout nul-
„ lius flammæ vestigia quoque appareant ibidem. Tunc sacrosanctis reli-
„ quiis in sacco inventis, illico quod monachi sacrum corpus aliquod fu-
„ rati fuissent, facta est conjectura. Quando ecce monachi ab abbate Val-
„ lis-castri missi superveniunt, & rei seriem ad unguem explicant. Res
„ igitur episcopo renuntiatur, perquiruntur sacrilegi monachi, qui deni-
„ que producti adhibitis tormentis facinus confitentur, & in carcerem de-
„ truduntur. Exinde episcopus congregatis clericis & omni populo, sacro-
„ sanctas reliquias decenter compositas ad majorem basilicam facta sup-
„ plicatione sollemni deducit. Ibi autem erecta est sancto patri Romual-
„ do ara usque in hodiernam diem. Quæ cum ad aures Juliani abbatis
„ Vallis-castri perlata fuissent, ille non segnis festinato ad episcopum per-
„ venit, suppliciter flagitans sibi sacrosanctas reliquias restitui. Quas cum
„ obtinere non potuisset, Fabrianum remigrat, Fabrianensisque populi ma-
„ xime interesse prioribus prædicat, Æsinatum injuriam vindicare, & sa-
„ cratissimum corpus redimere; nimirum qui thesauri sancti Romualdi
„ tot annos hæredes custodesque fuissent. Igitur sublato per oppidum ru-
„ more, confluit in forum omnis populi multitudo, nec desunt, qui ar-
„ mata manu Æsinates adoriendos esse tumultuando judicent. Ceterum
„ senioribus obsistentibus, cogitur denique concilium reformationis ac po-
„ puli ad decimum kalendas januarias. Currebat tunc annus a conceptu
„ Christi 1480. Interfuit, præfuitque concilio generalis Silvestrinorum,
„ cujus potissimum hortatibus summa rei in priores & quatuor de con-
„ cilio seligendos collata. Qui in unum convenientes legatos Æsim mit-
„ tunt nobilissimos oppidi Petrum Augustinium, & Venantium Vincentii
„ ad episcopum, & priores, ut corpus obtinere niterentur. Qui quidem
„ cum nihil æque profecissent, re infecta Fabrianum remearunt ad ter-
„ tium kalendas januarias. Cum vero prioribus ac collegio sic statuenti-
„ bus expedire propterea videretur, ut res judicio superioris potestatis ter-
„ minaretur, mittuntur iidem legati Maceratam ad quartum nonas janua-
„ rii ad cardinalem pontificis nepotem, qui in Picentes legatus cum ve-
„ nisset, comiter a Fabrianensibus exceptus fuerat, qui quidem auditis
„ Fabrianensium legatis, literas illis ad episcopum atque Æsinates dedit,
„ in quibus scriptum erat, quatenus ipsis literis redditis Æsinates sine
„ mora sacrosanctas reliquias restituerent, gravissima apposita pœna. Quod
„ cum legati ipsi Æsim proficiscentes Fabrianum significassent, cogitur con-
„ cilium populi septimo kalendas februarii, cujus decreto octo cives po-
„ tissimum sunt electi, qui cum majori parte clericorum & populi ad
„ illas reducendum pergerent. Interea Æsinates receptis legati pontificii
„ literis, videntes se aliter sacrosanctas reliquias obtinere non posse, ca-
„ daver aliud pro vero corpore supponere tentant. Sed Fabrianensibus

„ in

Ann. Chr. 1481.

» in templo veri corporis custodiam vigilantissime tenentibus votum suum
» implere impediuntur, jamjamque multitudo ex Fabriano adveniens ma-
» jorem obicem ponit. Volentes autem illi rem conficere, victus neces-
» saria Fabrianensibus interdixerant, ut de templo coacti fame, exire com-
» pellerentur. Quod cum multi bonorum civium propter impietatem ex-
» horruissent, Johannes juris-consultus, qui ad præturam Fabriani aspira-
» bat, & eam postea ex voto affecutus est, egregiam illam caritatis pie-
» tatisque christianæ operam navavit, quæ adhuc in memoria Fabrianen-
» sium est. Quippe Fabrianensibus commeatum secreto sic suppeditavit,
» ut Æsinates ad veri corporis Sancti restitutionem denique venire coacti
» sint, retento uno ex brachiis ex pacto, quod ibi ad altare sancti Ro-
» mualdi religiosissime colitur. Igitur Fabrianenses potiti sacro corpore,
» id in capsam ligneam diligentissime includunt, & subinde iter Fabria-
» num versus arripiunt. Quo dum propinquarent noctu, ecce oppidi cam-
» panæ ex altis turribus omnes per se sonum emittunt, excitatoque ru-
» more, in momento omnis populus ex domibus atque officinis sacrosan-
» cto corpori obviam procedere accensis funalibus & faculis cereis festi-
» nant, tanto quidem plausu, ut nihil supra. Verumtamen intra oppi-
» dum tunc non recipitur venerabile corpus, sed in templo sancti Anto-
» nii prope portam oppidi reverentissime ea nocte collocatur, ad quod
» voces canentis cleri & populi laudes Dei, repetitis vicibus non defue-
» re usque in dominicum proximum diem. Quando congregatis ad tem-
» plum ipsum magistratibus ac viris religiosis totius territorii Fabriani
» (nam omnes accedere jussi fuerant) sacrosanctum corpus sollemnissi-
» ma pompa effertur, atque per nobiliores oppidi regiones cum hymnis
» & canticis circumlatum, denique in æde sancti Blasii eo in loco loca-
» tur, ubi ipsa capsa, in qua venit, asservatur, ad quam Deus O. M.
» innumera beneficia infantibus fascinatis ad hanc diem præstat. Posthæc
» dum Fabrianenses cælare faciunt marmoreum sepulcrum, in quo corpus
» sacrum magnificentissimo sumptu & ornatu conderetur, redduntur illis
» literæ a legato pontificis, quatenus venerabiles reliquias ad consuetum
» sarcophagum Vallis-castri reportarent. Non enim fas est, ut quisquam
» sacras tales reliquias sine pontificis summi licentia transferre audeat.
» Quæ res quantum Fabrianensium animos exulceraverit, dici non po-
» test. Verumtamen cepta persequi statuentes, nova legatione ejus opem
» & literas ad pontificem impetrant. Accedenteque auxilio generalis or-
» dinis oratores Romam ad pontificem mittuntur, qui denique obtenta
» gratia Fabrianum ad decimum-sextum kalendas junii lætissime reversi
» sunt. Qua Fabrianenses immensum lætificati, ante omnia de celebrando
» ejus proximo natale quotannis ad sancti Blasii more natalis sancti Jo-
» hannis-baptistæ oppidi tutelaris ad sancti Venantii publico edicto decer-
» nunt, idque pro æterna memoria suis posteris in libris Statutorum no-
» tatum commendant. Ad hæc publicas ac liberas pro illo anno indicunt
» nundinas. Celebraturque denique sollemnis festus dies tanta populorum
» frequentia, quanta nunquam Fabriani omnium opinione eatenus visa
» fuisset, adeout non sine magna difficultate sollemnia Missarum monachis
» exequi licuerit. Tantæ vero oblationes votivaque donaria ad sacrum cor-
» pus delata sunt, ut non minus ex ære publico, quam ex ipsis omnis
» sepulcri altarisque majoris ornatus sit confectus, qui cernitur. Clausum
» est sepulcrum duabus ferreis catenis, ne possit aperiri, & tres lampa-
» des ardentes ante venerabilem eucharistiam atque sacrum corpus appen-

» sæ,

Ann. Chr. 1481.

„ sæ, inscripto in corona ornatus in facie elogio hujusmodi S. P. Q. F. „ Sixto Pont. IV. S. D. P. D. 1482. "

Audiatur & Petrus Delphinus in epistola inedita ad Benedictum abbatem sancti Michaelis de Muriano scripta die XVI. maji hujus anni : *De corpore sanctissimi Romualdi, quod initio generalatus mei a tribus monachis nostris ex antiquissimo Vallis-castri sarcophago furto sublatum, atque ad Æsinum oppidum translatum fuerat, postmodum jussu pontificis Fabrianensibus restitutum puto te multa didicisse; idque in primis, ubi scilicet residere habeat, ac servari, Fabrianum ne in monasterio sancti Blasii, ubi nunc est, an in Vallis-castri cœnobio, ubi prius jacuerat. Ego quidem certis rationibus expedire judicavi, ut Fabriani remaneret, nam & tutius in urbe servari posse certum est, ne iterum subriperetur, & Fabrianenses multa se in honorem sacrarum reliquiarum, si ibidem relinquerentur, facturos spoponderant; itaque cognito ex relatione Fabrianensium negotium istud cardinali sancti Georgii legato agri Piceni a summo pontifice fuisse injunctum, ipsumque scire cupere, quid super hoc sentirem, necessarium duxi illum Maceratæ convenire. Præmiserant vero Fabrianenses oratores duos ad legatum, ut cognoscerent, quid decretum fuisset, audivit me reverendissimus dominus perbenigne, atque ex sententia nostra pendens, quod ipse suggesseram, comprobavit. Accersitis itaque in cubiculum oratoribus me præsente, significavit eis decretum fuisse inter nos, si sacras apud se reliquias habere cuperent, ut re ipsa indicarent, quod verbis toties polliciti essent; quod quidem idem factum est, ut subderetur Fabrianensibus stimulus, quo citius promissa implerent.*

XIX. Prima gesta Delphini in generalatu.

Electus Delphinus in priorem generalem mense decembri anni præteriti enarrat die XXIII. martii in epistola [a] ad eumdem Benedictum abbatem sollemnem benedictionem, quam recepit in majori ecclesia a Gentile de Becchis Urbinate episcopo Arretino, comitantibus tum prælatis ordinis, tum fere omnibus civibus Arretinis, & inter hos Lazaro sene jurisperito, olim vicario Antonini archiepiscopi Florentini. Nona die februarii pontificatus sui anno decimo [b] Sixtus IV. revocavit omnes gratias, expectativas, reservationes, nominationes, uniones circa beneficia ordinis Camaldulensis in favorem cujusque personæ, præsertim Francisci Soderini episcopi Volaterrani. Die XXV. novembris [c] eidem Delphino concessit, ut adhibitis duobus eremitis antiquioribus, & assensu habito Francisci Piccolominei cardinalis protectoris, ad annuum censum tribueret alicui tot possessiones eremi ad vitam, quatenus retraheret summam mille florenorum pro satisfaciendis expensis funeris prædecessoris sui Hieronymi in Romana curia defuncti, & pro solvendis collectis impositis a populo Florentino. Homines & priores Castellionis-arretini [d], apud quem locum visitationis gratia diverterat Delphinus, ab ipso petierunt facultatem ædificandi oratorium in ipsorum oppido ad honorem sancti Romualdi, quam perhumaniter ipsis tribuit. Paulo post assumptionem ipsius ad generalatum excessit e vita is, qui erat abbas Montis-christi. „ Hic cum aliquando „ interrogaretur, cur tamdiu a beneficio abesset, multas in medium pro- „ tulit causas, abbatiam proventibus fuisse spoliatam, in cacumine mon- „ tis esse positam, qui raro incolitur habitatore, expositam insuper pi- „ ratarum excursionibus. Se, cum adhuc esset junior, a Saraceno captum „ in Syriam fuisse deductum, ubi per biennium gentili domino servie- „ rat, tandem multa suorum pecunia redemptum in Italiam barbaro in- „ dutum habitu reversum, " ut ipse Delphinus cardinali Soderino ad annum

a Lib. I. ep. VII.

b §. Brevia 90. A. §. 8.

c Ibid. 92. A. §. 11.

d Lib. I. ep. 44.

annum 1509. scripsit. Inter postulatos hoc anno die XVI. aprilis ad episcopatum Patavinum reperitur quoque Delphinus. Electus tamen remansit Petrus Foscarus, creatus etiam eodem anno S. R. E. cardinalis a Sixto IV.

ANN. CHR. 1481.

XX. Historica ad varia cœnobia pertinentia.

ANGELUS abbas monasterii sanctæ Helenæ de flumine Æsino de Serra-sancti-Quirici die XV. junii indictione XIV. ecclesiam seu præposituram sancti Laurentii de Massaccio membrum manuale dictæ abbatiæ vacantem per renuntiationem Hieronymi de Foro-livio ultimi rectoris contulit Romualdo Lucæ de Pupio; ex tabulario sancti Blasii de Fabriano. Ex quo monumento emendanda est superior Fortunii narratio, qui Romualdi præpositi Massaccii tempora antevertit.

Imago sanctæ Mariæ de Lacu transfertur hoc anno ad parum distantem abbatiam Urani, sed divinitus refertur ad suum pristinum locum; ex paginis dicti monasterii de Urano.

Ex archivo Classis Maphæus Gherardus patriarcha Venetiarum die XV. martii indulgentias dilargitus est porrigentibus manus auxiliatrices ædificationi ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bazzano subjectæ monasterio sancti Apollinaris de Classe. Similes indulsit Marcus de Gustneriis decretorum doctor episcopus Argolicensis sive Neapolis de Romania. Die XXI. augusti idem Maphæus patriarcha declaravit per literas patentes Jordani de Ursinis cardinalis apparere ipsum concessisse centum dies de vera indulgentia visitantibus capellam sanctæ Luciæ extra muros urbis Vicetinæ monachorum Camaldulensium certis diebus, accedente consensu ordinarii loci. Quare & ipse largitus est quadraginta dies, totidem concesserunt Antonius Saraco archiepiscopus Corinthi, Franciscus Contarenus episcopus Æmoniensis, Petrus episcopus Caprulanus, Laurentius Michaelius episcopus Pharensis, & Petrus Dandulus episcopus Vicetinus. Philippus Ariminensis patriarchæ cancellarius & notarius paginam scripsit & roboravit; ex chartario ejusdem monasterii sanctæ Luciæ.

Bernardinus Johannis Gadolus Brixiensis ex Ponte-vico Brixiam inter & Cremonam ex præceptore monachorum sancti Michaelis de Muriano, quod munus biennio ante, septemdecim annos natus, susceperat, monasticam togam induit in eodem monasterio annos habens XIX. nono kalendas junii, ut de se testatur in epistola ad Dominicum Trivisanum equitem Brixiæ potestatem. Evasit is in doctissimum virum multorum ore & scriptis celebratum, de quo frequentem in his Annalibus mentionem faciemus.

Alexio Majori eremi facultatem fecit Delphinus hoc anno secedendi in partes Thusciæ ad locum, qui dicebatur Tramonte in valle Balnei, ubi oratorium in sanctæ Mariæ nomen a fundamentis erexit, cellulamque construxit, immo cœnobium, quod laudabili vita sua incrementum accepit; in eo, quamdiu vixit, conversatus est, præter annos 1485. & sequentem, quo priorem egit monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Is eremiticum institutum professus fuerat anno 1462. Majoris officium pluries gessit in eremo; singularibus & observantissimis moribus, animi mansuetudine omnibus carus, defunctus est anno 1493. apud suum cœnobium, quod modo dirutum servat solam ecclesiam, quam divinis obsequiis frequentant monachi Balneenses parum dissiti.

ANN. CHR. 1482.

XXI. Unio sancti Martini de O-pitergio ad S. Michaelem de Muriano.

URGENTE Petro Delphino priore generali, & Bonaventura abbate sancti Michaelis de Muriano, Johannes Mocenico dux Venetiarum mandavit hoc anno Francisco Diedo oratori Veneto in curia Romana, ut obtineret assensum Romani pontificis Sixti IV. ad permutandam abbatiam

Ann. Chr. 1482.

batiam sancti Michaelis de Lemmo in Histria, olim adjectam monasterio sancti Michaelis de Muriano, cum prioratu sancti Martini de Opitergio manuali eremi Camaldulensis; quod olim concupierat etiam Petrus Donatus abbas. Literas ducis Mocenici edimus ex tabulario sancti Mathiæ de Muriano, cui demum cœnobio adjuncta fuit abbatia de Lemmo: *Monasterium sancti Michaelis de Muriano habet unitam sibi abbatiam sancti Michaelis Lemmi nuncupatam cum cura positam in territorio Parentino; ven. autem domnus Petrus Delphino prior eremi & generalis totius ordinis Camaldulensis cum capitulo habent monasterium quoddam sancti Martini in territorio Opitergino sine cura; & quoniam ven. abbas sancti Michaelis, capitulum & conventus ex una parte, generalis totius ordinis Camaldulensis cum universo capitulo suo ex altera cupiunt pro bono & utili monasterii predicti sancti Michaelis hanc fieri permutationem, videlicet, quod abbatia sancti Michaelis Lemmi addatur prioratui eremi; monasterium vero sancti Martini prædicti uniatur & copuletur cum monasterio sancti Michaelis de Muriano; & cum hæc permutatio, quamvis honesta, irrita videretur, nisi accedat consensus & voluntas summi pontificis, ideo volumus & vobis mandamus, ut captato tempore esse debeatis cum ejus beatitudine, ac gravibus ac accommodatis verbis, ut prudentissime facere consuevistis, curetis impetrare hujusmodi permutationem, sicuti honestam & utilem utrique parti, ita tamen nobis futuram gratissimam & acceptissimam.* IV. *januarii* M.CCCC.LXXXI. more Veneto. *Oratori nostro ad summum pontificem.* Separata fuit abbatia de Lemmo a monasterio sancti Michaelis de Muriano die XXI. aprilis, & collata a Delphino die VI. julii indictione XV. pontificatus Sixti papæ IV. anno XI. officii sui anno II. Sebastiano de Fossa-clodia monacho Camaldulensi, & loco ipsius abbatiæ unitus est eidem monasterio prioratus sancti Martini de Opitergio, cedente & libere resignante die III. julii Francisco de Verona priore; notario & scriba Dominico de Florentia abbate sancti Andreæ de Puteo Camaldulensis ordinis. Extat de hujusmodi permutatione in bibliotheca eremi Camaldulensis consilium Jacobi Parleonii.

XXII. Sixti IV. commissiones apostolicæ.

Renuntiante Johanne de Bartholinis Foro-liviensi prioratum sancti Johannis-evangelistæ de Foro-livio, Urbanus abbas Classensis, præsente Antonio Cupini de Meldula priore sanctæ Mariæ de Scardavillis, suffecit die XX. martii Michaelem Jacobi de Verona priorem sanctæ Mariæ Camalduli ejusdem urbis, confirmante eam electionem Petro Delphino die XV. aprilis officii sui anno secundo.

Sexto kalendas februarias pontificatus sui XI. anno M.CCCC.LXXXI. (stylo bullarum) Sixtus IV. prioratum sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo conventualem, & monasterio sancti Mathiæ de Muriano subjectum, liberum ordini Camaldulensi restituit, ipsum conferens Francisco Antonii de Faventia monacho Camaldulensi ob cessionem commendationis ipsius factam a Stephano tituli sanctæ Mariæ in Transtyberim presbytero cardinale, committens Ferrariensi & Foro-liviensi episcopis & Jacobo de la Piazza canonico Faventino, ut præfatum Franciscum in possessionem monasterii inducerent.

Altera bulla sua decimo-sext aprilisò commisit Petro Candiculano & Mauro sanctæ Trinitatis in Alpe abbatibus examen utilitatis monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, ac confirmationem locationis abbatiæ sancti Johannis-baptistæ de Saxo, quam dictum monasterium fecerat Ugolino de Antella priori sancti Georgii de Suarca, & Bernardino priori sancti Ægidii de Fleri; ex tabulario Angelorum [a].

Decima-nona decembris abbatibus Burgi-sancti-Sepulcri, de Tiphio, & de

[a] Num. 140.

de Anglario mandavit, ut conferrent ecclesias sanctæ Mariæ de Paterno & de Pranzatorio Jacobo Petri-pauli Florentino monacho Camalduli, quas eidem contulerat Lucas Andreæ de Massaccio abbas Rotensis, cui subjiciebantur; ex archivo Fontis-boni [a]. Die nona januarii anni sequentis Ugolinus de Antella abbas Anglariensis eas ecclesias separavit ab abbatia Rotensi, contulitque ad vitam ejusdem Jacobi tamquam executor apostolicus [b].

a §. Brevia 93. A. 5. 12.

b §. Unio 22. A. 5. 13.

XXIII. Pro redimenda abbatia Vangaticiæ Delphini labores.

Nullum non movit lapidem Delphinus pro eruenda e manibus commendatariorum abbatia sanctæ Mariæ de Vangaticia. Scripsit ea de re dominio Veneto [c], & Petro Priolo recens electo procuratori sancti Marci. Obsidione tunc premebatur Abbatia ab exercitu Veneto & sperabatur, ut sicut Rodigium & Lendinaria venerant in potestatem Venetorum, ita etiam ipsa Abbatia eriperetur de manibus marchionum Estensium. Favebant Veneti votis Delphini, & post triennium [d] Dominicus Mauroce-nus Abbatiæ prætor Antonium Piccolatum & Paulum Rosinum oratores ad Delphinum misit, ut liberaret monasterium a commendatione, uniretque congregationi Venetæ recens exortæ. Antonio Lauretano equiti & oratori in curia Romana demandatum onus. Monasterium illud obtinebat tunc Leonellus Trottus Ferrariensis; actum non semel cum eo est, literisque Veneti senatus ad suos oratores sæpe tentatum & iteratum negotium fuit, sed incassum, translata post aliquot annos commendatione abbatiæ in Venetum patricium Ambrosium Bernardum.

c Lib. I. ep. 56.

d Lib. III. epp. 21. 28.

Philippus quoque Sagramorus [e] abbas commendatarius monasterii sancti Benedicti de Saviniano in territorio Ariminensi cupiebat & agebat pro restitutione ipsius abbatiæ Saviniani ordini Camaldulensi.

e Lib. I. ep. 63.

XXIV. Jactura abbatiæ Morronensis.

Sed dum ex parte una Delphinus libertatem ordinis totis nervis curabat, ex alia passim subripiebantur ordini Camaldulensi monasteria & abbatiæ. Monasterium sanctæ Mariæ de Morrona in agro Volaterrano abbate defuncto vacabat. Monachi & homines Morronæ Maurum monachum Camaldulensem in abbatem sibi elegerant; metuebant autem, ne Delphinus alium in abbatem sufficeret, atque adeo ingressum in monasterium ei præclauserant. Rem narrat idem Delphinus [f]: *Supervenit eadem hora propinquus quidam Antonii Puccii cum plerisque civibus Florentinis, quibus statim ostium patuit. Inde egressus Maurus veniam petiit, quod laicos admisisset, generalem ordinis respuisset. Sed eodem die venit Bartholomæus Soderinus episcopi Volaterrani Francisci Soderini vicarius, ut possessionem loci episcopi nomine acciperet, qui nequaquam propinquare monasterio permissus est, discessitque iratus. Postera die summo mane episcopus ipse cum ducentis armatis Morronam oppidum ingressus, comminari hominibus cepit, jubereque, ne sibi adversarentur. Abbatiam Morronæ esse suam, eamque si aliter non posset, per vim expugnaturum. Interea laici complures & ex Morrona, & ex aliis locis ad monasterium confugerant diverso armorum genere instructi, ut abbatiam pro nobis defenderent. Dispositis ad ostia cœnobii & per alia debiliora loca hominibus, aliisque de tecto adventum hostium spectantibus atque observantibus, ecce descendere e castro Morronæ cum multitudine armatorum episcopus nuntiatur. Videres tunc nostros omnes, qui plures quam centum convenerant, alios tecta conscendere, alios fenestras occupare, ut adventantes hostes sagittis ac telis aliisque hujusmodi tormentis propulsarent. Nec dubium profecto fuit, quod si congressi fuissent, incruenta omnino pugna haudquaquam extitisset. Exemit pugnæ necessitatem adventus macerii. Hic cœnobium solum ingressus, missum se a dominio Florentino testabatur, sibique mandatum fuisse, ut episcopo Volaterrano absque ulla dilatio-*

f Lib. I. ep. 56.

Ann. Chr. 1482.

latione monasterii possessionem traderet. Hominibus propterea jussu dominii, ut quisque rediret in sua, imperavit. Conati sumus per horas tres persuadere macerio, ut tantisper possessionem dare episcopo differret, donec mitteremus Florentiam. Sed frustra laboravimus, affirmante illo cogi se mandata implere. Scripsimus ad dominium hac de re, plurimum conquesti de illata nobis ab episcopo injuria. Quo facto continuo discessimus, commendato Mauro abbati monasterio, quem adveniente episcopo confirmaveramus. Defensurum pro viribus abbatiæ jura pollicitus est tum Romæ, tum ubicumque opus fuisset. Quæ jura cum Romæ defenderet Maurus, indignationem incurrit equitis Soderini patris episcopi [a]. Verum cessit abbatia potentiæ Francisci episcopi, & Soderinæ familiæ, semelque ab ordine abstracta, mensæ episcoporum Volaterranorum imposterum adjudicata ad hodiernam diem inservit.

a Lib. I. ep. LXV.

XXV. De Malumbra abbate Classense ordinis & congregationis perduelle.

SUBRIPUERAT Urbanus Malumbra [b] confirmatus hoc anno post triennium in abbatem Classensem libros & scripturas sui monasterii, fugaque se ab urbe Ravenna absentaverat; captus Cerviæ, carcerique addictus gradu motus fuit, inque ejus locum suffectus a patribus congregationis sancti Michaelis Lucas Veronensis prior sancti Mathiæ de Muriano, in locum autem Lucæ in monasterio Murianensi Michael Dalmata. Fugit tamen e carcere Urbanus [c], scripturæque depositæ fuere apud gubernatorem urbis Cæsenæ. Post alteram fugam impetravit a Romana curia restitui iterum ad regimen monasterii Classensis anno sequenti [d], immo ad vitam contra pacta congregationis Venetæ, quorum unum illud erat, ut abbates forent dumtaxat triennales; reservavit insuper Jacobo Sclafinato ex cubiculario pontificis episcopo Parmensi & S. R. E. cardinali pensionem tercentorum aureorum; cujus pensionis causa lites negotiaque plura in eadem curia sustinuit annis sequentibus eadem Veneta congregatio.

b Ibid. ep. LVII.
c Ep. LXI.
d Lib. II. ep. XXVI. XXXI.

In ceteris epistolis Delphini sub hoc anno [e] memoratur Nicolaus Francus Patavinus, episcopus Parentinus homo singularis doctrinæ & gravissimis moribus hospes in monasterio sancti Michaelis de Muriano; legitur [f] vagari famam ducem Urbini & principem Ariminensem extremum diem obiisse, factasque inducias Venetos inter & ducem Ferrariæ; Mahumetis corpus [g] cum sarcophago cœlesti incendio conflagrasse. In epistola ad Bonaventuram abbatem [h] refert mortem Petri monachi de Prato-veteri, qui religiosissime & piissime vixit & migravit in cœlum carnis vinculis absolutus kalendis augusti, qua die beati Petri a vinculis absolutio celebratur. Carmen [i] mittit Petro de Porticu a se confectum in honorem sancti Hieronymi, cujus librorum lectioni studiosissimus a tenera ætate fuit.

e Lib. I. ep. LVI.
f Ibid. 58.
g Ibid. 68.
h Ibid. 53.
i Ibid. 60.

XVVI. Plura congesta ad historiam ordinis facientia.

CONVOCATA fuere hoc anno die XXII. aprilis indictione XV. ordinis comitia generalia apud Fontem-bonum. Electi definitores Urbanus abbas Classis, Bonaventura abbas sancti Michaelis de Muriano, Johannes sancti Michaelis de Arretio, Antonius Bertius abbas sanctæ Mariæ de Rosa, Alexjus Major, & Laurentius de Stia, præsidente Petro Delphino. Quamplura ibidem statuta; illud in primis, ut consanguinei utriusque sexus minime retinerentur uniti in beneficiis iis ordinis, ubi prælatus solus cum socio monacho vel converso residet. Confirmata & approbata quoque fuere capita quinque congregationis Romandiolæ & Lombardiæ Venetæ nimirum sancti Michaelis, uno definitorum Urbano Malumbra penitus improbante. Abbatia sancti Andreæ de Puteo unita fuit eremo Camaldulensi.

Hercules dux Ferrariæ, Mutinæ & Rhegii, marchio Estensis comesque Rodi-

Ann. Chr. 1482.

Rodigii liberat abbatiam Vangaticiensem a terratici solutione, cedente Leonello Trotto abbate commendatario eidem affictus quarumdam vallium, quos solvere tenebantur dictæ abbatiæ marchiones Estenses. Datum Ferrariæ anno M. CCCC. LXXXII. indictione XV. die II. januarii; ex tabulario ejusdem monasterii.

Bartholomæus de la Gatta abbas sancti Clementis Arretii insignis hujus ætatis pictor, de quo ex Fortunio plurima congessimus ad annum 1419. ad hæc tempora longævus processit, ut, opera penicillo ab ipso expressa indicant.

Sepulcralis hujusmodi inscriptio legebatur in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *Antonio Valli Barchinone clarissima Celtuberiæ civitate honestoque genere nato, qui literis, consiliis & opera multis principibus carissimus & in honore habitus in Romana Curia diu & non obscure versatus fuit, Petrus Altissen scriptor apostolicus ejus testamenti executor unicus per eum deputatus benemerenti posuit, qui vixit annos* XXXIV. *dies* XV. *Obiit Romæ sedente Xisto* IV. *pont. max.* XIV. *augusti An. salut.* M. CCCC. LXXXII.

XXVII. De sacris corporibus ecclesiæ abbatiæ Uranensis.

In archivo episcopali Britonoriensi in libro, cui titulus: *Scritture circa la Chiesa del Lago* sequens memoria legitur: *Ossa sanctorum episcoporum Maglorii & Paschasii, quæ condita erant in parvo sepulcro sub altari principe abbatiæ Uranensis, maxima cum veneratione in elato & amplo sarcophago super dictum altare reposita fuere sub annis Domini* M. CCCC. LXXXII. *die* XXXV. *augusti tempore pontificatus Sixti* IV. *pontificis maximi, ac tempore reverendissimi Baptistæ Zeni S. R. E. presbyteri cardinalis & episcopi Tusculani, & præsentis abbatiæ sanctæ Mariæ de Urano commendatarii perpetui.* Ex hoc monumento recidit, & falsitatis evincitur relatio quædam historica scripta ab Innocentio Tantardino monacho Camaldulensi Britonoriense de corporibus sanctorum Maglorii, Paschasii & Samsonis circa finem sequentis seculi. Refert ergo Innocentius Gerardum Veronensem, qui congregationis fuit abbas generalis, sibi narrasse, Germanum quemdam Anglum monachum Camaldulensem commorantem in monasterio Uranensi cupidum revisere fratres suos in Brittania degentes, dominos plurium terrarum & oppidorum, obtenta licentia in Brittaniam concessisse eo tempore, quo Henricus VIII. Angliæ rex a fide deficiens, templa profanabat, sacrasque reliquias conculcabat, se ope fratrum suorum tria dictorum episcoporum sacra corpora occulte substulisse, secumque in Italiam deportasse. Venetias itaque cum pervenisset Germanus certiorem fecisse abbatem Uranensem, ac ab eo petiisse, an in ecclesiam sancti Michaelis de Muriano consultius foret sacra pignora deponere, an vero ad abbatiam Urani deducere, sed abbatem ei præcepisse, ut ipsa Ravennam secum ferret, ubi comparata arca nitidissimi alabastri, deportanda postea forent ad abbatiam Uranensem. Quod & factum est. Casu fortuito incendii progressu temporis totum fere Uranense monasterium conflagrasse, eaque occasione & scripturas periisse, inter quas literas authenticas veritatis & translationis sacrorum corporum. Hæc Innocentio retulit Gerardus Veronensis, qui curam animarum exercuit in eadem abbatia annis 1561. 1562. 1563. quique viderat & legerat sigillo munitas hujusmodi literas. Nisi illud dicere velimus, longe ante apostasiam Henrici VIII. hanc translationem accidisse, cum certo certius sit, sacra corpora præfatorum episcoporum saltem sub hoc anno requievisse in ecclesia abbatiæ Uranensis. Aliam dictarum reliquiarum translationem referimus ad annum 1525.

Ann. Chr. 1483. XXVIII. Abbatia S. Felicis in Platea Florentiæ commendata. a Lib. I. ep. 82. 83. 84.

JACOBUS de Allegris abbas sancti Felicis in Platea de Florentia obiit hoc anno feria IV. post pascha, hoc est XXIII. martii ex epistolis Delphini [a]. Post ejus obitum inveniens Delphinus privilegium Johannis XXIII. ut vacante ea abbatia monachi ejusdem loci convenirent in cœnobium sanctæ Mariæ-angelorum, ibidemque una cum priore hujus monasterii electionem successoris celebrarent, qui a priore generali confirmari deberet, ratam habuit electionem Alexii de Castello Majoris eremi in abbatem sancti Felicis eo ritu & modo peractam. Parœciani ecclesiæ ex alia parte suffecerant Jacobo Petrum abbatem Candiculanum, qui tamen electioni suæ non consensit, ne transiens ad sancti Felicis abbatiam periclitaretur abbatia Candiculana. Interim in Urbe commendata fuit abbatia sancti Felicis Jacobo Sclafinato episcopo Parmensi, allatis Florentiam pontificiis brevibus ad vexilliferum justitiæ & ad dominium Florentinum. Reluctarunt brevibus Antonius Rodulphius eques vexillifer, & Laurentius Mediceus, literasque scripsit contra eam rem oratori suo in Curia dominium Florentinum. Verum Sclafinatus Maldulum monachum in abbatem regularem præfecit, pluribusque annis abbatia sancti Felicis ipsius commendationi paruit, eo vel maxime, quod hoc ipso anno inter purpuratos patres fuit cooptatus, pluraque negotia & lites pro eo monasterio sustinere coactus fuit Delphinus.

XXIX. Excerpta ex epistolis Delphini ad aliquot monasteriorum historiam. b Lib. II. ep. 10. 11. 12. 21. &c.

SCRIPSERAT insuper idem Delphinus [b] cardinalibus sancti Marci, sancti Angeli, & Petro Foscaro ad avertendas hujusmodi frequentes commendationes, ut apud Romanum pontificem implorarent unionem Camalduli-Florentini sancti Salvatoris cum eremo Camaldulensi. Obtenta unione, vix vicarium in ipso monasterio præfecerat, quod is a pluribus armatis fuit inde ejectus, cœnobiumque occupatum; paucos tamen post dies decreto dominii Florentini fuit restitutus. Pariter in abbatem monasterii sancti Michaelis de Arretio vacantis per mortem Johannis elegerat Petrum de Porticu cancellarium suum, qui quidem pacifice loci possessionem acceperat, sed paulopost a quadraginta ferme armatis per vim expulsus est, ita jubentibus Arretinis prioribus ac urbi præfecto, quibus ex Florentia literæ allatæ fuerant, & imperatum, ut id fieret. Scilicet Laurentius Mediceus Romam miserat, qui eam abbatiam impetrarent pro filio suo Johanne impubere, cui postmodum collata fuit. Interea opem cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu, cui acceptissimus erat Petrus Candidus electus abbas, imploravit epistola Delphinus.

c Lib. I. ep. 93.

Fabrianenses cupiebant [c] monasterium Valle-castrense copulare cum congregatione Veneta sancti Michaelis, quæ tamen unio ad plures annos dilata fuit; serviebat abbatia Juliano de Ruvere cardinali sancti Petri ad Vincula; anno autem sequenti abbas regularis ipsius monasterii refertur Julianus Amadei, cujus malam loci administrationem memorat Delphinus [d].

d Lib. II. ep. 63.

e §. Unio 23. A. 5. 16. 17.

Quoad unionem Camalduli-Florentini cum eremo extat Sixti IV. bulla pontificatus sui anno XIII. die XXVII. octobris [e], qua dissolvit unionem jampridem factam ejus monasterii cum altero sancti Benedicti extra Florentiam, & novam unionem imperat cum eremo, ita ut de cetero per subpriorem monasterium regatur eligendum a priore generali & ab eremitis, ad instar Camalduli-majoris sive Fontis-boni, dummodo observantia regularis agatur; aliter redeat ad primam unionem cum cœnobio sancti Benedicti.

f Lib. I. ep. 77.

Mentionem facit in suis epistolis Delphinus [f] orationis de sacra Eucharistia confectæ a Petro Candido monacho; expeditionis Ferrariensis Calabriæ

labriæ ducis [a] exercitum moventis contra Venetos; obitus [b] Ginevræ abbatiſſæ ſancti Petri de Luco, in cujus locum ſubrogavit Scholaſticam de Floravantis.

ANN. CHR. 1483.

Aſſerit Bronzerius [c] in ſua hiſtoria Abbatiæ die XXVII. martii hujus anni, tempore Leonelli Trotti abbatis commendatarii Vangaticiæ, ad imaginem beatæ Mariæ ejus eccleſiæ cepta eſſe operari prodigia, primumque miraculum fuiſſe reverſionem ad vitam cujuſdam pueri defuncti in Corbolano. Ædificatam itaque tunc primum fuiſſe capellam, ligneo prius & deaurato altari, & poſtea marmoreo lapide anno 1623. ornatam.

a Ibid. ep. 79.
b Ibid. ep. 80.
c Pag. 188.

ANN. CHR. 1484.

XXX. Prioratus S. Jo: Evang. de Foro-livio ordini reſtitutus.

ROMANUS pontifex Sixtus IV. ante aliquot annos prioratum ſancti Johannis-evangeliſtæ de Foro-livio prope arcem Ravaldini ſeparaverat ab ordine Camaldulenſi, cujus erat, & unierat monaſterio ſancti Mercurialis ejuſdem urbis ordinis Vallumbroſæ in recompenſationem quarumdam domuum ereptarum huic monaſterio in refectione arcis dictæ urbis, ad petitionem Nicolai abbatis. Verum Raphael Riarius ſancti Georgii ad Velum-aureum diaconus cardinalis a Petro Delphino commonitus parvum fuiſſe damnum, quod ſubjerat monaſterium ſancti Mercurialis, majuſque fuiſſe illud, quod paſſum erat monaſterium ſancti Johannis, obtinuit ab eodem Romano pontifice, ut revocaretur præfata unio, commiſſa epiſcopo Glandatenſi, & cantori eccleſiæ Yporegienſis, ac vicario epiſcopi Foro-livienſis XVI. kalendas junii hujus anni executione alterius bullæ, qua redire ad ordinem Camaldulenſem præcepit eumdem prioratum, & reſtitui ipſius poſſeſſionem Michaeli Jacobi de Verona monacho Carcerum, qui jampridem electus fuerat ad regendum dictum prioratum ab Urbano Malumbra abbate Claſſenſi, vicario Petri Delphini prioris generalis. Iterum eamdem reſtitutionem faciendam ordini Camaldulenſi mandavit anno 1487. VII. idus martii Innocentius VIII. Sixti ſucceſſor, quæ Innocentiana bulla præſentata fuit anno 1491. Antonio Johanni de Tramontibus de Foro-livio canonico ejus urbis & vicario Thomæ de Aſtis epiſcopi Foro-livienſis. Prioratum ſancti Johannis obtinebat hoc anno Hector Foro-livienſis frater Nicolai abbatis ſancti Mercurialis, ut in epiſtola ad Raphaelem cardinalem docet idem Delphinus [d] petens illum ab eo removeri.

d Lib. II. ep. 29.

XXXI. Delphinus Romam contendit pro negotiis ordinis.

QUI ad firmandam unionem Camalduli-Florentini cum eremo Camaldulenſi, tum potiſſimum ad propulſanda tentamina Urbani Malumbræ abbatis Claſſenſis contra libertatem & indemnitatem monaſterii ſancti Apollinaris & congregationis ſancti Michaelis, initio hujus anni [e] Romam ſe contulit, ubi etiam orationem habuit coram Romano pontifice Sixto IV. Contra eumdem Urbanum Delphinus expetiit protectionem dominii Veneti, quod hoc anno & ſequentibus ſcripſit ſuis oratoribus in curia, ut opem ferrent adverſus eumdem Urbanum congregationi Venetæ.

e Ibid. ep. 31.

Abbatia Claſſenſis, in qua jus dicebat idem Urbanus, obtinebat etiam his temporibus juriſdictionem in partibus Ravignanæ, ut liquet ex proceſſu criminali confecto ab Aloyſio de Bencivennis Cotiniolenſi abbate ſanctorum Decentii & Germani de Piſauro & in partibus Ravignanæ vicario generali ejuſdem Urbani contra Angelum Sanctolini de Monterolo plebanum eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Fractis, quem carceri mancipavit, & ad pecuniarum ſolutionem adegit, depoſitarioſque pecuniæ contumaces & reddere nolentes excommunicationis jaculo perſtrinxit anno M. CCCC. LXXXIV. indictione II. die XVI. januarii; ex tabulario ſancti Romualdi de Urbe [f].

f Faſc. XLIII. n. 6.

ECCLE-

Ann. Chr. 1484.

XXXII.

De ecclesia & picturis S. Severi de Perusio.

Ecclesia parœcialis sancti Severi de Perusio monachorum ordinis Camaldulensis dedicata fuit hoc anno cum tribus altaribus a Dionysio episcopo Perusino, ut fidem facit sequens inscriptio, quæ in ea ecclesia legebatur. *Notum sit omnibus inspecturis, qualiter altaria hujus ecclesiæ sancti Severi fuerunt consecrata per reverendissimum dominum Dionysium Dei gratia & apostolicæ sedis civitatis Perusiæ episcopum. Nam majus ad honorem sancti Severi, secundum in septemtrione ad honorem Mariæ Virginis, tertium in meridie ad honorem sancti Nicolai dedicatum. Qui episcopus omnibus, qui dictæ consecrationi interfuerunt, quadraginta dies de indulgentia concessit, quam voluit omnibus devote visitantibus hanc ecclesiam sancti Severi die* XX. *martii perpetuo duraturam*. Hoc eodem anno monachi, qui prius habitabant in ecclesia sanctæ Trinitatis in loco *Palliola* dicto, haud procul a porta sancti Petri, translati fuere intra urbem ad sancti Severi. Super portam hujus ecclesiæ visitur in marmore gryphus, insigne nimirum urbis Perusii, cum aliquot literis temporis edacitate abrasis. Altare beatæ Virginis ornatum fuit picturis super parietes Raphaelis Urbinatis, & Petri Perusini; a parte superiori pinxit Raphael, qui hæc scripsit: *Raphael de Urbino domno Octaviano Stephani Volaterrano priore sanctam Trinitatem, Angelos adstantes, Sanctosque pinxit. A. D.* M. D. V. Petrus a parte inferiori: *Petrus de castro Plebis Perusinus tempore domni Silvestri Stephani Volaterrani a dextris & a sinistris divæ Christiferæ, Sanctos Sanctasque pinxit. A. D.* M. CCCCC. XXI. Imagines sanctorum & sanctarum albis vestibus teguntur, & exhibent sanctos Benedictum, Romualdum, Mauram, Placidum, Benedictum & Johannem martyres, Gregorium papam, Hieronymum, Bonifacium martyrem, Johannem-evangelistam, Scholasticam, Martham. Ad hodiernum diem, a fundamentis erecta nova ecclesia, perseverant veneranda harum picturarum monumenta in loco extra & prope ecclesiam summa diligentia custodita.

XXXIII.

Aliorum monasteriorum monumenta.

„ Excelsi priores Senenses in gratiam celebris doctoris domni Antonii Bertii abbatis sanctæ Mariæ de Rosa prope Senas, visis amplissimis privilegiis alias a Bailia Senensi concessis ad favorem monachorum Camaldulensium, præsertim dicti cœnobii, indulgent exemptionem a quibusvis impositionibus & gabellis, adeout in extractione vel introductione rerum ad monachos ipsos spectantium nihil exigi possit; idque cum consilio Bartholomæi Soccini & Angelotti Decii jurisconsultorum magni nominis. Actum &c.; manu Guilielmi quondam Jacobi Jantuccii notarii Senensis; ex archivo ejusdem monasterii [a].

[a] *Num.* 36.

„ Cum cœnobium sancti Michaelis de Muriano æs alienum conflasset non modicum in institutione suæ congregationis, nec non propter alios sumptus, aggregatum est illi cœnobium Montis-crucum in montibus Patavinis situm, & cœnobium sanctæ Mariæ de Porcilia Patavii positum juxta mœnia urbis; ait Fortunius. Unionis bullam petente Bonaventura abbate sancti Michaelis relaxavit Innocentius VIII. nono kalendas octobris hujus anni. Possessionem autem accepit idem Bonaventura die XXII. junii anni sequentis, unionem exequente vicario Petri Foscari cardinalis episcopi Patavini. Anno tamen 1486. die XX. septembris monasterium Montis-Crucum denuo divisum est a monasterio sancti Michaelis, immo ab illo Porciliæ, statuto Paulo Boldù perpetuo priore, aliisque, qui Paulo successere, donec post aliquot annos iterum unitum fuit mensæ monasterii sancti Michaelis. Modo cœnobium Montis-crucum adjunctum est seminario Patavino; superest claustrum, & aliquod vestigium veteris regularis loci.

Sixtus

Sixtus papa IV. tempore sui pontificatus monasterio sancti Gregorii de Urbe non solum omnes gratias, quas sanctus Gregorius, dum esset summus pontifex, elargitus est suo privilegio, confirmavit, sed praeterea omnibus Christi-fidelibus plenariam concessit indulgentiam iis, qui dictam ecclesiam a vigilia Omnium Sanctorum & in die commemorationis omnium fidelium defunctorum & per sequentes octo dies, & insuper plenariam perpetuo concessit iis, qui in festis sancti Andreae apostoli & sancti Gregorii visitaverint. Idem pontifex eam ecclesiam instauravit; nam in fronte antiquae januae porticus hujus ecclesiae insignia ipsius pontificis inspiciebantur cum lemmate: *Sixtus papa IV. pontifex opt. max.*

Ann. Chr. 1484.

Factam pacem pontificem inter & Venetos narrat in [a] suis epistolis Delphinus. Hos autem vi armorum suorum [b] expugnasse septem oppida in Apulia. Impressa quoque fuere hoc anno ejus jussu nova breviaria Camaldulensia Florentiae apud Bartholomaeum Miscominum [c].

a *Lib. II. ep.* 31.
b *Ibid. ep.* 44.
c *Ibid. ep.* 43.

Ann. Chr. 1485. XXXIV.

Reformatio monast. Angelorum de Florentia.

ADMOTUS fuerat ante aliquot annos regimini monasterii sanctae Mariae-angelorum de Florentia Leonardus Donati de Brunis; hic amicitia & propinquitate junctus cum pluribus nobilibus civibus Florentinis parvo interjecto tempore Angelicam domum expilaverat, divitem suppellectilem distraxerat, praedia & monasterii substantias dilapidaverat, confecto insuper trium-millium florenorum aureorum aere alieno, nullique pepercerat operae, ut sanctissimum locupletissimumque coenobium ad religionis defectum & paupertatem deduceret. Admonitus de his Petrus Delphinus ordinis prior generalis brevia a pontifice, literas insuper a cardinale Senensi protectore impetraverat, pro monasterio reformando, favorem quoque expetierat Laurentii Medicei in urbe Florentina facile principis. Sexta-decima martii [d] Innocentius VIII. qui in locum Sixti IV. elevatus fuerat ad supremam sedem die XXIX. augusti praecedentis anni, pontificatus anno primo tum ipsi generali Camaldulensi, tum abbati sanctae Mariae de Florentia mandavit, ut strenue assumerent reformationem monasterii Angelorum, quod cum Innocentius ipse in minoribus foret, *sacellum continentiae & sanctimoniae habebatur*, tunc autem *fractis regularis observantiae habenis in dies corruebat*. Praehabito itaque diligenti examine octava die augusti hujus anni Delphinus, tota civitate Florentina plaudente, Leonardum regimine privavit, Alexiumque de Castello eremi olim Majorem loco praefecit, datis in ejusdem adjutorium eremitis monachisque bene morigeratis, ut pedetentim tota sub Leonardo familia ejiceretur. Bulla confirmationis Alexii in priorem data est die decima-octava julii pontificatus Innocentii VII. anno II. hoc est sequenti. Contra impetrationem hujusmodi brevis appellavit Leonardus ad eumdem Romanum pontificem, novosque judices obtinuit abbatem sanctae Trinitatis in Alpibus ordinis Vallis-umbrosae, & Carolum Benci canonicum Florentinum, quos revocandos quidem curavit Delphinus, ipsisque inhibuit proferre sententiam; abbas tamen sanctae Trinitatis sententiam tulit, Leonardumque injuste amotum pronuntiavit. Accessit ad cumulum malorum, quod Laurentius Mediceus, qui eatenus Delphino favere visus fuerat, ipsum admonuit, nequaquam sperare se per Camaldulenses reformationis leges fore dandas collapso monasterio, quod immo cupiebat per alieni habitus homines ad pristinum statum deducendum. Interea ex commissione ipsius Laurentii demandata fuit tribus Florentinis civibus, praeter Philippum Sagramorum & Pandulphum Mediceum, cura componendi cum creditoribus monasterii, & revocandi contractus, qui in damnum ipsius facti fuissent.

d §. *Brevia* 94. *A.* 8. 19.

Visum

Ann. Chr. 1485.

a *Lib. III. ep.* 39. *Vid. etiam Lib. II. ep.* 65. 66. 81. 83.

Visum fuit in ea rerum angustia Delphino [a] precari cardinalem protectorem, ut quod olim fecerat de Camaldulo-Florentino alter protector Berardus Herulus, idipsum faceret ipse, ac a Romano pontifice obtineret interim ipse commendationem monasterii Angelorum, donec finito certamine denuo ad Camaldulenses liberum redderetur. Prosecutionem facti hujus ad annum sequentem remittimus.

XXXV. Capitulum generale ordinis in Classe Ravennæ.

b §. *Brevia* 91. *A.* 5. 22. 23. 24.

Undecima [b] octobris idem Romanus pontifex pontificatus sui anno secundo mandavit eidem Delphino priori, ut convocaret generale ordinis capitulum eodem vel sequenti mense, & in ipso una cum definitoribus reformaret hac vice dumtaxat monasteria, prælatos amoveret, institueret & ordinaret auctoritate apostolica. Die prima novembris eidem præcepit, ut omni studio capitulum celebrare curaret in abbatia Classensi, data etiam facultate absolvendi ab omni excommunicatione accedentes ad ipsum. Habitum ergo fuit die sexta novembris in eadem abbatia capitulum, ad quod convenerunt ad quadraginta prælati, & definitoribus Johanne abbate sanctæ Mariæ de Poplena, Petro sancti Andreæ de Candiculis, Galeotto abbate sancti Hippolyti de Faventia, Benedicto Justinopolitano priore sancti Martini de Opitergio, Paulo Majore & Christophoro de Florentia eremitis & plura statuta fuere ad bonum congregationis regimen. Inter cetera decretum fuit ad avertendas frequentissimas monasteriorum commendationes, ut prælati valerent unire sua manualia beneficia monasteriis potioribus. Statutum præterea, ut deinceps officium divinum celebraretur juxta formam breviariorum, quæ imprimi recens fecerat Florentiæ per Bartholomæum Miscominum ipse præses generalis Delphinus & de Omnibus Sanctis fieret officium XII. lectionum. Approbata fuit sententia amotionis Leonardi Bruni a regimine monasterii Angelorum. Communibus suffragiis pariter captum fuit, ut generalis posset cum omni auctoritate capituli sanctissimo domino papæ supplicare, quatenus per viam privilegii concedere dignaretur ordini Camaldulensi unionem de quibuscumque monasteriis ordinis, quorum prælati in dictam unionem venire voluerint, ea conditione & modo, ut in iisdem monasteriis prælati de cetero perpetui esse non deberent, sed annuales, & quod pro impetratione & solutione dicti privilegii idem generalis posset & deberet in universo ordine, & tam in locis non manualibus eremi, quam in manualibus unam seu plures collectas ponere, prout opus esse animadverterit. Dispensatum quoque est super illis ecclesiis, in quibus ædificata fuerant organa, decernentes etiam de cetero eos prælatos, qui eadem organa facere voluerint, licite id facere posset. Vetita enim erant in ecclesiis ordinis Camaldulensis organa vi veterum constitutionum. Etiam Ambrosius decimus abbas generalis congregationis Vallis-umbrosæ, inde Florentinus episcopus, inhibuerat organa sonare in ecclesiis suæ jurisdictionis, ut refert Eudoxius Locatellus in ejus elogio libro secundo pagina 217. In capitulo Classensi orationem habuit Stephanus juris pontificii peritus Camaldulensis monachus teste eodem Delphino.

XXXVI. Historica plura ordinis.

c §. *Unio* 24. *A.* 5. 21.

Vigesima-octava junii [c] idem Romanus pontifex anno sedis suæ primo iterum univit ecclesiam ruralem sancti Ægidii de Gaviserre cum abbatia sanctæ Mariæ de Poplena; licet enim a quinquaginta & amplius annis adjecta fuisset eidem abbatiæ, tunc prioratui, literæ tamen unionis deperditæ fuerant.

Quarta novembris Delphino commendavit Simonem de Martiis Biblenensem in abbatem sancti Michaelis de Burgo Pisarum dudum provisum & electum ab apostolica sede. Obierat enim octuagenario major ex epistola

stola VII. libri III. Petrus de Tenagliis abbas dicti monasterii. Metuebatque Delphinus, ne ab alienis abbatia invaderetur, licet [a] Laurentius Mediceus recepisset nihil contra acturum.

Ann. Chr. 1485.

a L ib. III. 7.

Justus Gerardi de Bonvicinis abbas sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum abbatiam renuntiavit Johanni Mediceo Laurentii filio, administrationem redditum sibi retinens, ac ejus monasterii fructus, dum viveret. Vixit autem ad annum 1497. Johannes Mediceus tunc cardinalis in jura abbatiæ introiens eam dimisit Petro Senensi, cum obligatione servandi ipsam ad utilitatem monachorum Camaldulensium. Successit Petro anno 1502. Capponius monachus Vallumbrosanus, inde Albizus de Nobilibus, qui anno 1514. abbatiam tradidit Mario Maphæjo nobili Volaterrano episcopo Cavallicensi, inde Aquinati. Extat ad Marium Maphæjum inscripta a Raphaele itidem Volaterrano vita beati Jacobi de Certaldo monachi ejusdem loci apud Fortunium. Maphæjus eam dimisit in gratiam Johannis-baptistæ Bavæ consanguinei sui, qui tandem anno 1562. reservans sibi administrationem monasterium restituit congregationi Camaldulensi, ad quam liberum devenit anno 1566. emortuali ipsius Bavæ abbatis commendatarii.

Johannes Memo prior sancti Viti de Vicetia rogatus a Petro episcopo Catharensi vicario Baptistæ Zeni episcopi Vicetini concessit licentiam presbytero Jacobo Fornario residendi in villa & ecclesia de Cavazali, & celebrandi ibidem Missas, curamque animarum in eo loco exercendi, ad beneplacitum tamen suum & successorum priorum monasterii sancti Viti, & ea adjecta conditione, ut si quis ejus villæ decederet, terræ non mandaretur, nisi prius data notitia eidem priori. Extat sententia Hieronymi de Barbarano mansionarii ecclesiæ cathedralis Vicetinæ lata anno 1517. die XXVII. augusti; qua declarat ecclesiam de Cavazali esse subjectam monasterio & ecclesiæ sancti Viti. Hieronymus de Barbarano erat vicarius generalis cardinalis Volaterrani Francisci Soderini episcopi Vicetini.

XXXVII. Corpus S. Rocchi delatum Venetias a converso Camaldulense.

Deductum fuit hoc anno Venetias corpus sancti Rochi, & delatum in ecclesiam ejus nomini magnificentissime dicatam. Historiam translationis narrat celeberrimus Venetarum ecclesiarum editor Flaminius Cornelius, ex qua colligitur fratrem Maurum quondam Francisci Camaldulensem conversum, qui mense augusto anni præteriti, dum per calumniam carceri inclusus & divi Rochi patrocinium implorans detecta ejus innocentia e custodia liberatur, decrevisse visitare sacrum corpus sancti Rochi, quod reperiebatur in quadam civitate dicta Ughiera in districtu Mediolanensi, qui locus possidebatur a comite Petro de Verme, ibique accedentem clam sustulisse dictum corpus, Venetiasque magno cum gaudio asportasse. Examen hujus translationis extat apud eumdem Cornelium [b], habitumque fuit die ultima aprilis hujus anni jussu Maphæi Gherardi patriarchæ Venetiarum, omniaque profert veritatis indicia ex confessione ipsius Mauri. Viri hujus narrationi concordarunt alii testes ad veritatem eruendam vocati, qui cum Ugheriam sive Viguericum vel Angleriam, vulgo *Voghera* ad beati Rochi sepulcrum ex voto peregrinati, ibique sacra ejus ossa attente fuissent intuiti, mox eadem Venetiis sibi ostenta revisentes, eadem ipsa esse jurejurando interposito affirmarunt, quæ in oppido Viguerici olim quiescentia venerati fuerant, in firmius rei testimonium asserentes se *in osse cruris & inguinum signale quoddam, ubi habuerat pestem, quod est in medio quasi res combusta, & a latere aliquantulum nigra*, cognoscere, quod *viderant in Ughiera*.

b *Dec. X. pag.* 319.

Confirmata fuit unio sancti Martini de Prata facta olim a Raphaele Bon-

Ann. Chr. 1485.

Bonciano cum monasterio sancti Mathiæ de Muriano. Tertia vice suffectus Urbanus Malumbra in locum Benedicti ad regimen Classense.

XXXVIII. De Roderico Osornio facto monacho ad S. Michaelis de Muriano.

Rodericus Osornius, qui anno 1477. receptus fuerat in collegium Albornotianum Bononiæ, præsentatus ab ecclesia Hispalensi tunc temporis pastore vacante, ad sacros canones audiendos, mundi pertæsus, hoc anno monasticum habitum induit in monasterio sancti Michaelis de Muriano, assumpto Eusebii nomine. Eusebium Hispanum monachum dicti monasterii, qui in doctissimum virum evasit, & piissime in eo cœnobio decessit, fuisse ex familia Osornia, clarissime colligimus ex secunda parte archivi Albornotiani ad codicem II. pagina 100. in quo relata admissione Roderici Osornii in sacrum palatium, de ipso ad annum 1480. hæc leguntur: *Iste dominus fuit rector anno 1480. & tunc propriis expensis fecit unam patenam argenti, quam dedit dono ad usum ecclesiæ, postea vero in quodam monasterio ordinis Camaldulensis Venetiarum professionem emisit.* Idem legitur in Progenie Albornotiana MS. Hispanico idiomate conscripta pagina 26. De ipso ad hunc annum hæc profert Delphinus [a] in epistola ad Bonaventuram abbatem sancti Michaelis [a]. *De Hispano novitio & abs te, & ab aliis grate accepi, quæ scripsistis. Utinam is evadat, quem speratis. Ejus esse, ut audio, ætatis & doctrinæ, ejus itidem prudentiæ consiliique, ut quam optime de illo sperare liceat.*

a *Lib. II. ep. 91.*

XXXIX. Memorabilia in epistolis Delphini.

Ex epistolis Delphini hæc ad annum præsentem spectant. Venetos [b] cum Innocentio Romano pontifice reconciliatos fuisse. Petrum Barrotium, qui Bellunensem episcopatum a quatuordecim annis obtinebat [c], declaratum non fuisse a senatu Veneto episcopum Tarvisinum, sed electum alterum, „ qui utinam, ut audio, subdiaconatu dignus non sit. “ Alludit ad Nicolaum Francum legatum apostolicum, & postulatum hoc anno ad ecclesiam Tarvisinam. Eumdem tamen [d] Barrotium declaratum fuisse episcopum Patavinum ab eodem Senatu, quod ægre tulit Barrotius [e], nec episcopatus possessionem accepit, nisi post biennium. Memorat in epistola VI. libri tertii orationes duas ære impressas habitas a Gentile de Becchis episcopo Arretino, alteram legationis Mediolanensis, Ferrariensis alteram. Dimisso Mathia Palmerio [f] antiquo utriusque juris peritissimo sene, qui eatenus procurationis munere functus fuerat in curia Romana pro ordine Camaldulensi, Delphinus substituit in ejus locum Marianum Cuccinum. Hunc haud apposite procuratorem sancti Marci Venetiarum faciunt celeberrimi duum-viri Martene & Durandus in amplissima monumentorum collectione [g]. Petit [h] a Bernardo Justiniano equite & divi Marci procuratore vitam sancti Nicolai conscriptam ab eloquentissimo ejus patre Leonardo. Etiam ipse Delphinus hoc anno die XVIII. septembris postulatus fuit ad episcopatum Patavinum.

b *Lib. II. ep. 66.*
c *Ibid. ep. 90.*
d *Ibid ep. 100.*
e *Lib. III. ep. 18.*
f *Lib. II. ep. 65.*
g *T. III. in præfat.*
h *Lib. III. ep. 20.*

Ann. Chr. 1486.

XL. Profecutio reformationis monast. Angelorum de Florentia.

Obtenta favorabili sententia Leonardus Brunus, amicorum & propinquorum potentia fretus & inflatus monasterii Angelorum regimen recuperare contendebat. Invasionem ejus loci factam narrat in epistola ad cardinalem Senensem ipse Delphinus [i]: *Octava*, inquit, *dominicæ resurrectionis die, cum post matutinam synaxim omnes ad cellulas suas, ut pauxillulum more solito conquiescerent, fessi revertissent monachi, scribente quidem me, ceteris vero jacentibus, ingressus est canonicus quidam Julianus de Tornabonis Leonardi olim prioris propinquus, perfractis foribus cubiculum nostrum cum plerisque armatis, qui strictis ac nudatis gladiis telisque tamquam latrones summo mane de monasterio nos invitos ejecerunt.* Id

i *Lib. III. ep. 45.*

Id facinus, ubi primum divulgatum est, universa civitas ægerrime tulit, murmurantibus omnibus atque indignantibus, quod tam impie immaniterque sævire contra nos permissi fuissent adversarii nostri. Conquesti sumus apud dominium, neque id semel atque iterum, sed sæpius & importunius de illata nobis vi, petivimusque restitui denuo in possessionem monasterii Angelorum. Octava tandem die sive instantia nostra, ac populi mussitatione, sive ipsa victi ratione, ejusdem dominii decreto, jussi sumus reverti ad monasterium summo totius civitatis assensu atque congratulatione singulari. Quantum vero securi hic moremur, nescio, nisi quod hæc est multorum & quidem amicorum prudentium opinio, iterum nos propediem cum majori dedecore exturbandos. Reapse subdit in alia [a], *quod veritus sum & mecum plerique fere omnes, id accidit mihi. Restituti sumus in monasterium Angelorum jussu dominii, ut unde primum armatorum violentia exturbati fueramus, inde astutia & dolo postmodum callide ejiceremur. Accersivit me per macerium dominium Florentinum, cum essem in monasterio Angelorum decimanona præteriti mensis die, cui cum ad præstitutam horam præsto fuissem, significavit mihi decrevisse se mittere macerium ad monasterium Angelorum, qui ibidem suo nomine atque mandato tantisper esset moraturus, donec constaret utra litigantium pars victoria potita foret, jussitque, ut interea cum fratribus meis possessionem monasterii cederemus macerio, atque alio commigraremus. Quod eadem hora factum est.* Vexillifer justitiæ & Artium priores Franciscum Nicolai clericum Florentinum in custodem monasterii reliquerunt. Post hæc impetravit Delphinus breve apostolicum ad dominium Florentinum & ad Bartholomæum Scalam equitem & vexilliferum justitiæ Leonardi amantissimum, per quod pontifex improbabat apertissime Camaldulensium generalis & monachorum expulsionem a monasterio Angelorum, hortabaturque verbis efficacissimis, ut ipsis dicti monasterii possessio continuo restitueretur. Ad aliquod temporis contemptum fuit breve pontificium potentia Laurentii Medicei; aliudque obtinuit Delphinus ad favorem Alexii electi prioris.

Ann. Chr. 1486.

Interea ipse Laurentius Guidoni confessario suo monacho Cisterciensi rem gratam facere volens proposuerat [b] Delphino, ut cœnobium Angerum commutaret cum cœnobiolo Cisterciensium. Restitit infracto pectore Delphinus, remque eo deductam agnoscens, ut contra potentium vires alias vires opponeret, negotium cardinali Senensi commisit. Misit Laurentius & dominium Florentinum sacerdotem quemdam oratorem ad eumdem cardinalem, qui sequentia postularet [c], *primum ut Angelorum cœnobium Cisterciensi ordini penitus uniretur. Deinde ut ipsius monasterii debita per generalem & universum ordinem Camaldulensem persolverentur. Tertio, quod injuste privatus Leonardus provideretur per summum pontificem de primo beneficio Camaldulensis ordinis, quod vacare contingeret. Respondit constantissime cardinalis, se nullo pacto huic Angelorum translationi ad aliam religionem assensurum, acturumque cum pontifice, ut facile petitiones illas minus honestas rejiceret. Tandem animadvertens sacerdos protectoris animum ordini Camaldulensi primum deditum, novas obtulit & honestiores petitiones, quibus supplicabatur, ut pontifex imposito litigantibus pro monasterio Angelorum silentio, causam ad se motu proprio advocaret. Deinde ut juberet cuidam monacho sancti Salvatoris de Septimo Cisterciensis ordinis, ut ad monasterium Angelorum sub excommunicationis & inobedientiæ pœna se conferret, regimen & administrationem ejusdem susciperet, depositoque Cisterciensi habitu Camaldulensem indueret, cum potestate conferendi eumdem habitum tam ipsius Cisterciensis ordinis fratribus, quam alio-*

[a] Ibid. ep. 52.

[b] Lib. III. ep. 38. 43.

[c] Lib. IV. ep. 13.

ANN. CHR. 1486.

aliorum etiam Mendicantium usque ad viginti & plures etiam, prout redditus ipsius monasterii exigere videbuntur, qui omnes ad professionem admittantur secundum instituta & privilegia ordinis Camaldulensis. Præterea ut idem ipse monachus de Septimo sit prior, dum vixerit, & a generali Camaldulensi exemptus, atque sedi tantum apostolicæ subjectus, quo cedente vel decedente illico prioratus subjiciatur protectioni ac regimini ipsius generalis, & quod priores imposterum sint amovibiles atque annuales secundum præfati ordinis consuetudinem. Ad hæc, quod pontifex per breve mandet generali & congregationi ejusdem religionis, ut omnia debita monasterii Angelorum quomodocumque contracta duorum annorum spatio cum gravamine totius ordinis dissolvere debeant; & quod generalis ipse infra terminum duorum mensium, a die, qua prior administrationem loci susceperit, præstare teneatur fidejussores, quod satisfiet infra biennium creditoribus monasterii. Præterea quod sanctissimus pontifex per breve alicui committat, ut accurate cognito ære alieno, quod per domnum Leonardum conflatum in utilitatem cesserit monasterii, eidem satisfaciat cum potestate compellendi per censuras ecclesiasticas, quicumque libros aut codices rationum ad ipsum prioratum spectantium fraudolenter occuparent, quodque idem valeat recuperare quæcumque mobilia sive immobilia quovis jure ad ipsum monasterium pertinentia; & quod non exhibente generali memorato termino fidejussores, ipse commissarius posit tot prædia & bona Camalduli-majoris vendere seu pignori tradere, quæ ad summam debiti integram sufficiant. Demum quod domno Leonardo reservetur primum ejusdem ordinis vacaturum beneficium, dummodo Florenos ducentos ipsius beneficii redditus non excedant. Hæ fuere conditiones oblatæ cardinali Senensi, ut dominii Florentini votis satisfieret, quas cum mature perpendisset, moderari ei placuit, quæ haud penitus honestæ sibi visæ sunt. Nam ad id, quod secundo loco petitum fuerat, respondit honestum sibi videri, quod cum generalis sit caput Camaldulensis ordinis, pontifex reformationem ipsius prioratus generali committat, cum plena potestate mandandi Cisterciensi futuro priori sub censuris, itidemque sibi decens videri, quod prior in omnibus, juxta statuta ordinis, generali subjectus sit. Nimis præterea durum se existimare, ut ordo ac generalis pro alieno delicto puniantur.

Iis conditionibus ab utraque parte susceptis conceptum fuit breve, quo Innocentius VIII. avocata ad se causa, & commissa uni ex locumtenentibus auditoribus causarum palatii apostolici, nempe Johanni Nucerino episcopo, narratis tota serie facti, armatisque inductis in monasterium Angelorum, litibus inter Leonardum Brunum & Alexium priorem, elegit Guidonem Laurentii monachum Cisterciensem cœnobii sancti Salvatoris de Septimo in priorem ejusdem monasterii Angelorum, adempta clausura, quæ eatenus viguerat in eo loco, servato tamen ordine Camaldulensi, & mandans die octava decembris pontificatus sui anno tertio [a] executionem suæ voluntatis decano ecclesiæ Florentinæ, cancellario Francisco, & Salvino de Salvinis canonico Florentino. Delphinus autem initio anni sequentis prioratum vacantem Massaccii contulit Leonardo Bruno olim priori Angelorum. Distributa fuit per ordinem solutio pecuniæ pro diluendis debitis monasterii Angelorum, nonnullaque beneficia distracta, quæ res pertinent ad annos immediate sequentes. De Guidone Septimiano monacho legatur Baccettius in historia Septimiana [b].

XLI Abbatia S. Zenonis Pisarum commendata.

OBIIT mense majo Franciscus Tolosini Thomæ de Medicis abbas sancti Zenonis Pisarum; ipsius mortem statim cardinali Senensi notam fecit Delphinus [c], Maurumque monachum suum in abbatem præfecit; refragante

a §. Unio 25. A. 5. 30.

b Pag. 172.

c Lib. III. ep. 59.

gante eodem cardinale, & contra fidem collata fuit tamen ea abbatia Nicolao Pandulphinio episcopo Pistoriensi. Vacante similiter hospitale sancti Frigdiani ejusdem urbis [a], curam ipsius tradidit Delphinus Basilio Balneensi. Impetrata nihilosecius fuit Romæ possessio dicti hospitalis a cardinale Recanatense, qui redditus ipsius tradidit cuidam suo familiari.

a *Ibid. ep.* 30.

XLII. Alia a Delphino gesta, & memorata in suis epistolis.

Literas insuper Delphinus a dominio Veneto impetravit [b] ad Antonium Lauretanum equitem & oratorem in curia Romana pro liberanda abbatia Vangaticiensi a commendatione, & ea unienda cum nova sancti Michaelis congregatione, missis articulis compositionis negotii cum Leonello Trotto Ferrariense abbate commendatario. Cum autem Senatus Veneti decreto [c] prohiberentur advenæ regimina obtinere in eorum dominio, vellentque patres congregationis sancti Salvii ordinis Vallis-umbrosæ, Blasius imprimis Milanesius abbas generalis, & Hieronymus abbas sancti Salvii Florentiæ Thuscos monachos deducere ad reformationem monasterii sancti Sepulcri de Astino in territorio Bergomate, negotium in se suscepit Delphinus, egitque cum patribus congregationis sancti Michaelis, ut provinciam hanc assumerent, ceterisque novæ unionis monasteriis cœnobium Astinense adjungerent, ut fusius dicemus anno sequenti. Camalduli-Florentini monasterium ad prioratum reduci paulo ante curaverat, & ejus bona uniri cum eremo Camaldulensi; agnoscens vero ipsum multo ære alieno premi, iterum expetiit hoc anno [d] a cardinale Senensi, ut ad pristinum abbatiæ statum restitueretur, præfectoque ibidem abbate rescinderetur bulla præteritæ unionis.

b *Lib. III. ep.* 36. 50.

c *Ibid. ep.* 31. 32.

d *Ibid. ep.* 41.

Hæc præterea ex epistolis ejusdem Delphini sub hoc anno eliciuntur. Confectam fuisse pacem inter pontificem Innocentium VIII. & Florentinos [e], ea etiam adjecta conditione, ne clerus ulterius gravaretur impositionibus; quas tamen cum continuarent Florentini, sacerdotesque ipsos non solventes tenerent, & custodiæ carceris adjicerent, scripsit ipse Delphinus, alterasque literas repetiit ad eumdem Romanum pontificem [f] suppliciter flagitans liberationem utriusque cleri a gravissimis exactionibus, quibus premebantur. Deplorat in aliis epistolis [g] acerbum inopinatumque obitum Antonii Lolii, qui erat a secretis cardinalis Senensis, cujus carmina laudat confecta jampridem in laudem Innocentii VIII. Petro de Porticu [h], qui paulo ante ad congregationem sanctæ Justinæ transierat, redeunti nunc ad suum monasterium Carcerum, albasque vestes repetenti stimulos addit ad id peragendum. A Bernardino monacho [i] expetit opus de rebus gestis Venetorum Bernardi Justiniani, quod tunc Venetiis erat sub prælo.

e *Lib. III. epp.* 62. 83.

f *Ibid. epp.* 75. 79. 89.

g *Ibid. epp.* 53. 59.

h *Ibid. ep.* 92.

i *Lib. IV. ep.* 12.

XLIII. De Nicolao Alemanno eremita Camaldulense.

Hoc anno venit ad eremum Camaldulensem Nicolaus Alemannus, qui in urbe Venetiarum ordinem sancti Augustini professus fuerat in cœnobio sancti Christophori de Pace. Hic post paucos dies reclusionem petiit, & ut linguæ parceret, scripto supplebat quæcumque opus habebat. Procedente tempore cœcus evasit. Narrabat Delphinus Gregorio Bergomati, qui hæc inseruit memorabilibus suis, Nicolaum hunc aliquando deficiente sibi aqua in cellula, egressum ad ipsam hauriendam de via detorsisse, ignarumque ubi proficisceretur, sedisse in altissima nive. Conversus ejus servitio deputatus vesperi eum reperiit in cellula jacentem in lecto, sibi narrantem duos viros albos se in cellulam detulisse, & propterea gratias Deo referebat. Nunquam sciri potuit, qui fuerint hi viri, cum quidem extarent vestigia reclusi ad aquam deferendam procedentis, minime vero vestigia ipsius redeuntis, vel eum associantium. Creditum

itaque

ANN. CHR. 1486.

itaque est fuisse duos Angelos. Hanc ipsam historiam refert Fortunius de quodam Cypriano recluso parte prima libri III. cap. 13. Vel ergo falsus est Fortunius in nomine eremitæ, vel id nomen fuit eremitæ, cum ordinem sancti Augustini profiteretur. Delphino & Gregorio Bergomati magis credendum.

ANN. CHR. 1487.

XLIV. Innocentii VIII. bullæ & provisiones monasteriorum.

a Lib. IV. ep. 47.

b Ibid. 53.

LÆTUS Laurentius Mediceus negotium monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia composuisse pro libitu suæ voluntatis, remque gratam facturus Petro Delphino [a] restituit ordini Camaldulensi abbatiam sancti Michaelis de Arretio, quæ commendata fuerat Johanni filio suo. Misso in Urbem procurationis Johannis instrumento obtinuit Delphinus, ut pontifex per breve declararet abbatiam vacantem, ita ut ipse eam conferre valeret Basilio Balneensi, sicut eam contulit. Johannes Mediceus hoc ipso anno [b] ab eodem pontifice in commendationem recepit abbatiam Montis-casini, pontifex autem Johannis sororem desponsavit Francisco filio suo, quem ante ecclesiasticas dignitates susceperat.

Vacante monasterio sanctæ Mariæ de Vangaticia ob cessionem Leonelli de Trottis Ferrariensis postremi abbatis commendatarii Innocentius VIII. tertio nonas augusti pontificatus sui anno tertio ipsum contulit Ambrosio Bernardo patricio & clerico Veneto, ac notario apostolico. Eadem die episcopo Adriensi scripsit, ut Ambrosium adjuvaret in ampliandis & conservandis juribus monasterii sui. Ipsa die Ambrosium absolvit a quibuscumque censuris, ut possessionem monasterii inire posset. Demum conventui Vangaticiensi scribens, eumdem in abbatem datum monachis exposuit. Possessionem ingressus est monasterii Ambrosius die sexta septembris, præsente Jacobo Donato potestate & populo, ex necrologio Vangaticiense. Congavisus fuit Delphinus cum Ambrosio, sperans meliorem patribus congregationis Venetæ exhibitam occasionem reformandi sub Veneto commendatario monasterium Vangaticiense, quod incassum sub Ferrariense abbate, licet adnitente dominio Veneto, tentaverant.

Quarto-decimo kalendas decembris pontificatus sui anno quarto abbati monasterii Carcerum Petro Boldù & conventui monachorum, simul etiam Paulo Boldù priori Montis-crucum exemptionem confirmat ab omnibus nuntiis apostolicis, volens, ut priori generali Camaldulensium ejusque dumtaxat nunciis parere teneantur.

Die nona julii pontificatus anno III. cum contulisset Meo Pauli Soggi eremitæ Camaldulensi hospitale sancti Martini, alias sancti Frigdiani Pisarum, atque ea ratione vacaret prioratus sanctæ Mariæ de Vertilio Montis-sancti-Sabini, quem obtinebat idem Meus sine obligatione curæ animarum, commisit suo brevi Francisco de Peris Florentino præposito sancti Johannis de Florentia, ut prædictum Vertiliensem prioratum perpetuo adjungeret monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia; eamdem unionem ratam habuit die quarta maji anno 1493. Alexander papa VI. ex tabulario monasterii Angelorum [c]. Legatur epistola 67. libri IV. Petri Delphini, ex qua innotescit fratres ordinis Minorum insidiatos fuisse dicto loco, ut eum ordini Camaldulensi subriperent; quare consensit Delphinus, ne jactura fieret dicti loci, ut uniretur monasterio Angelorum. Unionem etiam abbatiæ sancti Andreæ de Candiculis monasterio suo Angelorum expetiverat Guido prior, cui tamen restitit Delphinus, & restitere eremitæ.

c Numm. 7. 10.

XLV. Inventio corporis S. Apollinaris facta a Malumbra abb. Classense.

d P. II. lib. IV. cap. 16.

TESTE Fortunio [d], Urbanus Malumbra abbas Classis requisivit per templum Classense sacratissimum beati Apollinaris corpus, idque cum tribus laminis per aquam natantibus inventum debita reverentia composuit, quo

quo tempore multa beneficia in languidos collata quotquot ex ea aqua biberunt. Vitalis Aquæductius monachus Classensis [a] scribit se præsentem fuisse huic inventioni. De ea verba facit etiam Fabrius [b] in historia ecclesiarum Ravennatum. Atque hæc fuit secunda sacri corporis inventio.

Ann. Chr. 1487.

a Cap. III.

b Pag. 96.

Idem abbas Malumbra uniri curavit hoc anno suo monasterio Classensi prioratus & ecclesias sanctæ Mariæ de Scardavillis, sancti Pauli de Cæsena, & sancti Salvatoris de Foro-livio ex Delphino [c].

c Lib. V. ep. 23.

XLVI. Historia hujus anni 1487. ex epistolis Delphini, aliaque monumenta.

Cum plura monasteria, & singulariter illa ditionis Venetæ recusarent solvere distributionem impositionis pro diluendo ære alieno monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, & dominii Veneti auctoritate impetrassent privilegium pontificium exemptionis ab hac solutione, visum est Delphino priori generali [d] e re esse distrahere bona reddituſque prioratus sancti Nicolai de Curte-luponis, eaque assignare creditoribus ejusdem Florentini monasterii. Erat is prioratus in agro Arretino juxta Martianum oppidum.

d Ibid. ep. 9.

Idem Delphinus [e] Petrum Barrotium episcopum Patavinum constituit suum vicarium in toto territorio Patavino eodem modo, quo priorem generalem monachorum Silvestrinorum vicarium tenebat in Piceno, & Lazaro vicario olim Antonini archiepiscopi Florentini utebatur in Camaldulensibus monasteriis sitis in diœcesi Arretina.

e Lib. V. ep. 26.

Guido recens electus prior monasterii Angelorum de Florentia expetierat a Delphino [f] mutationem formæ habitus pro se & monachis suis, delationem nimirum scapularis lati & discincti, ut deferebant monachi sanctæ Justinæ & Montis-oliveti, & non strictioris & præcincti, ut gestabant Camaldulenses. Respondit Delphinus in eremo & in nobilioribus ordinis monasteriis per annos quingentos absque intermissione eo habitu usos fuisse Camaldulenses, laudarique Venetiis in primis eam scapularis formam, & etiam cucullæ, tamquam habitus gravissimi & honestissimi, adeoque se nolle hujusmodi mutationi assentiri; quæ si esset inducenda, confugiendum foret ad auctoritatem capituli generalis. Pariter in ecclesia monasterii Angelorum [g] scholas introduxerat Guido, chorum repleverat sedilibus laicorum, oratorium in gymnasium converterat, & sedem juxta altare philosopho tradiderat. Hunc morem improbavit Delphinus, rescripsitque se jamdudum audiisse viros doctissimos, ac variis disciplinis imbutos in Angelorum monasterio publice docuisse, sed nulla alia de causa monasterium illud in summa fuisse totius populi Florentini veneratione, quam ob arctissimam ipsius reclusionem, quoniam vix paucissimis & dignitate præstantibus patere solitus fuerit ingressus chori; adeoque scholas in decentiores monasterii recessus transferendas suadet. Expetiit post triennium idem Guido [h] a Delphino imaginem gypseam Ambrosii prioris generalis, quæ in eremo Camaldulensi venerabiliter collocata erat, quam tamen negavit, ne aliquid damni in deportatione pateretur.

f Lib. V. ep. 38.

g Ibid. ep. 43.

h Lib. VIII. ep. 85.

Marianus Guccinus procurator ordinis Camaldulensis in curia Romana Michaeli monacho tribuit [i] beneficium suum, quod sub invocatione sancti Nicolai obtinebat in urbe Viterbiensi, ea nimirum conditione, ut ad instar reliquorum beneficiorum manualium eremo Camaldulensi subjiceretur.

i Lib. V. ep. 29.

Monasterium sanctæ Mariæ in Portu Pisauri, quod conditum fuerat seculo præcedenti, pacifice rectum extiterat a monachis sancti Mathiæ de Muriano, qui ipsum ædificaverant; verum jampridem in commendam tributum fuerat cuidam presbytero fratri secretarii ducum Pisauri, intercesserant nihilominus ea pacta, ut beneficium illud acceptum referre debe-

ret

ANN. CHR. 1487.

ret iisdem monachis ſancti Mathiæ, quod minime præſtitum fuit a presbytero. Verum cum hoc anno ob crimen læſæ majeſtatis ultimo ſupplicio affectus fuiſſet ſecretarius presbyteri frater, Ambroſius abbas ſanctorum Decentii & Germani de Piſauro admonitos fecit priorem & monachos ſancti Mathiæ per epiſtolam ſcriptam die duodecima martii. Eodem tenore ſcripſit ea ſuper re Delphinus ad Venturam abbatem ſancti Michaelis de Muriano die XXVII. octobris [a]. Monachi itaque ſancti Mathiæ, quo facilius effectum ſortiretur recuperatio hujus monaſterii, ſequentes impetrarunt a dominio Veneto literas ad ducem & duciſſam Piſauri : *Sicuti accepimus.* M. CCC. LXVI. *quidam nobilis de Piſauro teſtamento ſuo reliquit ven. priori & monachis monaſterii ſancti Mathiæ de Muriano locum quemdam ſeu terrenum in civitate iſta, in qua conſtrui & ædificari poſſet templum & monaſterium ſacratiſſimæ virginis Mariæ, monaſterium ipſum regi & gubernari deberet ab conventu & monachis ſancti Mathiæ prædictis, quod & effectum eſt, & teſtatoris voluntas adimpleta eſt. Nam diu eſt, ex quo monachi & conventus ſancti Mathiæ rexerunt monaſterium iſtud, ac de tempore in tempus miſerunt priores & gubernatores ſuorum monachorum. Sed cum tandem diem ſuum obierit prior dicti loci ſanctæ Mariæ, & presbyter quidam impetraverit in curia Romana contra teſtatoris voluntatem, & inſcio ipſo conventu ſancti Mathiæ, eccleſiam & monaſterium prædictum, hac tamen conditione, ut illud recognoſcere deberet ab ipſo conventu, nunquam tamen comparuit, utpote qui bene & clare cognoſcit injuſte & contra omne jus faſque poſſediſſe poſſidereque, quia falſo aliquid ſedi apoſtolicæ perſuaſit, & illicite contra ipſius teſtatoris mentem & intentionem illud obtinuit. Quæ cum ita ſint, has ad magnificentias veſtras ſcribendas duximus, & ſtudioſe rogamus, placeat cum juſtitiæ & æquitatis cauſa, tum etiam noſtro intuitu efficere, ut presbyter ille expellatur, ita ut conventus prædictus ſancti Mathiæ, qui jus & poteſtatem habet in ipſo monaſterio ſanctæ Mariæ ſecundum mentem teſtatoris, reformare & reficere poſſit & valeat eccleſiam prædictam, quemdmodum facere ſolebat, & nobis gratiſſimum erit. Die* XI. *decembris* M. CCCC. LXXXVII. *Sereniſſimus dominus dux ex auctoritate ſua.*

Apud Cornelium in eccleſiis Torcellanis [b] proſtat ſollemnis ſententia judicum *Publicorum*, qua confirmantur hoc anno die XXVIII. ſeptembris ſub Michaele Dalmata priore jura ejuſdem monaſterii ſancti Mathiæ ſuper quaſdam aquas & paludes ei adhærentes. Ut vero loci ambitus ſententiæ vigore firmatus ad poſterorum notitiam derivaret, iconographicam ipſius deſcriptionem diligenter efformari juſſerunt illius ævi monachi, quæ uſque modo in archivo ejuſdem monaſterii diligenter aſſervatur.

Julianus cardinalis & legatus apoſtolicus abbas commendatarius trium monaſteriorum unitorum concedit hoc anno indulgentiam monaſterio & eccleſiæ ſancti Blaſii de Fabriano diebus ſancti Blaſii & ſancti Romualdi.

Maphæus Gherardus patriarcha Venetiarum alias dilargitus fuit viſitantibus & reparantibus eccleſiam ſanctiſſimæ Virginis Annuntiatæ in Equilio apud Cornelium [c].

Bernardus Rubeus protonotarius apoſtolicus permutavit abbatiam ſanctæ Mariæ de Fullina, quam commendatam habebat, cum abbatia ſancti Zenonis Veronæ, cujus commendatarius erat Petrus Dandulus primicerius ſancti Marci Venetiarum; ex archivo ejuſdem monaſterii Fullinatis.

Evangeliſta de Bagaroctis Placentinus prior generalis ordinis ſancti Silveſtri, & vicarius ac procurator Juliani ſancti Petri ad Vincula abbatis commendatarii cardinalis contulit Bernardino Thomæ Torelli de Venetiis plebem

a Lib. V. ep. 32.

b P. III. p. 148.

c Ibid. pag. 423.

plebem & ecclesiam sancti Venantii de Albacina vacantem per obitum Jacobi monachi Camaldulensis. Datum Fabriani apud monasterium sancti Benedicti de Castellare suæ solitæ residentiæ anno M. CCCC. LXXXVII. indictione V. martii XXIV. Innocentii VIII. anno III. Is erat etiam, ut mox vidimus, vicarius Petri Delphini prioris generalis Camaldulensis; ex paginis Fabrianensibus.

ANN. CHR. 1487.

Ex historiis Foro-liviensibus hoc anno Matthæus de Menghis protonotarius apostolicus archidiaconns Foro-liviensis & commendatarius ecclesiæ sancti Salvatoris Camaldulensis ordinis concessit dictam ecclesiam abbati sancti Apollinaris in Classe & sancti Severi de Ravenna ; Andreolo de Ruffis notario.

Ictum fœdus inter pontificem, Venetos & Florentinos refert hoc anno Delphinus in epistola 24. libri V.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi M.CCCC.LXXXVIII. *ad annum* M.D.

ANN. CHR. 1488.

I. De monasterio S. Sepulcri Bergomense.



ABBAS quidam ordinis Vallis-umbrosæ [a] cupiens a commendarum periculis eruere monasterium suum sancti Sepulcri de Astino, quod juxta Bergomum situm erat, atque in eo regularem observationem instituere, ipsum tandem uniendum cum congregatione nova Camaldulensium sancti Michaelis decrevit. Tentaverat enim sæpius, ut per sui ordinis monachos reformaretur; verum obstante senatus Veneti decreto, quo olim cautum est, ne ibidem alienigenæ, sed tantum ditioni Venetæ subjecti commorari permitterentur, deficientibus his, adhæsit monachis sancti Michaelis, qui cupientes pro viribus tum commodo, tum honori religionis consulere, admiserunt facile optimam abbatis voluntatem. Quoniam autem hujus unionis privilegium Romæ implorandum erat, impetrarunt monachi sancti Michaelis die trigesima aprilis ab Augustino Barbadico Venetiarum duce, & a Senatu Veneto in Rogatis literas ad Sebastianum Baduarium, & ad Bernardum Bembum doctorem equites oratores in Curia Romana, ut hocce negotium tractarent, & privilegium unionis a pontifice obtinerent. Præ ceteris operam suam omnem impendit Ursinus de Rota doctor [b], & Balsarinus Bergomensis [c], qui erudiendæ tenerioris ætatis in monasterio sancti Michaelis curam susceperat. Delphinus vero præter epistolas scriptas cardinali protectori & præfatis oratoribus [d] rem quoque commendavit Marco Barbo cardinali sancti Marci [e], ejus opem implorans, quandoquidem res pertractanda erat in consistorio, atque per summum pontificem decernenda. Sed res ad votum non cessit, obsistentibus tum Blasio Milanesio abbate generali congregationis Vallis-umbrosæ, tum cardinale, qui protectionis munere fungebatur in ea congregatione.

a *Lib. V. ep.* 58.

b *Ibid. ep.* 54.

c *Ibid. ep.* 59.

d *Ibid. ep.* 55. *& seq.*

e *Ibid. ep.* 92.

II. Innocentii VIII. bulla pro congregat. S. Michaelis.

IMPETRARUNT quidem patres novæ congregationis Venetæ ope ejusdem dominii ab eodem pontifice Innocentio VIII. confirmationem & extensionem bullæ Sixti IV. de uniendis Venetis monasteriis, ac de reducendis abbatibus ad triennale regimen; quæ confirmatio exarata fuit XIII. kalen-

kalendas aprilis pontificatus sui anno IV. Recepta Innocentii bulla, patres primum suum convocarunt capitulum, constitutionesque edidere pro norma, conservatione & augmento novæ congregationis, quæ una cum annualibus & triennalibus capitulis exinde celebratis collectæ asservantur in libello archivi sancti Michaelis de Muriano. In hac Innocentii bulla illud superadditur, quod abbates, qui in Sixti diplomate ad triennium erant eligendi, deinceps eligantur & præsint dumtaxat ad annum.

Ann. Chr. 1488.

III. Monasterii Lucensis invasio facta a laicis.

ELEGERAT Delphinus [a] novam abbatissam sancti Petri de Luco Christophoram lectissimam feminam, evocatam e parthenone Prato-veterensi, exauctorata jure Scholastica abbatissa, quæ reatum suum agnoscens, ultro per notarium cesserat regimini. Verum hujus propinqui potentissimi cives Florentini indigne ferentes privatam dignitate Scholasticam, multitudine armatorum monasterium cinxerunt, scalisque parieti appositis in turrim primum evaserunt, postea ad moniales temeritate impudentissima descenderunt. Quo facto ceteræ moniales accersierunt continuo propinquos suos, & perexiguo temporis momento utrinque ad quingentos viros convenerunt, ita ut in maximo discrimine res verteretur, ne effusione sanguinis sacri virginum illarum violarentur obtutus. Conati fuere fratres depositæ abbatissæ persuadere electæ, ut officio se abdicaret, daretque locum priori abbatissæ. Sed illa imperterrita immobilis permansit, præsentique animo minata fuit illis, significaturam se dominio Florentino, quid egissent, daturosque pœnas violati, in quod tam licenter irruperant, monasterii. Missus est confestim dominii nomine, qui pulsis auctoritate publica laicis monasterium tueretur. Propinqui tamen exauctoratæ abbatissæ impetrarunt a pontifice, ut ea in possessionem loci restitueretur, donec a judice, cui causæ cognitio demandata fuerat, constitutum fuisset, an jure esset regimine privata. Accessit Lucum notarius cum pluribus testibus & cum sexaginta armatis, denuntiavitque abbatissæ electæ & monialibus voluntatem pontificis; ipsæ tamen provocarunt; causaque delegata fuit cardinali Senensi protectori. Non defuit Delphinus, qua epistolis, qua opera infractum pectus ostendere adversus potentissimos cives, & contra oratorem præsertim Florentinum in Curia Romana, qui ejectæ abbatissæ favebat. Scripsit cardinali sancti Marci, cardinali Neapolitano, oratoribus Venetis Sebastiano Baduario & Bernardo Bembo. Romam quoque petiit, ubi etiam orationem habuit coram Innocentio VIII. causamque remotionis factæ a se strenue defendit. Devoluta fuit causa ad auditores Rotæ, ipsamque commendavit tum episcopo Alexandrino, tum Felino Sandeo, episcopo pariter Volaterrano, Petro de Accoltis auditoribus Rotæ, Dominico Trivisano oratori Veneto, cardinali Mediolanensi. Prosecutionem hujus facti referemus ad annum 1490.

a *Lib. VI. ep.* 51. 71. *& seqq.*

IV. Abbatia Parentina ordini erepta.

OBEUNTE Johanne de Claris abbate sancti Michaelis de Lemmo in Histria [b], Bonaventura abbas sancti Michaelis de Muriano delegatus a Delphino & favente dominio Veneto, novum in eo monasterio abbatem Nicolaum monachum elegit, e contra Nicolaus Francus episcopus Tarvisinus legatus tunc apostolicus in eodem Venetiarum dominio in possessionem hujus abbatiæ immisit Johannem-antonium Paverum episcopum Parentinum, cujus cathedrali ecclesiæ abbatiam vi legationis adjunctam voluit, qui statim acerrimam litem movit abbati electo & Johanni ejus successori, ac congregationi Camaldulensi, quæ pluribus annis exarsit, ut liquet ex epistolis Delphini. De legato Franco habet idem Delphinus [c], *quod si emere episcopatum non timuit, hoc de marsupio suo faciat, non de oblatione sancti Romualdi*; alibi tamen laudat tanquam virum doctissimum

b *Lib. VII. ep.* 23.

c *Ibid. ep.* 51.

Ann. Chr. 1488.

ctissimum & gravissimis moribus præditum; aliquando etiam carpit ingratitudinis, quod cum per triennium hospes fuerit in monasterio sancti Michaelis de Muriano, mala pro bonis rependerit.

a Lib. VI. ep. 81.

Restituta fuit hoc anno [a] ordini Camaldulensi abbatia sancti Hilari de Galeata, quam sibi commendatam cupierat multoties reddere, & reddidit Agnellus protonotarius.

Innocentius VIII. commisit Simoni Biblenensi abbati sancti Michaelis Pisarum, ut abbatem sancti Hieronymi de Agnano ordinis Montis-oliveti induceret in possessionem ecclesiæ sancti Petri ad Vincula Pisarum, quam univerat abbatiæ sancti Hieronymi. Ex archivo sancti Petri ad Vincula.

b Ibid. ep. 92.

Perusina legatio [b] commissa fuit hoc anno Francisco Piccolomineo Senensi congregationis Camaldulensis protectori.

Ann. Chr. 1489. V. Rumor de Cardinalatu Delphini.

HOc anno, dum Venetiis erat, increbuerat rumor Delphinum ad cardinalitiam dignitatem quamprimum esse promovendum; petierat siquidem Venetum dominium a pontifice, ut unum ex patritiis suis Venetis, quem ipse maluisset, ad cardinalatum eveheret, factaque fuerat de Delphino cum aliis aliquot mentio a pontifice & a cardinalibus; Cardinalis quoque sancti Marci diligentius perquisierat de Delphino a Mariano Cuccino. Afflictus his rumoribus Delphinus orationes omnium depoposcit, ut Deus a se averteret hanc, quam judicabat ærumnarum & plenam periculi dignitatem, sed eo effectu, ut sinceras omnino constet fuisse ipsius preces: *Septimus hic est dies*, inquit ad Johannem Majorem eremi [c], *ex quo Venetias applicuimus incolumes. Ubi primum e navicula descendi, excepit me novus quidam & inopinatus nuncius, & qui salutem meam in maximo discrimine constituturus sit, si quemadmodum mihi relatum est, sic esset futurum. Fieri jubebis ab omnibus coeremitis tuis preces pro me sine intermissione ad Deum, quia revera nunquam magis indigui. Neque hoc semel tantum fiat, sed & quotidie, & singulis sæpenumero diebus, idque tum in Missarum celebrationibus, tum in orationibus privatis. Jubebis fieri*, ait ad Lucam abbatem sancti Viriani vicarium [d], *pro me ab omnibus orationes ad Dominum, ne premi supra vires permittat exiguitatem meam, atque ante omnia dignetur salutis meæ habere rationem, quam uti ex multorum rumoribus didici, in maximo versari discrimine video*. Idipsum Benincasæ suppriori [e], *sine intermissione orate, quoadusque periculo eximar*. Mariano autem procuratori, qui hortabatur, ut Delphinus scribi e Venetiis faceret commendatitias pro se literas ad pontificem, respondit [f]: *Absit a me hoc peccatum in Domino. Judicio, non prece eligendus est, qui cardineo titulo censendus est dignus. Quod nimirum si effectum fuerit, alii hic magistratus demandabitur, non mihi, qui profecto nec hoc, quem gero, nec longe minore dignus sum. Me vero extolli cum salutis meæ periculo pro sua pietate minime patiatur*. Legatur epistola 85. libri V. & 90. libri VIII. ad episcopum Patavinum Barotium, in qua refert cardinalem Senensem se per unius horæ spatium detinuisse in hoc sermone; se vero respondisse, non *quærere*, *non petere*, *non cupere*, & Gadolo, cui intentio pontificis manifestata fuerat ab oratore Veneto, respondet: *Cardinalatum non quæro, non appeto. Tu vero cave, ne dum aliquid pro me agere videris, contra me facias*. Cum vero mense aprili sequentis anni coactus fuisset idem Delphinus Romanam urbem adire, hæc ipsius profectio caussam obloquendi nonnullis dedit, illum iccirco Romam contendisse, ut cardinalis fieret. Testatur in superiore epistola ad Barotium, se pro negotio

c Lib. VII. ep. 74.

d Ibid. ep. 75.

e Ibid. ep. 76.

f Ibid. ep. 78.

tio parthenonis Lucensis coactum Romam ivisse; de cetero Deum invocat, se *nunquam verbo, nunquam facto, nunquam cogitatione, non literis, non interaunciis aliquando ad cardinalatum aspirasse, cum multi hoc anno, ex quo de me cum aliis facta est cardinalatus mentio, instantius suaserint mihi, ne tantæ promerendæ adipiscendæque dignitatis occasionem negligerem.*

Ann. Chr. 1489.

VI. S. Jo: baptistæ de Faventia & Classense monasteria adjuncta congregationi Venetæ.

Obiit hoc anno VI. septembris [a] Rodulphus Missirolius prior per triginta & duos annos monasterii sancti Johannis-baptistæ de Faventia. Cupierat ipse, dum viveret, monasterium suum adjungere congregationi Venetæ, eo vel maxime, quod manuale beneficium monasterii sancti Mathiæ de Muriano esset ipsius prioratus. Id factum est post ejus mortem impetrato pontificio privilegio [b] opera Bernardini Gadoli a Venetis in Urbem destinati. Eadem occasione [c] egit Gadolus, usus præsertim opera Dominici Trivisani oratoris Veneti in curia Romana, ut abbatiam Classensem, qua juste privatus fuerat Urbanus Malumbra ob non solutam pensionem cardinali Parmensi, incolumem servaret, cum eadem tamen pensione, congregationi Venetæ, cui jamdudum addicta fuerat ex indulto apostolico, quo cavebatur, ut quandocumque contingeret locum illum vacare, eidem congregationi Venetæ subjectus intelligeretur. Anno itaque [d] 1492. a Veneto Senatu, composito negotio pensionis cum eodem cardinale, patribus Venetis data fuit possessio monasterii Classensis.

a *Lib. VII. ep.* 97.

b *Lib VIII. ep.* 24.

c *Lib. VII. ep.* 90. & *seq.*

d *Lib. VIII. ep.* 60.

In iisdem Delphini epistolis habemus Johannem Mediceum Laurentii filium cum aliis quinque electum fuisse hoc anno [e] S. R. E. cardinalem, cui per epistolas Delphinus gratulatur. Germanum [f] fratrem magni Turcarum imperatoris Romam ingressum esse, & in consistorium admissum, renuisse tamen deosculari manus summi pontificis.

e *Ibid. ep.* 54.

f *Ibid. ep.* 61.

VII. Maphæus Gherardus designatur S. R. E. cardinalis.

Præter electionem Medicei & quinque aliorum patrum purpuratorum factam ab Innocentio VIII. mense martio hujus anni, secretissima electione cooptavit inter S. R. E. cardinales titulo sanctorum Nerei & Achillei Maphæum Gherardum Venetiarum patriarcham, cujus optimi præsulis virtutes illi innotuerant. Breve apostolicum suis literis adjunctum decemvirali consilio misit Dominicus Trivisanus eques & pro Senatu Veneto orator ad Romanum pontificem, ut liquet ex sequentibus literis eidem oratori die XIII. julii ab iisdem decemviris scriptis: *Binas*, inquiunt, *literas vestras diei* III. & V. *instantis capitibus consilii nostri* X. *inscriptas accepimus, quibus literis diei* V. *adjunctum fuit breve apostolicum, quo, sicuti etiam per ipsas vestras intimata nobis secretissime fuit electio & denominatio per beatitudinem summi pontificis de unanimi reverendissimorum dominorum dominorum cardinalium consensu facta de persona reverendissimi domini patriarchæ nostri Venetiarum in istius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyterum cardinalem, quod certe nobis fuit gratissimum intellexisse. Volumus igitur & cum consilio nostro* X. *mandamus vobis, ut captato tempore beatitudini præfatæ secretas, ceterum uberes & reverentes gratias habere in nomen nostrum debeatis, declarando sanctitati suæ, quam reverenti animo audiverimus hujusmodi denominationem in personam præfati reverendissimi domini patriarchæ nostri ob singularem viri probitatem, vitæ sanctimoniam & pietatem. Demum affirmabitis sanctitati præfatæ electionem hujusmodi restaturam apud nos secretissimam, & non exituram penetralia dicti consilii nostri* X. *sicuti beatitudo sua ex sapientissimis respectibus mandat, expectaturi opportunum tempus publicationis, quo tempore & apertius & copiosius utemur officio nostro cum sanctitate sua, sacratissimoque cœtu istorum reverendissimorum dominorum dominorum cardinalium, quam bene exoratam cupimus, ut quod tam clementer dignata est illi in nostram gratiam*

ANN. CHR. 1489.

tiam indulgere, quanto fieri potest celeriter, ex toto impleat ad majorem nostram totiusque civitatis nostræ gratificationem. Maphæi electionem promulgare distulit Innocentius, & morte correptus, ipsum privatim & solummodo per viam secretam purpuratis patribus adnumeratum reliquit, ut ad annum 1492. Innocentii emortualem dicemus.

VIII. Historia aliquot monasteriorum.

Ex chartario sancti Michaelis de Muriano, antequam Urbanus Malumbra regimine Classensi exauctoraretur, die XVII. januarii monasteriis sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano tamquam procurator Petri Boldù abbatis sanctæ Mariæ ad Carceres exhibuit hocce monasterium in congregationem deducendum; res tamen dilata est, & dilatio lites acerrimas peperit eidem congregationi ad plurimos annos.

Michael Dalmata prior sancti Mathiæ de Muriano contulerat prioratum sanctorum Mathiæ & Catharinæ de Foro-livio quondam appellatum, nunc vero sancti Salvatoris, manualiter subjectum Murianensi suo cœnobio, Michaeli de Verona monacho Camaldulensi; Matthæus autem de Menghis clericus & archidiaconus Foro-liviensis ipsum in commendam acceperat ex dispositione apostolicæ sedis. Obeunte Matthæo, & consequenter redeunte prioratu ad ordinem, Johannes Traguriensis prior ejusdem monasterii sancti Mathiæ ipsum denuo contulit eidem Michaeli monacho hoc anno M. CCCC. LXXXIX. indictione VIII. die XXVII. octobris; ex tabulario sancti Salvatoris Foro-livii.

Capitulum ecclesiæ Lateranensis, consensu & auctoritate Juliani episcopi Britonoriensis vicarii generalis Juliani cardinalis Ostiensis majoris pœnitentiarii & archipresbyteri Lateranensis concesserunt ecclesiam sanctæ Trinitatis de Faventia Benedicto de Mustulis monacho Camaldulensi, apposito censu duarum librarum ceræ. Datum Laterani anno M. CCCC. LXXXIX. pontificatus Innocentii VIII. anno quinto die XXV. novembris. Sexto kalendas decembris Innocentii anno VI. cardinalis Aleriensis confirmavit possessionem acceptam ab eodem Benedicto, qui supplicem libellum obtulerat Romano pontifici, & exposuerat capellam hanc teneri consuetam per clericos seculares, vacare obitu Rodulphi Jacobini monachi Camaldulensis. Ecclesiæ præpositus Benedictus a communitate Faventiæ expetiit massas lapidum existentium apud locum, olim ecclesiam, quæ vocabatur de Stradella, & apud sanctum Lazarum loco dicto Petra-forata, & columnam pro imponenda Cruce ad ædificandam ecclesiam sanctæ Trinitatis, assensum præbentibus antianis Faventinis die ultima februarii anni 1497.

Licet Gadolus obtinuisset ex Urbe privilegium pro uniendo monasterio sancti Johannis-baptistæ de Faventia congregationi Venetæ, quamvis etiam Johannes prior sancti Mathiæ de Muriano Philippum Faventinum monachum in priorem dicti monasterii elegisset, Scipio de Manfredis clericus ex principibus Faventinis obtinuit a Romana curia commendationem ejusdem prioratus hoc ipso anno.

ANN. CHR. 1490.

IX. Recrudescit persecutio in monasterium Lucense

a Lib. VIII. epp. 49. 52. 53.

RECRUDUIT hoc anno insultus factiosorum in monasterium Lucense [a]. *Mense februarii hujus anni summo mane sequentis diei, quo Dominica illuxerat, viri ad nonaginta armati omnes hinc admotis parietibus scalis, inde tribus munitissimis foribus perfractis, non secus ac si in rebelles & reipublicæ hostes sævirent, monasterium irruperunt. Quis reliqua sine lacrymis memoret? Excepti a monialibus ingenti ejulatu vesani illi furia invecti ac toto pectore debacchantes non solum a nefandissimis turpissimisque contumeliis haudquaquam pepercerunt, sed ne manibus quidem. Has impingunt in parietes, illas etiam verberibus affectas allisis in terram certi-*

vicibus prosternunt, alias nudatis gladiis adorti ac sagittis, & lanceis ad virginalia pectora minaciter admotis, consternatas terrore & semineces relinquunt. Ventum tandem est ad monasterii matrem, quæ una ex omnibus potissimum petebatur. Quot probris, quot ludibriis primum illam affecerint, taceo, injectis demum in illam sacrilegis manibus, cum utique & ætate, & mala valetudine esset infirmior, repugnantem atque invictam læso altero brachio, ac anulo manu extorto e monasterio extraxerunt, atque in abjectissimas ædes cœnobio contiguas stabulum magis quam habitaculum hominum referentes violentissime intruserunt. Sustulerunt inde e monasterio triticum & vinum aliaque victui necessaria. Adiit hoc nuntio admonitus Delphinus dominium Florentinum, Laurentiumque Mediceum, nihilque profecit. Adaucti armati ad quingentos monasterium obsidione cinxerunt ad plures dies sumptibus ipsius loci. Altera ex his noctibus tam crebris vastisque tremoribus concussa fuit circa monasterium & contremuit terra, ut expergefacti e somno homines armati sub divo consisterent. Bis remisit ad Delphinum primarius civis factionis princeps, nequaquam speraret, se restituturum abbatissam in monasterium, cui respondit Delphinus se laboraturum constantissime pro viribus, ne prima abbatissa ejecta in gradum assumeretur, moniales paratas sanguinem etiam fundere pro justitia. Contendit iterato Romam Delphinus [a], expositaque monasterii Lucensis invasione, retulit a Romano pontifice commiserationem, & brevia translationis causæ ex Rota, ubi periclitabatur ex corruptione testium, ad cardinalem Senensem, revocata altera bulla restitutionis pristinæ abbatissæ, quam extorserant adversarii, & obtentis duobus brevibus ad dominium Florentinum & ad Laurentium Mediceum pro redintegratione subrogatæ sanctissimæ abbatissæ. Extant hujusmodi brevia in tabulario Fontis-boni [b] data die sexta maji, quibus Innocentius monet priores libertatis & vexilliferum justitiæ, ut statim laicos amoveant, qui violenter intraverant monasterium Luci. Res ita demum composita est, ut abrogata utraque abbatissa tertia eligeretur, quæ pacifice monasterii regimen suscepit.

ANN. CHR. 1490.

a *Lib. VIII. ep.* 61.

b *§. Brevia*.

X. Monaster. S. Jo: baptistæ de Faventia per vim occupatum.

MONASTERIUM sancti Johannis-baptistæ de Faventia, quod multo congregationis Venetæ labore & sumptu anno præcedenti redemptum fuerat, Delphini & Gadoli intercessione & opera, Faventini populi assensu & favore, atque benignitate pontificis eidem congregationi unitum, ac in regularem vitam reformatum [c], triduo antequam secunda vice monasterium de Luco invaderetur, a Scipione Manfredio Galeotti filio, & tunc imperantis Astorgii Faventini principis fratre pari utique ac majore etiam violentia occupatum est. Siquidem patefactum per vim atque confractum monasterii ostium cum armatis multis ingressus, producta bulla quadam minime plumbata monasterium invasit, ejectis inde monachis omnibus cum priore, quem præsidem dederat congregatio Veneta. Ante biennium die IX. augusti initiatus fuerat prima tonsura in monasterio monialium sancti Maglorii de Faventia Scipio a Baptista de Canonicis episcopo Faventino.

c *Lib. VIII. ep.* 49.

Opitergino similiter sancti Martini cœnobio inhiabant patres ordinis Minorum de observantia; verum obtento privilegio, quo dabatur Delphino facultas abrogandi loci priorem, suffectus fuit alter prior, Simon nimirum Bergomensis monachus sancti Michaelis, qui possessionem monasterii adire permissus est.

Vigesima-nona maji commisit Romanus pontifex abbatibus sancti Michaelis de Arretio & sancti Bartholomæi de Anglario, ut longævam consuetudinem suscipiendi Corpus Christi die sollemni ejusdem festivitatis ex quadam capella fratrum sancti Augustini oppidi Montis-sancti-Sabini Val-

lis

Ann. Chr. 1490.

lis Clanarum, & deferendi processionaliter per ipsum oppidum, ac demum reportandi ad dictam capellam facerent inviolate observari per rectorem parœcialis ecclesiæ ipsius oppidi; ex archivo Fontis-boni [a].

Ex Fortunio [b] Justus olim prior sancti Marci, nunc vero abbas sancti Justi Volaterrarum recognovit hoc anno reliquias sanctarum Actiniæ & Græcinianæ; altare autem sancti Justi picturis decoravit Andreæ Grillandarii manu expressis.

a §. *Brevia*.
b *P. II. lib. II. c.* 8.

Ann. Chr. 1491.

XI. Restituta ordini abbatia Parentina.

Causam abbatiæ Parentinæ sancti Michaelis de Lemmo obtentæ ab episcopo Parentino, commissam prius discutiendam Petro Barotio episcopo Patavino, deferre coacta fuit congregatio Veneta ad auditores Rotæ. Pugnatum utrimque fuit triennii spatio, tandem [c] mediatoribus tum duce Veneto Augustino Barbadico, tum aliis patritiis viris, tum etiam cardinale Senense protectore libera dimissa fuit abbatia ab episcopo, præfecto ipsi in abbatem monacho Camaldulensi.

c *Lib. X. ep.* 7. 29. 30.

XII. De cardinale Aleriensi eremum Camaldulensem adeunte.

Delphinus in epistola ad Bernardinum Gadolum [d] narrat *abdicasse se his diebus cardinalatu dominum Aleriensem* (Ardicinum de Porta juniorem) *abdicasse episcopatu, & beneficiis omnibus, quæ possidebat*; scripsisse *bis* [e] *oratorem Florentinum, qui Romæ erat, ad dominium* ea super re, *& nunc cardinalem esse apud Montem-olivetum juxta Senas, indeque postulasse a pontifice commeatum migrandi ad eremum Camaldulensem, adfuturumque intra mensem junium*. Monachi Mont-olivetenses, Lancellottus in primis [f] cardinalem Aleriensem suum faciunt, eo quod paucis diebus apud ipsos substiterit; æquiori ratione ipsum inter suos Camaldulenses reponunt, cum voto & intentione Camaldulensis fuerit. Extat de recessu ejusdem cardinalis Canetii nostri contra Olivetanos dissertatio. Sed neque apud Montem-olivetum, neque apud Camaldulum diutius substitit Aleriensis [g]. *Romam rediit revocatus ab itinere a pontifice, nec est permissus, ut quo animum intenderat bonus ac pius pater, eo perveniret. Elegerat pacatissimum vitæ genus, ut eremum Camaldulensem incoleret, Hieronymum æmulatus. Et ecce invidit tam religioso proposito spiritus nescio quis, invidit quoque nostræ omnium communi ædificationi. Repetere urbem icciroo forte jussus est, ut probetur spiritus, an ex Deo sit*, ut in alia epistola ad eumdem Gadolum optime conjicit idem Delphinus. Ughellius [h] ait Innocentium pontificem permisisse Ardicino ire ad eremum Camaldulensem, sed postea revocasse. Rondininus [i] in historia ecclesiæ sanctorum Johannis & Pauli scribit ad Camaldulenses transiisse; Ciacconius & ejus correctores Camaldulensem habitum recepisse, quod non dicit Delphinus. Odoricus Raynaldus [k] ad annum 1492. habet decrevisse cardinalem Camaldulensium institutis se totum addicere, abjectis curis omnibus, & ægre rem ferentes alios cardinales revocandum eum a pontifice curasse. Videtur Aleriensis hoc ipsum tentasse etiam anno sequenti ex epistola ab ipso e Roncilione ad pontificem die XXII. junii anni 1492. qua pontificis voluntatem & permissionem sine consultatione sacri collegii sufficere putat pro relaxanda facultate ingrediendi & profitendi religionem. Romam reversus Ardicinus obiit sub Alexandro VI.

d *Lib. IX. ep.* 100.
e *Lib. X. ep.* 4.
f *Pag.* 57.
g *Ibid. ep.* 9.
h *T. III. col.* 504.
i *Pag.* 190.
k *Num.* 22.23.

XII. Memorabilia sub anno 1491. relata a Delphino.

Duo tristia ex epistola Delphini ad Johannem Majorem eremi [l] hoc anno, *allata fuere: Romæ per hos dies apparuisse dicitur diabolus fratri cuidam ordinis Minorum, quem dicunt fuisse magicæ artis studiosum. Huic se obtulit nequam spiritus, facturum se illum pontificem, si in ignominiam Christiani nominis baptismum eucharistiamque asino exhiberet. Seductus miser, & ea sponsione illectus perpetrare nefandum scelus minime abhorruit.*

l *Lib. IX. ep.* 66.

Quo facto elapsum continuo e manibus sacrilegi jumentum, atque tamdiu hianti & aperto ore huc atque illuc per urbem velut furia invectum pergit discurrere, donec sacrosanctam, quæ sive palato, sive faucibus hæserat, hostiam reddidit. Deprehensus tam inauditi criminis reus & confessus quid egisset, vivus incendio concrematus est. Alterum triste, quod scribit, est mors Marci Barbi cardinalis sancti Marci. *Scis ipse*, inquit, *quantæ integritatis & sanctimoniæ vir fuerit, quanta morum gravitate præditus, quam justitiæ tenax. Decus nimirum existimabatur Romanæ curiæ, ac splendidissimum ecclesiæ lumen*. De eodem cardinale cum laude multa prosequitur in alia epistola ad cardinalem Senensem [a]. Obiit mense februario vel martio, cum literæ Delphini ad Johannem & ad cardinalem datæ sint VII. & XII. martii. Quare rejicienda eorum opinio, qui ex fide etiam inscriptionis sepulcralis defunctum Marcum cardinalem scribunt die XII. martii anni 1490. Erat insuper patriarcha Aquilejensis, & commendatarius abbas fuerat abbatiæ sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina. Post Marci decessum Romanus pontifex Innocentius in patriarcham Aquilejensem creavit Hermolaum Barbarum doctissimum virum, oratorem tunc Veneti Senatus in curia Romana, filium Zachariæ equitis & procuratoris divi Marci: quam electionem improbavit Venetus Senatus, minimeque permisit Hermolao ejus ecclesiæ possessionem adire. Factum hocce memorat idem Delphinus in epistola ad Gadolum [b]: *Hermolai Barbari equitis oratoris casum clarissimi viri, atque ætate nostra ingenio & doctrina eminentissimi, qui promotus a summo pontifice ad patriarchatum Aquilejensem laicus adhuc & nullis sacris initiatus, a Veneto Senatu admissus non fuit, perquam moleste tuli; id tamen temere factum* non putat, *quod in Hermolaum Senatus animadverterit, cujus judicium puerile non est, aut unius arbitrio quidquam ibi non decernitur; regunt apud illos, non reguntur leges, pro servata justitia non possunt non commendari*. Idem senatus abrogato Hermolao vel sponte cedente, ut habet Delphinus in epistola ad Ugolinum Verinum [c], & VII. martii accepta a pontifice potestate, Nicolaum Donatum episcopum Æmoniensem in patriarcham suffecit, qui paucis suffragiis eumdem Delphinum superavit, postulatum etiam ipsum ad Aquilejensem patriarchatum; *idque propterea, quod promissum illi*, nempe Nicolao, *fuerat antea primum beneficium vacaturum*; alias futurum erat Delphini, qui tamen magna animi moderatione congaudet onus illud sibi impositum non fuisse.

ANN. CHR. 1491.

a Ibid. ep. 68.

b Ibid. ep. 92.

c Lib. X. ep. 8.

XIV. Congesta aliquot Camaldulensia monumenta.

CUM Ugolino Verino Florentino arctam amicitiam contraxit hoc anno [d] idem Delphinus; laudat ejus, & Michaelis filii ipsius carmina, quem prædicat virginem adolescentiæ vix limites egressum in Domino obdormiisse. Memorat etiam Verini poema [e] inscriptum *Carliados*, in tres partes divisum *de inferno, purgatorio & paradiso*. In epistola [f] ad Gadolum mentionem facit Pici & Politiani, qui erant Venetiis, atque ibidem a viris doctis maximi fiebant: *Egregium par, & quo nostra ætate nihil eruditius; magno uterque ingenio, singulari eloquentia, æquali judicio*.

Cum Innocentius VIII. anno elapso transtulisset monasterium hospitalis sanctæ Mariæ de Plavi ex ordine Cisterciensi, juraque & redditus ipsius tribuisset parthenoni sanctæ Mariæ-angelorum de Muriano, sed statuisset, ut ecclesiæ hospitalis deservirent monachi Cistercienses, die XVII. octobris hujus anni Nicolaus Francus legatus apostolicus apud Venetos decrevit, ut deficientibus Cisterciensibus, alii regulares monachi possent ei ecclesiæ inservire, deferendo tamen habitum Cisterciensem, quam etiam condi-

d Lib. X. ep. 2.

e Lib. X. epp. 69. 72.

f Lib. X. ep. 13.

Ann. Chr. 1491.

conditionem abrogavit postea Sixtus V. die XVIII. maji anni 1586., apud Cornelium in ecclesiis Torcellanis [a].

Decima-nona januarii locus sanctimonialium sanctæ Christinæ de Foro-livio unitus fuit monasterio sancti Salvatoris ordinis Camaldulensis ejusdem urbis; ex chronico ms. apud Marchesium.

Obierunt hoc anno Michael & Johannes monachi sancti Mathiæ de Muriano, de quibus Galeottus de Casalibus abbas sancti Hippolyti de Faventia scribens Johanni de Tragurio priori sancti Mathiæ affirmat eos fuisse *speculum religiositatis & sanctimoniæ*.

Innocentius VIII. Bartholomæo Pisano canonico, & abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum commisit revisionem sententiæ latæ a vicario archiepiscopali inter Thomam Nicolai Pisanum civem, & patres Servorum B. M. V. inter opuscula Calogeriana [b].

a T. II. pagg. 311. 318.

b T. XXIX. pag. 323.

Ann. Chr. 1492.

XV. Johannes Mediceus Cardinalis it Romam. Mors Laurentii patris.

PLURA contigere hoc anno, quæ ab epistolis Delphini lumen recipiunt, & in nostros Annales derivamus. Requisitus ipse Delphinus a dominio Florentino, & a Laurentio Mediceo [c] mense februario hujus anni, ut in comitatu iret cardinalis Johannis Medicei Romam proficiscentis, honoris causa ipsum deduxit cum pluribus aliis prælatis. Narrat ergo [d] cardinalem die decima martii ex Fesulana abbatia ingressum fuisse Florentiam indutum primum cardinalitiis insigniis, ubi ei tota civitas & regio occurrit; divertisse ad templum Annuntiatæ Virginis, ad palatium dominii, inde ad paternam domum. Die postera apud sanctam Reparatam sollemnem peractam fuisse Missæ celebrationem, cardinale præsente, ac si ipse summus pontifex interfuisset. Die duodecima ceptum iter, quod describit. Viterbii occurrit ei pontificis filius sororis cardinalis maritus. Bracciani exceptus est in domibus Ursinorum & Virginii comitis; undecimo Kalendas aprilis Urbem est ingressus, deductusque ad pontificem, inde ad omnes S. R. E. cardinales. Dum hæc Romæ agerentur [e] *nuntiatum est ex Florentia exortam tempestatem die quarta aprilis plurimum aquarum & grandinis excussisse, ictam fulmine laternam testudinis sphericæ templi S. Reparatæ damno viginti millium nummum aureorum. Mane ejus diei, quo hæc vespere contigere apud fanum sanctæ Mariæ novellæ, cum frater quidam de more e suggestu concionaretur, mulierem ex pinzocaris exclamasse videre se taurum ingentem, qui templum esset demoliturus. Ajunt etiam per eos dies leænam suffocasse leonem unum ex majoribus, qui Florentiæ aluntur. Quatriduo post excessit e vita Laurentius Mediceus nona aprilis apud Caregium. Eo defuncto Petrum Leonem ante biennium conductum Patavii salario publico, cum fuisset præcipuus medicus in infirmitate Laurentii, ingressum domum cujusdam civis de Martellis, in puteum se præcipitasse. Concionatores Florentiæ comminari longe graviora.* Laurentii elogium christianamque mortem affert in epistolis ad Guidonem [f] priorem Angelorum ejus confessarium, & ad Petrum ipsius filium Delphinus, cum quo officium pium doloris transigit. Rediit ex Urbe Florentiam Delphinus cum cardinale die decima nona maji, delegata eidem cardinali legatione totius dominii Florentini.

c Lib. XI. ep. 12.

d Ibid. ep. 21. 22.

e Ibid. ep. 23.

f Ibid. epp. 24. 25.

XVI. Mors Innocentii VIII. Maphæus Gherardus cardin. se fert in Urbem.

SEXTA & vigesima die julii [g] naturæ concessit etiam summus pontifex Innocentius VIII. Cardinales aperta schedula, in qua ante triennium scriptum fuerat nomen Maphæi Gherardi patriarchæ Venetiarum designati S. R. E. cardinalis, ipsum ad comitia evocarunt habenda pro electione novi pontificis. Discessit Venetiis Maphæus, admonitusque Delphinus se itineris

g Ibid. ep. 51. & seqq.

itineris socium dedit, sed una die prævenit ingressum ejus in urbem Maphæus, qui quacumque transibat, a populo proclamabatur futurus Romanus pontifex; Romani ipsi nihil aliud objecerunt, quam provectiorem & longævam senectutem. Percantata Spiritus-sancti Missa, & oratione & quidem gravi ab episcopo quodam Hispano (Pacensi) habita Maphæus se in conclavim cum ceteris cardinalibus recepit sexta die augusti. Undecima summo mane prodiit nuntius Rodericum Hispanum vicecancellarium cardinalem electum fuisse vicarium Christi & Petri successorem, qui continuo mutato de more nomine vocatus est Alexander VI. Stephanus Infessura civis Romanus in diariis rerum Romanarum suorum temporum hæc de Maphæo narrat: *Die prima augusti intravit Urbem quidam frater Albus de his, qui sunt apud ecclesiam sanctæ Mariæ-novæ, quem dixerunt fuisse factum cardinalem instantibus Venetis per Innocentium; nondum tamen adeptus erat capellum rubeum, & fuit statim receptus a cardinalibus in cardinalem, & dictum fuit, quod ipsum fecerat venire cardinalis sancti Petri ad Vincula una cum sancti Angeli, pro eo quia per Ascanium curatum fuit venire cardinalem sancti Severini, & vocatus fuit patriarcha Venetus, & erat homo parvæ staturæ & ætatis nonaginta-quinque annorum, & erat adeo senex, quod vix poterat loqui aut ambulare, & ideo movebat caput, quod semper videbatur annuere.* Ex Delphino Maphæus Urbem ingressus est tertio nonas augusti; confundit Infessura Maphæum Camaldulensem monachum cum monachis Olivetanis, qui habitabant apud sanctam Mariam-novam; Innocentius VIII. jure suo creaverat Maphæum & præ ceteris elegerat; senem plusquam nonagenarium facit, qui octuaginta-septem annos habebat. Fidendum itaque non est narrationi Infessuræ, qui insuper scribit Alexandrum factum pontificem *donasse cuidam fratri Albo Veneto nuper assumpto in cardinalatu quinque millia ducatorum auri pro habenda voce ipsius; quod cum primum scitum fuit a Venetis, denegati fuerunt omnes fructus beneficiorum, & mandatum fuit, ne quis ulterius eum amplius associaret.* Quod profecto non cohæret cum sequenti S. C. condito die x. septembris hujus anni apud Cornelium. M. CCCC. LXXXXII. *in Rogatis die* x. *septembris*: *Est conveniens pro omni bono respectu, accedente etiam continentia literarum oratoris nostri in Urbe nunc lectarum, quod in hoc reditu in patriam reverendissimi domini cardinalis patriarchæ Venetiarum, uti debeat omni honorificentia erga personam suæ reverendissimæ dominationis, propterea vadit pars, quod serenissimus princeps ire obviam debeat cum navi Bucinatoria præfato reverendissimo cardinali cum palaschermis solitis. Præcipiaturque patronis nostri Arsenatus, quod apponant omnem diligentiam in aptari faciendo navem Bucinatoriam prædictam, quæ ex illius vetustate amplius supra aquam stare non poterat, & jam nonnullis diebus datum est initium aptamento illius.* Aliquid tamen occasione dictæ electionis obloquutos fuisse Romanos contra Maphæum novimus ex sequenti Delphini epistola [a] ad Gadolum: *Qui per totam Urbem ferantur rumores, immo quam passim ab omnibus in faciem objiciatur nobis, quod factum est, aut si non est factum, pro facto tamen certissime omnes opinantur, sileo. Dehonestata est hominis sanctitas per unius aut alterius corruptam mentem, & in tanta re tales ei socii dati sunt, qui non solum huic urbi, verum & universæ Christianæ reipublicæ scandalum pepererunt. Non scribo tibi apertius, quia non sunt hæc literis commendanda. Et ego certe adeo amaritudine repletus sum, ut vix sim compos mei. Quacumque iter facimus, digito monstramur, subsannamur, illudimur, adeout si commode possem, continuo me hinc proriperem in solitudinem. Quis unquam credidisset, ut tam cito illustratus hic*

a *Lib.* XI. *ep.* 55.

ANN. CHR. 1492.

candor tantam contraxisset maculam aliena culpa? Unius aut duorum crimen multis impingitur, nec vacare potest etiam vir innocentissimus atque integerrimus ob malorum contubernium infamia & nota, qui culpa vacat. Inferius colligemus, quæ ad Maphæi innocentiam faciunt.

XVII. Obitus ejusdem Maphæi cardinalis.

CARDINALIS Senensis suasit Delphino, ut Maphæus cardinalis [a] peteret a Romano pontifice beneficium sanctæ Potentianæ, olim Camaldulensis ordinis, quod per multos annos sanctæ Mariæ Majori unitum huc usque pontifex possederat. Describit deinde Delphinus [b] coronationem pontificis factam in ecclesia Lateranensi, & quid ei ceremoniis fatigato ac de via fesso contigit in ea basilica. *Ægre ascendentem gradus sellæ in loco eminentiori positæ hinc inde duo cardinales diaconi adjuvabant. Conversus ad populum pontifex ubi resedit, immo ubi viribus destitutus super sellam concidit, continuo super collum cardinalis sancti Georgii reclinavit caput; syncope correptum dicunt. Sic exanimatus tandiu immobilis mansit, donec allata aqua conspersus faciem spiritum recepit.* Refert [c] comitia frequentia cardinalium senatus, in quibus galerum rubeum pontifex cuidam episcopo propinquo suo tradidit. Deinde narrat reversionem sui una cum cardinale Maphæo ex Urbe, octavo idus septembris [d], morbum ipsius ex dysenteria & lienterica infirmitate, qua coactus fuit Interamnensi in urbe subsistere. Die duodecima confessus diligentissime, postera singulari devotione Eucharistiam percepit, nil aliud curans, nisi ut sumpto viatico sacrosancto atque ecclesiasticis sacramentis munitus, ex hac lacrymarum valle demigraret, ut [e] scribit Augustino Barbadico principi Venetiarum. Decessit die XIV. septembris secunda & vigesima hora diei [f]. *Decessit autem non secus ac vixit, tanta sane animi intentione in Deum, ut nihil magis desiderasse illum crederes. Moriatur utinam anima mea morte justi hujus, fiantque novissima mea ejus similia.* Deduxit funus Venetias Delphinus. Divertit Ravennam ad monasterium canonicorum regularium sanctæ Mariæ in Portu, elatum de navi funus in templum deportari jussit; Missarum sollemnia ibidem decantata, inde relatum cadaver in navim Venetias deductum ad patriarchalem basilicam hac apposita epigraphe: *Maphæus Gherardus patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque primas S. R. E. cardinalis* M. CCCC. LXXXXII. *Locus carnis proprius terra est.*

a *Ibid.* ep. 54.
b *Ibid.* ep. 58.
c *Ibid.* ep. 60.
d *Ibid.* ep. 61.
e *Ibid.* ep. 64.
f *Ibid.* ep. 65.

XVIII. Ipsius vita ex epistola Delphini.

ANNO 1515. idem Delphinus Antonio Contareno patriarchæ Venetiarum sequentem dedit prolixam epistolam, quam, utpote quæ continet Gherardi elogium, immo totam ipsius vitam describit, non gravamur subjicere: *Requisivit a me per internuncium dignatio tua, ut cum olim fuerit colendissimus patriarcha Maphæus Gherardus antecessor tuus in nostro Camaldulensi ordine professus, atque in cœnobio sancti Michaelis Murani multos vixerit annos, summatim ei significem quidquid de vita & moribus ejus agnoscerem. Ego vero, ut scias, cum occasione generalatus diutissime abesse mihi Venetiis contigerit, proculque ab eo per multum temporis in Etruria vitam duxerim, haud plene mihi videor posse me piissimis votis tuis satisfacere. Sed quoniam totius vitæ ejus seriem per absentiam meam describere certius nequeo, præsertim quomodo se in præsulatu tot annorum gesserit, duo tamen tempora complectar, quibus domesticus ejus fui, & familiari ipsius contubernio usus sum. In iis, quæ fuerit vita patris nostri, qui interes ac studia fidele testimonium perhibebo dignationi tuæ, ac de ipsius integritate & sanctimonia, quæ mihi modo succurrerint, religiose ac vere memorabo. Siquidem ab eo ad religionem admissus, quo tempore ipse huic monasterio præerat, annis sex sub ejus magisterio institutus atque educatus sum. Deinde post adeptum patriarchatum, quo senatus Venetus suis suffra-*

fragiis dignissimum Maphæum judicavit, cum promotus ad cardinalatum iturus in Urbem foret, persuasus ego ab amicis conveni ipsum Romæ, fuique apud illum usque ad extremum vitæ ejus diem. Itaque ut ab eo tempore incipiam, quo primum sub ejus disciplina instituendus me ad cœnobium contuli, præfuerat abbas sancti Michaelis monasterio annos sexdecim. Erat enim tunc vetus loci consuetudo, ut perpetuus abbatibus magistratus demandaretur. Quantum vero in religione privatus fuerit monachus, non satis novi; nisi quod jam adolescentiam excessisse, atque adultus & vir factus e seculo vocatus ferebatur. Ut iccirco merito existimandum sit, ipsum maturo consilio hoc præcipue monasterium elegisse, ut eo ferventius redderet Altissimo vota sua, quo districtius instituti monastici in illo propositum servabatur; idque potissimum cura & diligentia patris optimi atque integerrimi Pauli Venerii abbatis, qui singulari religione ac pietate per septem ac quinquaginta annos in administratione loci perseveravit. Hujus tanti viri provocatus exemplo Gherardus adeo constanti gressu illius semper vestigia sequenda putavit, ut post Pauli obitum in locum ejus subrogatus non solum conservandum eumdem vitæ rigorem, quem invenerat, verum & augendum decreverit. Referebant tunc mihi seniores monasterii, ipsum sine intermissione studiosissimum fuisse monasticæ observationis, semperque eumdem se exhibuisse in custodia regulæ, neque aliquando ab ea sive ad dexteram, sive ad sinistram declinasse, quemadmodum & ego progressu temporis experimento cognovi. Nihil enim adeo in illo admiratus sum, quam perseverantiam ipsius haud minus in rebus exiguis, & quæ ad ceremonias tantum ordinis pertinerent, quam in reliquis, quæ majoris forent difficultatis ac momenti. Si quis eum in choro in primis & refectorio, ac monachorum congressu contemplatus fuisset, nihil eo in moribus elegantius merito fateretur. Age vero in iis, quæ potiora existimantur in religione, & graviora ac laborum plena, utpote vigiliæ, jejunia, silentium, solitudo & cetera id genus; quis oro Maphæo vigilantior, qui ne una quidem nocte divino cultui in templo defuit? Media nocte tunc ad matutinam synaxim per totum anni circulum sive æstate, sive hyeme surgebatur, cum ipse aut primus semper, aut inter primos conveniret. Abstinentiam in eodem laudare, cibi ac potus parcitatem superfluum duco, quando jejuniorum observatorem accuratiorem, & delitiarum contemptorem parem illi noverim neminem. Nunquam revera vidi aliquem, qui vino parcius uteretur. In vestitu sordes vitavit, nullum unquam tamen vestimentum luxu conspicuum detulit. Sacræ Scripturæ lectione delectatus assidue orationi vacabat. Et hic ei semper mos fuit, ut post vigilias nocturnas aliis abeuntibus, ipse solus in choro aliquandiu remaneret. Sermo ei fuit parcus & gravis, semperque ab omni levitate abhorrens, sciensque in multiloquio non deesse peccatum, cavebat pro viribus prolixiores confabulationes. Iccirco studiose sese in cellula continebat. Nec inde facile egrediebatur, nisi cum ei officio rebus monasterii consulendum foret. Conabatur pater optimus magis facto quam verbo ad bene sancteque vivendum provocare filios suos, castigans quotidie corpus suum & in servitutem redigens. Misericordiam vero & pietatem, ac eleemosynarum largitionem in eo quis digne satis laudibus efferat? Erat ipse robusto quidem ac vegeto corpore, & qui rarissime mala aliqua valetudine corriperetur. Nescio tamen, an alium agnoverim, qui illo extiterit erga infirmos debilesque clementior; quos nimirum & crebra visitatione solabatur, & omni fovebat ministerio caritatis. Egenos & inopes aut aliqua calamitate oppressos pro redditüum mediocritate promptissime sublevabat. Quem erga pauperes affectum nunquam ipsum etiam in patriarchatu exuisse affirmant. Verum de iis, quæ in Olivolensi dignitate gessit,

Ann. Chr. 1492.

sit, non defuturos dignationi tuæ certiores ac veriores testes arbitror. Neque enim facile potuit latere lucerna super candelabrum posita. Hoc tantum dixerim, quod quotiescumque contigit mihi patriam revisere, adivi illum sæpius, neque deprehendi aliquando apud ipsum, quod non sanctissimi præsulis religionem, modestiam, humilitatem, benignitatem præseferret. Neminem de eo referentem audivi, nisi quæcumque vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, nisi inquam quæcumque de optimo antistite sancto, innocente, impolluto & segregato a peccatoribus relatu digna viderentur. Venio nunc ad explicanda novissima justi hujus, & ad commemorandam ejus dormitionem, quæ profecto vitæ ipsius pie atque innocenter actæ optime respondisse judicanda est. Defuncto Innocentio VIII. pontifice maximo accersitus est Romam reverendissimus patriarcha a sacro cardinalium collegio. Siquidem ante annos aliquot ad cardineam promotus secreto dignitatem, post mortem pontificis, cardinalis publice declaratus est. Interfuturus electioni novi pastoris, suadente illustrissimo dominio cum festinatione iter arripuit. Insequutus sum ipsum continuo, admonitus per literas Venetiis allatas, ut ita facerem, sicut prædixi, eo quod ad hoc dominium me hortaretur, ut ipsum in Urbem deducerem. Et ne superfluo longiorem recenseam historiam, quando ad rem nostram minime attineat, quomodo videlicet honorifice a reverendissimis cardinalibus fuerit exceptus, jussusque sedere cum principibus, & tenere solium gloriæ, suffecto in locum defuncti Alexandro VI. pontifice, paucis interjectis diebus, accepto ab eodem pontifice commeatu redire ad Olivolensem ecclesiam suam constituit. Siquidem considerata Venetæ civitatis amplitudine populoque multiplicato super numerum, arbitratus est bonus pastor haud minus sua interesse gregis sui curam resumere, quam in ea urbe residere. Profectus Roma octavo idus septembris anno salutis M. CCCC. LXXXXII. sequenti die vexari dysenteria cepit. Et cum sive fatigatione longioris viæ seu agitatione sellæ gestatoriæ, qua parum commode portabatur senex ac plenus dierum, sisti profluvium haud facile posset, ultra Interamnam progredi nobis non licuit. Accersiti sunt continuo medici tres; quos benigne contemplatus animo intrepido exhortatus est, ut si agnoscerent infirmitatem eam esse ad mortem, sibi aperte denuntiarent; quoniam si advenisset hora sua, qua statutum esset homini semel mori, quam libentissime demigraret. Commendabat seipsum Domino, & molestias ægritudinis ferens patientissime, nihil de terrenis cogitans, nihil loquens, sed erecto tantum animo in cœlum, nihil magis videbatur expetere, quam transire ad immortalitatem. Tandem animadvertens se viribus corporis in dies magis destitui, expetiit confessorem pridie ejus diei, quæ illi futura erat novissima. Postulavit deinde a me, ut sequenti die communicandum se curarem, tamquam prænosceret dissolutionem sui corporis imminere, & velocem fore depositionem tabernaculi sui. Igitur postera die, quæ erat XIV. ejus mensis, utique Exaltationi Crucis Dominicæ dedicata, celebrata summo mane in cubiculo ejus Missa, de manibus meis sacrosanctam Eucharistiam singulari devotione percepit. Post meridiem appropinquante vitæ termino dari sibi extremam voluit unctionem, ut cunctis ecclesiasticis sacramentis munitus confidentius decederet. Quod & factum est, eodem ipso nobiscum submissa voce respondente ad omnia, quæ a ministro unctionis dicebantur. Et ut certius noverit pietas tua, ad ultimum usque spiritum infirmum seniorem sensu optimo viguisse, eadem ferme hora, qua erat migraturus, superveniens Roma secretarius oratoris Veneti ab eo ad lectulum admissus est, & cum ipso aliquandiu congressus. Miratum se postea nobis retulit, quod ad propositum omnibus respondisset.

Deni-

Denique egresso secretario ingressi sumus cubiculum ; ubi ego assistens propius jacenti patri, licet quantum me vivens dilexisset, non ignorarem, etiam novissima illa sui exitus hora expertus sum. Nam cum supinus jaceret, ad me conversus admoto ad collum meum brachio suo tamquam ultimum valedicens deosculatus est me. Eodem fere momento, cum jam deficere videretur, accersitis diversorum ordinum religiosis, qui erant in atrio domus, ac lectulum circumsistentibus & pro felici jacentis migratione nobiscum deprecantibus, ipsumque Deo commendantibus de more dormivit in pace. Reliquit nimirum nobis magnum sui desiderium, quibus nihilominus bene moriendi normam præscripsit. Obiit autem, sicuti asserebant propinqui ejus septimo atque octuagesimo ætatis suæ anno. Corpus ejus ex Interamna urbe Venetias delatum, exhibitis prius sollemnibus exsequiis apud sanctum Petrum sepulturæ traditum est. Hæc habui, domine colendissime, quæ de optimo patre nostro, olim hujus cœnobii sancti Michaelis abbate, postea patriæ nostræ antistite, antecessore tuo, novissime vero ad cardinalatus dignitatem assumpto, Maphæo inquam Gherardo patritio Veneto censui conscribenda. Erit mihi pergratum, si aliqua ex parte satisfecero tuæ pietati; sin minus, quod plurimum vereor, tibi ipsi imputabis, qui scriptori minus idoneo patriarchæ vita eminentissimi, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, merita literis tradenda mandasti, & supra vires onus imposuisti. Vale. Ex monasterio sancti Michaelis Murani, die XX. *novembris* M. D. XV.

Ann. Chr. 1492.

XIX. Explosa maledicta & calumniæ Garimberti & Ciacconii.

CONFERANTUR porro hæc Delphini epistola, ceteræque datæ iisdem diebus, quibus hujusmodi facta contingebant, conferantur, & denuo ad mentem reducantur Senatus-consulta, quibus abbatem dari monasterio sancti Michaelis, patriarcham vero suæ civitati Maphæum Gherardum ardentissime a Romanis pontificibus expostulavit sapientissimum & piissimum Venetum dominium; conferantur literæ Decem-virales audita ejus promotione ad S. R. E. cardinalatum; aliaque bene multa, quæ passim produximus de probitate sanctimoniaque vitæ Maphæi testimonia ad hunc locum iterum ad memoriam revocentur, nullus profecto erit, qui Hieronymi Garimberti Gallesii episcopi ad annum 1567. vitas pontificum & cardinalium in lucem proferentis, & Alphonsi Ciacconii maledictis aures accommodabit, famamque sanctissimi & innocentissimi viri proscindere deinceps audebit. Qui nimirum scriptores Maphæum hominem, plusquam credibile est, pingui Minerva insulsissimum, ne dicant ineptum & stolidum traducunt, cujus electionem ad cardinalatum factam opera Marci Barbi ceterorumque cardinalium Venetorum ad augendum numerum & umbram dumtaxat comminiscuntur, intra paucos autem dies jacturam fecisse diplomatis pontificii effutiunt, cum secretissima tamen fuerit ejus electio, & nonnisi post mortem Innocentii VIII. propalata, quem vocatum in Urbem asserunt a Juliano solummodo cardinale, dum e contra scimus vocatum a collegio toto cardinalium, & hortatu dominii Veneti hujusmodi iter suscepisse; pædagogos Maphæo tamquam puero ex Senatus scribarum numero Georgium Nigrum & Franciscum Pacium assignatos tribuunt; eorum aliqua mentio in epistolis Delphini; Veneti siquidem favebant electioni Juliani; forte scribæ Maphæum induxerunt, ut partibus adhæreret Ascanii Sfortiæ, qui Rodericum Borgiam eligere maluit. Tota ergo proditionis summa in scribas recidit, qui vel consilium juxta mentem Senatus Veneti Maphæo tradere debebant, vel saltem retrahere a suffragio præstando pro Borgia. Nulla tamen in Delphini epistolis mentio de veneno ab iisdem Venetis scribis propinato cardinali ad contegendum eorum reatum proditorium tempore conclavis contra mentem

ANN. CHR. 1492.

Venetorum, & Andreæ Capello oratoris Veneti. Quinimmo ipse Delphinus tributus est ei in socium, & unus ex secretariis cardinali pene morienti supervenit, & cum ipso colloquutus fuit. Demum scribunt sepulcri honore & inscriptione privatum, ne talis viri memoria ulla penes posteros restaret, quem superius honorifice terræ humatum vidimus, & sepulcrali elogio donatum. Sed jam Garimberti & Ciacconii deliramenta explosêrunt viri doctissimi Fortunius, Ughellius, Auberius, Victorellus, Bucellinus, Quirinus, & omnium postremus Cornelius in ecclesiis Venetis. Non omittimus testimonium Nicolai del Biada prioris sancti Benedicti extra Florentiam, qui in ms. codice ejusdem monasterii asserit obiisse Maphæum Gherardum, *qui erat vir sanctissimus & eleemosynis addictus, multumque spiritualis*.

XX. Historica hujus anni ex Delphini epistolis.

MORTUO Maphæo postulatus fuit inter ceteros ad patriarchatum Venetum Petrus Delphinus; id tamen oneris rejectum fuit in Thomam Donatum ordinis fratrum Prædicatorum fratrem Petri Donati olim abbatis sancti Michaelis de Muriano. Legantur epistolæ 71. & 75. libri XI. quibus congaudet non fuisse collatam sibi eam dignitatem, pro qua nonaginta tria suffragia Venetorum patrum habuit. Ea occasione nominatus est ad eumdem patriarchatum etiam Petrus Boldù abbas sanctæ Mariæ ad Carceres.

Deceffit hoc anno Alexius a Castello eremita Camaldulensis, Major olim eremi, inde abbas sancti Felicis in Platea, & prior sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Extruxerat ipse oratorium & parvam eremum intra montes Balnei, quæ an adnectenda sit eremo Camaldulensi nedum deliberat Delphinus [a].

Interfecto proditorie abbate sancti Bartholomæi de Anglario, Delphinus contulerat eam abbatiam Ugolino ab Antella monacho, sed eam vigesima-octava novembris die primo sui pontificatus anno Alexander VI. commmendavit Juliano S. R. E. cardinali episcopo Ostiensi & summo pœnitentiario; eadem die alia bulla præcepit monachis Anglariensibus, ut eum reciperent in abbatem. Prima decembris mandavit Ugolino, ut eamdem abbatiam dimitteret traditam a se præfato cardinali. Demum die XVII. ejusdem mensis instituit Petrum Vicetinum episcopum Cæsenatem & cameræ auditorem, quatenus possessionem dictæ abbatiæ daret cardinali Juliano, & adimeret omnem admnistrationem Ugolino, ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia [b]. Eodem tempore Julianus in commendationem accepit etiam prioratum Camaldulensem Planetuli, quem similiter Delphinus vacantem contulerat monacho ordinis.

Urbanus Malumbra exauctoratus ante triennium regimine abbatiæ Classensis ob non solutam pensionem stulte & illegitime pactam cum cardinale Parmensi, tentavit hoc anno iterum abbatiam occupare, & congregationem Venetam, quæ in possessionem ipsius, senatus Veneti decreto, intraverat, novis machinamentis lacessere. Scripsit ea super re Delphinus [c] tum ad cardinales Senensem & Parmensem, tum ad Augustinum Barbadicum principem Venetiarum. Asportavit [d] ex eo monasterio Urbanus codices & privilegia; quare coactus est Delphinus etiam Romani pontificis auctoritatem implorare [e] scripta epistola. Captus jussu pontificis Urbanus carcerali custodiæ adjectus est, donec redderet codices & libros. Suffectus est anno sequenti in ejus locum abbas Lucas. Tandem commissa causa cardinali Senensi [f], ope etiam & opera Pauli Pisani oratoris Veneti in Romana curia, abbatia affatim abrogatus est, a qua tamen sententia appellans causa ipsius commissa fuit cardinali Neapolitano; deinde

a Lib. XI. ep. 76.

b Numm. 12. 13. 19. 196.

c Lib. XI. epp. 41. 43.

d Lib. XII. 31.


e Ibid. ep. 38.

f Ib. ep. 44.

Ann. 1492. p. 346.



Maphæus Gherardus Patricius Ven. ex Abbate Camaldulensi S. Michaelis de Muriano Patriarcha Venetiarum et S. R. E. Cardinalis. Obiit anno 1492 14. Sept. Ex veteri tabula San-Michaeliana.



de Dominico cardinali Grimano. Post quadriennium dumtaxat restituit privilegia & codices, quæ deposuerat apud canonicos sanctæ Mariæ de Portu Ravennatis territorii. Post ea tempora profugus & omnibus exosus Taurinum in Sabaudiam se recepit, ut dicemus.

ANN. CHR. 1492.

Innotescunt hæc ad annum præsentem ex epistolis ejusdem Delphini. In abbatia Poplenæ Petri Urseoli Venetorum ducis & Romualdi discipuli imaginem pingi fecit [a] exprimentem ejus discessum e Venetiis, ut Cuxanum proficisceretur. Memorat [b] insurrexisse regnum adversus regnum ob remissam a rege Franciæ in domum patris Maximiliani repudiatam uxorem; captam a Germaniæ principe Atrebatensem urbem. Mortuo Ambrosio abbate sancti Decentii Pisauri, commendat [c] Maurum monachum a se suffectum Pisauri principi. Indicat [d] expectari in Urbem adventum ferri lanceæ, quo transfixum fuit in cruce latus Redemptoris, quod Innocentio VIII. dono mittebat Turcarum imperator, & jam Anconam perlatum. Ducem Ferrariæ nondum discessisse ab Urbe. Cardinalem [e] Mediceum designatum fuisse legatum in toto Florentino dominio. Mentionem facit novi poematis [f] Ugolini Verini de Mahumetanæ Bethidos expugnatione, alteriusque ipsius carminis genethliaci [g] in nativitate Laurentii Medicei junioris filii Petri, nepotis Laurentii; commendationem etiam excipit ejusdem Verini sibi factam de Petro Rodulphio Nicolai filio, genero Laurentii Medicei, quem loco filii habiturus est Delphinus. Leonardo Lauretano assumpto his diebus [h] ad dignitatem procuratoriam ædis sancti Marci gratulatur; ita & Dominico Mauroceno [i] affini suo simili dignitate ornato. Thaddæum Viaranensem civem primarium Faventiæ virum sane optimum atque doctissimum, & antiqua secum familiaritate conjunctum [k] laudat. Priorem sancti Marci de Florentia Hieronymum Savonarolam concionantem [l] audire gestit. Deposito Maldulo abbate sancti Felicis in Platea fit abbas [m] ejusdem monasterii Basilius Balneensis, collata abbatia sancti Michaelis de Arretio, quam hic obtinebat, Gabrieli ejus fratri. Varias tamen in Romana curia sustinuit Basilius lites tum ab ipso Maldulo exauctorato, qui anno sequenti interiit, tum a cardinale Parmense, qui commendationem olim gerebat abbatiæ, præsertim anno 1494. quique occasione mortis Malduli regressus nomine iterum in abbatiam sancti Felicis jura sibi vindicabat. Quadriennio & eo amplius perduravit litigatio, quamvis parœciani fidele testimonium perhiberent de reformatione loci facta a Basilio. Ea ratione Delphinus præter cardinalem Senensem e re duxit epistolas scribere tum Alexandro VI. pontifici, tum cardinalium collegio [n].

a *Lib. X. ep. 99.*
b *Lib. XI. ep. 16.*
c *Ibid. ep. 18.*
d *Ibid. ep. 29.*
e *Ibid. ep. 33.*
f *Ibid. ep. 42.*
g *Ibid. ep. 81.*
h *Ibid. ep. 44.*
i *Ibid. ep. 92.*
k *Ibid. ep. 80.*
l *Ibid. ep. 98.*
m *Ibid. ep. 86.*
n *Lib. XVI. epp. 99. 100.*

ANN. CHR. 1493.

XXI. Facultas ab Alexandro VI. facta abbati S. Michaelis Pisarum.

ALEXANDER papa VI. pontificatus sui anno primo die XI. julii Simoni Francisci de Biblena abbati sancti Michaelis de Burgo Pisarum, vicario Juliani episcopi Ostiensis S. R. E. cardinalis sancti Petri ad Vincula & commendatarii monasteriorum Pisanorum sancti Savini & sancti Pauli ad ripam Arni concedit facultatem accipiendi professionem mulierum ordinem Vallumbrosanum ingredi cupientium in monasterio ejusdem ordinis, quod est juxta cœnobium sancti Pauli, & velandi virgines ejusdem parthenonis aliorumque dicti ordinis in dicta Pisana diœcesi, præsertim cum archiepiscopus Pisanus in urbe Pisana non resideat.

Ex libro Reformationum Florentinarum V. pagina XVI. sub die duodecima octobris hujus anni supremi Studii Pisani præsides mandant scribi literas ad eumdem Simonem abbatem, quibus rogaretur, ne removeret

Ann. Chr. 1493.

scholas doctorum legentium, quæ sunt in suo conventu, donec in Sapientia tot scholæ perficerentur, quæ sufficerent omnibus doctoribus legentibus. Has literas memorat Stephanus Fabruccius in commentario decimo de Studio Pisano in collectione Calogeriana Opusculorum [a].

a T. XLVI. pag. XXXIX.

Franciscus Piccolomineus cardinalis protector ordinis Camaldulensis erat hoc anno abbas commendatarius monasterii sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis, ut liquet ex inscriptione posita pro restauratione templi & ædium ejusdem monasterii. *Reverendissimi patris & domini domini Francisci Piccolhominei cardinalis Senensis auspicio Marcus Landus domini Vitalis Veneti filius templum restauravit & ædes construxit. Anno Domini* M. CCCC. XCIII. apud Mannium Sigillorum tomo XV. [b].

b Pag. 38.

Die trigesima-prima maji Petrus episcopus Gallipolensis judex in causa vertente inter abbatiam Montis-christi & plurimos habitatores pagorum seu communium de Vesolacia, de Taglio, de Domibus-veteribus, de Tavagna seu plebatus de Tavaria Corsicæ insulæ, definitivam sententiam tulit hos debere solvere quotannis abbatiæ Montis-christi in perpetuum decimam omnium fructuum & omnium animalium eo modo, quo episcopis aliisque ecclesiis solvi consuetum est. Homines insuper Vesolaciæ pro censu ab ipsis *feo* nuncupato, *mezzinum* frumenti; quod si intra duos annos non solverint, sint omnibus suis bonis privati; eos de præteritis fructibus absolvens. Pariter ea die idem episcopus sententiam dixit contra hæredes quondam Securani apud Brunum in Corsica, obligans eos ad decimas solvendas eidem abbatiæ propter bona monasterii sanctæ Mariæ de Canovaria subjecti alteri Montis-christi; notario Mariano ab episcopatu; ex archivo sancti Michaelis de Burgo Pisarum [c].

c Lib. A. pag. 25.

XXII. Aleriensis cardinalis obitus.

d Lib. XII. ep. 19.

Obiit hoc anno die VII. februarii (pridie nonas habet Delphinus [d]) cardinalis Aleriensis. Male itaque ejus decessum post quinque menses a suo regressu in Urbem statuunt plures scriptores. Sepulcralis inscriptio habet *pridie nonas novembris*, qua die fortasse cœlata inscriptio. Orationem in ejus obitu recitavit Franciscus Cardulus Narniensis ejusdem cardinalis familiaris. Hæc oratio edita fuit Mediolani nostro seculo apud hæredes Ghisulphos. Ad orationis calcem hujusce editionis adnotantur hæc verba: *Olivetanum sodalitium inter suos nititur hunc purpuratum ostentare*. Calamum contra hanc additionem strinxit Cannetius noster, monachatum Aleriensis ad Camaldulenses, non ad Olivetanos destinatum probans, & concludens nullam neque apud illos, neque apud hos monasticam vestem assumpsisse cardinalem. Cannetii votum amplectitur Lazarus Augustinus Cotta in Museo Novariensi. Elucubratio Cannetii semel missa ad bibliothecam Ambrosianam fato periit.

XXIII & Petri de Priolis procuratoris D. Marci

e Ibid. ep. 18.

Mortem oppetiit XXVIII. januarii [e] septuaginta-tres annos natus Petrus de Priolis divi Marci procurator, quem parentis loco semper observavit & coluit Delphinus. Hujus christianissimam conscientiam, optimam famam, ingentem auctoritatem, paremque in urbe Veneta venerationem ipse proinde laudibus extollit, qui ita semper vixit, ut haud immerito pater patriæ debeat appellari. Ædificavit in ecclesia sancti Michaelis de Muriano nobile sacellum sine aliquo signo picturæ vel lapidis gentis suæ, in quo & sepeliri voluit, habitu Camaldulensi indutus. Filium habuit præ ceteris Sebastianum protonotarium in Urbe.

f Ibid. ep. 15.

Tertius decessit eodem anno [f] Amalphiæ dux frater Francisci cardinalis Piccolominei, ad quem consolatoriam super ejus obitum dedit epistolam Delphinus, curavitque, ut & Petrus Barotius episcopus Patavinus literas

teras suas adderet in levamen doloris. Præter ducem Amalphiæ duo reliqui fuere Francisco cardinali fratres invicem certantes amore, pietate, religione.

Ann. Chri. 1493.

XXIV. Scipionis quoque Manfredii commendatarii S. Jo: baptistæ de Faventia.

IMMATURA quoque morte præventus & viginti annos natus migravit a seculo hoc anno Scipio de Manfredis Faventini principis filius, abbas commendatarius, vel potius invasor monasterii sancti Johannis-baptistæ de Faventia. *Continuo*, ait Delphinus [a], *Florentinus commissarius, qui Faventiæ dominii Florentini nomine curam gerebat, mandavit suis militibus, ut occuparent locum, donec rediisset Roma, quem ad impetrandum pro fratre suo beneficium miserat. Sed abbas sancti Hippolyti, Delphini vicarius, confestim adiit principem civitatis & antianos, ac conquestus est præsente commissario de illata violentia; & potestate accepta ejiciendi custodes, sequente se civium multitudine trium-millium virorum, consentiente principe tenellæ ætatis, agente & favente in primis Thaddæo Viaranense cum ceteris civibus perfractæ fuere securibus fores, & nomine congregationis Venetæ monasterii possessio inita*. Commissarius Florentinus erat Dionysius Puccius [b], qui cœnobium pro fratre Laurentio sacerdote & cive Florentino, qui postea cardinalis fuit, ab apostolica sede impetravit, celata unionis bulla prius facta hujus monasterii cum congregatione Veneta. Prosequitur Delphinus: *Non ibi repertum triticum, non vinum, non ligna, non alia id genus victui necessaria. Vix in uno tantum cubiculo lectulus inventus est, cum tamen plenam triennio ante commendatarius domum invasisset*.
„ Veniens postea Laurentius, subdit Fortunius, Faventiam, ut possessio-
„ nem cœnobii acciperet, ex insperato a populo impeditus, exactusque
„ est. Quamobrem Laurentius rem lite in Romana curia persequi festi-
„ navit, Faventinisque uti violatoribus apostolici decreti dies dicta. Ce-
„ terum principe senatuque Veneto defensionem Camaldulensium agenti-
„ bus, lis inter partes transigitur, astipulante maxime Ascanio Sfortia car-
„ dinale, cujus Laurentius familiaris existebat; resignavitque Laurentius
„ cœnobium congregationi annua pensione, quam deinde factus cardinalis
„ Faventiam veniens, & hospitio ad sancti Johannis usus, precibusque
„ Rodulphi Castellani prioris adductus gratis remisit. " Sed hæc contigere posterioribus temporibus, nam anno 1497. adhuc litigabat Laurentius, ut liquet ex epistola eo anno scripta a Delphino [c] ad cardinalem sancti Georgii. A congregatione autem Veneta electus est in priorem Philippus Bartholomæi de Martinellis Faventinus anno sequenti.

a Lib. XIII. ep. 2.

b Fortun. P. II. lib. III. cap. 7.

c Lib. XVIII. ep. 51.

Ultima augusti [d] scribens Delphinus ad Gadolum narrat pretiosam mortem Simonis de Maphæis prioris sancti Martini de Opitergio, quem *sanctæ & innocentissimæ conversationis monachum* appellat, *paucissimosque*, subdit, *se novisse in ordine, quibus ille vita & moribus cesserit*. Suffectus est in ejus locum Andreas Bergomensis.

d Lib. XII. ep. 83.

XXV. Et Hermolai Barbari.

DEMUM mense julio peste correptus Romæ interiit Hermolaus Barbarus vir eminentissimus, patritius Venetus & patriarcha Aquilejensis. Scribens ad cardinalem Senensem [e]: *Non indiget*, inquit, *teste dignatio tua tum vitæ illius ac morum, tum doctrinæ ac sapientiæ singularis, cujus omnium judicio facile ætate nostra adeptus fuerat principatum. Præcipuum revera decus & specimen Romanæ curiæ sublatum non dubito & præterquam sui ordinis antistites doctissimus quisque lugere merito debet. Ego tantum virum, etiam ne dum sacris initiatum plurimum semper magnifeci & colui, idque non tam ob altissimum ejus ingenium, admirabilemque literarum tum Latinarum, tum Græcarum peritiam & eruditionem, quam ob mitissimam ejus naturam & immaculatam vitam. Multi, qui eum noverunt, virgi-*

e Lib. XII. ep. 73.

Ann. Chr. 1493.

neum *illi pudorem adscribunt*. Eadem habet in epistola ad Ugolinum Verinum [a], ubi etiam commemorat Hermolai complures ad amicos literas, quibus incredibilem constantiam & robur animi mundique contemptum manifeste declarat ob adversam sortem, præsertim postquam Aquilejensem patriarchatum adire non est permissus a Senatu Veneto.

Refert [b] compositas fuisse publicas res inter pontificem & regem aliosque potentatus, restitutis quoque in Urbem cardinale Juliano, & illustri principe Virginio Ursino [c]; duodenarium prælatorum numerum collegio cardinalium adjectum fuisse una die. Fuse autem describit pluribus epistolis tyrannidem Guidonis prioris sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia tum in monachos suos, tum in illos monasterii sancti Benedicti extra moenia, in quod contra rationem jus sibi vindicabat, tentans ipsum præripere de manibus prioris generalis; idque favore amicorum, & præsertim Petri Medicei [d], *qui in urbe Florentina non tam primus, quam unus erat, & ex ipso pendebant leges*.

a Ibid. ep. 77.

b Ibid. ep. 72.

c Ibid. ep. 93.

d Lib. XIII. ep. 5.

Bonaventura, qui eatenus duodecennio abbas fuerat monasterii sancti Michaelis, a capitulo congregationis datus est prior cœnobio sancti Mathiæ, suffecto Johanne-petro in illud sancti Michaelis.

Conflagraverat monasterium sanctorum Gervasii & Protasii extra Bellunum subjectum abbatiæ Sanæ-vallis de Fullina, cujus commendatarius abbas hoc anno erat Petrus Dandulus primicerius sancti Marci Venetiarum. Ad sanctimoniales ea jactura afflictas literas dedit idem Petrus consolatorias. Confirmavit is anno 1500. Apolloniam electam in abbatissam; utebatur vicario Antonio de Faustinis plebano sancti Basii Venetiarum.

Super tectum templi sanctæ Mariæ de Fullina legitur hujusmodi inscriptio: *M. Barbi patriarchæ Aquilejensis sancti Marci cardinalis & hujusce abbatiæ commendatarii perpetui auctoritate, jussu, impensaque Angelus Fasolus Feltrensis episcopus tamquam commissarius incepit; Aloysius Diedo apostolicæ sedis protonotarius nec non Vidorensis abbatiæ commendatarius perpetuus ipsiusque cardinalis Marci nepos absolvit anno Domini* M. CCCC. LXXXXIII.

Ann. Chr. 1494. XXVI. Provisio facta ab Alexandro VI. monasterii Carcerum.

Alexander VI. kalendis aprilis pontificatus sui anno secundo, juxta reservationes factas in crastinum suæ assumptionis, aliasque die XV. aprilis pontificatus anno primo, Dominico cardinali diacono sancti Nicolai inter Imagines ex nobilissima patritia Veneta Grimanorum familia tradit in commendationem monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres, quo tempore vacaverit vel per obitum, vel per cessionem Petri Boldù abbatis ejus loci, proviso tamen, quod in dicto monasterio debitus monachorum numerus servetur. Quarta autem die junii pontificatus anno secundo irritat Sixti IV. & Innocentii VIII. prædecessorum suorum pontificum literas, quibus statuebatur, ut obeunte vel cedente eodem Petro, monasterium illud adnecteretur novellæ congregationi Venetæ sancti Michaelis, & deinceps abbas triennalis & annualis loco eidem præficeretur. Nullum interea non movebant lapidem tum Delphinus prior generalis, tum patres congregationis, ut capularis senex Petrus abbatiam dimitteret; id, quod post varios ictus contigit anno sequenti, cessionis instrumentum conficiens paucis diebus ante obitum. Quare decimo-nono kalendas septembris pontificatus anno III. atque proinde anno 1495. auspicato anno a die coronationis, quæ contigit XXIV. augusti, idem Romanus pontifex ob cessionem Petri abbatis, agente & favente in primis dominio Veneto eligit in abbatem dicti monasterii Dominicum Boldù Petri nepotem, ita tamen ut professionem emittat in ordine Camaldulensi, cujus erat monachus,

nachus, tribus mensibus antequam ineat loci possessionem. Eadem die notam facit electionem Dominici in abbatem conventui monachorum Carcerensium; altera bulla præcipit vassallis subjectisque abbatiæ hominibus obedientiam eidem Dominico. Ipsa die suspendit omnes reservationes, uniones, applicationes jampridem factas ejusdem monasterii; alio diplomate sanctorum Firmi & Petri prioratus invicem unitos ordinis Camaldulensis, subjectosque abbatiæ Vangaticiæ, quos in commendam obtinebat idem Dominicus, permittit, ut retinere possit, obligata dumtaxat annua pensione viginti-octo Florenorum Leonardo Contareno canonico Vicetino. Ut vero Petro seniori abbati provideat, die ipsa eidem tribuit fructus sancti Salvarii seu Salvatoris, & sancti Andreæ de Curte-roduli ad vitam ipsius exigendos. Post biduum, hoc est decimo-septimo kalendas septembris pontificatus anno tertio indulget Dominico, ut benedictionem sollemnem percipere valeat a quocumque catholico antistite cum tenore incluso juramenti præstandi. Iterum die XXIV. augusti per eamdem cessionem Petri abbatis, creat in ejus successorem Dominicum, præcipiens Montis-crucum priori, & archipresbytero sanctæ Mariæ de Montaniana, ac Francisco de la Sega canonico Patavino, ut tam Dominicum immittant in possessionem monasterii Carcerum, quam Petro concedant suprarelatos fructus. Demum tertia vice die XIV. septembris dictum cœnobium vacans per cessionem Petri providet de Dominico abbate. Vix credi, nedum scribi queunt acerrimæ lites, quæ in curia Romana per duodecennium vigore dictarum collationum exarserunt inter cardinalem Grimanum, & inter abbatem Dominicum, rursus inter ipsum cardinalem & congregationem Venetam, immo inter ipsam congregationem & Bolducciam familiam, quæ hæreditate vindicare jus in monasterium Carcerum sibi persuasit; tum etiam epistolæ cardinalis Grimani contra monachos, favoresque Veneti Senatus præstiti monachis contra cardinalem; quarum litium & literarum monumenta extant ex archivo Carcerum, nunc in illo sancti Michaelis, eorumque series legitur tum in editis, tum in ineditis Delphini epistolis; nos facta potiora, parce tamen, referemus suis annis.

ANN. CHR. 1494.

Vigesima januarii hujus anni [a] gratulatur Delphinus eidem Dominico Grimano, qui anno præterito cardinalitia purpura insignitus fuerat: excusat autem, quod sero id officii præstiterit propter pestilentiam in Urbe eo anno grassantem, qua tum pontifex, tum cardinales aerem noxium fugientes hac illacque dispersi certas sedes non habebant. Laudat ipsius cardinalis singularem eruditionem & doctrinam tum secularium, tum divinarum literarum.

XXVII. Excerpta ex Delphini literis.

CETERUM hæc memorabilia ex epistolis ejusdem Delphini hoc anno colliguntur [b]; Carolum regem Francorum ingenti exercitu descendisse in Italiam, quem vulgaverat fama venire contra Neapolis regem Alphonsum, qui in Ferdinandi parentis his diebus defuncti locum successerat. Transiisse per Etruriam [c]; Franciscum cardinalem Senensem destinatum a pontifice legatum apostolicum in ea provincia ad eumdem regem. Relegatos [d] extra Florentiam duos summæ auctoritatis fratres gentis Mediceæ Laurentium & Johannem primarios cives præpotentes, & universo populo carissimos. Petrum Mediceum [e] occurrisse Carolo regi, & absque consensu dominii & populi tradidisse ei septem Florentinorum arces, & inter has Pisanam civitatem, ejectis ab illis, qui de mandato dominii eas custodiebant, & introductis Gallis; Florentinos insuper ad ipsum regem destinasse legatos quatuor cives, & insuper priorem sancti Marci (Hieronymum Savonarolam) concionatorem gravissimum, ex quo pendebat

tota

a Lib. XIII ep. 27.

b Ibid. ep. 41.

c Lib. XIV. ep. 38.

d Lib. XIII. ep. 73.

e Lib. XIV. ep 42.

ANN. CHR. 1494.

tota civitas. Eumdem Petrum [a] Florentiam revertentem reperiisse aliam erga se civitatis faciem, & die decima novembris pulsata campana palatii concursatum fuisse undique ad arma; Petrum advenientem, ut introiret palatium, repulsam passum a Jacobo Nerlio cive Florentino; inde vero se proripuisse una cum cardinale Johanne, & Juliano confratribus, & cum Paulo Ursino comite eorum propinquo, qui venerat cum quadringentis armatis, & a Florentia aufugisse. Decreta multa nummorum millia tum a rege Francorum, tum a dominio Florentino, si quis eos in regiam traderet potestatem; diruta malleo & scalpro Mediceæ domus insignia decreto senatus, restitutis e contra fratribus illis Laurentio & Johanne jampridem pulsis, qui stemma & nomen immutarunt. Decima-septima novembris Carolum regem ingressum Florentiam, destinatis ei ædibus Mediceorum; electos viginti cives boni testimonii in annum, quibus demandata est civitatis reformandæ cura. Etiam Guidonem priorem Angelorum de Florentia [b], qui maxime fulciebatur potentia Mediceæ domus, ab Octoviris pulsum e monasterio in cœnobium Cistercensium fuisse deportatum, sed postea restitutum; iterumque anno sequenti coactum se recipere ad tempus in abbatiam Florentinam Nigrorum; ejus enim amicitia cum domo Medicea suspecta erat dominio, post varias demum vices ad suum Angelorum monasterium reductum.

In epistola ad Barotium episcopum Patavinum [c] laudat Bernardini Tomitani Feltrensis egregii prædicatoris conciones, zelumque pro erigendis montibus pietatis in urbibus Italiæ. Patavii hoc anno, Florentiæ anno præterito esse concionatum. Demum feliciter hoc ipso anno defunctum memorat, laudatque Barotii diligentiam in commendandis memoriæ Bernardini miraculis conscribendaque vita.

Capitulum generale ordinis celebratum hoc anno [d] apud Fontem-bonum memorat. Abbatiam sancti Viriani de Arretio contulerat Delphinus [e] monacho ordinis, & confirmatione apostolica collationem confirmaverat; impetrata tamen ipsa fuit a cardinali Farnesio; e contra cardinalis Recanatensis resignavit ordini abbatiam sancti Frigdiani de Pisis, quam obtinebat. Curavit insuper Delphinus [f] unionem abbatiæ Poplenæ cum eremo Camaldulensi ope cardinalis protectoris legati apostolici in Etruria.

a Ibid. ep. 46.

b Ibid. ep. 64.

c Lib. XIII. ep. 91. & Lib. XIV. ep. 16. 75.

d Lib. XIII. ep. 67.

e Ibid. ep. 29. 66.

f Lib. XIV. ep. 39.

ANN. CHR. 1495.

XXVIII. Privilegia Vangaticiæ confirmata.

CONFIRMAVIT hoc anno tertio nonas martii pontificatus sui tertio Alexander papa VI. ad petitionem Ambrosii Bernardo abbatis commendatarii sanctæ Mariæ de Vangaticia privilegia Cœlestini III. & Calixti III. prædecessorum suorum seculo duodecimo & præsenti concessa eidem monasterio.

Die XIX. junii [g] priores libertatis & vexillifer justitiæ populi Florentini, visis conventionibus inter priorem generalem eremi Camaldulensis & sindicos communis & hominum de Mogiona fidelium & subditorum dictæ eremi ex una parte, & inter commune Florentinum ex altera initis anno 1382. visisque aliis consiliis & deliberationibus, easdem conventiones suffragio suo comprobavere. Ita mense octobri ratam habuere libertatem & exemptionem dictæ eremi commendatæ dumtaxat reipublicæ Florentinæ.

g §. Privilegia 18. A. 7.

XXIX. Obit Petrus Boldù abbas Carcerum.

AD hunc annum vitam produxit Petrus Boldù abbas sanctæ Mariæ ad Carceres, cum paucis tantum diebus ante obitum cessisset in favorem Dominici nepotis sui fructus ejus abbatiæ. Sepulcri honorem habuit in sacello sancti Michaelis de Muriano, cui hanc epigraphem posuit idem Dominicus. *Pientissimo patruo Petro Boldù abbati Carcerum Dominicus itidem abbas sepulcrum hoc posuit, sibique ac familiæ suæ posteris. Vixit annos* LXXXV.

LXXXV. *præfuit* LII. *frugi atque integerrime ſemper. Obiit* IV. *nonas octobris.* M. CCCC. LXXXXV.

ANN. CHR. 1495.

XXX. Hiſtorica ex epiſtolis Delphini.

PROSEQUITUR Delphinus narrationem geſtorum Caroli regis Francorum, quem aſſerit [a] eumdem ſe præſtitiſſe Romanis, quem ſe præſtiterat Florentinis; pontificem autem in arcem munitiſſimam ſancti Angeli ſe recepiſſe, illatis interius multis bellicis inſtrumentis. Miſſum Florentiam [b] cum magno equitatu tum a rege, tum a pontifice cardinalem Gallum, qui ſecum quadraginta Florenorum millia a Florentinis abſtulit, neque tamen egit, ut Piſæ iſtis reſtituerentur; nam profectus eo cum Florentinis legatis, re infecta Florentiam reverſus eſt. Ibi peractis triduo ſupplicationibus ob ingreſſum regis Franciæ in Neapolim, & ob novum ab eo tam facile adeptum regnum, inſalutato hoſpite ſe inde proripuit. Electos oratores quatuor de primariis civibus, qui congratulatum irent regi ob tam inſperatam & præcipue incruentam victoriam; arces tamen, quæ munitiſſimæ erant, nondum in ditionem regis veniſſe. Pontificem [c] relicta Urbe in Urbem-veterem ſe recepiſſe cum aliquot cardinalibus, conſilio & hortatu principum fœderatorum. Menſe majo Venetias ſe recepit Delphinus; diſcedens ex ea urbe menſe junio mandata accepit a dominio Veneto perferenda dominio Florentino, quæ præſertim fœderationem utriuſque reipublicæ reſpiciebant. Ea Delphinus [d] retulit Paulo-antonio Soderino; hic vero decemviris Florentinis. Reſpondit ipſe & Petrus Caponius, & Petrus Victorius, & Petrus Guicciardinus a ceteris miſſi, ſe nil jucundius periculoſis his temporibus appetere, quam Venetorum amicitiam; verum ſe non poſſe eam aperte profiteri, ne apud regiam majeſtatem fractæ fidei culparentur; timebant porro potentiam ejus exercitus victoris, ne ſævius inſultaret eorum patriæ. Quoniam vero demandatum fuerat eidem Delphino a præfato dominio, ut quæ in dies contingerent Florentiæ, vel quæ nova a Gallis perpetrarentur, literis ſignificaret, ſignificat [e] regem Gallorum Senas ingreſſum eam ſibi urbem ſubegiſſe, Florentiam muniri; ducem Urbini Florentiam adveniſſe; paſſim vulgari regem velle reſtituere in patriam Petrum Mediceum, quod omnino cives ceteri recuſabant. Subinde narrat multis epiſtolis varia prælia Florentinorum pro recuperandis ſuis oppidis, & potiſſimum civitate Piſana, qua occaſione attingit etiam auditos progreſſus Venetorum exercitus, cum magna ipſorum nominis gloria adverſus Gallos. Demum cum rex Carolus Italia jam exceſſiſſet, & Florentini ab ipſo nil amplius metuerent, ſequenter intercedit pro impetranda Venetorum ope & amicitia ad favorem Florentinorum. Hanc tamen minus tunc appetere viſi fuere Veneti, cauſantes Florentinos aditum dediſſe ad ingreſſum regis Francorum in Italiam, quem etiam pecuniis adjuverant. Epiſtolæ Delphini ad dominium Venetum de his negotiis inſperſæ ſunt iis voluminibus, quæ mſs. & inedita aſſervantur in noſtra bibliotheca ſancti Michaelis de Muriano, numero, merito & dignitate inſignes.

a *Lib. XIV. ep.* 68.

b *Ibid. ep.* 77. 84.

c *Lib. XV. ep.* 11.

d *Ibid. ep.* 17.

e *Ibid. ep.* 19.

XXXI. De Hieronymo Savonarola aliaque memoria digna.

ALIIS literis narrat impreſſum fuiſſe Florentiæ opuſculum Hieronymi prædicatoris & prophetæ in mille quingenta exemplaria. Merentur legi epiſtolæ [f] ad Dominicum Maurocenum procuratorem divi Marci Venetiarum, & alia ad Hieronymum monachum. In prima refert miraculum & prophetiam fratris Thomæ ordinis Minorum. Is evangelizans apud Camerinum, & palam principem arguens, abſumendus erat juſſu hujus principis igne. Hac tyranni intentione divinitus ſibi patefacta vir Dei prunas ardentes in manicam detulit, & principi oſtendit, quam minime ignem reformidaret, quem illæſa tunica ad illum detuliſſet. Pariter Florentiæ cum

f *Lib. XV. ep.* 31.

Ann. Chr. 1495.

cum esset, increpavit quemdam hominem ludentem & Deum blasphemantem, qui pugnum in faciem arguentis intorsit. Futurum respondit Thomas aliquando Florentiæ prætorem Zutium nomine de Cola, qui illatam sibi injuriam vindicaret. Elapso decennio, tentus sacrilegus homo ab apparitoribus, cum nullius recentioris culpæ esset sibi conscius, succurrit ei vaticinium sancti viri, & interrogavit nomen prætoris, qui revera erat Zutius, cui rei olim gestæ historiam narravit, qui statim præcepit, ut illi manus præscinderentur. In secunda vero [a] visitatum se ait a Zenobio Acciajolio propinquo Laurentii Petri Francisci Medicei, viro eruditissimo, qui detulerat ad se prophetias aliquot, epistolam quoque suam ad cardinalem sanctæ Mariæ in Porticu triennio ante scriptam de vita & obitu cujusdam Michaelis-angeli, qui defunctus fuerat sub Sixto IV. cujus jussu & quotidianus panis & alba vestis annua ad extremum usque vitæ illi ministrabantur, quem etiam venerationis gratia consulebat aliquando pontifex, quique, dum viveret, plura fuerat vaticinatus.

[a] Ibid. ep. 54.

Faventia [b] venit in potestatem dominii Veneti, quod a multo tempore exoptabant Faventini; missus ad eos novus legatus Dominicus Trivisanus. Mantuanus marchio [c] præter auctum decem millium nummum annuum stipendium declaratus fuit a dominio Veneto copiarum suarum omnium imperator. Exercitus Venetus, quem ducebat dux Urbini, penetrata valle Galeatæ, pertransiens plebem sancti Stephani, igne ferroque vastavit hoc anno abbatiam sanctæ Mariæ de Trivio super alpes Balnei in diœcesi Sarsinate. Dominicus Grimanus cardinalis factus fuit Nicosiensis archiepiscopus. Abbatia Poplenæ, quam dudum curaverat Delphinus uniri eremo Camaldulensi, collata fuit a pontifice Bartholomæo de Scarperia sollicitatori apostolico, & familiari cardinalis Concordiensis, qui multum negotii hoc & sequentibus annis facessivit ordini. Monasterium Angelorum de Bononia [d] occupatum fuit a Johanne Bentivolo filii sui nomine. Alterum sancti Johannis-baptistæ de Judaica [e] expetitum fuerat a quibusdam fratribus ordinis sancti Augustini, sed cum Senatus Venetus decrevisset non aliter se fauturum potentibus, nisi adesset consensus prioris generalis Camaldulensis, Delphinus, qui tunc erat Venetiis, coram principe testatus est, non posse se salvo honore suo monasterium illud cedere, nil propterea novi factum fuit, conquestusque est ea super re ipse Delphinus cum Mariano priore eremitarum sancti Augustini, & insigni concionatore.

[b] Lib. XVI. ep. 25.
[c] Lib. XV. ep. 57.
[d] Lib. XIV. ep. 93.
[e] Lib. XV. ep. 4.

Franciscus Veronensis prior sancti Martini de Opitergio ædificavit hoc anno, & fere a fundamentis de novo extruxit eam ecclesiam senio fatiscentem.

Ann. Chr. 1496.

XXXII. De Bernardino Gadolo ejusque scriptis.

Pluries de Bernardino Johannis de Gadolis Brixiensi e Ponte-Vico monacho sancti Michaelis de Muriano mentionem fecimus in his Annalibus. Ut omnia, quæ de ipso collegimus, unico conspectu tradamus, is in ipsa floridiore ætate doctissimus vir evasit, familiaritate junctus cum omnibus hujus ævi eruditis viris. Supra vero ætatem conficiendis negotiis solertissimus, non semel adhibitus est a patribus congregationis Venetæ eorum gestor in curia Romana, tum contra infestos ausus Urbani Malumbræ abbatis Classensis, tum pro redimenda abbatia Carcerum a pontifice commendata, tum ad impetranda privilegia in favorem novæ congregationis. Hoc anno opusculum de *vita & obitu beati Romualdi abbatis, de eremo Camaldulensi & de ordine Camaldulensi* inscripsit *tertio kalendas septembris ex sancti Michaelis cœnobio apud Amorianum* fratri

tri Jacobo-philippo Bergomati eremitæ sancti Augustini, cujus hortatu ipsum scripserat. De Gadolo hæc protulit in supplemento chronicorum post biennium idem Jacobus-philippus lib. XVI. *Bernardinus Gadolus Brixianus ordinis Camaldulensis abbas vir apprime bonarum literarum & philosophiæ ac juris canonici eruditissimus. Hoc nostro ævo & vitæ sanctimonia, & eloquentia ac doctrina multo habetur in pretio, cujus virtus, & eruditio plurimi faciendæ sunt, quod propria virtute, & non fortuna & non favore, sed sua vigilantia atque industria ad magnum eruditionis & eloquentiæ fastigium pervenerit. Is enim a teneris annis literis operam dedit. Deinde ipsis non contentus, ut pontificii juris doctrinam assequi posset, in Patavino gymnasio se (ut ita dixerim) divitum servum fecit. In quo ex ingenii sui magnitudine brevi ita profecit, ut paucos inveniret doctiores. Factus demum monachus ita studiis divinarum scripturarum se contulit, atque in iisdem quidem usque pervenit, ut si quis eruditissimorum virorum a mortuis resurgeret, nec doctiore nec elegantiore facundia aut doctrina usurus videretur. Hic itaque solertissimus vir multa composuit, in quibus se eruditissimum ostendit. Et primo* &c. Tum enumerat ejus opera. Et alibi: *Si omnes prisci disertissimi viri ab inferis excitarentur, haud vix Bernardinum Gadolum monachum Camaldulensem doctrinæ gloria ac virtute superare possent.* Hæc verba assentationem saperent, si iisdem laudibus cumulatus non foret penes omnes fere scriptores. Quare Fortunius *eminentissimo ingenio præditum, & in omnium bonarum artium studiis consummatissimum* prædicat; Sixtus Senensis in Bibliotheca Sancta libro IV. *virum bonarum literarum, philosophiæ & juris canonici apprime eruditum*; Bucellinus in Chronologia Mariano-benedictina ad hunc annum: *Non minoris sanctitatis, quam eruditionis titulo celebrem*, & in Annalibus Benedictinis *virum sanctum & doctum*; Maurolycus in Oceano Religionum *virum bonarum literarum, philosophiæ & juris-canonici apprime eruditum, vitæ & religionis sanctimonia clarum, in multis suæ doctrinæ monumentis eruditissimum*; Trithemius *virum divino ingenio præditum, Græce Latineque eruditissimum Theologum, & Astrologum doctissimum*; Minius in historia monasterii Angelorum ms. capite 34. *monachum non minoris sanctitatis, quam doctrinæ*. Præterimus Einsengrenium, Possevinum, Wionem, Ludovicum Jacobum a Sancto-carolo, Georgium Duardium in Bibliotheca Classica, Marcum Guazzum, Johannem-andream Quenstdet de Patriis illustrium Virorum, & suos Brixienses Bartholomæum Parthenium in oratione de illustribus Brixiensibus, Leonardum Cozzandum in Bibliotheca Brixiensi, Octavium Rubeum in historicis elogiis illustrium Brixiensium; ita & nostros scriptores Petrum Delphinum, Paulum Orlandinum in Dialogo de novo seculo, Venturam Minardum de Balneis Calderii, ceterosque historicos. Sed præterire non volumus Marcum-antonium Coccejum Sabellicum, qui initio sex posteriorum Enneadum suæ Rapsodiæ in epistola ad Democritum, in qua agit de causis edendi operis, & contra criminatores tam Decadum historiæ Venetæ, quam Enneadum hujus Rapsodiæ de Gadolo hæc habet: *Diligenter curavi, ut quam emendatissime hæ nostræ Enneades impressoriam subirent officinam, in qua nuper recognitione multum, ac supra quam dici possit, nostrum juvit laborem Bernardinus Cadolus Camaldulensis monachus, vir divinarum humanarumque literarum, ut scis, impense doctus, & ex Brixiensi illa probitate, quam Plinius celebrat, multum referens. Fuit illius opera tam nobis utilis, quam jucunda, & in his præcipue, quæ ad sacram attinent historiam*&c.

Hoc ipso anno decimo kalendas aprilis prolixam Urbano Malumbræ mona-

Ann. Chr. 1496.

monacho olim abbati Classensi epistolam dedit Gadolus ad emolliendum ipsius animum, quo parceret litibus, quibus eatenus congregationem Venetam molestaverat; alteram Matthæo Bosso Veronensi canonico regulari & abbati Lateranensi, qua contra Malumbram declamat. Inter cetera de Malumbra profert, quod unxerit sibi quodam medicamento occiput pro assequenda artificiali memoria, ex qua unctione insaniam ferme incurrit, quam aliqui invasionem cujusdam spiritus interpretabantur. Eidem Matthæo hoc anno epistolas & historiam episcopi Campani, orationes autem suas, & exhortationem de Mundi fuga legenda misit, Matthæus e contra opuscula sua Bernardino obtulit, quem *vitæ monasticæ nitorem & studiorum alumnum appellat*.

Eodem anno exhibita fuerat congregationi Venetæ insignis abbatia intra mœnia urbis sive oppidi Cremensis, quam ante octavum annum obtinuerat sibi commendari Baptista Zenus sanctæ Mariæ in Porticu cardinalis, cujus tamen loci possessionem & redditus recipere tota adversus conspirante civitate non valuerat. Missi ergo ex Venetiis Gadolus & abbas sancti Frigdiani de Pisis ad negotium pertractandum; eam tamen abbatiam obtinuit congregatio sanctæ Justinæ, ut decimo kalendas decembris hujus anni refert idem Gadolus in epistola ad Delphinum. Monuerat Gadolum idem [a] Delphinus: *Quoad abbatiam Cremæ res cum cardinale agitur, & eo quidem, qui parum aut blandimenta æstimet, aut minas reformidet; si semel optionem aliquam rejecerit, obtundendus amplius non est.*

[a] Lib. XVIII. ep. 5.

Leono pariter Michaelio patritio Veneto scribens hoc anno VI. kalendas aprilis memorat Gadolus Bembum quemdam poetam, Venetarum rerum scriptorem, textumque difficilem de ortu, situ, fundamentisque Venetæ urbis ejusdem poetæ explicat. Anne Bonifacium Bembum Brixiensem civem in Ticinensi, deinde in Romano gymnasio literarum professorem? Hic virulento calamo lacessiverat Gadolum, & nationum omnium usus satyris insectatus, eo maledicum stylum protulerat, ut super virtutes omnes obtrectationem laudaverit. Satyricum concivem edito gravissimo opere, cui titulum fecit *Bembeidis*, castigavit Gadolus, atque facundia vehementi inconsultam hominis garrulitatem ita persequutus est, ut sapientum omnium, suorum præsertim municipum, admirationem in se converterit. Parthenius Brixiensis *opus aureis notis quam maxime dignum* vocat, & ut Gadolo munus rependeret, Thucydidis historiam ex Græco a se translatam nuncupavit, Cozzandus autem & Rubeus appellant *pium æque ac morale opus, necnon eloquentissime scriptum*.

Quandoquidem vero Gadolum immatura morte præreptum lugebimus post triennium, indicem hic loci teximus ceterorum ejus operum: *In omnes sacrorum Bibliorum libros commentaria* edidit, quam elucubrationem *opus insigne* dicit Sixtus Senensis. *De libris Bibliæ canonicis & non canonicis, & de Translationibus Bibliæ tractatus una cum epistola* ipsius Bernardini Gadoli *ad Franciscum Piccolomineum cardinalem; ex divi Michaelis cœnobio V. kalendas februarii* 1495. impressus primo loco in volumine, cui titulus: *Liber Vitæ, idest Biblia cum glosis ordinariis & interlinearibus excerptis ex omnibus fere ecclesiæ sanctæ doctoribus, cum expositione Nicolai de Lyra*. Qui quidem tractatus, & epistola, nomine Gadoli penitus per summam quidem injuriam, neque sine furti & malæ artis suspicione ommisso leguntur in editione Veneta Lyrani anno 1603. *De fugiendo seculo & amplexanda Religione. Contra superbiam & ambitionem. Sermones varii. Epistolæ plures. kalendarium Camaldulense reformatum*, probatum postea a Pio V. & Gregorio XIII. cum nuncupatoria ipsius Bernardi-

nardini. Collegit & ordine suo locavit opera omnia sancti Hieronymi. Quoad epistolas familiares extant hæ in codice ms. bibliothecæ sancti Michaelis, quæ forte aliquando erunt lucem visuræ. Anno 1492. Baptistam Brixiensem studiosum juvenem ad seculum fugiendum adhortatus fuit fusiore calamo. Eodem anno gratulatur Thomæ Donato electo patriarchæ Venetiarum, cui codicem operum sancti Gregorii papæ mittit. Anno 1493. condolet cum Marco Beatiano dominii Veneti in curia secretario de morte Andreæ Capello oratoris Veneti. In epistolis annorum 1493. & 1494. ad cardinalem Senensem meminit Christophori egregii sculptoris & Johannis Bellini eximii pictoris Venetiis degentium. Dono mittit ipsi cardinali opera sancti Ambrosii, & Bernardi Justiniani opus de origine urbis Venetæ. Ipso anno 1493. scribit Ludovico Maximiliani regis in curia oratori, in qua epistola memorat mortem Friderici imperatoris, successionem autem Maximiliani; verba facit etiam de Henrico Germano & de Georgio Valla viris doctissimis tunc viventibus. Ceteræ literæ Gadoli sunt ad Paulum Pisanum Venetum oratorem anno 1494. ad Petrum Barotium episcopum Patavinum, ad Angelum Politianum, ad Martinum de Nimira Arbinensem archidiaconum, ad Augustinum Picolomineum; hic obiit hoc anno 1496. in Urbe peste correptus annos natus XXIV. nepos Francisci Senensis cardinalis, quem promoveri in episcopum Firmanum patruus curaverat; ad Nicolaum Advogarium Ferrariensem; ad Guidonem priorem Angelorum; ad Refrigerium consiliarium imperialem hoc ipso anno 1496. ubi asserit Marcum-antonium Sabellicum Enneadas suas sibi tradidisse emendandas; ad Johannem Brittanicum; ad cardinalem Dominicum Grimanum, cui commendat causam Venetæ congregationis contra Malumbram jam judicatam tum a cardinale Senense, tum a Neapolitano; ad Jacobum Salodiensem presbyterum; ad Hieronymum Georgium equitem & oratorem, in qua anno 1495. narrat obitum Petri Boldù abbatis Carcerum ea ipsa die, qua Dominicus Boldù ejus nepos professionem emisit, quarta scilicet octobris, indulgentia plena obtenta a cardinale protectore; deductum fuisse funus ex Patavio comitantibus canonicis Patavinis ad naviculam Venetias, ubi sepultus in marmoreo lapide, quem ipse sibi paraverat. Subdit ipsum abbatem, qui LII. annis præfuit, viventem duodecim millia ducatorum dedisse pro dotandis virginibus, decem-millia viginti postremis annis monasterio sancti Michaelis; Scripsit etiam Gadolus ad Bernardum Bembum equitem; ad Benedictum monachum; ad Bonaventuram abbatem sancti Michaelis; ad Dominicum Trivisanum equitem & oratorem, quem parentis loco semper habuit ob promota ipsius diligentia sua studia. Ad eadem etiam tempora comiti Marsilio de Gambara Brixiensi & protonotario librum de Anima inscripsit, totus effusus in laudem nobilissimæ hujus familiæ, ejusque majorum Brunori, Marsilii, Gerardi, & ipsius fratrum Maphæi, Petri & Nicolai. Hæc de Gadolo monacho sancti Michaelis de Muriano.

XXXIII. De Petro Candido ejusque operibus.

ALTER efflorebat hoc tempore monachus Camaldulensis Petrus Candidus in Porticu Flaminiæ oppido natus. Is monachus primum cœnobii Carcerum, tum cancellarius aliquo tempore Petri Delphini prioris generalis, & abbas ab ipso datus monasterio sancti Michaelis de Arretio, cujus tamen regimen non tenuit, commendata abbatia Johanni Mediceo; deinde mutato habitu aliquando conversatus inter monachos Nigros congregationis sanctæ Justinæ, tum ad pristinum ordinem reversus, sed petita venia a Delphino, qui loco filii tenebat, ante aliquot annos ex Italia solverat, & fausta navigatione in Cretam appulerat, ut Græcum eloquium in Græco

Ann. Chr. 1496.

co solo addisceret, nam *purius ex ipso fonte petuntur aquæ*. Quinquennio ibidem commoratus Atticæ eloquentiæ flores ac Philosophiæ fructus collegit, in Italiam hoc anno reversus, & exquisita sibi comparata Græcorum haud modica suppellectile inde convecta. Gratulatus est redeunti Delphinus [a]; tantamque deinde sui nominis famam apud eruditos quosque excitavit Candidus, ut Græci monachi cognomentum passim ab omnibus illi deferretur. Extat in bibliotheca eremi Camaldulensis manu ejusdem Candidi codex eleganter exaratus Græcis characteribus in insula Creta anno 1491. dum Græcæ linguæ ediscendæ causa ibi moram traheret, qui continet morales sententias e Græcis scriptoribus excerptas & collectas ab ipso. Edidit Eudociæ de Vita Christi Homerocenta, quæ ex Græco Latine reddidit, ad Aldum Manutium, primum in collectione Aldina poetarum Christianorum Venetiis impressa anno 1591. & 1504. ac Delphino dicavit. Eidem Delphino anno 1499. dicavit tabulam Cebetis Thebani Latina versione ornatam. De hac mentionem facit idem Delphinus [b], sicut etiam de Tetraevangelio Latine a Candido converso, & de orationibus aliquot sancti Johannis-chrysostomi & de Basilii quodam opere conscripto Basilio abbati sancti Felicis [c]. Teste Thoma Minio descripsit Candidus Alexandri M. gesta Etrusco carmine. Fortunius autem ait scripsisse de monasterio sanctæ Mariæ de Balneo; asserit insuper ditasse morientem monasterium Angelorum de Florentia illustri librorum suppellectile, qui variis doctis viris commodati periere. Post hunc annum elegit Candidus mansionem suam apud xenodochium Lemmi, ubi erat anno sequenti; regebat anno 1500. sacerdotium Castri-cari, mox ei collata abbatia sancti Stephani Cintorii in agro Pisano; superest ejus memoria in epistolis Delphini usque ad annum 1512. Usus est amicitia Aldi Manutii, Cosmi Pactii Florentini archiepiscopi aliorumque tum in Græcia, tum in Italia doctorum virorum. De ipso præter allatos Camaldulenses & Paulum Orlandinum libro V. de Theologia Mixta, cum laude verba fecere Laurentius Legatus in Museo Poetriano, Justus Fontaninus in Antiquitatibus Hortanis, & cardinalis Quirinus in epistola ad Feverlinum die XI. decembris anni 1748. Videatur etiam Diarium Literatorum Italiæ tomo XXIV. pagina 170.

XXXIV. Iterum de Savonarola concionatore Florentiæ.

Delphinus in epistola ad Petrum Barotium Patavinum episcopum [d] pandit varia de Hieronymo Savonarola Florentiæ concionante primorum hominum judicia; spiritu immundo familiarissime utentem aliqui opinabantur, aspirare alii dictitabant ad archiepiscopatum Florentinum; prædixisse per annos aliquot felices futuros Florentinos, hac tamen lege, quod præcessura prius forent multa in eos mala, ac bonam rerum suarum partem fore amissuros. Modo fere jam duos esse menses, quod non concionatur, prohibitus a pontifice per breve apostolicum, sed substituisse sui similem. Occasione Hieronymi de Bernardino Feltrensi addit ad eumdem Barotium ante aliquot annos acriter hunc invectum in publica concione contra Judæos, adeout puerorum multitudinem innumeram concitaverit adversus eos, qua de causa ab octo-viris Florentiæ omnibus præter unum, qui exilio non consensit, in exilium pulsus fuerit; omnes autem octo-viros præter eum, qui non consensit, intra parvum temporis spatium naturæ concessisse. De Ponzonio altero concionatore, qui absente Hieronymo evangelizat Florentiæ, mentionem facit Delphinus in alia epistola ad eumdem episcopum [e]. Ceterum de Hieronymo ait [f] neminem Florentiæ obloqui audere propter metum Florentinorum; quemdam, qui præsumpsit dicere contra ipsum, conjectum in carcerem, equuleo tortum fuisse.

a Lib. XVI. ep. 96.

b Lib. XXII. ep. 31. Ibid. ep. 79.

c Lib. XXIII. cap. 2.

d Lib. XVI. ep. 27.

e Ibid. ep. 78.

f Lib. XVII. ep. 11.

fuisse. Dominica die Palmarum ipsum Hieronymum jussisse fieri supplicationem puerorum ad quinque millia albis indutorum, & cruces ligneas rubei coloris manibus gestantium. Eleemosynam hos petiisse delatam pro indigentibus ad templum virginis Annuntiatæ, præcedentibus tubis domini; jussos esse hos pueros, ut occurrentibus in itinere puellis ornatus capitis earum immodicos per vim auferrent, jamque in aliquas ipsarum eos injecisse manus cum magno propinquorum scandalo; prohibuit statim Hieronymus injectionem manuum, sed imperavit iisdem pueris, ut denuntiarent puellis paulo post interituras ex pestilentia, si non deponerent præfatos ornatus. Eo uno excepto, addit prædicatoribus omnibus interdictam prædicationem, quam singulis festivis diebus vel in templo, vel in palatio facit, primarios ex civibus ad ejus conciones converti, & palam postulare dari sibi loca pro fratribus, cum biscentum habeat, qui propediem sunt religionem ingressuri. Eidem Hieronymo scribit hoc anno [a] Delphinus in favorem Basilii abbatis, qui sententia curiæ Romanæ ejectus fuerat ab abbatia sancti Felicis in Platea Florentiæ.

ANN. CHR. 1496.

a *Lib. XVI. ep. 90.*

XXXV. Alia memorabilia in epistolis Delphini.

MEMORAT alia epistola [b] episcopum quemdam Tarvisinum, de cujus morte extat cardinalis Papiensis prolixior & gravissima epistola. Dubitat, an sit Franciscus Barotius Petri patruus, sed agnoscit fuisse Theodorum de Leliis mortuum ante quadragesimum suæ ætatis annum, primum Rotæ auditorem, tum legatum Pii II. ad Venetos & ad Ludovicum Gallorum regem, apud quem ter oravit, & ad Burgundiæ ducem, quem suam cytharam appellabat Pius II. & fletibus amare compassus est Paulus II. qui ipsum inter S. R. E. cardinales cooptare gestiebat. Marianum [c] insignem concionatorem factum fuisse priorem generalem eremitarum sancti Augustini. Mortuo Leonardo abbate sancti Petri de Rotis, ea abbatia [d] commendata fuit cardinali Senensi protectori; mentionem facit in hac epistola Jacobi fratris ejusdem cardinalis. Novus abbas [e] datus monasterio sancti Bartholomæi de Anglario vexatur in possessione abbatiæ a Julio Vitelio protonotario. Tarentinorum laudat [f] voluntariam deditionem factam Venetis, & consignatas dominio Veneto Apuliæ urbes. Episcopum Pulignanum natione Apulum die ascensionis Dominicæ recognovisse dominium Venetum. Memorat Octavianum oratorem ducis Mediolanensis apud dominium Venetum, qui relicto seculo ad religionem se contulerat, ut remotus a mundano strepitu commodius adhæreret ac copularetur Deo; Marcum pariter Dandulum oratorem Venetum ad Mediolanenses; & demum Innocentium Siculum ordinis Prædicatorum, qui Angeli suasu ante annos prophetias & vaticinia quædam ediderat.

b *Lib. XVII. ep. 30.*

c *Ibid. ep. 31.*

d *Ibid. ep. 33.*

e *Ibid. ep. 69.*

f *Ibid. ep. 90.*

XXXVI. Inventio corporis S. Hilari in abbatia Galeatana.

DE abbatia Galeatæ, & de corpore sancti Hilari hæc habet memoranda in epistola [g] ad cardinalem Senensem. „ Abbatia sancti Hilari in „ valle Galeatæ sita, & a Civitella ecclesiæ oppidulo mille fere distans „ passibus per annos sexaginta commendatariis subdita fuit. In ea servi„ tute laboranti ac desolatæ sicut in vastitate hostili, adeout haud igno„ bilis templi tectum corruerit, & domus tota veluti incendio conflagra„ ta ruinas congesserit, illuxit tandem oriens ex alto, recordatusque est „ Dominus misericordiæ suæ. Liberata enim primum ante annos circiter „ septem de manu filiorum alienorum & restituta ordini, hoc demum „ novissime ditata est munere. Tertia-decima mensis præteriti die (scri„ bit XX. maji hujus anni) cum per multum temporis perseverasset apud „ incolas regionis illius opinio, & fama crevisset jacere in ejusdem abba„ tiæ templo corpus beatissimi Hilari abbatis & confessoris, apposuit „ manus loci illius abbas cum aliis tribus, ad perquirendas Sancti hujus

g *Lib. XVI. ep. 88.*

„ reli-

ANN. CHR. 1496.

„ reliquias. Et quod pro miraculo habitum eſt, duarum aut trium horarum ſpatio perfecerunt opus, quod alias vix decem potuiſſent facere uno die. Effoſsa denique atque aggeſta multa humo, invenerunt lapidem grandem ſuper alium lapidem, utrumque marmoreum, utrumque graviſſimum. Sublatis deinceps atque amotis lapidibus apparuit continuo capſula plumbea longitudinis duorum pedum. Super eam erat lamina itidem plumbea, in qua inciſæ erant literæ. *Hic eſt corpus beatiſſimi Hilari confeſſoris*. Aperta capſula invenerunt caput & oſſa, partim integra, partim confracta. Juxta vero capſulam erat vas teſtaceum pulvere plenum. Vulgari continuo cepit factum per finitima rura, oppida, urbes, & undique virorum ac mulierum incredibilis multitudo confluere. Accerſitus ego compluribus & nuntiis, & literis Galeatani magiſtratus, quos antianos vocant, & rogatus ab eis, ut eo me cum feſtinatione reciperem, tum ad honorandas ſacratiſſimas reliquias, tum ad conſulendum, quid facto opus eſſet ſuper illarum cuſtodia, feci ſatis petentibus. Fuit tamen præcurſor noſter Johannes eremita, quem eo ad primum ſtatim nuntium cum ſocio deſtinavi. Haud multo poſt cum aliis ſuper alias epiſtolis requirerer, ſuperatis alpibus eo me cum pluribus contuli. Apparuit ex occurſu oppidanorum & magiſtratus prætoriſque fuiſſe omnibus optatiſſimus atque expectatiſſimus adventus noſter. Manſimus ibidem per dies quatuor. Occurrente Dominico die, rogatus ab eis, ut Miſſarum ſollemnia in eodem templo celebrarem, & beatiſſimi confeſſoris corpus venientibus oſtenderem, quemadmodum ipſo die futurum divulgari pluribus ante diebus per univerſam regionem illam mandaverant, implevi illorum vota. Mirabilis ſane Deus in Sanctis ſuis. Vidimus vicinos colles a ſiniſtro vallis latere (ſiquidem in eminentiori & conſpicuo loco abbatia ſita eſt) innumerabili hominum concurſu opertos, ita ut ultra quindecim millia ea die conveniſſe creditum ſit. Oblationes quoque haud tenues tum pecuniarum, tum cereorum & funalium ab adventantibus factæ ſunt, peracta prius per jugum montis frequenti ac celebri ſupplicatione. Tandem ſub altare tribunalis primarii reliquias, ubi repertæ fuerant, cum capſula repoſuimus, præpoſitis quatuor civibus rei ædificatoriæ ad contegendum templum, & exornandum præcipue locum, quo decentius beata oſſa conſervarentur. Jam materia cepta eſt convehi, & locatum architecto opus. Speratur hac occaſione futuram facile deſtituti atque inhabitati loci reformationem." Delphini epiſtolam afferunt ſocii Bollandiani tomo III. martii [a].

a Pag. 476.

LXXXVII. De monaſt. Carcerum & Vangaticiæ.

ALEXANDER VI. idibus novembris pontificatus ſui anno quinto committit archipreſbytero eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Montaniana Paduanæ diœceſis cauſam abbatis & conventus ſanctæ Mariæ de Carceribus, qui conqueſti fuerant, quod prior & conventus ſancti Spiritus ejuſdem Paduanæ diœceſis ordinis ſancti Auguſtini parœcialem eccleſiam ſancti Michaelis intra urbem Patavinam contra juſtitiam pacifice poſſideri ipſis prohibebant.

Ambroſius Bernardus abbas commendatarius ſanctæ Mariæ de Vangaticia juxta Bronzerium & Seneſium hoc anno altare erexit in honorem prodigioſæ imaginis beatæ Mariæ Virginis; aram quoque principem conſtruxit, ubi viſitur ejus effigies, ablata tabula, in qua deſcripta erant vita reſque geſtæ beati Nicolai monachi; ſuggeſtum & organa pariter poſuit in eccleſia, & ſub organo hæc ſculpſit carmina.

Orga-

Ann. Chr. 1496.

Organa, quæ multo fulgentia profpicis auro
Auratas aras, pulpita læta vides,
Virgineis meritis gratam teftantia mentem
Munera quæ dederas hic modo fofpes habes.
Bernardo Ambrofius rectas dum tractat habenas
Hujus cum fumma relligione loci.
Lector hortatu patrio Laurentia proles
Pro Chrifti & merito Matris honore dedit.
Domino Laurentio de Anglario vicario Tufco cive Abbatienfe, domino Chriftophoro Rofino cive Abbatienfe, domino Jacobo Bernardo doctore procurantibus 1496. calendis majis.

Obiit hoc anno Julianus Amadei in urbe Lucenfi. Is fuerat olim abbas Valle-caftrenfis, & celebris pictor ac miniator fub Paulo II. Romano pontifice; profeffus erat in monafterio fancti Benedicti extra Florentiam a die duodecima martii anni 1446.

Ann. Chr. 1497. XXXVIII. Excerpta ex epiftolis Delphini.

HISTORICA monumenta, quæ colliguntur fub hoc anno ex epiftolis Delphini, hæc funt [a]: compofitam pacem pontificem Alexandrum VI. inter & Urfinos; inducias autem factas inter fœderatos principes & regem Gallorum Carolum. Florentiæ vero in area illuftriffimi dominii in carnis privio combufta fuiffe ornamenta muliebria, & alia ad ludum minus honeftum & ingenuum pertinentia, ad avertendum populum a lafcivioribus ejus temporis occupationibus. Memorat [b] Benedictam factam monialem Camaldulenfem in parthenone fancti Maglorii de Faventia, quam legitimam non putat Galeoti Manfredi olim Faventiæ principis uxorem, cum ea vivente & fuperftite aliam fuperduxerit, confectis follemniter nuptiis, fuftuleritque ex ea filium & educaverit, qui ei in principatu fucceffit, ac pro principe legitimo habetur ab omnibus; neque facile putat hanc injuriam laturum magnificum virum Johannem Bentivolum ipfius principis maternum avum, quin longe gravius, multoque iniquiore animo paffurus eft princeps puer, cum præfertim in adolefcentiam pervenerit, putari videlicet fe ac exiftimari debere fpurium judicio Rotæ. Supereft ergo, ut Benedicta non uxor, fed concubina fuerit principis Galeoti. Anno fequenti [c] profeffionem, quam de die in diem differebat, emifit eadem Benedicta in prædicto fancti Maglorii monafterio. Gratulatur [d] Cofmo de Pactiis facto epifcopo Arretino per obitum Gentilis de Becchis, & utrumque antiftitem laudat. Citatus fuit [e] in curiam Romanam Dominicus abbas Carcerum a Dominico cardinale Grimano. Nitebatur potiffimum cardinalis, quod falfis & fictitiis inftrumentis procurationum ufi fuiffent ipfe & monachi, neque vere & fponte Petrus abbas fenior ceffionem eidem nepoti fuo Dominico feciffet. Miffi ergo in Urbem prior Montis-crucum germanus abbatis Dominici, & Bernardinus Gadolus, inde etiam Hieronymus de Novatiis monachus Venetus, tum ad confervandam abbatiam, tum ad famam redimendam. Refert [f] jugulatum fuiffe in Urbe ducem ecclefiæ, Borgiam nimirum Gandiæ ducem, ob cujus interitum converfus fit pontifex una cum cardinalibus ad reformandam ecclefiam. Re enim vera Senenfi & quinque aliis cardinalibus probatiffimis viris data fuit a pontifice poteftas & componendi Romanæ curiæ ftatum, & totius ecclefiæ reformandæ. Ad Petrum Delphinum patritium Venetum [g] notum facit *miraculum, quod apud Planetulum oppidum viginti circiter millibus paffuum diftans ab eremo Camaldulenfi in vico Galea-*

a Lib. XVIII. epp. 19. 24.
b Ibid. ep. 40.
c Lib. XX. ep. 34.
d Lib. XVIII. ep. 52.
e Ibid. ep. 57. 61.
f Ibid. ep. 75. 76.
g Ibid. ep. 81.

ta

ANN. CHR. 1497.

ta nuncupato celebri satis ac populoso decima-septima die , antequam ipse transiret, apparuit. In domo vetustissima ejusdem vici imago quædam beatissimæ virginis Mariæ in tabella depicta visa est illacbrymasse, ac guttas densiores candidasque lacti similes e mamma, qua lactabat infantulum, emisisse. Eadem itaque transeuntes, subdit , *re intellecta , jumentis descendimus, ingressique domum veneratum imaginem genitricis Dei, vidimus stillam candidam adhuc hærentem pectori crassioris materiæ , & mirati sumus factum. Obstupefecit nos insuper cubiculum haud exiguum , in quo reposita erat icona , repletum undique intra tam paucos dies tum funalibus cereis , tum sudariis lineis, & aliis oblationibus argenteis. Præter quæ omnia, qui præerant, ex oppidanorum decreto, negotio huic, etiam ad tercentum aureos nummos ab adventantibus fuisse oblatos fatebantur. Concurritur catervatim ex vicinis castellis ac villis, immo ex iis etiam, quæ procul sunt, oppidis ad tam grande spectaculum , excrescente in dies devotione mortalium ob loci reverentiam, & multa, quæ apud ipsum dicuntur fieri miracula .* In eadem epistola refert Hieronymum Savonarolam a novo dominio & a prioribus libertatis impetrasse literas ad pontificem cum subscriptione sexcentorum civium bonum de se testimonium perhibentium, & jam excommunicatum a pontifice parere adhuc noluisse ipsum requirenti , ut Romam iret. Affirmari Florentiæ Pisas venisse in dominii Veneti ditionem quinta julii hujus anni . Ad Gadolum scribens [a] memorat oratores Venetos ad Hispaniæ regem destinatos pro concordia & pace tractanda inter Christianos principes; Mantuanum principem juste a Venetis imperatoria dignitate privatum, parumque fidelem; item opusculum Johannis Nesii de *Novo seculo* in laudem Hieronymi Savonarolæ elucubratum . Rex Hispaniæ [b] expetierat per oratorem suum Venetum, ut ad se demigraret Eusebius Hispanus monachus sancti Michaelis de Muriano ; suadet autem potius Delphinus Eusebio, ut maneat in ea vocatione , qua vocatus fuerat, erudiendo, consulendo omnes confugientes ad se , ut hactenus fecerat, eumque doctrina eminentissimum appellat. Tentos fuisse Florentiæ [c] cives aliquot Petri Medicei fautores extremo supplicio , vel saltem carcerali perpetua custodia, & proscriptione bonorum mulctandos significat in epistola ad Gadolum; Guidonem autem priorem Angelorum in custodiam publicam conjectum . Iterum [d] ad Petrum Delphinum de miraculis agit apud Planetulum patratis ad imaginem Virginis, ubi jacta sunt fundamenta haud ignobilis futuri ædificii. Pisanos cives , addit , viginti , & totidem rusticos evocatos Venetias, Pisas autem advenisse legatum novum Venetum ; cardinalem Dominicum Grimanum electum fuisse patriarcham Aquilejensem ; obiisse Antonium Boldonium unum ex legatis destinatis ad regem Hispaniæ, qui erat virtute & eloquentia insignis. Gratulatur [e] Paulo-antonio Soderino electo vexillifero reipublicæ Florentinæ. Habet in alia epistola ad Gadolum [f] adventum Ferdinandi ducis Ferrariensis Venetias, quem ferunt electum imperatorem Veneti exercitus, restituto illi Pollicinio . In altera autem [g] relatum ex Hispania ad mille diversorum ordinum religiosos, quos vocant conventuales , communi consensu in Africam enavigasse , atque ibidem relicto veri Dei cultu , abnegataque Christiana fide ad ritus sese gentilium transtulisse, eo quod indulgentes vitæ laxiori cogerentur a rege suam quisque regulam observare . Arcem insuper sancti Angeli Romæ fulmine ictam & dissipatam , conflagratis simul munitionibus, quæ intus erant . Basilio demum abbati [h] notum facit obitum Jacobi Sclafinati Parmensis S. R. E. cardinalis, cujus morte libera effecta sit abbatia sancti Felicis in Platea Florentiæ tanto tempore exagitata , quæ

a *Ibid. ep.* 83.
b *Ibid. ep.* 84.
c *Ibid. ep.* 97.
d *Lib. IX. ep.* 28.
e *Ibid. ep.* 34.
f *Ibid. ep.* 54.
g *Ibid. ep.* 60.
h *Ibid. ep.* 61.

quæ sub commendatione erat dicti cardinalis, libera insuper remanserit abbatia Classensis per importunam obligationem Urbani Malumbræ gravata pensione eidem cardinali solvenda.

Ann. Chr. 1497.

Ann. Chr. 1498. XXXIX. De captione Hieronymi Savonarolæ.

EXPECTABATUR hoc anno Florentiæ juxta comminationem Romani pontificis universale interdictum [a], quia Hieronymus Savonarola obstinatissime contra eumdem pontificem concionabatur; neque pontificias diras metuens excommunicatos passim denuntiabat, qui se excommunicatum ajebant. Suas quoque censuras addidit Joachimus prior generalis ordinis Prædicatorum. Cum autem obloqui non desisteret contra pontificem, ipsius reverentia moti Florentini, & ut flagellum interdicti amoverent, senatus consulto decreverunt media quadragesima, ne ulterius ipse in publicum prodiret, & verba ad populum faceret; substituit propterea Hieronymus quatuor sui ordinis, suique similes eodemque imprudentissimo zelo percitos. *Pugnantibus autem*, subdit Delphinus [b] in epistola ad episcopum Paduanum, *contra Ferrariensem aliorum ordinum prædicatoribus, proposuit conclusiones de futura ecclesiæ reformatione, & de mutatione in melius status Florentini, convenitque inter eum, & prædicatorem ordinis Minorum, ut quod ratione non poterat, igne probaretur. Detrectante postmodum Hieronymo hoc incendii periculum facere, cum alter contra instaret, ut fieret, uterque pro se alterum sui ordinis obtulerunt. Igitur septima hujus mensis* (aprilis) *die, annuente illustrissimo dominio, cum in plateam multitudo innumerabilis utriusque sexus hominum convenisset, essetque in eminentiore loco hinc inde disposita lignorum strues longitudinis passuum circiter quinquaginta, convenerunt Minores cum Crucifixo tantum; Prædicatores vero cum apparatu magno, gestante in manibus Hieronymo a suo monasterio in aream civitatis corpus Dominicum. Sequebatur autem illum multitudo magna clientulorum ipsius, quos eadem hora prædicans admonuerat, ut bono essent animo; transiturum siquidem fratrem suum per ignem illæsum, & minime comburendum. Erat cœlum serenum satis illucescente sole. Qua vero hora ingressuri erant ignem, meridie scilicet, ceperunt, sicut tempore Samuelis accidit, mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, ut non defuerint, qui crederent magica illud arte factum fuisse. Eadem hora procella pertransiit. Interea percantata ibidem coram populo a Prædicatoribus fratribus Missa, eisdem alta voce psalmos concinentibus, Minoribus vero submisse orantibus, binis & binis ante Crucifixum, quem secum tulerant, cepit Ferrariensis homo fraudolentus proponere dominio nolle se permittere, ut frater suus incendio se traderet, nisi ferret secum in manibus Dominicum corpus. Contradicente Minorum fratre, & dicente hoc nefas esse, nec stare Hieronymum conventioni & pacto, atque approbante dominio, ut ambo tunicella tantum induti ignem intrarent, nolente Hieronymo solutum est concilium, & omnis illa congregatio plurimum ob perfidiam Ferrariensis scandalizata domum rediit; & nisi indutus fuisset ipse sacerdotalibus, ac manibus gestaret sacrosanctam eucharistiam, ad monasterium remeans, dilaceratus fuisset a populo. Conviciis tamen in faciem insecuti sunt eum. Multi ergo ex discipulis ejus iccirco abierunt retro, & jam cum illo non ambulaverunt. Sequenti die non ferens senatus illusum se fuisse a fraterculo, excitato ad palatium populo & quidem armato, dedit ei potestatem, ut in palatium Ferrariensem adducerent, succenso, si alias non posset, illius monasterio. Appropinquante ad locum multitudine, qui erat & hominibus, & instrumentis bellicis munitissimus, cum e monasterio tormenta conjicerentur, cessit retro populus. Interim egressus per posticum Franciscus Valorius civis primarius Florentinus & Hieronymia-*

a *Lib. XX. ep.* 17.

b *Ibid. ep.* 34.

ANN. CHR. 1498.

nymianæ factionis princeps, multis confossus vulneribus cecidit, mortua prius uxore ipsius, quæ data in prædam domo, cum se tueri e fenestra conaretur, sagitta capiti infixa occubuit. Ancilla quoque domestica eadem hora ab iis, qui ædes invaserant, interfecta est. Edictum est postea decreto dominii, & per præconem publice denuntiatum, ne quis in sancto Marco (huic enim apostolo dicatum est monasterii Ferrariensis templum) remaneret, proposita capitis pœna & proscriptione bonorum, si quis parere contempsisset. Exierunt continuo cives multi, & quidem nobilissimi, ex quibus plerique hactenus latent. Tandem data est provincia quibusdam a dominio, ut oppugnarent monasterium, & Hieronymum vinctum in palatium perducerent. Quod octava hora noctis haud sane facile factum est, repugnantibus viriliter intus fratribus, qui ultra centum erant, & armis bene instructi. Sex interfecti in eo tumultu dicuntur, laici quatuor, fratres duo, vulnerati ad mortem ad quadraginta. Ductus itaque cum duobus fratribus, Dominico videlicet, & Silvestro, in palatium diligenti custodia, heri in equuleum cum eisdem sublatus est.

XL. Dialogus Delphini contra eumdem.

a *Lib. XX. ep.* 49.

ANTEQUAM conjiceretur Hieronymus in carcerem scripsit contra ipsum Delphinus [a] dialogum, ubi damnat contemptum canonum & pontificiæ potestatis, rebellem eum novumque hæreticum appellans, quippe qui doceret audienda non esse pontificia mandata, neque formidandas ipsius censuras. Librum suum subjecit Delphinus censuræ præpositi Omnium Sanctorum & Petri de Albertis clarorum jurisperitorum, legendumque postea tradidit Barotio episcopo Patavino, Octaviano Sinuessano, Dominico Mauroceno & cardinali Senensi, cui etiam dicatum voluit.

XLI. Interitus Savonarolæ.

ALIA epistola ad eumdem episcopum Patavinum interitum ejusdem Hieronymi describit his verbis: *Habita bis quæstione & prius per dominium, & postmodum per delegatum a pontifice una cum generali ordinis ad exprimendam veritatem, quam post primam confessionem inficiatus fuerat, equuleo depositus, longe plura, quam prius fecerat, manifestavit facinora. Lata demum in eum & socios duos ejusdem religionis sententia, Dominicum videlicet de Piscia, & Silvestrum Florentinum, ut per cruciatum necarentur, pridie ejus diei, quo Ascensionis Dominicæ sollemnitas celebratur, e palatio, ubi custoditi in vinculis fuerant, trahi ad supplicium jussi sunt. Aderat in eminentiori loco episcopus indutus sacerdotalibus vestibus atque insignibus,* (Franciscus Remolinus) *aderant diversorum ordinum religiosi multi, aderat simul in platea populus confertissimus. Degradati in omnium oculis traditi sunt statim in laicorum manus, perlecto prius alta voce processu eorum, quæ perpetraverant. Erecta erat trabs altissima in fori medio, circumposita ei lignorum strue. Ad eum locum revinctis post tergum manibus, & sola amicti brevi tunica super nudo, per extructum altius tabulatum deducti pependerunt in ligno, ac laqueo exanimati suffocatique sunt. Statim vero singulas eis catenas, quæ trabi erant affixæ, ad collum injecit carnifex, & subjecto igne, magno spectantium horrore concremati sunt; siquidem ne capillus eorum superfluit. Redacta in cinerem corpora jussu dominii in Arnum fluvium accuratissime demersa sunt, quod cepissent mulierculæ rogo appropinquare, ut asportarent vel mortui fratris cineres. Ceterum expectantibus multis, ut aliquid loqueretur ad populum, cum ultimo loco traheretur in patibulum, veluti amens atque attonitus, nec attollere oculos, nec hiscere ausus est, qui tanta olim audacia prædicaverat. Hanc tantum fuisse ejus ultimam vocem affirmant, quod cum ab episcopo, qui ipsum degradavit, pronuntiari audisset, præcisum se esse ab ecclesia, confestim respondit:* Militante. *Superbum meo judicio responsum. Hoc quoque non præteribo silentio fuisse illum*

illum pendentem in ligno, a puerorum multitudine saxis impetitum, a quibus antea solitus erat in templo ante prædicationis initium hymnis & laudibus excipi. Illud quoque animadversum est, præter communem, qui publice necantur, morem accidisse, nullius eorum, qui aderant, fuisse exauditam vocem, quæ, dum Hieronymo a carnifice adimeretur spiritus, Dei misericordiam imploraret, quando pro damnatis vel ob gravissima facinora etiam altissimis clamoribus cœleste auxilium tunc temporis consueverit a populo invocari. Hic fuit seditiosi atque hæretici hominis exitus, qui tumore inflatus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Admonitus pridie vesperi, ut se ad mortem sequenti die subeundam præpararet, dure accepisse nuntium dicitur, ac per fere totam noctem admonentes se rejecisse; quocirca si securus hinc exierit, ego non sum securus. Ejusdem Hieronymi obitum, facinora, plerasque non injucundas circumstantias descripsit spectaculo præsens Bernardinus Gadolus prior Angelorum de Florentia in epistola ad Cl. VV. Sebastianum Baduarium, Hieronymum Georgium, & Marcum-antonium Maurocenum patritios Venetos & equites auratos die XXIV. maji hujus anni, quam, Deo dante, cum ceteris epistolis ipsius, aliorumque scriptorum hujus ævi aliquando in publicam lucem proferre est animus.

ANN. CHR. 1498.

XLII. Oppugnatio Camalduli, & miraculum S. Romualdi.

GUM gravissima exarsisset in curia Romana lis inter cardinalem Grimanum, & Dominicum Boldù abbatem Carcerum, demandata fuit examinatio testium [a] in causa cessionis ejus monasterii Petro Barotio episcopo Patavino. Cardinalis Senensis [b], qui sibi fecerat commendari abbatiam Rotensem, eam ordini liberam restituit. Genevræ Bentivolæ magnificæ comitissæ Bononiensis votis facturus satis Delphinus [c], transmittere cogitabat Bononiam abbatissam & tres moniales ex Prato-veteri ad reformandum monasterium sanctæ Christinæ de Fundatia, in quo recens defuncta erat abbatissa, sed prohibitus a propinquis monialium Prato-veterensium ommittere coactus fuit suum pium desiderium. Quare accersitis monialibus alterius ordinis, & ejectis pluribus monialibus loci incolis, Bentivola dissipationis potius quam reformationis causa fuit, ut dicemus anno sequenti.

a *Ibid. ep.* 17.
b *Ibid. ep.* 65.
c *Ibid.* 98. 99.

Interea Delphinus [d] Venetias proficiscitur cum mandatis dominii Florentini ad Venetos ad firmandum fœdus vel pacem. Venetiis existens carptus fuit a suis conterraneis, quod nimium amoris ostenderet erga Florentinos, plurimumque causam suam egit, ut demonstraret se a simulatione abhorrere, odisse tractare negotia secularia, pacem dumtaxat inter diffidentes cupere & requirere. Reversus ad kalendas novembris ex Venetiis Camaldulum, invenit totam Casentinatem regionem Venetis armatis repletam, domum suam Musoleæ, quam recens ædificaverat, a Carolo Ursino uno ex ductoribus copiarum Venetarum occupatam, ducem pariter Urbini una cum Petro Mediceo depopulatum bona regionis, & bona Camaldulensia, quique etiam ipsum monasterium Fontis-boni seu Camalduli-majoris obsidere erant parati. Exercitus Venetus advenerat, ut Pisanos contra Florentinos adjuvarent, hosque obsidionibus, direptionibus & oppidorum suorum occupationibus defatigarent, atque ad pacem adigerent. Florentini, intellectis consiliis Venetorum invadendi Camaldulum, quandoquidem ea erat lex veteribus conventionibus firmata, ut defendere tenerentur Camaldulensem eremum eorum protectioni commendatam, introduxerunt milites suos in Camaldulum; quare indignati exasperatique Veneti, eorumque ductores ad ejusdem loci obsidionem processere die tertiadecima novembris ducto exercitu sex millium equitum partim, partim peditum. Frustra legatis Venetis, frustra Marco de Sanctis secretario duca-

d *Ibid. ep.* 77.

 li,

Ann. Chr. 1498.

li, immo & ipsi dominio Veneto scripsit Delphinus, incassum suam cum Florentinis confœderationem, justamque & necessariam defensionem objecit. Recedens ergo pridie ejus diei, quo commissum fuit prælium, & Florentiam veniens, locum militum aggressionibus & furori expositum reliquit. Pugnatum fuit a sexta-decima hora diei ad primam noctis, desiderati ad quadraginta, plures vero vulnerati exercitus Veneti, nullus autem eorum, qui Florentinorum nomine monasterium tutabantur, ne vulnere quidem affectus. Sagitta in crure ictus dux Urbini, qui reversus domum sancte pollicitus est, se imposterum loca Deo dicata nequaquam bello aggressurum. Oppugnationem hanc Camalduli prolixa epistola [a] describit idem Delphinus ad Barotium episcopum Patavinum, & in prolixiore sequenti addit, quod a fide dignis audiverat, & celebre factum fuerat etiam per adversæ partis primarios milites & copiarum duces, visum scilicet pluribus ex iis, qui Camaldulum obsidebant, monachum quemdam venerandum facie, augustumque aspectu & majestatis plenum promissa barba, dum dimicaretur, in fastigio turris templi sub divo firmiter constitisse, & præcinctum ac suffarcinatum tegulas inde lapideas jactu infatigabili devolvisse. Ceterum conatos primum sagittarios multos balistis monachum disiicere, non modo non potuisse in eum sagittas dirigere, qui facile omnium undique ictibus videbatur expositus, sed ne emittere illa quidem & contorquere, donec clarius animadverterunt alium illum esse, quam domesticum monachum & mortali carne indutum, angelicum videlicet quempiam, aut, quod magis creditur, patrem & ducem Camaldulensis ordinis Romualdum. Id vulgatum non in sola Etruria, sed in agro Piceno & alibi, quo ex militia rediit hostis, cum singulari attestatione justitiæ & virtutis Dei. Impetravit postea Delphinus a Romano pontifice potestatem absolvendi eos monachos & eremitas, qui justo prælio interfuerant, si quam irregularitatem incurrissent. Interea Florentini, ut Biblenam, ceteraque Casentinatis regionis loca recuperarent, elegerunt in ducem exercitus sui Basilium Camaldulensem abbatem sancti Felicis in Platea, qui ea occasione, ut etiam attingemus annis sequentibus, magnum sibi nomen fecit imperterrita sua animi magnitudine, consilio & solertia in rebus gerendis, & ad devotionem populi Florentini revocandis oppidis & castris, quæ se dederant hostibus.

a Ibid. epp. 17. 18.

Transiens Ferrariam Delphinus in suo reditu ex Venetiis memorat [b] Bernardum Bembum vice-domini munere fungentem Ferrariæ.

b Lib. XXI. ep. 17.

XLIII. Gadolus fit prior Angelorum de Florentia.

Cedente hoc anno Guidone prioratui sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, servata sibi tertiæ redditutum partis pensione, & electo Francisco Piccolomineo cardinale protectore in procuratorem ad recipiendam dictam cessionem, Delphinus egit apud ipsum cardinalem, ut impetraretur pontificia bulla, qua ad reformationem præfati monasterii fas sibi priori generali foret pro hac vice sine suffragiis conventus monachorum eligere primum priorem, qui non ad vitam, sed ad nutum generalis administrationem gereret ejus monasterii; posthac vero electio foret annua, & monachi suffragium præstarent. Impetrata fuit bulla, sed ea conditione, ut electus ad triennium dumtaxat in officio prioratus permaneret. Assumptus autem fuit Bernardinus Gadolus in priorem ex monasterio sancti Michaelis de Muriano, commissa exequutione pontificiæ bullæ abbati sancti Felicis Basilio tertio-decimo kalendas martii pontificatus Alexandri VI. anno VI. Reluctati sunt quidem plures ejus loci monachi, quorum incentor præcipuus fuit Gabriel monachus olim congregationis sanctæ Justinæ, imminutam asserentes auctoritatem suam in sufficiendo priore, quam

quam cum obtinere nequirent, saltem expostularunt, ut Delphinus priorem proponeret a conventu monachorum statim eligendum; sed restitit ipse Delphinus, aditoque dominio obtinuit, ut bulla electionis vim haberet; magnaque totius civitatis exultatione & sollemnitate inductus fuit in possessionem monasterii Gadolus, qui tum doctrina sua, tum integritate vitæ unus erat futurus, per quem reformatio introduceretur in dictum monasterium. Guido autem non expectato successoris ingressu, aufugit ex Florentia, & in Urbem se recepit, ne villicationis suæ rationem redderet.

ANN. CHR. 1498.

ACCIDIT hoc anno, testimonio & verbis Fortunii, in oppido Balnei miraculum imaginis beatæ Mariæ virginis, quæ fluxit sanguine. „ Cum „ enim municipes Balneenses multas discordias & inimicitias inter sese ge„ rerent, & cædibus essent intenti, Bocius Dietajuti preces Deo ante ima„ ginem reginæ cœlorum & matris gratiæ in domo sua fundebat, accen„ sa facula de tertia vigilia noctis, rogans ipsam beatam virginem, ut „ tantis discordiis finis imponeretur. Fuit is dies decimus-nonus januarii. „ Ecce autem quod de sinistro imaginis brachio sanguinem profluere vi„ det, clamoreque elato, confluunt principio vicini, omnesque sanguinem „ leniter profluere attoniti vident, & quasi in momento ea late per to„ tum oppidum invulgata fama, concurrunt omnis utriusque sexus mul„ titudo, tundunt pectora pugnis singuli, iteratis vocibus misericordiam, „ misericordiam conclamantes. Cum vero post duas horas se contraxis„ set sanguis, advenientibus inter extremos Sancta & Lucretia feminis, „ quæ diras inter se inimicitias exercebant, rursus duæ guttæ sanguinis „ illico supra priorem cadunt. Quo viso prodigio altera alteri se incli„ nat, veniam postulat, & pacem mutuo ineunt. Quarum exemplo ab „ aliis quoque dimissis invicem injuriis inter omnes familias, advenit illi„ co abbas, & venerabili imagine ex pariete in manibus recepta omni „ multitudini benedixit, assistentibus monachis, factaque per oppidum „ sollemni supplicatione, hanc ad templum abbatiæ portavit ad aram „ illic erectam, ubi regina cœli condigna colitur veneratione, multis mi„ raculis ibi coruscantibus. Præstanturque ibidem beneficia participationis „ bonorum spiritualium ordinis Deum ibi precantibus, ex largitione Pe„ tri Delphini generalis. Datum XXVIII. januarii, sicut Petrus a Por„ ticu, alias Candidus, literis mandavit. " Id contigisse duodecimo Kalendas februarii scribit Delphinus in epistola ad Bernardinum Gadolum [a].

XLIV. Miraculum imaginis B. Mariæ V. in Balneo.

Compositionem inter Benedictum priorem sanctissimæ Trinitatis extra Faventiam, & inter rectorem ecclesiæ sancti Antonini quoad ædificationem novæ ecclesiæ ejusdem sanctæ Trinitatis coram Martino Scardano vel Scacchio vicario episcopi Faventini amandamus ad Appendicem.

Alexander VI. pontificatus anno VII. XXX. septembris commendavit prioratum sancti Martini de Cellulis Camaldulensis ordinis Senensis diœcesis cardinali Francisco Piccolomineo, sed commendationi cedente cardinale, tertio-decimo Kalendas decembris pontificatus æque anno septimo ipsum contulit Mariano monacho eremi de Vivo ordinis Camaldulensis, committens vicario archiepiscopi Senensis, ut eumdem in possessionem immitteret. Prioratus de Cellulis subjectus erat abbatiæ sancti Petri de Rotis.

a Lib. XIX. ep. 90.

ANN. CHR. 1499.

VIX annum in prioratu sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia compleverat Bernardinus Gadolus, quod immaturo fato correptus vi morbi cessit die XXII. aprilis hujus anni. Ejus acerbam mortem deplorat Delphinus in epistola [b] ad conventum sancti Michaelis de Muriano, jactura-

XLV. Obitus Bernardini Gadoli.

b Lib. XXI. ep. 66.

ANN. CHR. 1499.

ctuaramque universi ordinis amaris planctibus deflet. Virum laudat, cujus ingenium facile & copiosum, cujus memoria singularis, ita ut ad omnia, de quibus sermo incidisset, paratum haberet responsum. Amabatur Florentiæ ab eruditis hominibus, & ab honoratissimis ac nobilissimis civibus, qui vix delibaverant jucundissimam ipsius conversationem, deferentes ei in omnibus, consultumque optime fuisse prædicantes Angelorum monasterio, & totius civitatis expectationi; sublatum propterea inopinata morte graviter doluerunt. Virosa infirmitate invasus quarta-decima a decubitu die fragiles has umbras reliquit annos natus triginta-sex, in lucem editus anno 1463. die XXII. februarii. Elatum ejus funus magna pompa monachorum & prælatorum, & totius urbis concursu. Suffectus fuit ad annum a conventu monachorum juxta breve pontificium Bartholomæus Morsius monachus ejusdem loci.

XLVI. De virtute bellica Basilii abbatis.

DESCRIBIT Delphinus cardinali Senensi [a] virtutes Basilii abbatis, qui patriam liberavit de manibus opprimentium illam, & quod miles non potuit, monachus auctoritate, gratia, consilio, industria, cura, vigilantia & ingenii dexteritate fecit. Laborum patientissimus, noctes diesque insomnes ducens, cum parva rusticorum manu hac illacque discurrens effecit, ut capto per insidias Biblenæ oppido, reliqua hortatu suo fidem Florentinis servaverint, quæ alias pavore perterrita de deditione tractabant; ab hostibus alia capta ipse recepit, prædam retulit de hostium copiis ingentem, abacta gregum, armentorum & equorum multitudine copiosa. Recepta castra mœnibus & propugnaculis munienda curavit, centuriones in iis constituit, misit custodes ad transitum alpium, intercepit literas hostium, & solerter ab illorum insidiis se præcavit; idque fecit rogatu dominii Florentini ob suum amorem in patriam, nullum occidens, nullum saucians, vitam quinimmo a ceteris exercitus ducibus impetrans pluribus suspendio & jugulo destinatis. Dispensationem ergo ab irregularitate obtineri pro Basilio petit ab eodem cardinale.

a *Ibid. ep.* 74.

XLVII. Quæ ad historiam hujus temporis, & ad rem Camaldulensem faciunt, ex epistolis Delphini.

JULIO Nicolai Vitellii filio episcopo nuper electo Tipherni gratulatur Delphinus [b]; pacificatos gaudet [c] cum Venetis Florentinos. Narrat [d] excursionem Turcarum in agrum Jaderensem, & paratam classem navium & triremium magnam a Venetis contra ipsos. Fama vulgaverat [e] classem Turcarum incendio conflagrasse, captis a Venetis imperatoris Turcicæ classis nepote, & genero magni Turcæ. Rem tamen male gestam cum Turcis habet alia ad Petrum Delphinum patritium Venetum epistola [f], segnitie Antonii Grimani imperatoris classis Venetæ, & memorabilem defensionem navis Venetæ, quam regebat Vincentius contra multas Turcarum naves; in qua postrema epistola etiam habet, quod cum Paulus Vitellius imperator Florentini exercitus abduxisset copias suas ab expugnatione Pisarum irrequisito dominio, & castrametatus esset octavo ab urbe lapide, tentus apud Cassinam est, ac Florentiam magna custodum vallatus multitudine, vinctusque compedibus & manicis ferreis, pridie Kalendas octobris hujus anni deductus. Ingressus civitatem tertia noctis hora coram senatu in palatio sistitur. Mox ad quæstionem de illo habendam consurgunt, quibus demandatum erat negotium. Propositis tormentis cum inficiaretur se aliquid facinoris commisisse, tandem equuleo impositus ad octavam usque horam noctis continuata quæstione acriter tortus est. Quid fuerit confessus, aut cujus criminis reus extiterit, vulgo ignoratur; nisi quod non temere factum creditur, ut exceptus magno populi odio sequenti die in suprema palatii parte capite amputato & deciso truncus jacuerit. Convenerat populus frequens ad palatium, cui a tortoribus caput osten-

b *Ibid. ep.* 76.
c *Ibid. ep.* 79.
d *Ibid. ep.* 92.
e *Lib. XXII. ep.* 6.
f *Ibid. ep.* 23.

ostensum est. Vitellotius fratre tento, cum & ipse expetiretur, atque, ut multi afferunt, in alia parte castrorum captus esset, elapsus e manibus militum Florentinorum, saucius tamen, evasit, atque a Pisanis receptus est. Paucis post diebus civis quidam Burgensis tamquam rei conscius laqueo fuit suspensus, secretarius autem Pauli Vitellii Tiphernas civis in carcerem conjectus. Ictum fœdus refert [a] inter Gallum regem ejusque fœderatos, & inter Florentinos, ac inter ceteras fœderis conditiones propositam restitutionem urbis Pisanæ Florentinis & aliorum oppidorum post adventum regis in Italiam, præter ea, quæ Genuenses tenent; datum ab eodem rege iisdem Florentinis in exercitus imperatorem fratrem cardinalis sancti Petri ad Vincula; Florentinos e contra cogi intra tres menses numerare regi Gallorum quinquaginta millia nummum aureorum, & quadringentos equites ac tres mille pedites pro tuenda urbe Mediolanensi. Sexdecim conditionibus firmatum fuit pactum. Turcas etiam habet excurrisse in Forum-julium cum magna Venetorum strage. Obiit [b] Angelus Nicolinus ex primariis civibus Florentinis vir exercitatus in negotiis reipublicæ suæ tam domi, quam foris, qui perspicaci judicio & singulari consilio præstabat.

Ann. Chr. 1499.

a *Ibid. ep.* 24.

b *Lib.* XXII. *ep.* 38.

Abbatia Deciani collata a Delphino monacho Camaldulensi, a pontifice fuit commendata Antonio de Monte auditori Rotæ, qui Delphino scripsit, ut instaret apud Paulum Vitellium ducem exercitus Florentini, quatenus liceret sibi pacificam possessionem ipsius monasterii consequi. Pluribus epistolis [c] conquestus est Delphinus cum Antonio, qui sibi familiaritate erat conjunctus, quod bonis ejus abbatiæ inhiasset; cedere tamen coactus fuit ob potentiam & favores, quibus fulciebatur auditor. Alter similiter Rotæ auditor Petrus de Accoltis Arretinus [d] vacantem abbatiam sancti Martini de Tiphio sibi commendatam occupavit. Quatuor priores Montis-oliveti [e] proposuerunt unionem congregationis suæ cum congregatione Camaldulensi. Laurentius de Stia eremita Camaldulensis [f] cum in choro ad horam Sextam caneret: *Deprecatus sum faciem suam in toto corde meo*, inopinata morte defecit, quasi sedere volens prolapsus in choro. Detulit habitum ordinis ultra quinquaginta annos, quorum trigintaquatuor in eremo; decessit senex, plenusque dierum & meritorum, ob quæ venerationem semper obtinuit apud posteros. Florenti vero ætate decessit [g] Lucas de Zonio abbas Classensis, quem sub die XX. decembris multis laudum præconiis extollit Delphinus in epistola ad Venturam vicarium. Suffectus est in ejus locum Samuel a Seta.

c *Lib.* XXI. *ep.* 100.

d *Lib.* XXII. *ep.* 19.

e *Ibid. ep.* 39.

f *Ibid. ep.* 22.

g *Ibid. ep.* 100.

Quoad abbatiam Tiphii Alexander VI. pontificatus anno VII. die XXII. aprilis ad petitionem Petri de Accoltis commendatarii abbatiæ de Trivio univit huic abbatiæ alteram de Trivio ad vitam ipsius Petri; eo obeunte decrevit, ut monasterium Tiphiense reverteretur ad pristinum statum suum, ita tamen ut idem Petrus debitum monachorum numerum servaret in hoc Tiphii cœnobio. Vita functo hoc ipso anno Michaele abbate Tiphii, idem pontifex iterata bulla die XXVII. junii eamdem unionem confirmavit. Die XXVIII. februarii anni sequentis cedente Petro de Accoltis utrumque monasterium ordini Camaldulensi, cujus erant, pontifex univit abbatiam Trivii cum altera sancti Felicis in Platea Florentiæ, cui præsidebat Basilius abbas; Tiphiensi autem monasterio dedit abbatem proprium, concessis super eo, immo super multis aliis monasteriis Camaldulensibus, nempe sancti Felicis, sancti Johannis de Saxo, sancti Bartholomæi de Anglario, sancti Angeli de Vergareto, pensionibus præfato Petro de Accoltis, qui appellatur clericus Arretinus, capellanus papæ & auditor

Ann. Chr. 1499.

tor causarum palatii apostolici; ex tabulario Fontis-boni [a]. Nominatur etiam Bernardus Accoltus scriptor & familiaris pontificis.

Johannes Ruffus vicarius & procurator abbatiæ Montis-christi contulit presbytero seculari abbatiam sancti Pancratii de Moriano diœcesis Marianensis, quæ subjiciebatur illi Montis-christi.

a §. *Unio* 26. *A.* 5. 22.

Ann. Chr. 1500.

XLVIII. Periculum pontificis Alexandri VI.

NONNULLA habemus in epistolis Delphini sub hoc anno spectantia ad historiam pontificiam. Comitissæ cujusdam jussu [b] delatæ fuere ad Alexandrum VI. literæ veneno infectæ, ut contactu illarum enecaretur. Verum tenti latores, qui confessi fuere scelus, cujus erant conscii, & conjecti in vincula, ut ultimum de eis supplicium sumeretur. Capta quoque fuit comitissa ab exercitu Francorum, qui pontificis nomine ipsius urbem obsederant. *Vespere ejus diei* [c], *quæ sollemnitatem apostolorum Petri & Pauli antecedit, cum primis statim tenebris in signum lætitiæ & campanarum sono & facium atque ignium ardore civitas tota & præsertim palatium & curia pontificis exultaret, recepit se pontifex eadem hora captandæ auræ gratia, uno solo comite cardinale contentus, ad eam palatii partem, quæ portæ ejusdem imminet, unde commodius ignes prospectaret. Ambobus ibidem stantibus & pariter colloquentibus ex turri horologii, quæ tecto extabat, ubi complures erant faculas succendentes & campanis pulsantes, palus ferreus decidens pondere librarum triginta-sex, perforato palatii tecto, inter pedes pontificis & cardinalis lapsus est. Terruisse profecto inopinatus ac subitus casus utrumque debuit, neutrum tamen læsit. Sequenti die, cum celebratis de more Missarum sollemniis rediisset a templo in palatium pontifex, hora circiter vigesima-prima coorta est subito tempestas sævissima, adeout incredibili ventorum vi pluvia & grandine permixta evertendæ funditus urbis ædes atque arbores radicitus evellendæ putarentur. Erat tunc pontifex in aula inferiori, quæ Pontificum cognominatur, sellæ suæ apparatu pontificio ornatæ insidens. Aderant præterea cum eo quinque tantum; cardinalis Capuanus, episcopus Helnensis, Adrianus secretarius apostolicus, & cubicularii duo. Jussi secedere ad contigua loca secretario & altero ex cubiculariis ad scribendum, mox sæviente procella mandat Capuano & alteri cubiculario pontifex, ut occluderent e regione fenestras, & episcopo imperat, ut egrederetur ad deducendum ad se cardinalem sanctæ Praxedis, qui præ foribus palatii stans expectabat admitti; atque ita factum est, ut pontifex in eadem sella residens remanserit solus. Eodem momento temporis caminus, qui supra tectum eminebat, vi ventorum impulsus corruit, discussamque tecti contignationem in pavimentum aulæ superioris Pontificum, quod aulæ inferiori, ubi erat pontifex, supereminet, dejecit. Pavimentum pressum adeo gravi pondere, & ipsum impetum ferre nequaquam sustinens, repente confractum est, cujus trabes crassissimæ inferius devolutæ ab utroque pontificis latere consederunt. Tantam vero secum ruderum molem pertraxerunt, tantam oculis pontificis offuderunt pulveris nubem, ut facile suffocari potuisset, nisi pannus ille sericus, qui ad ornatum sellæ capiti ejus impendebat, procidens ipsum operuisset. Ex ea ruina sublatus pontifex atque haud omnino illæsus effecit, ut mortuus paucis post diebus creditus sit.* Hæc duodecima julii scripsit ad Barotium Delphinus, qui initio epistolæ dixerat: *Percrebuerat apud nos his diebus pontificem summum tegula ictum, quam fulmen dejecisse, expirassee; quod falso vulgatum est. Accipe tu rei veritatem, quam a fide dignissimo heri didici.* Jubilæum indixerat pontifex hoc anno [d] in Urbe, ad quam confluxit copiosa populorum multitudo. Cardinales duodecim [e] mense septembri creavit. Ad Hieronymum priorem

a *Lib.* XXII. *ep.* 51.
c *Lib.* XXII. *ep.* 13.
d *Lib.* XXII. *ep.* 53.
e *Lib.* XXIII. *ep.* 63.

rem Camalduli Veronensis scribit, *de Valentini ducis successu hic multa incertis tamen rumoribus referri. Veriti sunt Casentinates, ne ad oppugnanda viciniora oppida, Burgum utique atque Anglarium accessisset. Divertit tamen alio iter, cum magna, ut fertur, totius Flaminiæ trepidatione ac tremore*. Et Petro Delphino patritio Veneto post paucos dies: *Supervenit ex Balneo nuntius, asserens Valentini equites quingentos Civitellam advenisse, quæ a Galeata Florentinorum vico uno tantum distat milliario; expectari etiam plures retulit*.

ANN. CHR. 1500.

XLIX. Alia memorabilia ex Delphini literis.

LUDOVICUS Mediolanensis dux [a] ejectus a Gallis, magno conflato exercitu in Germania, revertitur in Galliam Cisalpinam, pulsoque Gallorum exercitu, populo annuente Mediolanum ingreditur, recuperatque urbem præter arcem munitissimam. Mulctatur, & relegatur ad tempus a Venetis is, qui legatione apud Forum-julii infideliter seu infeliciter functus fuerat. Antonio autem Grimano [b] imperatori classis navalis Venetæ contra Turcas, ob infaustam expeditionem, remque male gestam adversus ipsos, dies dicta; sententia senatus [c] perpetua relegatione in quamdam insulam fuit deportatus. Ad Delphinum patritium Venetum scribens [d] refert Mediolanenses a Gallis defecisse, cum Itali Gallorum mores tolerare non possent; publicatas inducias inter Maximilianum & Gallorum regem, servato Venetis loco ad Kalendas martias; sedi apostolicæ non esse parvam curam rerum Venetarum; ceterum Venetos relictos solos ad tuendam religionem Christianam; si Hispana classis sexaginta navium supervenerit, facilius dissolvi poterit obsidio Methonæ, quam faciunt Turcæ, expugnatæ demum ab his [e].

a *Lib. XXII. ep. 61.*
b *Ibid. ep. 62.*
c *Ibid. ep. 100.*
d *Lib. XXIII. ep. 53.*
e *Lib. XXIII. ep. 62.*

L. Lis inter Grimanum card. & monachos Carcerum.

IN causa Carcerum [f] confectum fuit prolixum examen ducentorum testium a Petro Barotio episcopo Patavino. Spreto hujusmodi processu, prior Montis-crucum denuo Romam vocatur propter eamdem causam, conjicitur in carcerem, sed liberatur a cardinale protectore. Alii [g] ex Patavio, alii ex Venetiis Romam citantur, ut adversarii contra eos viderentur non litigare, sed sævire. Vocatus ad curiam etiam Bonaventura vicarius congregationis sancti Michaelis annum septuagesimum-secundum agens. Defensores innocentiæ monachorum, monachique tuentes jura sua non solum vinculis constricti, sed etiam equuleo torti, ut instrumentum procurationis & cessionis factæ olim ab abbate Carcerum Petro Boldù falsum confiterentur. Cessit tormentis [h] Bernardinus prior Orbisii, & dolore gravatus instrumentum falsum fassus est, diutissime autem & constantissime inficiatus est Jacobus monachus a Villa-fora. Sed de his audiatur Fortunius [i]. „ Cardinalis Grimanus chartam procurationis in favorem Dominici scriptam falsam fuisse contestatus est; exierat quippe fama notarium „ advocatum fuisse cum testibus, mortuo jam abbate, suppositumque re„ tro cortinas lecti hominem pro illo loquutum. Id, quod jam falsum vidimus ex die electionis Dominici in abbatem, & ex die obitus Petri senioris abbatis. „ Igitur pontifex cardinalis verbis fidem adhibens, faci„ nusque vindicandum judicans, causæ cognitionem Petro episcopo Cæse„ natensi generali cameræ auditori legat, cum potestate substituendi. Vo„ luit autem diem dici parti, atque consciis facti, ut singuli præsentes „ Romam ad contestandum litem sese conferrent. Ipse vero causam sub„ delegavit Johanni-antonio Trivultio juris-consulto mense novembris. Obie„ rat per eos dies notarius, qui paginam mandati confecerat. Dicta die „ testibus, Dominico, Bonaventuræ atque monachis Carcerum, omnes „ Romam profecti sunt sine mora, præterquam Bonaventura & Domi„ nicus, qui ægrotabant. Ibi autem cum omnes coram judice stetissent, ille

f *Lib. XXII. ep. 60.*
g *Ibid. ep. 73.*
h *Ibid. ep. 100.*
i *P. II. lib. cap. 13.*

ANN. CHR. 1500.

" ille eos de judicio sisti, nec migrandi ex Urbe in primis promittere coegit, sacramentumque vadimoniis firmare, deinde omnes viritim in equuleo levati, ac super falsitate mandati diutius examinati ac torti. Primi fuerunt testes Zacchæus Zacchius Patavinus, Marcus Manzonius, & Martinus a Montaniana; subinde monachi, qui partibus Dominici magis favere credebantur. Inter quos Bernardinus Tarvisinus olim Petri abbatis cubicularius, Franciscus Vicetinus, Jacobusque ex Abbatia Pollicinii pondus centum librarum ad pedes per unius horæ spatium sustinuere hostili crudelitate suspensi manentes, superadditis lorica & compedibus. Ex qua crurum extractionis pœna, primus tantum sudoris depositus in terram profudit, ut vas aquæ effundi visum sit, nec per duos menses sese movere potuit; alii duo veluti carbo Æthiopesque effecti diutissime sensum amisere, adeout mortui existimarentur. Gessit item se tanta crudelitate judex & sævitie, ut illos quoque in aere suspensos verberari fecerit, adeout non innocentium monachorum atque sacerdotum, sed scelestissimorum causam tractari credidisses, iis deductis ac reductis multoties manibus post terga revinctis ex carcere Turris-nonæ ad judicis tribunal. Difficile dictu est, quantum ejusmodi judicii infanda discussio protectoris, generalis, necnon quamplurimorum nobilium Venetorum animos exulceraverit, quam studiose mutationem judicis proinde fieri procuraverint. " Addit Delphinus Paulum Boldù fratrem Dominici abbatis, & priorem tunc Montis-crucum, & Bernardinum sanctæ Mariæ de Orbisio priorem, præter carceris squallorem & super equuleum distensionem privatos beneficiis suis fuisse, & ignominiose ex Urbe ejectos cum sponsione enormis summæ pecuniæ pro obtinenda liberatione a carceribus. Commendaverat Delphinus [a] monachos Romam missos Petro Cæsenæ episcopo, quandoquidem ab omnibus summæ integritatis antistes, & singularis cultor justitiæ prædicabatur, Guillielmo de Pereriis [b] auditori sacri palatii, & ipso hoc anno defuncto [c], Dominico Jacobatio auditori, [d] Antonio de Monte alteri auditori, sed præsertim cardinali protectori, qui multa dignatione & pietate vinctos visitationibus & auxilio fovit, & pro viribus consolatus est [e]. Nil tamen profecit, & Hieronymum quoque priorem Camalduli Veronensis procuratorem in vinctorum locum Romam missum conjecerunt in carcerem adversarii, comminati se in Tiberim projecturos ipsius fautores. Examen demum causæ remissum fuit ad alium judicem, continuataque est ad sequentes annos controversia mitiori judicio. Fortunius superiora cognovit a monachis, qui convixerant cum prædictis vinctis, & præsertim cum Jacobo, qui postea obtinuit cœnobium sancti Salvatoris sive Salvarii, & optima senectute confectus, condito cum licentia generalis testamento, hæredem instituit monasterium Carcerum sub Elisæo abbate.

a Lib. XXII. ep. 86.
b Ibid. ep. 93.
c Lib. XXIII. ep. 96.
d Lib. XXV. ep. 95.
e Lib. XXIII. ep. 65.

LI. Historica plurium monasteriorum.

PARENTINUS episcopus [f] exemplo suorum antecessorum abbatiam sancti Michaelis de Lemmo ab apostolica sede impetravit; commendatum fuit negotium in curia Romana ad tuenda jura eremi Camaldulensis, ad quam pertinebat, & confirmatus in abbatem XXV. februarii Antonius Corrarius Venetus.

Interiit [g] hoc anno peste consumptus in Urbe Guido olim prior sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Ejus morte cessavit pensio tertiæ partis redditumm, quam eidem solvebat dictum monasterium; hanc tamen a pontifice obtinere tentavit cardinalis Capuanus, cui restitit in faciem cardinalis protector.

Monachi Cistercienses [h] obtento oratorio sanctæ Mariæ de Planetulo prope

f Lib. XXII. ep. 67.
g Lib. XXIII. ep. 17. 21.
h Ibid. ep. 45. & lib. XXIV. epp. 18. 22.

prope abbatiam Galeatæ, inhiabant eidem abbatiæ, oblata etiam pecunia, & episcopatu abbati Galeatano. Conquestus est ea super re Delphinus cum Marco præsidente congregationis Cisterciensis, & auctoritate fretus ejusdem cardinalis protectoris eorum machinamenta fregit.

ANN. CHR. 1500.

Prioratus de Mucchio [a] in diœcesi Volaterrana translatus fuit ex ordine Camaldulensi, & adjudicatus mensæ episcopi Volaterrani. Nicolinus archiepiscopus Amalphitanus abbas commendatarius sanctæ Mariæ de Agnano [b] proposuit abbatiam resignare eidem ordini, quod tamen propositum effectu caruit.

a *Lib. XXIII. ep. 46.*

b *Ibid. ep. 96.*

Die VIII. januarii Alexander VI. adjecit mensæ capitulari Lucensi ecclesiam & monasterium sancti Benedicti prope Sanctum-miniatem ordinis Camaldulensis, olim monialium domicilium.

Anno incarnationis Dominicæ M. D. kalendis decembris pontificatus sui anno IX. Alexander VI. abbati & conventui monasterii sancti Salvatoris Montis-christi Massanæ diœcesis confirmat omnia bona eidem abbatiæ subjecta, ecclesiasque & monasteria recenset: monasterium nimirum Montis-christi, sancti Pauli de Giuncheto, abbbatiam nuncupatam de Costesaglie, monasterium sanctæ Mariæ de Canovaria, sancti Stephani de Venaco, sancti Zenonis & sancti Benedicti de Ilaria, sanctæ Mariæ de Cor s, & sancti Mamiliani monasteria, sancti Angeli de Cuppa, sanctæ Mariæ de Scala, sancti Eliæ, sancti Gregorii, sancti Andreæ de Insula Asinaria, sanctæ Mariæ-magdalenæ de flumine Savo, sancti Mamiliani de Sumassi, sanctæ Juliæ de Tavaria, sancti Nicolai de Moriciano, sancti Thomæ de Grisino, sancti Benedicti de Marisaglio, sancti Peregrini, sancti Pauli de Conro, sancti Thomæ de Gai, sancti Mamiliani de Taglio, sancti Benedicti de Ilaria, sancti Pancratii, sanctæ Barbaræ, sancti Concordii prope Pisas, sancti Mamiliani, & nonnullas alias ecclesias Turritanæ, Calaritanæ, Marianensis, Aleriensis, Acciensis, Massanensis & Pisanæ civitatum & diœcesum, quæ sunt incorporatæ cum eodem monasterio; confirmatque omnia vetera privilegia & indulta. Eodem anno pontificatus nono, octavo kalendas decembris præceperat vicariis episcoporum Massanensis, Aleriensis &c. recuperationem restitutionemque bonorum ejusdem monasterii.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEXAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi M. D. I. *ad annum* M. D. X.

ANN. CHR. 1501.

I. Basilii abbatis virtus in defendenda patria ab hostibus.



BASILII abbatis sancti Felicis de Florentia militarem virtutem describit sub hoc anno Delphinus [a] in epistola ad Hieronymum priorem Camalduli Veronensis his verbis: *Valentinus dux superatis alpibus ad planitiem Prati oppidi ad lævam descendit, eo, ut dicunt, animo, ut ejectos jam pridem in urbem restitueret. Cumque ego essem Arretii, requisitus modeste, ac postmodum jussus ab excelso dominio per legatum & literas, venerabilis pater noster abbas sancti Felicis, ut solitam periclitanti patriæ opem ferret, conflata plusquam trium millium Casentinatium peditum manu, cum Florentino legato Fesulas contendit. Peractis ibidem diebus paucis, cum Valentini exercitus procul a Fesulis castra posuisset, jussu dominii ingressus est Florentiam Basilius cum omni illa peditum multitudine, acclamantibus omnibus in adventu ejus tamquam misso sibi salvatore & propugnatore. Egressus continuo per portam sancti Frigdiani extra muros urbis e regione Camalduli nostri, stationes locavit, ubi hactenus immoratur. Non præteribo silentio, quid acciderit ad pontem Sepis, cum Florentiam peterent Casentinates. Nam cum in castello corpora curassent, nonnulli ex iis sumpto cibo rixari mutuo ceperunt, concursumque est confestim ad arma. Basilius ubi e fenestra tumultum excitatum prospexit, cognito congredientium periculo, ne se mutuis telis confoderent, descendit continuo, atque inter confertam armatorum multitudinem arrepto telo irrupit, contradicentibus amicis, ne se periculo exponeret. Sequuti sunt eum pauci. Cumque ipse, quantum uno corpore poterat obsisti, viriliter ageret ad excipiendum impetum partium, propinquus quidam ejus incaute manum lævam ejusdem haud levi ictu percussit gladio. Postquam sanguinem defluere e manu Basilii conspectum est, tamquam criminis rei omnes congressionem dissolverunt, & ad petendam veniam certatim coram illo procumbentes, obtulerunt singuli ultro gladios, ut se de sontibus vindicaret. Pepercit ille statim omnibus, gavisus magnopere, quod sanguine suo periculosam rixantium contentionem diremisset; alioquin*

a Lib. XXIV. ed. 56.

creditum est multos ex iis fuisse casuros, cum ultra quadringentos arripuissent arma. Per triduum magno vulneris dolore vexatus est, curatusque a medico peritissimo singulari benignitate a dominio ad eum misso. Et ut ad Valentinum redeam, cum nihil se proficere animadverteret, in restituendis olim ex Urbe pulsis, quando nulla ratione persuaderi senatui ac populo potuit, ut illi admitterentur, tractare tandem cum Florentinis cepit, ut sibi in annos tres tercenti equites darentur, militaturi Florentinorum stipendio. Assensum est illi absque mora, ut inde citius abiret. Sed non contentus petitione hac sola, iterum requirere a dominio cepit, ut commodaret sibi tormenta quædam majora. Hujus rei gratia, quemadmodum ex Basilii literis certior factus sum, missi sunt oratores duo de primoribus ad ducem, ut excusarent non posse illi commode instrumenta bellica concedi, & ut quererentur, quod, cum Florentini inimici ipsius non essent, permitteret nihilominus depopulari amicorum regionem .... Ad Empolim oppidum nudius tertius castra locaverat; iturus oppugnatum Plumbinum dicitur. Utrum amicus istorum discessurus sit, adhuc minime constat.

ANN. CHR. 1501.

II. Obitus cardin. Baptistæ Zeni, & Augustini Barbadici ducis Venetiarum.

OBIIT hoc anno mense majo [a] Baptista Zenus Venetus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu. *Fuit vir sane divitiarum, quarum maluissem ad majorem Dei promerendam gratiam, antequam dormisset somnum suum, ipsum fuisse dispensatorem, quam constituisse te cum aliis octo executorem,* ait Delphinus in epistola ad Barotium episcopum Patavinum. *Ablata a decemviris pretiosissima quæque executionis ac dispensationis laborem abstulerunt vobis. Sepultum postea audio illum magna exequiarum pompa apud sancti Marci ædem, cujus cadaver in sacrario illo angusto & turpi cujusdam sacelli templi tui jacuisse insepultum scribis per multos dies. Sacerdotia ejus complures ditaverint, quæ plurima & pinguia solus possederat; qui velocius cucurrerint, ut plus offerant, caveant, ne impingant, atque offendant ad lapidem pedem suum. Tenuit per annos circiter quadraginta abbatiam de Urano nostri ordinis apud Britonorium in Flaminia haud exigui proventus. Eam commendatam fuisse accepimus cuidam episcopo in castris pontificiis sub Valentino militanti. Nullius tamen nomine adhuc possessio capta est. Tentavimus aliquid amicorum intercessione; annuat votis nostris Dominus ad reformationem destituti monasterii, & ruinam undique minantis.* Statim enim post obitum cardinalis Delphinus ipsam contulerat Bartholomæo Florentino priori de Scandalone monacho Camaldulensi, *qui ab antianis civitatis Britonorii in possessionem loci magno favore positus est, utpote ab iis optime cognitus, quoniam abbatiam ipsam per multos annos a cardinale conductam prudenter ac fideliter administrasset. Cupit præterea mirum in modum populus Britonorii, ut beneficium vetustissimum ac undique minans ruinam tandem a commendis liberetur, & per abbatem ordinis reformetur. Quod ipsorum literis mihi efficacissime significatum est.* Quare favorem expetit cardinalis protectoris.

a Ibid. epp.60. 96.

Venetiis vero decessit Augustinus Barbadico dux [b] octuagesimum ætatis annum prætergressus die vigesima septembris, *non modo nullo sui desiderio relicto, verum etiam summo consensu omnium de eo obloquentium, quod nimium diu vixisse existimetur. Parcat ei,* inquit in epistola ad alterum Petrum Delphinum [c], *miserator Dominus & sanctiones in augmentum Venetæ libertatis decretas confirmet, ne quis dominari appetat in libera civitate. Satis sit principi, ut primus sit inter patres, nec velit solus aut unus esse. Caput est senatus, cum membris conveniat, optimates diligat, sine ipsis faciat nihil. Portare principatus onera cum multis qui potest, male sibi consulit, si solus subjicere humeros contendat. Sic tamen interdum suadet ambitio,*

b Lib. XXV. ep. 26.

c Ibid. ep. 33.

ANN. CHR. 1501.

bitio, ut nunquam magni satis nobis videamur &c. Sequenti epistola [a] laudat optimum Barbadico suffectum principem Leonardum Lauretanum divi Marci procuratorem.

a *Ibid. ep.* 30.

III. Monasterium fundatur a Malumbra Taurini, & ejus mors.

OBIIT etiam hoc anno mense octobri in Taurinis Urbanus Malumbra olim abbas Classensis. Fama non vera vulgaverat ipsius mortem ante triennium, qua occasione in epistola ad Guidonem priorem Angelorum Urbani vitam ab illius pueritia describit Delphinus [b]: *Educatus mecum fuerat in monasterio sancti Michaelis de Muriano. Laicus adhuc annos natus quindecim ad prædicationes Guillielmi eremitæ magni nominis viri ac tota Italia celeberrimi magno fervore conversus erat, voluitque ejus esse discipulus, sed homo prudens noluit apud se adolescentem immorari, & hac illacque vagari. Hospitante eo eremita apud sanctum Michaelem suasit Urbano, ut in eo cœnobio monachus fieret. Lacrymosus passim vocitabatur, quia in fletus uberrimos facile resolvebatur; & utinam in eo cœnobio perseverasset, sed assumptus ad regimen Classensis monasterii mores mutavit, totque congregationi & ordini facessivit negotia. Semper tamen continentissimus vitæ fuit, somni cibique parcissimus, severissimus scelerum ultor, & ad maxima aggredienda intrepidus, licet mitissimus colloquentibus appareret; quare favores apud principes & magistratus obtinuit. Post acerrimas lites variasque vices profectus ad ducem Sabaudiæ tantam in ejus oculis & totius regionis gratiam invenit, ut & monasterium erexerit, & monachorum in eo congregationem educaverit, & subinde aliud inceperit, transmissis etiam ex aula regis Francorum eleemosynis*. Cœnobio condito apud Taurinum ab Urbano nomen fuit sanctæ Mariæ Putei Stratæ; aliud condiderat sub titulo sancti Salvatoris in Taurinensi diœcesi, aliaque erigere meditabatur, cum fato cedere coactus fuit. Successorem Urbano dedit Delphinus [c] Petrum Pedemontanum, quem, & monachorum cœnobii Putei congregationem literis commendavit eidem Sabaudiæ duci. In epistola autem ad Venturam vicarium [d] scribit decessisse Urbanum, scripsisseque monachos Putei Urbanum vixisse religiose & pie, bonaque omnium æstimatione atque gratia, & ut asserunt, non sine sanctitatis opinione.

b *Lib. XIX. ep.* 89.

c *Lib. XXV. ep.* 46. 47.

d *Ibid. ep.* 55.

Defunctam quoque abbatissam sanctæ Christinæ de Tarvisio Ursam Decadabora commemorat in epistola ad Jacobum monachum [e], *quæ præfuit illi monasterio pervigili cura, adeout Tarvisii tum odore bonæ opinionis, tum observatione vitæ regularis nulli alii monialium ac sororum congregationi cœtus ille filiarum, quas verbo & exemplo erudierat, cedere existimetur. Tulisse dicitur per multos annos cæcitatem patientissime; quod non facile futurum fuisset, nisi in lumine cœlesti vidisset lumen; credi nunc merito potest animam ejus beata frui visione*. Suffecta fuit Cæcilia Bona.

e *Lib. XXIV. ep.* 57.

IV. Restituta libertas in parthenone S. Christinæ de Bononia.

GENEVRA Bentivola, quæ ejectis veteribus Camaldulensis ordinis octo monialibus, abbatissam & moniales alterius ordinis, de consensu quidem Delphini prioris generalis [f], introduxerat in monasterium sanctæ Christinæ de Bononia, in ipsarum rectores constituerat duos presbyteros seculares, quibus quoque facultatem, opera Cæsaris de Naciis episcopi Amerini & locum-tenentis Bononiæ, fecerat visitandi monasterium, ejiciendi moniales, easque compedibus vinciendi, quæ jussis suis non obtemperarent. Id ubi rescivit Delphinus, jura sua turbata agnoscens, piarum monialium votis etiam facturus satis, monachum ad ipsarum confessiones excipiendas ex Camaldulensi ordine elegit, de introductis alienis sacerdotibus conquestus est cum Cæsare episcopo, qui benigne respondens, factum rejecit in comitissæ Bentivolæ violentiam; cardinalis protectoris igitur favorem expetivit, ut animum ejusdem dominæ emolliret. Accedebat, quod abbatissa a Ben-

f *Lib. XXV. ep.* 25. 30.

ANN. CHR. 1501.

a Bentivola electa cum una vel altera moniali rejiciebat sacerdotem a Delphino constitutum, & moniales eas asperius tractabat, quæ seculares sacerdotes aversabantur, addictæque erant Delphino tamquam legitimo earum præfecto. Res eo processit [a], *ut quædam monialis ejus parthenonis ad mortem veniens petiit, ut sibi daretur copia confessarii, quem Delphinus statuerat. Exorare hoc non potuit. Accersitum itaque illum sacerdotem ab eodem amotum constantissime rejecit; & antequam efflaret animam, malle se dixit mori sine confessione, quam optime dispofita facere optaverat, quam ei confiteri, qui abrogatus fuisset; nullum se superiorem recognoscere, præter priorem generalem ordinis; sperare autem se & confidere de misericordia Dei, qui accepturus foret bonam voluntatem, cum per se non stetisset, quin confessa decederet. Scandalizatam*, subdit Delphinus, *fuisse ob tam atrocem impietatem, ob tam crudele facinus totam civitatem*. Cardinalis demum Senensis literis commonita Bentivola, opera Basilii abbatis Bononiam destinati ad rem componendam [b], animum mutavit, libertatem parthenoni restituit, electionem novæ abbatissæ permisit, sacerdotem secularem criminis convictum & in carcerem conjectum repulit, fidem, lenitatem studiumque suum erga ordinem Camaldulensem confirmavit, multoque laudum præconio extulit Basilii abbatis prudentiam in pace firmanda, ut ipsa eidem Delphino literis suis testatum voluit.

a Lib. XXV. ep. 57.

b Ibid. epp. 67. 72.

V. Abbatia S. Felicis impetratur a card. Mediceo. Alia ex Delphino.

DUM hæc gloriose ageret Bononiæ Basilius [c], abbatia sancti Felicis, quam administrabat, impetratur a cardinale Johanne Mediceo. Conquerenti Delphino, quod nulla Basilii culpa, immo post rectam abbatiæ administrationem, eo beneficio privaretur, respondit cardinalis Basilium infensiorem fuisse in familiam Mediceam, arma contra ipsam sumpsisse, & decertasse, ne Medicei restituerentur in urbem Florentiam. Cardinalem tamen placavit Delphinus [d], id factum a Basilio asserens jussu dominii, cui contradicere nequivit. Eidem abbatiæ sancti Felicis paulo ante unitum fuerat monasterium sancti Benedicti de Monte-appio juxta Sanctum-miniatem ope cardinalis Senensis legati. Prior ejusdem loci ex monachorum Nigrorum cœtu pertansiens ad ordinem Camaldulensem [e] diu possessionem dicti monasterii tenuerat; senior factus in jus secularium sacerdotum transferendum curaverat. Priorum San-miniatensium precibus exoratus Delphinus [f] cogitaverat ante biennium abrogato priore dicti loci sanctimoniales in eo monasterio restituere, ut antea residebant; sed frustratus intentione sua Delphinus [g], amissumque perfidia rectoris locum, quem recuperare satagebat abbas sanctæ Jucundæ, cui erat subjectus, commendat hoc anno eidem cardinali protectori. Cui etiam commendatam facit [h] abbatiam Saxi jampridem unitam monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, quam subripere conabatur Petrus de Accoltis auditor sacri palatii; & prioratum Vincareti [i], quem ordini restituere cupiebat ejus commendatarius Antonius Manilius. Gratulatur Delphinus [k] Petro Soderino facto vexillifero Florentino, cujus probitatem morum & literaturam non mediocrem laudat. Valentini ducis exercitum [l] occupasse Faventiam, & principem Manfredum superasse narrat; inde progressum ad obsidionem Florentiæ. Quinto demum Kalendas junias fœdus ictum [m] contra Turcas, inter pontificem, regem Hungariæ, regum Bohemiæ & Venetos.

c Ibid. ep. 70.

d Ibid. ep. 96.

e Lib. XXIV. ep. 25.

f Ibid. ep. 45.

g Ibid. ep. 82.

h Lib. XXV. epp. 7. 8.

i Lib. XXIV. ep. 84.

k Ibid. ep. 33.

l Ibid. epp. 53. 54.

m Ibid. ep. 68.

Martinus de Scardanis vicarius episcopi Faventini tradit Hieronymo de Novatiis priori sancti Salvatoris de Verona & procuratori Petri Delphini prioris generalis Camaldulensis ecclesiam sanctæ Mariæ de Pace territorii Castri-Bononiensis Faventinæ diœcesis die XVI. maji indictione IV. Hanc ordini Camaldulensi incolendam dederant ecclesiam homines ejusdem

castri.

Ann. Chr. 1501.

a Lib. XXIV. epp. 55.:88.

castri. Eam autem donationem approbavit [a] Delphinus eodem mense, scripsitque pro ejusdem ecclesiæ ædificatione & ornatu ad episcopum Faventinum mense julio.

Matthæus Berti abbas Montis-christi & commendatarius prioratus sancti Jacobi de Orticaria in Mucello invitat moniales sancti Petri de Luco ad recedendum ad Orticariam causa bellici furoris, qui dominabatur in Mucello. Ejus epistola extat in archivo Lucensi.

Stephanus archiepiscopus Patracensis, & episcopus Torcellanus concedunt fratribus S. Mathiæ licentiam convehendi lapides ex quocumque loco pro ædificatione ecclesiæ.

Ann. Chr. 1502.

VI. Obitus Eusebii Hispani monachi S. Michaelis.

Eusebius Osornius Hispanus monachus sancti Michaelis de Muriano die decima februarii hujus anni ad Deum transiit. „ Ex oratore „ Philippi (corrige Ferdinandi V.) ad principem & Senatum Venetum, „ captum Eusebium solitudinis amore albas vestes induisse in eodem mo- „ nasterio anno 1497. scribit Fortunius, qui etiam fallitur in anno. Ipsum vidimus receptum in collegium Albornotianum Bononiæ anno 1477., anno vero 1485. dimissionem obtinuisse commoraturum deinceps Venetiis in monasterio ordinis Camaldulensis. In libro Professionum hujus monasterii legitur: *die* XXIV. *julii anni* 1485. *indutus est frater Eusebius*. Eo ipso anno gratulatur Delphinus eidem, quod susceperit monasticam togam. Quæcumque autem addit Fortunius de rege Hispaniæ, qui eum a proposito revocare studuit, de principe & senatu Veneto ac omni Hispanica natione a cœpto dimovere nitentibus Eusebium, rhetoricum excursum sapiunt, & nos veriora suis annis ex epistolis Delphini protulimus. „ Ad „ extremum veniens, prosequitur Fortunius, inedia, cilicio, oratione per- „ petua, meditatione, docendoque assidue nimium defatigatus, stomachi- „ que infirmitate oppressus, accedente sensim febri, sexdecim integros dies „ lecto decubavit, ab omni cibo abstinens, & semper de beatitudine ac „ dulcedine cœlestis patriæ ad fratres verba faciens. Crucifixo vero, quem „ in manibus strictum tenebat, tanta cordis jubilatione gratias agebat, „ quod videlicet de familia Domini Jesu fieri meruisset, & sub vexillo „ sancti patris Benedicti & Romualdi militare sub patrocinio sancti Mi- „ chaelis archangelorum principis, ut flamma ignea super cœnobium ve- „ nerit e cœlo, præsignans ardorem mentis viri sancti, quam habuit a „ die conversionis semper in Deum erectam; quæ quidem flamma ab „ omni Venetia visa est; proque signo ejus sanctissimæ vitæ a Deo pro- „ batæ judicata. Sic ergo denique omnibus susceptis sacramentis, totus „ effusus in lacrymas præ dulcedine societatis Angelorum, manibusque in „ cœlum erectis gloriosam animam Deo reddidit die x. februarii 1501. „ (intellige more Veneto) ætatis anno 51. Tumulato corpore in tem- „ plo fossa humo, cum multi multa beneficia ejus meritis consequeren- „ tur, nobilis amicus Hispanus venerabile corpus eductum in sepulcro no- „ vo exciso condi reverentissime fecit, quod cernitur, ubi Aldi Pii Ma- „ nutii viri docti extat carmen hujusmodi

Lector parumper siste, rem miram leges.
Hic Eusebii Hispani monachi corpus situm est,
Vir undecumque, qui fuit doctissimus,
Nostræque vitæ exemplar admirabile,
Morbo laborans sexdecim totos dies
Edens, bibens nil prorsus, & usque suos monens
Deum adiit. Hoc scires volebam, abi & vale.

Anno Domini M. DI. X. *februarii ætatis suæ* LI. *sacræmilitiæ* XVII.

Con-

Confirmantur hæc, nonnulla emendantur ex epistolis Delphini scribentis Bonaventuræ vicario [a] die XXIII. februarii hujus anni : *Contristatus sum valde demigrasse Eusebium, non ignorans, quantam fecisset jacturam Camaldulensis religio, quantumque in ea lumen extinctum fuisset. Licet enim vobis potissimum tanta viri virtus illuxerit, suos tamen radios etiam citra alpes odore bonæ opinionis vitæ ejus, atque in primis singularis eminentisque doctrinæ existimatione jampridem diffuderat. Nescio, an ullum illo doctiorem agnoverim; quo fit, ut nequaquam admirer, si in ejus obitu lacrymati sunt multi tum diversorum ordinum religiosi, tum patritii & nobiles viri, qui ejus consilium pro numine admittebant. Mitis præterea naturæ cum fuerit & humilis corde, non immerito sibi amicos multos paraverat.* Et in alia ad ipsum Bonaventuram sub die VIII. martii [b]. *Quæ de obitu Eusebii Hispani scripsisti ad me, legerunt multi, admiratique sunt mecum. Felicem sane ejus migrationem existimavimus, ac pretiosam in conspectu Domini mortem servi ejus.* Tum narrat, quæ de Crucifixo habet Fortunio, & quæ de abstinentia per sexdecim dies ; verum addit, *præter quam semel tantum dimidium cyathum liquoris. Excedere tam diuturna abstinentia humanum modum videtur, cujus rei exemplum ex aliorum obitu Sanctorum non mihi facile succurrit.* Hæc narratio profecto aliquantulum Fortunii & Manutii rem miram diminuit. Sequitur Delphinus : *Flamma præterea ignis visa super cœnobium sancti Michaelis, & petita a præsentibus humiliter venia, & constitutus procurator, ut eamdem ab absentibus peteret ipsius nomine; insuper & lacrymarum effusio, & obsecratio ad abbatem, ut attritis ac vilioribus pannis indutus in conversorum reconderetur sepulcro; ad hæc crebra visio dæmonum se tentantium, & postremo ineffabilis illa lætitia, quam per eos dies se sensisse affirmavit, magna nimirum sunt signa & minime contemnenda singularis erga illum divinæ gratiæ, ac cœlestis erga Eusebium & nomine, & opere pium, largitatis & muneris.* Addit a laico curatum, ut in sepulcro novo reponeretur ejus cadaver, quod ad hodiernam diem cum epigraphe Manutii legitur ad lævam partem ingredientibus in ecclesiam prope turrim campanariam.

ANN. CHR. 1502.

a Lib. XXV. ep. 79.

b Ibid. ep. 91.

VII. Periculum Delphini in defectione urbis Arretinæ.

VIGESIMA-PRIMA mensis februarii Alexander VI. *Romanus pontifex* [c] *Plombinum applicuit, & haud penitus prospera navigatione; incolumis tamen Dei gratia de triremi descendit, progressurus ne sit ulterius, an cito rediturus in Urbem, incertum habetur.* Re tamen ipsa [d] statim *rediit in Urbem, admiratique sunt multi tam inopinatum, tam breve iter ejus, varieque interpretati sunt.* Florentiæ electus fuit hoc anno [e] vexillifer perpetuus justitiæ Petrus Soderinus summo consensu omnium civium. Eatenus magistratus ille fuerat bimestris, Soderino autem delatum fuit ad vitam; gratulatur proinde ei, ejusque fratri Francisco episcopo Volaterrano. Arretina urbs defecit mense junio a Florentinorum imperio; biduo ante defectionem Delphinus se in eam urbem contulerat ad sacrandas virgines parthenonis sancti Benedicti. Hæc scribit ad cardinalem Senensem de periculo suo [f]. *Commota itaque est universa civitas jussis omnibus arma sumere. Petito commeatu proficiscendi a summo magistratu modeste fuit nobis denegata facultas abeundi. Quot vero & quantis in periculis versati simus per sequentes dies sex, quibus ibidem detenti sumus, coram plenius referam, quæ modo perstringam paucis. Nam nocte una jumenta nostra omnia, quibus veneram, ab Arretinis quibusdam e stabulo abacta sunt, quamvis sequenti die jussione dominii fuerint restituta. Jussus postridie, ut me transferrem in domum cujusdam civis, si vellem in tuto esse, ut sub prætextu pietatis ad pecunias solvendas compellerer, antequam ad cœnobium rediissem,* paren-

c Lib. XXV. ep. 74. 82.

d Ibid. ep. 84.

e Lib. XXVI. ep. 62. 72. 73.

f Ibid. ep. 19. 20.

ANN. CHR. 1502.

parendum armatis duxi, ne forte me renitente immitius mecum agerent. Inde tamen post dimidium horæ spatium amicorum intercessione illæsus exiens ad monasterium deductus sum. Haud multo post ingressi ad me in cubiculum monasterii ad quadraginta armatos, lancea ab uno contra me directa urgebant, ut mihi ipsi continuo indicerem, quantum pecuniæ eis forem daturus. Forte eodem momento ingressus fuerat ad me vexilliferi filius sane moderatus adolescens & egregiæ indolis, qui per eos dies se mihi benevolum ostenderat. Hic evaginato gladio improbitati eorum, qui cubiculum irruperant, sese objecit, & abire inde, absque meo ullo incommodo, impulit. Venerat Arretium eodem die, quo hoc evasimus novissimum periculum, magnificus Vitellotius cum exercitu militum. Hunc subito adeundum ratus, commendavi me ejus magnitudini. Et sicut in eo multum spei reposueram, ita revera non sum falsus opinione mea. Siquidem & benigne ab eo exceptus sum, & responsum longe benignius retuli. Nam continuo nobis dedit unum de suis, qui nostrum tueretur monasterium, & spopondit se nos remissurum incolumes in Fontem-bonum. Quod & factum est; nam quatriduo post ab eo admoniti, cum episcopo Tiphernate ipsius fratre, qui bellica instrumenta Arretium deportanda curaverat, Citernam equitavimus, adeo grato & humano antistitis comitatu, ut gratiorem certe non desideraverimus. Inde Anglarium ad abbatiam nostri ordinis divertimus, ac demum duodecima junii die pervenimus in Fontem-bonum. Et ad Barotium episcopum Patavinum fusius describit tumultum urbis in libertatem se vindicantis: *Detento legato Florentinorum cum prætore ac præfecto in priorum palatio, & episcopo civitatis, qui tumultu exorto in arcem se proripuerat, magnopere sibi timente, nos quoque sine metu esse non poteramus. Nam in ictu oculi factus est totius populi concursus in forum acclamantis libertatem, jussique præconis voce, ut nemo per urbem inermis incederet. Stimulante ad arma libertatis cupidine, confestim omnes pusilli & magni dicto paruerunt, accincti gladiis & diversis armorum generibus per urbem incedentes. Perseverantes autem in fide, qui in arcem confugerant, cum iis, qui arci præerant, frequenti tormentorum jactu urbem impetebant, ita ut nec exire in vicos & plateas, nec domi consistere cuiquam tuto liceret.* Tum pericula sua, & liberationem eidem manifestat. Detentus fuerat siquidem Delphinus ab Arretinis, tum ut pecuniam ab ipso extorquerent, tum ne Basilius, quem Arretini maxime formidabant, contra se in auxilium Florentinorum, quorum dux erat, arma sumeret. Interea a Florentinis per vallem Arni transmissi sunt Arretium Galli, cum quibus erant fœderati; ii per complures dies immites cum Arretinis, eos denuo subjecerunt Florentinorum ditioni. Refert Delphinus in alia ad Barotium epistola [a] Arretinos in pristinam ac duriorem redigendos esse potestatem a primario quodam Gallo a rege destinato. Se apud Arretium agente, dejectum fuisse de pinnaculo templi lapideum leonem, insigne Florentinorum, atque in puteum proximum demersum. Ingresso urbem Gallorum exercitu, eductum esse leonem, & in medio celebriori vico posito, coactos fuisse Arretinos, quotquot eo die illac pertransibant, genua flectere, ac de infidelitate sua & defectione veniam postulare.

a *Ibid. ep.* 47.

VIII. Plura tum peregrina, tum Camaldulensia ex literis Delphini.

HÆC alia ad hunc annum eliciuntur ex epistolis Delphini. Captum ducem Urbinatem [b], atque in potestatem eorum, in quibus confidebat, venisse, amisso denuo principatu, quem paulo ante receperat; indictum esse Casentinatibus, ut singuli per familias sint parati ad arma. Reginæ Hungariæ [c] merito deferri Venetiis a dominio, cum sit de Venetis optime meritus vir ipsius rex christianissimus. Thomam Donatum Venetiarum

b *Lib. XXVII. ep.* 1.
c *Lib. XXVI. ep.* 48.

rum patriarcham [a] seniorem factum decrevisse onus excutere; persevera- vit tamen in ea dignitate usque ad annum 1505.

ANN. CHR. 1502.

Obiit [b] Leonardus prior sanctæ Mariæ castri Massaccii; magna statim armatorum manu, qui eo a cardinale Alexandro Farnesio Piceni legato missi fuerant, occupatum fuit beneficium, ejectis inde, qui illud monasterium religionis Camaldulensis nomine custodiebant. Cognitio [c] causæ monasterii Carcerum demandata fuit Petro de Accoltis auditori. Romam missus Johannes-marcus Boldonius frater Dominici abbatis cum commendatitiis etiam epistolis Leonardi Lauretani ducis Venetiarum, & Senatus Veneti, quibus suas etiam preces adjunxit cardinalis Senensis, ut tutari perseverarent ab adversariis præfatum monasterium. Extant literæ cardinalis Grimani scriptæ hoc anno die secunda aprilis, quibus avertere tentavit favores ejusdem ducis Lauretani a monachis. Præcepit hoc anno Delphinus [d] Bonaventuræ abbati sancti Michaelis de Muriano, ut in nova impressione Missalium, quæ edebantur Venetiis, insererentur Missæ de sanctis Bonifacio episcopo, Benedicto & Johanne martyribus, de quibus fit mentio in vita sancti Romualdi, ad imitationem congregationis Vallis-umbrosæ, in qua non tantum sancti Johannis-Gualberti, quam etiam nonnullorum Sanctorum ejusdem ordinis officia celebrabantur. Hymnum de sancto Romualdo [e] contexuit, Delphinoque dicavit Dominicus Hispanus ordinis Prædicatorum. Monasterium sancti Theomnisti de Longiano Ariminensis diœcesis [f] unitum fuit cœnobio Classensi, quod unitum potius cupiisset Delphinus cum aliquo ex Venetis monasteriis. Asceterium sancti Mamiliani extra Senas [g] reformatur per sanctimoniales Prati-veteris. Monachi sanctæ Mariæ-angelorum [h] eligunt sibi in priorem Gabrielem Blondum olim monachum sanctæ Justinæ a Delphino reprobatum, demandata causæ cognitione a pontifice cardinali protectori, qui subdelegavit episcopum Agiensem. Electus anno sequenti in priorem Paulus Orlandinus.

Antonius de Monte auditor sacri palatii [i] factus est gubernator Flaminiæ. Memorat Delphinus [k] bibliothecam olim cardinalis Nicæni, quæ Venetiis erat in ducali palatio, ex qua aliqua excerpere cupiebat Scipio Fortiguerra rogatu Bernardi Oricellarii civis Florentini viri gravis & eruditi; quam ob rem duci Venetiarum Lauretano scribit. Mentionem etiam facit [l] opusculi Barotii de *Arte bene moriendi*, cujus lectione utebatur cardinalis Senensis, & translationis [m] reliquiarum Sanctorum Patavii factæ hoc anno ab eodem episcopo. Factum fuit hoc anno die XXIX. aprilis in Rogatis senatus decretum, confirmatum a consilio Decem-virorum, ut post canonicos regulares sancti Salvatoris & sancti Antonii cum baculo procedant in publicis supplicationibus canonici regulares Charitatis, inde monachi sancti Johannis de Judaica, sancti Michaelis de Muriano, sancti Mathiæ de Muriano, Montis-oliveti & Camaldulenses simul, ut refert in vitis ducum Venetorum Marinus Sanutus apud Muratorium [n]. *Non improbo decretum*, inquit Delphinus [o] ad diem XI. maji, *quo & vos cogamini publicis supplicationibus interesse, ut inserviatur civitatis votis. Cedit enim tum ad decorem domus Dei, quo magis multiplici visa fuerit circumamicta varietate, tum ad honorem Camaldulensis ordinis, & ipsius civitatis decus*. Contendentibus anno 1505. inter se regularibus congregationibus de loco superiore, rogavit idem Delphinus [p] Antonium Lauretanum decem-virum, ne quidquam per ipsum decerneretur, quod monastico ordini, & præcipue Camaldulensi præjudicaret. Alterum apud [q] Cl. Cornelium Senatus-consultum formatum fuit hoc anno, ne monasterium sancti Johannis-baptistæ de Judaica deduceretur in commendam. M. CCCCC. II. die

a *Ibid. ep.* 6.
b *Lib. XXVII. ep.* 10. 13.
c *Lib. XXVI. epp.* 92. 94. 98.
d *Lib. XXV. ep.* 97.
e *Lib. XXVII. ep.* 6.
f *Lib. XXVI. ep.* 7.
g *Ibid. ep.* 75.
h *Ibid. ep.* 9. 58.
i *Ibid. ep.* 69.
k *Ibid. ep.* 89.
l *Ibid. ep.* 65.
m *Ibid. ep.* 47.
n T. XXII. *col.* 443.
o *Lib. XXVI. ep.* 7.
p *Lib. XXX. ep.* 96.
q *Suppl.*

ANN. CHR. 1502.

die XVII. *augusti Oratori nostro in curia. Laborat in extremis prior monasterii sancti Johannis a Judaica hujus nostræ urbis Venetiarum ordinis Camaldulensis; & quoniam cupimus, quod locus ipse remaneat penes fratres sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano, qui sunt ejusdem ordinis, nec intendimus, ut pacto ullo vadat in commendam, sed in eo servetur & celebretur divinus cultus majori cura & diligentia, quam fuerit per elapsum, volumus, & cum senatu nostro vobis jubemus, ut esse debeatis cum pontificia sanctitate, cui nostro nomine devote supplicetis, dignetur in præcipuam nostram gratificationem dimittere locum prædictum sancti Johannis a Judaica unitum monasteriis præfatis sancti Michaelis & sancti Mathiæ, prout antea erat. Nam venerabiles illi fratres, qui sunt probatæ & exemplaris vitæ & morum, solita eorum virtute incumbent cultui & ornamento prædictæ ecclesiæ & monasterii, cum summa nostra & totius civitatis satisfactione. In qua quidem re obtinenda nihil studii & diligentiæ vestræ omittetis, prout vos facturum minime ambigimus. Eritis etiam super hoc negotio cum reverendissimo domino cardinale Senense protectore ordinis prædicti, cui per alligatas scribimus in opportuna forma.*

Monasterium sanctarum Catharinæ & Magdalenæ de Massaccio olim monialium, nunc vero erectum in prioratum, confertur a Lateranensibus canonicis Benedicto Macci Camaldulensi monacho.

Nicolaus de Sanctis de Fabriano ordinis Camaldulensis, & vicarius ac procurator Fatii de Santorio Viterbini apostolicæ sedis protonotarii & monasteriorum Vallis-castri, sancti Urbani & sancti Blasii ordinis Camaldulensis perpetui commendatarii confert ecclesiam sancti Salvatoris de Lanciano Francisco Andreæ Cherubini de Fabriano monacho Camaldulensi die XXX. junii pontificatus Alexandri papæ IV. anno X.

Ludovicus cardinalis Caputaquensis archiepiscopus Nicosiensis abbas commendatarius sanctæ Mariæ de Fullina & tituli sanctæ Agathæ possessionem accipit hoc anno ejusdem abbatiæ, institutus abbas ejusdem loci anno præterito die XIV. junii ab Alexandro VI. anno VIII. & confirmatus die IV. februarii hujus anni indictione V. a Leonardo Lauretano Venetiarum duce.

ANN. CHR. 1503.

IX. Alia ex ipsis excerpta.

OBIIT hoc anno Vitellotius [a] aliique magni viri cum eo; dux Valentinus properavit cum exercitu Senas, sed vindicata in libertatem urbe, solutaque obsidione Romam versus magnis itineribus contendit. Vacante prioratu sancti Clementis de Arretio Delphinus jure suo ipsum suo cancellario obtulit, sed [b] occupatum fuit ab Antonio de Monte gubernatore Flaminiæ. Coactus Petrus de Accoltis præcipitare potius quam ferre sententiam in causa Carcerum, procuratoribus quoque causam ob defectum pecuniæ strenue non defendentibus, lata fuit sententia hoc anno [c] contra abbatem Carcerum, & adversus monachos ad favorem cardinalis Grimani. Proposita tum primum pensio cardinali, ut lis terminaretur, modo uniretur abbatia Carcerum congregationi sancti Michaelis, ut in futurum periculo eximeretur. Unio siquidem [d] expetebatur a dominio Veneto, sicut ipse Delphinus testatur in epistola ad Antonium Justinianum oratorem Venetum in curia, cui negotium commendavit ex Veneta urbe, ubi se receperat tum ad procurandam unionem, tum etiam ad stabiliendam concordiam in ordine, quam nonnihil labefactaverant patres novæ congregationis, qui prioris generalis jugum excutere moliebantur, & novo facto congregationi suæ sancti Michaelis nomine, eremi Camaldulensis nomen abolere tentabant. Quæ postrema res pacifice composita fuit, agen-

a *Lib. XXVII.* 30.
b *Ibid. ep.* 38. 63.
c *Ibid. ep.* 48.
d *Ibid. ep.* 68.

agentibus in primis Romæ cardinale Senense, Venetiis Leonardo Lauretano duce, scilicet ut congregatio sancti Michaelis denominaretur congregatio Camaldulensis de Observantia; ut prior generalis, si interesse voluerit capitulo congregationis, foret præsidens, alioquin alius in præsidentem eligeretur; denique ut electus a congregatione vicarius confirmaretur a priore generali. Quod firmius ratum habitum fuit anno sequenti.

Ann. Chr. 1503.

Nominat quoque in epistolis hujus anni Delphinus Papinianum [a] doctorem Faventinum, cui concredita fuerat hospitalis cujusdam in Faventia administratio; Thomam de Viarana [b], cui demandata vigilia ejus urbis. Hieronymum Veronensem [c], & Johannem Aquilejensem medicos lycæi Patavini, quos habere enixe petit pro Laurentio Petri-francisci de Medicis cive Florentino a Lauretano duce Venetiarum. Memorat [d] Ugolini Verini expositionem sacræ Scripturæ & præsertim Ezechielis prophetæ versibus adornatam; Marcum-antonium Maurocenum [e] electum procuratorem divi Marci Venetiarum. Benedictum factum abbatem Classis [f] post Samuelem electum vicarium Carcerum; obitum [g] Johannis Poupet ab Hannonia majoris eremi, viri haud vulgaris continentiæ & severitatis, qui rigorem instituti eremitici districte servavit; operam demum congregationis Venetæ [h] pro redimenda a commendatione abbatia Uranense.

a Lib. XXVII. ep. 22.
b Ibid. ep. 20.
c Ibid. ep. 61.
d Ibid. ep. 89.
e Lib. XXVIII. ep. 12.
f Lib. XXVII. ep. 64.
g Ibid. ep. 88.
h Ibid. ep. 60.

Prior Camalduli Foro-livii extra mœnia urbis, cum haberet annexum Camaldulo suo beneficium sub titulo sancti Salvatoris intra urbem, coactus fuerat tempore Hieronymi Riarii comitis illud amittere, diruto monasterio haud invenusto urbano, ut ibidem ædificaretur arx [i]. Comes sive conscientia ductus, sive gratitudine aliud cœnobium Foro-livii contulerat eidem priori, quod per multos annos pacifice possessum fuit ab ordine Camaldulensi. Ante biennium Cyprianus de Nummaiis civis Foro-liviensis & familiaris ducis Valentini ipsum occupaverat. Tandem ab Antonio de Monte locumtenente Flaminiæ delegata fuit causa duobus judicibus Faventinis. Petiit ergo Delphinus a cardinale Senense, ut duci Valentino commendaret hocce negotium, quatenus justa sententia, cognitis causæ meritis, sineretur ferri; alias alibi pateretur transferri judicium; scripsitque hac super re eidem Valentino duci, & antianis Foro-liviensibus.

i Lib. XXVII ep. 55. & seqq.

Atque hæc fuere postrema Francisci Piccolominei cardinalis Senensis pro ordine Camaldulensi, cujus protectionem gerebat, beneficia & negotia; decessit enim hoc anno die decima-septima augusti Alexander VI. Romanus pontifex, & congregatis purpuratorum patrum comitiis triginta-septem cardinalium suffragiis electus est in ejus locum die vigesima-secunda septembris idem Franciscus, qui Pii III. nomen sibi fecit, ut patrui sui Pii II. memoriam excitaret. Nuncii gratissimi primus auctor fuit Delphino [k] Petrus Soderinus perpetuus vexillifer Florentinus. Gaudii & exultationis plenam epistolam electo pontifici dedit idem Delphinus, qui amicorum consilio & literis persuasus statim in animum suum induxit profectionem in Urbem ad ejus beatorum pedum oscula. Sed dum differt iter suum, nondum expleto mense ab electione nuntius tristissimus affertur infirmitatis violentiæ cessisse, & occubuisse sanctissimum Pium III. die sancto Lucæ sacra. Quanto animi mœrore & consternatione casum hunc exceperit Delphinus [l], testantur epistolæ plures, quas super ejus obitu scripsit. Etiam Benincasa monachus Camaldulensis carmina confecit tum in electione, tum in morte ejusdem Romani pontificis. Congregati denuo S. R. E. cardinales kalendis novembris in Pii locum suffecerunt Julianum cardinalem sancti Petri ad Vincula appellatum in pontificatu Julium II. Is statim viduato ordini Camaldulensi in protectorem dedit Franciscum Soderinum episcopum Vola-

X. Pii III. electio ad pontificatum & mors.

k Lib. XXVII. epp. 95. 96.
l Lib. XXVIII. epp. 19. & seqq.

Ann. Chr. 1503.

a Ibid. ep. 29.

Volaterranum, qui hoc ipso anno creatus fuerat cardinalis ab Alexandro VI. fratrem autem Petri vexilliferi Florentini. Etiam ad recens electum pontificem Julium literas dedit Delphinus [a] gratias habens pro dato ordini protectore. In locum Juliani electi Romani pontificis suffectus fuit abbas commendatarius sanctæ Crucis Fontis-avellanæ Franciscus Remolinus S. R. E. cardinalis & antistes Surrentinus.

Ann. Chr. 1504.

XI. Julii II. brevia pro Camaldulensibus.

b §. Brevia A. 6. 3.

c Lib. XXVIII. ep. 69.

JULIUS II. Romanus pontifex [b] die XXVI. novembris anni præteriti pontificatus sui anno primo paucis diebus proinde post suam electionem, mandaverat Petro Delphino priori generali Camaldulensi, ut per concionatores sui ordinis peteret a populis Christianis auxilium pro apostolica sede contra ausus Turcarum. Idipsum aliis literis datis hoc anno mense martio iterum Delphino inculcavit [c]; Delphinus autem pontificis voluntatem ceteris prælatis manifestam fecit.

Septimo idus martii pontificatus primo commisit idem pontifex præposito ecclesiæ Faventinæ & vicario episcopi Faventini cognitionem causæ inter Benedictum monachum Camaldulensem rectorem ecclesiæ sanctæ Trinitatis prope Faventiam, & inter priorem sancti Jacobi ordinis Servorum intra Faventiam quoad aliquot terras.

XII. Basilius abbas S. Felicis vicariatu a Delphino spoliatus.

d Ibid. ep. 78.

CUM Basilius abbas sancti Felicis de Florentia, qui ad plures annos vicarius fuerat Delphini, & mirum in modum ab ipso dilectus, locasset nuperrime abbatiam Poplenæ cuidam propinquo suo laico, sustulisset insuper codices dati & accepti e monasterio Fontis-boni, demum obligasset armenta Camalduli thesaurario apostolico, nimium se Basilii dexteritati & industriæ fidisse persentiens Delphinus [d], eum a vicariatus officio removit, substituto in ejus locum Simone abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

XIII. Capitulum generale defectu libertatis dissolutum.

e Lib. XXIX. ep. 7.

IDEM Delphinus hoc anno [e] ad festum Pentecostes indixit capitulum generale habendum in monasterio Camalduli-Florentini. Cum eo jam convenissent omnes prælati, repente dissolutus est congressus, eo quod cardinalis Volaterranus protector ordinis misisset duos sacerdotes, qui ejus nomine interessent capitulo. Id contra consuetudinem libertatemque ordinis & privilegiorum ipsius usurpari ostendit ipse, ostenderunt alii prælati; quare cum advenisset scriba Florentini dominii præcipiens, ut vel sacerdotes illi admitterentur, vel expectaretur adventus cardinalis, neque alibi interim in ditione Florentina haberentur comitia, visum est Delphino ceterisque præstolandum adventum cardinalis, qui locum & tempus alterius congressus stabiliret. Factum fuisse hoc malignitate laicorum, qui aliquot Angelorum monachos contra Gabrielem electum legitimum priorem fovebant, asserit idem Delphinus. Discordia hujus monasterii interea [f] examinanda commissa fuit Ignatio abbati sanctæ Mariæ de Florentia viro integerrimo & prudentissimo, qui concione habita [g] cum multa eruditione ad cœnobitas ejus monasterii non permisit canonicos illos seculares presbyteros visitationi monasterii interesse, donec monachos ad concordiam revocavit, probans unionem monasteriorum novæ Venetæ congregationi unicum esse illorum conservandorum & reformandorum remedium. Sed de ea unione anno sequenti.

f Ibid. ep. 29.

g Ibid. ep. 48.

XIV. Conventiones cum card. Grimano pro abbatia Carcerum.

g Ibid. ep. 30.

TERTIA sententia lata fuit hoc anno [h] Romæ in causa monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus ad favorem cardinalis Grimani. Post eam cum intercessisset cardinalis Volaterranus, ut finem tandem daret hujusmodi liti, respondit Grimanus se ipsius cardinalis & religionis gratia esse operam daturum, ut in cœnobio Carcerum religiose viveretur, ac ordinaturum,

ut

ut conveniens mensa pro monachis a mensa abbatis separaretur. Iterum igitur Venetias se contulit Delphinus [a], cui pollicitus fuit omnis favor a duce & a senatu Veneto pro conservando monasterio congregationi Venetæ; ex Venetiis autem convolavit in Urbem [b], visitaturus pontificem ceterosque cardinales; Romæ autem remoratus diutius a cardinale Grimano, aliqua cum ipso egit affirmans, quod si alia sibi incumberent negotia ordinis, illud Carcerum non esset minime contemnendum, tum etiam ibidem promovit bullam unionis monasteriorum. Coram Julio II. orationem quoque habuit in commendationem ordinis Camaldulensis. Hanc mensæ divisionem proposuit etiam cardinalis Grimanus in epistola ab ipso die prima julii hujus anni scripta ad Leonardum Lauretanum Venetorum ducem, ad instar abbatiæ sancti Zenonis Veronæ, ex qua mensam pro monachis assignaverat Gregorius Corrarius protonotarius apostolicus, abbatiæ sancti Thomæ de Torcello, cujus redditus bifariam diviserat Hieronymus Trivisanus abbas, abbatiæ Cerreti & aliarum. Insuper proposuit loco monachorum revocandos canonicos regulares sancti Augustini in abbatiam Carcerum, quibus pollicetur se bibliothecam suam legaturum, quam inter Italicas primum llocum tenere asserit; id tamen se non acturum, nisi Senatu Veneto annuente. Res tamen sequentibus annis fuere compositæ; & monasterium Carcerum cessit congregationi Camaldulensi, bibliothecam autem suam opulentissimam legavit cardinalis canonicis regularibus sancti Antonii Venetiarum; aliqui tamen codices ad nostram sancti Michaelis pervenere.

ANN. CHR. 1504.

a Ibid. ep. 55.

b Ibid. ep. 91.

Cardinalis Johannes Mediceus mense novembri [c] resignavit abbatiam Montis-casini in favorem congregationis sanctæ Justinæ, reservata sibi pensione quatuor millium aureorum nummorum. In literis apostolicis unionis legebatur, quod congregatio sanctæ Justinæ unita est monasterio Montis-casini tamquam membrum suo capiti, & quod imposterum extincta nomenclatura sanctæ Justinæ appellanda foret congregatio Casinensis; ex quo deducit Delphinus scribens Bonaventuræ abbati sancti Michaelis de Muriano etiam Venetam Camaldulensem sancti Michaelis congregationem, relicto nomine recens sibi facto sancti Michaelis, exinde appellandam fore sacræ eremi Camaldulensis.

c Lib. XXX. ep. 1.

XV. Johannis Nicolini archiep. obitus.

Obiit hoc anno Johannes Nicolinus archiepiscopus & abbas commendatarius sanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœcesis. Extat ejus sepulcrale elogium in ecclesia sancti Gregorii de Urbe. *Johanni Nicolino Othonis filio, qui ob præclaram excellentemque doctrinam a Sixto IV. & Julio II. pontificibus maximis, regique Ferdinando Arragonio charus, primo Amalphitanus archiepiscopus, deinde episcopus Virdunensis, postremo Athenarum ecclesiæ archiepiscopus præclarum bonitatis suæ specimen dedit. Obiit anno salutis* M. DIV. *ætatis suæ* LVI. *Johannes Angeli cardinalis Nicolini filius apud Sixtum V. pont. max. Ferdinandi Ethruriæ magni ducis orator gentili suo memoriæ causa posuit anno* M. D. LXXXX.

ANN. CHR. 1505.

XVI. Favores Venetorum pro monachis S. Michaelis in causa Carcerum.

Excessit e vita hoc anno die III. aprilis in urbe Patavina Dominicus Boldù abbas sanctæ Mariæ de Carceribus, contra quem ad favorem cardinalis Grimani latæ fuerant tres sententiæ. Admoniti [d] quamprimum patres congregationis Venetæ sancti Michaelis, sequenti die Patavium se contulerunt, atque inde ad monasterium Carcerum, ubi excepti a conventu monachorum, quoniam præsertim muniti favore dominii Veneti advenerant, possessionem monasterii ingressi sunt, defensuri vigore privilegiorum suorum libertatem loci, ac reformaturi in eo regularem vitam. Ea de

d Lib. XXX. ep. 73.

ANN. CHR. 1505.

de causa [a] etiam celebrato capitulo generali apud Claſſem Ravennæ Delphinus Venetias petiit, tum præſentia ſua conſulturus rebus congregationis, tum impediturus, quominus hæreditate nepotes abbatis defuncti introirent in beneficia dicti loci, vel propinqui cardinalis Grimani deturbarent a poſſeſſione monachos ſancti Michaelis. Auditus eſt [b] Delphinus per horas fere tres a dominio, idque pleno collegio, rejecta re ad Senatum; non enim præjudicium afferre poterant congregationi, quæ privilegiis Sixti IV. & Innocentii VIII. nitebatur, tres ſententiæ latæ non contra ipſam, ſed contra familiam Boldoniam. Mirabantur porro Veneti [c] patricii non potuiſſe cardinalem deliniri honeſta oblatione, nam ad redimendam vexationem litium, obtulerat eidem cardinali præfata congregatio non minimam reddituum monaſterii portionem, retento tantummodo monaſterii titulo. Latum fuit itaque ad favorem congregationis honorificum ſenatus decretum [d]. Cum enim quidam de patriciis ex iis, qui rebus præerant, favens parti cardinalis Grimani, petiiſſet a Senatu, ut daretur cardinali poſſeſſio libera abbatiæ, quatuor tantum ſuffragiis ejus ſententia comprobata eſt. Fruſtrato eo ſua opinione, iterum per ſeptem alios ſenatores ad patres relatum eſt, ut daretur cardinali poſſeſſio cum fidejuſſione reſtituendorum fructuum, ſi monachi extitiſſent victores litis; demum duo de collegio ſingulari gravitate & conſtantia præditi loquentes in ſenatu expoſuerunt, ut monachi in abbatiæ poſſeſſionem conſervati litem in Romana curia proſequerentur, ſequeſtratis interea fructibus apud tertium aliquem pro ipſius dominii arbitrio, quorum noviſſima petitio in conſultationem deducta juſtior tandem judicata eſt, & a quatuor & ſeptuaginta ſuffragatoribus magno amicorum gaudio comprobata fuit atque laudata. Miſſi itaque in urbem novi litis geſtores, quos Delphinus cardinalibus Volaterrano, Gurgenſi, Mediceo & ſancti Georgii, ac Antonio de Monte auditori cameræ apoſtolicæ commendatos fecit. Subdimus breve Julii II. ad Leonardum Lauretanum Venetorum ducem, ne foveret monachos, ſed potius cardinalem Grimanum immitteret in poſſeſſionem dictæ abbatiæ.

Dilecto filio noſtro nobili viro Leonardo Lauretano duci Venetorum.

Dilecte fili noſter ſalutem. Commendavimus ſuperioribus diebus nobilitati tuæ per alias noſtras literas in forma brevis dilectum filium noſtrum Dominicum tituli ſancti Marci presbyterum cardinalem de Grimanis, ut etiam efficaciter dilecto filio Antonio Juſtiniano, & iis, qui nuper ad præſtandam obedientiam venerunt oratoribus tuis, noſtro nomine ſcribendi & referendi commiſimus pro conſequenda poſſeſſione monaſterii beatæ Mariæ ad Carceres, quod juſtitia mediante contra & adverſus quemdam Dominicum Boldù ejus adverſarium intruſum obtinuit, continuatis & conformibus ſententiis definitive, qui, ut accepimus, ab humanis diſceſſit, & nihilominus dicta poſſeſſio nec intuitu juſtitiæ, nec noſtra cauſa eidem Dominico cardinali data fuit. Nunc vero audita morte præfati Dominici intruſi, ut nobis relatum eſt, dilecti filii congregatio & fratres ſancti Michaelis de Muriano, aſſerentes dictum monaſterium ad ſe pertinere, auſu temerario & propria auctoritate nullum reſpectum habentes ad juſtitiam præfati Dominici cardinalis, neque ad noſtrum & hujus ſanctæ ſedis honorem, violando libertatem eccleſiaſticam in contemptum clavium, non ſolum apud te impediverunt, quominus cardinalis ipſe præfatam poſſeſſionem conſequeretur, verum pro ſe monaſterium ipſum violenter acceperunt. Quod ut nobis magnopere diſplicuit, ita contra eos juſtitia mediante procedi mandabimus, nec unquam deſiſtemus, donec ſui erroris condignas pœnas dederint, ita ut ceteris erunt exemplo. Quare nobilitatem tuam hortamur in Domino, & ex corde requirimus,

[a] Ibid. ep. 77.

[b] Ibid. ep. 81.

[c] Ibid. ep. 53.

[d] Ibid. ep. 97. 98.

rimus, ne quotidie isti multiplicentur errores in dedecus Romanæ ecclesiæ & nostrum, ut justitiam cardinalis prædicti tamdiu jacere non patiatur, cum virtus ejus & fides singularis, quam habet in te, & rempublicam istam tuam, longe majora mereantur, cui nos in iis, quæ justa sunt, deesse non possumus tum ex debito pastoralis officii, tum quia singulari & paterno amore ipsum prosequimur pluribus de causis, nobilitati tuæ & senatui bene notis. Quare nobilitatem tuam instantissime pro hujusmodi possessione requirimus, ne res ista, quæ nobis propter multa maxime cordi est amplius in longum differatur. Datum &c.

ANN. CHR. 1505.

Mense aprili celebratum est, ut mox diximus, capitulum generale ordinis in abbatia Classensi [a], in quo præ ceteris statutum fuit decretum de uniendis & recipiendis in congregationem monasteriis, ne deinceps paterent tot commendationibus, quibus interrumpebatur monastica observatio. Ipsorum unio potissimum contigit annis immediate sequentibus, licet tum pontifex Julius, tum ii, qui ejusmodi rebus præerant, multas proponerent difficultates ad impetrationem privilegii.

a *Ibid. ep.* 77.

Decessit præsenti anno in monasterio sancti Michaelis de Muriano Bonaventura Veronensis plenus dierum & fere octuagenarius, qui in religione vixerat ultra annos sexaginta ab adolescentia sua, partem vitæ suæ exegerat in Angelorum Florentiæ monasterio, partem ab anno 1481. abbatis onus sustinuerat in dicto sancti Michaelis cœnobio, vel congregationis vicarius fuerat. *Utrobique fuit fidelis suo ordini, & sicut juris pontificii fuit peritus ac studiosus, ita semper jura ordinis legitime tueri contendit; regularem districtionem ad ultimum usque servavit*, ut scribit Delphinus ad Benedictum de Mandello monachum sancti Michaelis [b]. Celeberrimum in lege canonica doctorem appellat in Balneis Calderianis Ventura Minardus cumdem Bonaventuram.

b *Inter edit. Lib. VIII. ep.* 33.

Antonius de Monte ex auditore Rotæ sacri palatii & cameræ apostolicæ factus episcopus Castellanus [c], obtinuerat abbatiam sancti Clementis de Arretio, & neque precibus, neque juribus Delphini cedere aliquatenus voluerat; hoc itaque anno nepotem suum induxit, ut Camaldulensi habitu indueretur, ad hoc ut post brevem tirocinii terminum abbas evaderet ejusdem monasterii, cui monasticam togam dedit idem Delphinus.

c *Ibid. ep.* 30.

In epistola ad Ugolinum Verinum memorat idem Delphinus [d] annonæ caritatem, qua pressa fuit atque afflicta hoc anno, ut de remotioribus regionibus taceat, Italia. *Nusquam sane*, inquit, *post hominum memoriam tanta sæviit clades, tanta macie, ut de mortuis taceam, mortales confecit fames, adeo ut Ægyptiacam illam nobis retulerit*. Meminit etiam obitus Lucæ Valaressi patritii Veneti, qui domum sibi ceperat ædificare apud sanctum Michaelem de Muriano. Univit hoc anno Delphinus monasterium sanctæ Mariæ de Petra-ficta cum cœnobio sancti Benedicti extra muros Florentiæ. Abbas Anglariensis contrariam sententiam retulit in curia Romana potentia cardinalis de Flisco commendatarii ejusdem abbatiæ.

d *Ibid. ep.* 23.

Baptista de Canonicis Bononiensis decretorum doctor & episcopus Faventinus concessit facultatem hominibus Burgi portæ pontis Faventiæ erigendi confratriam ad honorem sanctorum Sebastiani & Rocchi in ecclesia sanctissimæ Trinitatis ejusdem burgi. Datum Bononiæ in domibus sanctorum Naboris & Felicis suæ residentiæ die XXVI. februarii M. D. V. Pontificatus Julii II. anno secundo.

XVII. Benedicti abbatis S. Gregorii de Urbe obitus.

IN necrologio Mont-olivetensi sub hoc anno legitur: „ Obiit venerabilis pater frater Benedictus de Senis abbas sancti Gregorii de Urbe, „ & fuit præceptor sancti Spiritus de Roma, & fuit frater ordinis nostri,

Ann. Chr. 1505.

„ stri. “ In alio vetusto libro bibliothecæ Montis-oliveti habetur; „ Librum istum donavit huic monasterio de Clusuris R. P. F. Benedictus „ de Senis, dum esset prior sanctæ Annæ anno Domini 1497, in quo „ etiam anno electus fuit per sanctissimum dominum nostrum Alexandrum „ pontificem maximum in commendatorem sancti Spiritus de Urbe. “ Hæc apud Lancellotum [a]. In codice Classensi, cui titulus est: *Aliquot Olivetanorum moribus aut muneribus illustrium monumenta* legitur: Benedictus „ Senensis grandævus ad religionem Olivetanorum accitus M. CCCC. LXXXII. „ in Urbe sancti Gregorii monasterii abbas, ac sancti Spiritus xenodochii „ præceptor enituit ab anno M. CCCC. XCVII. ad annum M. D. V. sub Alexandro VI. Pio III. Julio II. summis pontificibus. “

a Pag. 58.

XVIII. Fundatio parthenonis in oppido S. Archangeli in Æmilia.

In territorio Ariminensi in oppido Sancti-Archangeli fundatur hoc anno asceterium monialium Camaldulensium sub invocatione sanctarum Catharinæ & Barbaræ, ut colligitur ex quodam libello sororis Catharinæ Florentinæ abbatissæ parthenonis sanctæ Catharinæ de Cæsena, quæ refert anno 1505. die XX junii sub instituto & regula sancti patris Benedicti sororem Obedientiam Ariminensem monialem sanctæ Catharinæ de Cæsena cum duabus sociis incepisse hoc anno ædificationem ejusdem monasterii super domum relictam a dicta Sancti-Archangeli communitate. Porro utriusque loci sanctimoniales præter regulam sancti Benedicti institutum Camaldulense profitebantur.

Julius II. Romanus pontifex Ludovico Puteolano canonico Aquilejensi ad petitionem Dominici Grimani cardinalis abbatis commendatarii sanctæ Mariæ de Carceribus & de Rosacio mandat recuperationem bonorum mobilium & immobilium dictorum monasteriorum anno M. D. V. XII. kalendas novembris, pontificatus sui anno secundo, ex exemplis ejusdem monasterii Carcerum.

Idem XVII. kalendas januarii pontificatus sui anno III. prioratum sancti Pauli de Cæsena per cessionem Bartholomæi Cupini, & ad preces Samuelis abbatis Classensis adjunxit monasterio sancti Apollinaris de Classe Ravennæ. Pendebat prioratus sancti Pauli a prioratu sanctæ Mariæ de Vincareto.

Inter ceteros eximios viros, quos cardinalitia purpura donavit hoc anno die prima decembris Julius II. recensetur Fatius Sanctorius Viterbiensis, ejus, dum in minoribus esset, pædagogus, episcopus deinde Cæsenas, & cameræ apostolicæ datarius. Ipsi gratulatur initio anni sequentis Delphinus [b] eo vel maxime, quod cum esset Fatius abbas commendatarius Vallis-castri & monasteriorum unitorum, cura, studio, religione & pietate sanctissimi patris Romualdi reliquias & ossa in commendato sibi beneficio quiescentia, & honorifice recondita fuerit prosecutus.

b Lib. VIII. ep. 38.

Ann. Chr. 1506.

XIX. Unio monasteriorum congregationi Venetæ S. Michaelis.

Julius II. Romanus pontifex per liberam resignationem Vincentii Novelli de Catharo, qui erat prior cœnobii sancti Viti de Vicetia, quique monasterium istud dimisit opera utens Africani Severoli procuratoris sui, univit dictum prioratum congregationi Venetæ sancti Michaelis de Muriano idibus februarii pontificatus sui anno III. Vigesima-octava aprilis idem præstitit quoad monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia resignatum a Bartholomæo Morsio priore, opera Andreæ de Cremona monachi congregationis Casinensis deputati ab Ignatio abbate sanctæ Mariæ de Florentia, ejus procuratoris.

XX. Literæ contra monachos pro card. Grimano in causa Carcerum.

Cum adhuc prosequeretur Venetum dominium tutari causam monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus pro congregatione Veneta sancti Michaelis,

lis, sequentes Leonardo Lauretano duci Venetiarum hoc anno scripserunt literas die octava junii S. R. E. cardinales episcopi, presbyteri, diaconi.

ANN. CHR. 1506.

Dudum scripsimus excellentiæ vestræ, illam affectuose rogantes, ut ob Dei, & sanctæ sedis apostolicæ & hujus sacri collegii nostri reverentiam dare velletis reverendissimo cardinali Grimano confratri nostro possessionem monasterii sui beatæ Mariæ ad Carceres sibi per tot definitivas & conformes sententias adjudicati, & desuper executoriales decretæ, quibus, si non paruerint infra terminum nuper congregationi de Muriano per dominos de Rota assignatum, publicabuntur excommunicati, quod dolenter minime factum audivimus, impedientibus adhuc quibusdam fratribus, qui non contenti de falsitate prius commissa in Romana curia adjudicata, pro qua aliqui ex eis confessi & convicti privati fuerunt suis beneficiis, damnati ad perpetuas carceres, & ad infamem mitram, adhuc quærunt dictum monasterium indebite detinendo molestare, turbare & inquietare assecutionem possessionis illius, quo minus idem reverendissimus dominus confrater noster illud assequi possit, in nibilo libertati ecclesiasticæ parendo, cui ipsi adeo subjecti & alligati sunt, ut sine ea absque animarum ipsorum maximo detrimento & præjudicio minime vivere possent. Quare excellentiam vestram enixe rogamus, ut rejectis istis possessionem præfato reverendissimo domino confratri nostro, vel ejus procuratoribus liberam & expeditam dare mandet, cum ex vestris sit natus sanguinibus, & illi vestræ reipublicæ tantum afficiatur, quantum dici excogitarique possit, ut pluries ipsi vidimus & audivimus. Quod profecto cedet ad laudem Dei, gloriam & honorem celsitudinis vestræ, & illius serenissimæ & justissimæ reipublicæ, nobis omnibus ad singularem complacentiam, qui pares vices, ubi dabitur occasio, reddituri sumus. Valeat felix excellentia vestra, ad cujus beneplacita nos offerimus. Datum Romæ sub sigillo nostrorum trium in ordine priorum die octava junii M. D. VI.

Adhuc perseverante favore dominii Veneti erga monachos Camaldulenses, & possessione abbatiæ minime tradita cardinali Grimano, iterum post aliquot dies iidem cardinales scripserunt eidem duci literas tenoris sequentis.

Magna ducti sumus admiratione, cum acceperimus possessionem monasterii beatæ Mariæ ad Carceres non solum fuisse non datam reverendissimo cardinali sancti Marci confratri nostro observandissimo, qui super eo omnes conformes sententias & literas executoriales obtinuit, ac illas, ut decuit, adversario & ejus complici ordine juris servato, intimari fecit, quod per plura brevia Sanctissimi domini nostri ad celsitudinem vestram & dominum Tiburtinum ejus apud vos nuncium efficaciter commendavit; verum a congregatione & fratribus sancti Michaelis de Muriano, quibus etiam dictæ executoriales intimatæ fuerunt, qui paulo ante apud celsitudinem vestram eidem reverendissimo cardinali contradicentes possessionem impedivere temerarie, ut accepimus, sublatam, & nobis insciis rectam, dicentibus dictum monasterium ad se & congregationem prædictam spectare & pertinere, in contemptum justitiæ sanctæ apostolicæ sedis, sanctissimi domini nostri, & hujus nostri sacri collegii, sibi ipsis jus dicentibus. Sed longe magis miraremur, si cognosceremus per sublimitatem vestram & serenissimum istum senatum, qui pro sua solita justitia consuevit cuique bono favere, toleratum & permissum fuisset, ut unus reverendissimus cardinalis natus intra viscera vestri senatus de republica ista vestra optime meritus ita male tractaretur a viris excommunicatis, sanctæ Romanæ ecclesiæ rebellibus, cum nullas timeant censuras, & contra ejus libertatem omni semota verecundia, Dei timo-

ANN. CHR. 1506.

timore & reverentia obstinati veniant & perversi. Quare per viscera misericordiæ D. N. J. C. per vestram fidem ac reverentiam, quam sanctæ sedi apostolicæ & catholicæ geritis, celsitudinem vestram rogamus, ut præfato reverendissimo cardinali confratri nostro absque ulla ulteriori dilatione suum monasterium dari mandet, amoto exinde quolibet illicito detentore. In quo Deo in primis, conscientiæ & honori istius illustrissimi dominii plurimum erit satisfactum, & nos ad singularem habebimus complacentiam, eique immortabiliter tenebimur. Datum &c.

Sed jam parabatur locus concordiæ, ut liquet ex sequentibus literis Romani pontificis sub hoc ipso anno.

Dilecto filio nobili viro Leonardo Lauretano duci Venetiarum Julius papa II. Dilecte fili salutem.

Nuper dilectus filius Dominicus Pisanus orator tuus nobis tuo & istius senatus nomine exposuit, quantopere cupias differentiam, quæ est inter dilectum filium nostrum Dominicum cardinalem sancti Marci, & dilectos filios congregationem & fratres sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis de & super monasterio beatæ Mariæ ad Carceres Paduanæ diœcesis ejusdem ordinis sedari, eique finem imponi, & magna cum instantia supplicavit, ut huic rei benedictionem apponeremus apostolicam, eamque ad finem reduci, fratresque ipsos a vinculo excommunicationis, quo irretiti sunt propter eorum inobedientiam, absolvi mandaremus. Cui respondimus nil velle in hujusmodi agere, nisi prius cardinalem ipsum, de cujus interesse agitur, alloqueremur, a quo bene informati possemus consultius quid agendum sit, deliberare, ut nobilitati tuæ rem gratam faceremus, & propterea rem in adventum ipsius cardinalis distulimus, qui re intellecta non solum annuit velle facere, quod cupis, verum etiam apud nos vehementer institit, ut concordiam inter nos initam de benignitate apostolica confirmare dignaremur, asserens nil unquam magis cupivisse, quam vobis omnibus etiam in longe majoribus satisfacere, & nos, qui nobilitatem tuam & senatum istum tuum amamus, & cardinalem ipsum propter ejus grandia merita, & virtutes summo prosequimur amore, concordiam inter ipsas partes jamdudum initam, demptis aliquibus cum præjudicio etiam ipsius cardinalis confirmavimus & approbavimus, fratresque ipsos per præsentes absolvimus, & absolutos esse decernimus, si & in quantum concordiam per nos confirmatam in omnibus & per omnia observaverint, et mandatis nostris paruerint, et non aliter. Nolumus autem in hac materia procedere, ut fratres ipsi per literas nobilitatis tuæ desiderare videntur, videlicet ut ab auditorio nostræ Rotæ primo audiantur, antequam cardinali ipsi possessio dicti monasterii detur, vel quod stetur cuidam, ut asserunt, modificationi per venerabilem fratrem nostrum Johannem-antonium episcopum Tusculanum cardinalem Alexandrinum factæ, ex quo dictus cardinalis sancti Marci ultimam et definitivam sententiam super possessorio contra dictos fratres et congregationem reportavit, et executoriales omnesque censuras contra ipsos obtinuit, et justitia mediante non potuit in hoc impediri, non obstante quacumque contradictione dictorum fratrum, qui non solum auditi fuerunt, sed et omnia jura sua in meritis causæ coram auditorio nostro Rotæ prius porrexerunt, qui tamen iis non obstantibus intrusi permanent in inobedientia mandatorum apostolicorum, qua stante jura non permittunt, quod audiantur, nisi parito judicato, nec sedes apostolica aliter facere consuevit, ne inobedientes gratiam et præmium reportare videantur, cum potius omni sint pœna & supplicio digni. Quo vero ad modificationem præfatam etiam procedere noluimus, quia dictus cardinalis illam non fecit ex mandato et commissione nostra,

nostra, et sedis apostolicæ, sed per modum consilii fortasse requisitus, non interveniente etiam consensu præfati cardinalis sancti Marci, de cujus interesse agitur. Restat ergo, ut cardinalis ipse possessionem sui monasterii, ut juris est, assequatur, quam ut sibi dari mandes, vehementer hortamur; facies enim, ultra quod justum est, rem nobis supra modum gratam. Datum &c.

Ann. Chr. 1506.

Ex Eugubio quoque die XXII. septembris cardinalis Grimanus eidem Lauretano duci scripsit se Perusii alloquutum fuisse Romanum pontificem, & ab eo petiisse non solum absolutionem Murianensium monachorum, sed etiam compositionem in causa ejusdem abbatiæ. Romanus autem pontifex ex Imola die XXX. octobris anni M. D. VI. pontificatus sui anno III. sequentes dedit literas Petro Delphino priori generali, & vicario, prælatis & monachis congregationis sancti Michaelis.

Julius papa II. *Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius noster Dominicus tituli sancti Marci presbyter cardinalis Grimanus nuncupatus, qui contra abbatem et conventum monasterii beatæ Mariæ ad Carceres Paduanæ diœcesis congregationis sancti Michaelis de Muriano Torcellanæ diœcesis in Romana curia litigando tres definitivas conformes sententias pro se reportavit, literis executorialibus desuper decretis, et deinde ob comparitionem dictarum sententiarum et literarum non solum abbatem, monachos et conventum ejus monasterii beatæ Mariæ, sed etiam vos præsidentem, definitores, prælatos et monachos congregationis prædictæ excommunicari, interdici, declarari, aggravari fecit, jam super dicto monasterio concordaverit, nobisque supplicaverit, ut vobis et aliis dictæ congregationis de absolutionis beneficio providere velimus; Nos dicti cardinalis et vestris super hoc supplicationibus annuentes, ac pacem conscientiæ salutemque animarum vestrarum desiderantes, dicti cardinalis et vestris supplicationibus inclinati, tam vos, quam abbatem et conventum sanctæ Mariæ prædictæ, nec non præsidentem, definitores, prælatos et monachos congregationis prædictæ ab omnibus et singulis ecclesiasticis censuris et pœnis, quibus præfata occasione estis illigati, præsentium tenore apostolica auctoritate absolvimus, ac cum particularibus personis congregationis prædictæ, quæ hujusmodi irretitæ censuris Missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, aut illis se immiscuerunt, super irregularitate, quam propterea contraxerunt, dispensamus, omnem irregularitatis et infamiæ maculam sive notam per eos contractam penitus abolentes, præmissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus tamen, quod loco salutaris pœnitentiæ omnibus monachis antedictis injungatis, ut totum psalmistam quinquies legere, et pro exaltatione catholicæ fidei, unitateque sanctæ Romanæ ecclesiæ orare teneantur. Hortamurque vos caritate paterna, ut hujusmodi censuras, quæ animam possunt occidere, et vos imposterum diligentissime vitetis, et ab aliis vobis subjectis religiosis evitare faciatis. Datum* &c. Mense tamen februario sequentis anni dumtaxat efformata fuit Juliana compositionis bulla.

XXI. Fundatio parthenonis S. Trinitatis prope Faventiam.

ANTIANI civitatis Faventiæ fidem faciunt omnibus Benedictum Mustulum priorem sanctæ Trinitatis extra Faventiam destinatum fuisse a capitulo Lateranensis ecclesiæ ad reformandum dictum locum olim domicilium monialium Humiliatarum, introductione sanctimonialium Camaldulensium. Datum Faventiæ in audientia die prima marti M. D. VI. Assumptis siquidem tribus monialibus & una novitia ex parthenone sanctæ Luciæ Faventiæ Cisterciensis ordinis, assensum præbente eodem capitulo Lateranense per Georgium Sarsinatem episcopum vicarium Johannis sanctæ Mariæ

Ann. Chr. 1506.

Mariæ de Aquiro diaconi cardinalis de Columna archipresbyteri, eas ad sanctæ Trinitatis ecclesiam duxit ad erigendum novum Camaldulensium monialium asceterium, renuntiata in primam abbatissam Magdalena de Martellis. Dubitavit postea Benedictus se excommunicationis pœnam incurrisse, Cistercienses moniales transferendo de loco in locum; petiit proinde ab apostolica sede absolutionem a censuris & ab irregularitate, quam ei concessit episcopus Milopotamensis residens in Romana curia delegatus a Ludovico tituli sancti Marcelli presbytero cardinale majori pœnitentiario VI. kalendas aprilis hujus anni, simulque monialibus, quæ de monasterio Cisterciensi transierant ad illud sanctæ Trinitatis. Alias moniales sancti Parisii de Tarvisio nominat Delphinus ad diem XXVII. decembris hujus anni regularis vitæ observantissimas, & civitatis illius præcipuum decus, quibus orat cardinalem Volaterranum, ut a pontifice vivæ vocis oraculo venia generalis semel in vita & in morte confessis indulgeatur.

Die XVI. octobris Paulus quondam Nicolai de Fredericis legum doctor & civis Opiterginus motus devotione & amore Dei Heliæ & Antonio monachis eremitis ordinis Camaldulensis donat annuam contributionem extrahendam ex terris in loco Lutrana & Rivata, ut sustentari valerent ipsi eorumque successores in loco sancti Benedicti de Fileto diœcesis Cenetensis jurisdictionis Coneglani; manu Hieronymi Manzoni quondam Guarini de Padua; ex tabulario Fontis-boni [a].

[a] §. Donatio 1. A. 6. 12.

XXII. Indulgentiæ concessæ monast. S. Mathiæ de Muriano.

Trigesima-prima decembris pontificatus Julii papæ II. anno IV. ex Bononia Oliverius Ostiensis, Dominicus tituli sancti Marci, Johannes Stephanus tituli sanctorum Sergii & Bacchi, Nicolaus sanctæ Luciæ de Septemsoliis, Ludovicus sancti Marcelli, Petrus sanctæ Sabinæ, Hadrianus sancti Chrysogoni, Gabriel sanctæ Agathæ, Franciscus sanctæ Cæciliæ, Fridericus sancti Theodori, Johannes sanctæ Mariæ in Domnica, Julianus sancti Angeli, Ludovicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, Amaneus sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Carolus sanctorum Viti & Modesti in Macello cardinales episcopi, presbyteri & diaconi ad preces Antonii de Zonio monachi monasterii sancti Mathiæ de Muriano indulgentias elargiuntur visitantibus dictam ecclesiam diebus Annuntiationis beatæ Mariæ, sancti Petri, sancti Johannis, sancti Romualdi, sancti Mathiæ, & dedicationis ejusdem ecclesiæ.

XXIII. De Paulo Suriano monacho ejusdem loci.

In eodem monasterio nomen dederat superiori anno Paulus Surianus Ariminensis triginta-septem annos natus, qui antequam professionem hoc anno emitteret, testamentum suum condidit, quo eidem loco plura bona sua annualiter reliquit, ac plures libros. Is in baptismate Hieronymi nomine donatus filius spectabilis & eximii artium & medicinæ doctoris magistri Jacobi Suriano de Arimino, & frater magistri Johannis, ediderat anno 1503. typis Bernardini Benalii de Bergomo Rasim cum operibus Isaac in Medicina, & ducenta exemplaria ejusdem auctoris dono dedit monasterio sancti Mathiæ, præter alios libros in diversis facultatibus & formis. Cetera ejus opera memorabimus, & Suriani memoriam illustrabimus ad annum 1522. ipsius emortualem.

Obitum Mauri fratris Eusebii Prioli monachi sancti Michaelis de Muriano memorat Delphinus in epistola 58. libri VIII.

Ædificata fuit de novo hoc anno ecclesia sancti-Johannis-evangelistæ de Buldrone extra Florentiam, in qua degebant moniales Camaldulenses, Simone de Martiis Biblenense abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum primum lapidem ponente: *Simon abbas Pisanus me benedixit, atque locavit anno 1506.* Idem abbas operam dedit, ut Raynaldus de Ursinis archie-

archiepiscopus Florentinus parthenoni prædicto Buldronensi donaret ecclesiam sancti Silvestri de Petrorio ipsius diœcesis.

ANN. CHR. 1506.

ANN. CHR. 1507.

XXIV. Bullæ Julii II. pro Camaldulensibus monasteriis.

JULIUS II. pontificatus sui anno IV. quinto idus februarii ex Bononia prioratum sanctæ Mariæ de Vincareto ordinis Camaldulensis per liberam resignationem Marci Talentini de Bagnacavallo univit cum monasterio sancti Johannis-baptistæ de Faventia. Item ecclesiam sancti Petri de Cæsena cum abbatia Classensi.

Ex autographo parthenonis sanctæ Mariæ-magdalenæ Senarum [a] archiepiscopo Senensi concessit monasterium monialium Camaldulensium sancti Mamiliani extra muros, supprimens in ipso dignitatem abbatialem, ipsius vero bona applicavit dicto asceterio sanctæ Mariæ-magdalenæ ordinis sancti Augustini; ex Urbe apud sanctum Petrum quinto kalendas junii pontificatus sui anno IV. Die decima [b] aprilis indictione VI. adeoque anno sequenti, Bernardinus Turritanus J. V. D. canonicus Senensis, & Johannis de Piccolomineis archiepiscopi Senensis vicarius Julii bullam fuit executus.

Kalendis octobris [c] pontificatus IV. ecclesias parœciales sancti Ilarii de Pitignuolo, & sancti Christophori de Pancolis adjunxit parthenoni sanctæ Agathæ de Florentia, ad sublevandam hujus inopiam; ex archivo ejusdem monasterii sanctæ Agathæ. Possessio capta fuit anno sequenti.

a *Num.* 98.

b *Num.* 97.

c *Num.* 98.

Sed potissimum hoc anno tertio nonas februarii pontificatus anno quarto ex Bononia finem imposuit acerrimæ liti, quæ per duodecennium recruduerat inter cardinalem Dominicum Grimanum, & inter congregationem Venetam sancti Michaelis de Muriano occasione monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres. Narratis enim controversiis inter cardinalem, & inter Dominicum Boldù abbatem, rursusque inter eumdem cardinalem & Venetæ congregationis monachos, relatis etiam bullis Sixti IV. & Innocentii VIII. suorum prædecessorum, approbavit Innocentianam bullam, tribuens dictum monasterium congregationi Venetæ juxta compositiones & acta concordiæ secuta inter utramque partem. Integra extat bulla in Appendice.

XXV. Obitus Petri Barotii episcopi Patavini.

Ex epistolis Delphini obiit hoc anno Petrus Barotius episcopus Patavinus die decima januarii, *homo unanimis*, ait in epistola ad Bartholomæum priorem Angelorum [d], *homo secundum cor meum. Migravit autem ea de se relicta existimatione, qua etiam vixerat. Audio siquidem Paduanum populum, atque in primis pauperes & egestate oppressos, quos diligentissime fovit, paternaque miseratione continuis eleemosynis sustentavit, haud siccis oculis prosecutos fuisse episcopi sui funus. Tantæ revera integritatis extitit, ut difficilem successoribus, quicumque sint illi futuri, sui æmulationem reliquerit. Amisi patrem pietate insignem, amicum fidelissimum, dimidium utique animæ meæ.* Et in epistola ad Petrum Pedemontanum [e]: *Fuit singularis integritatis antistes, & cui nescio, an facile parem vita & doctrina invenias.* Et ad Marianum Cuccinum [f], optimum & sanctissimum, suique amantissimum episcopum his laudibus ornat. *Fuit divini humanique juris peritissimus, artibus quoque peregrinis apprime imbutus; sacrarum literarum ita studiosus extitit, ut in eo eruditionis genere nemini fuerit secundus.*

d *Lib. VIII. ep.* 61.

e *Ibid. ep.* 62.

f *Ibid. ep.* 63.

XXVI. Et Hieronymi de Novatiis monachi. Epistola Hugolini Verini.

DIE octava julii decessit Florentiæ etiam Hieronymus de Novatiis monachus Camaldulensis, & prior sancti Salvatoris de Verona, familiaris admodum Ugolini Verini civis Florentini. Ipsius obitum descripsit idem Ugolinus Delphino, Delphinus autem ea occasione extollit singularem magnitudinem ingenii Hieronymi, præclaram eruditionem & doctrinam, facultatem dicendi, & peritiam juris pontificii; peregrinorum studiorum &

artium

Ann. Chr. 1507.

artium cultum, & eminentissimam cognitionem sacræ Scripturæ. Sed quid in postrema infirmitate Hieronymo acciderit, visionemque ab ipso habitam enarrat idem Ugolinus in epistola ad Bartholomæum fratrem ordinis Prædicatorum, quam libenter subjicimus ex veteri apographo tabularii sancti Mathiæ de Muriano, ex qua dignoscimus, quam varia forent eo temporis judicia de Hieronymo Savonarola, supplicio ante novennium Florentiæ addicto. Epistola est hujusmodi.

Ugolinus Verinus Bartholomeo Faventino fratrum Prædicatorum docto & probatissimo viro salutem.

Miraberis, nec immerito, quod ad te divino officio & sacris lectionibus occupatum præter solitum scribam. Libenter enim, ut opinor, licet impeditus, epistolam releges. Rem magnam, veram & novam continet, & tibi minime insuetam. Hieronymus quidam monachus natione Venetus, ordinis Camaldulensis in quavis disciplina adprime eruditus, per sex menses Florentiæ graviter, & tenaci morbo laboravit. Hujus sum usus (dum Florentiæ moram traxit) non solum animæ confessore, sed nostrarum lucubrationum perdocto censore, quem visebam ex vicinitate cœnobii frequenter, stipatum semper inter sacros codices reperiebam, cum febribus etiam torridus anhelaret. Mitis erat, facundus, acri ingenio, & singulari memoria, in responsis extemplo promptissimus, colebatur a multis ... præsertim, qui vitam profiterentur honestam. Hic Savonarolæ Hieronymi libros omnes habebat, & relegebat attente, cujus & ut doctoris eximii, & veri prophetæ adhærebat veritati. Romæ & Venetiis partem ejus non minus intrepide, quam argute tuebatur, ut convinceret adversarios, & dubios confirmaret; ob hoc etiam a nobis plurimum colebatur. Hic a medicis desperata salute opem divinam sæpius imploravit, & nocte quadam ad Deum fusis precibus, quod suis meritis assequi foret indignus, id prophetæ & martyris intercessione concederet. Dumque hoc in lecto genuflexus repeteret, exorta est repente odoris mira suavitas, & lux tamquam radii solaris totum illustravit habitaculum. Mox vocem sensit attonitus dicentem: Confide, ne timeas, Hieronyme, dabitur tibi, quod erit e re tua. Beati, qui veritati catholicæ a nobis prædicatæ crediderint, & operati sunt justitiam. Jota unum non præteribit. Oportet enim Dei verbum quodcumque impleri. His auditis obstupuit. Mox clamore ægrotus excitavit dormientem in lectulo juniorem, qui famulabatur ægrotanti. Exquirens ab eo, vidisti-ne vel audisti visionem, quæ nuper hic est facta. Ille trepidus, & adhuc somno oscitans respondit: Nihil o pater; & linteo faciem operiens in lectulo recubuit. Mox somno & pavore depulso surrexit, & vidit lucem magnam, tamquam radios Solis per thalamum discurrentem. Et ostio ac fenestra reserata, quod Lunæ splendor illic rutilaret, inspexit; persistebat adhuc lumen. Obstupuit magis, quod foris nox esset obscura, et cubiculum absque lucerna et lampade velut in clara die splendesceret. Cui tunc dixit ægrotus: Hanc nulli dixeris visionem, dum sum in vita præsenti. Et scito hunc splendorem ecclesiæ magnum fore luminarium, quod ego interpretor, tamquam sit in pristino renovanda nitore, licet adolescens de construenda ecclesia materiali senserit. Postridie ad illum, ut solebam, veniens, reperi ægrotum solito lætiorem, Rogavi lætitiæ causam. Ille mihi visionis seriem enarravit, adjurans, ne cui ante suum obitum propalarem. Octavo post calendas julias eadem ferme hora noctis, qua visio apparuit, obdormivit in Domino astantibus monachis, quos ille sermone ferventi hortatus est in Christi caritate, et in observantia regulæ perseverare, et osculo pacis exhibito Crucem amplexus Dominum obsecrabat, suspiriis et singultibus voce tremula veniam precabatur, et hæc

dicens

dicens expiravit. Ubi sunt celebratæ exequiæ, conveni juvenem illum, qui pernoctabat in thalamo, & famulabatur ægroto, ut ab eo sciscitarem ordinem visionis. Hic ferme eadem mihi dixit, & vocem audiisse insolitam; sonitum tantum, sed nihil audiisse distincte. Solitus erat ægrotus per noctem clamare, sive dolore urgente, seu cum dæmonibus certaret, & me illi recitante visionem expalluit notabilius adolescens, utpote rei gestæ reminiscens. Sed ut liquido & certius veritas eluceret, antequam moreretur, confessori suo fassus est visionem, nomen confessoris Christophorus, vir prudens & justus, & ejusdem ordinis est professor, ne insomnium vel fabula putetur anilis. Hæc ad te scripsi, ut, si sibi videatur, aliis fidelibus impertias, & tu ex ore tuo ejusmodi .... mibi vidisse narrasse. Hæc scripta sunt, ut credentes ad bene operandum & audacius incitentur, & corroborentur infirmi, opere ut ostendant, quod crediderint. Vale.

ANN. CHR. 1507.

Utrumque absolvi Testamentum heroico carmine, non solum textum, sed & commentum, divino magis præsidio, quam studio humano. Opus immensum in bissena est volumina distributum. Tantam sum molem aggressus, Savonarola hortante, & approbante partem, quam legit, nostri poematis pro virili mea christianæ adolescentiæ allaturus, ut Romani nitor eloquii, & sacra simul Scriptura cum lacte disceretur, ne fabulis obscenis poetarum teneræ læderentur aures, ære quamprimum imprimentur. Habet hoc carmen, ut facile mandetur memoriæ, & tenacius conservetur. Obsecro proinde te tuis nos adjuves orationibus. Si nostræ lucubrationes resultent ad honorem Dei & militantis ecclesiæ, ut poema publicetur, aliter vanescat in fumum. Nota Deo est nostri laboris intentio, tot annis in agro sudavi Dominico, ut poema Christianis tuto relegatur a nostris. Vale iterum. VII. id. Julias. M. D. VII.

Decima januarii Cosmus Pactius episcopus Arretinus concedit Petro Delphino missas celebrare in oratorio Musoleæ pro omnibus sacerdotibus.

Julius II. unit monasterio sanctæ Agathæ Florentiæ ecclesias parœciales sancti Hilari a Pitigliuolo, & sancti Christophori de Pancole. Idem unit ecclesiam sancti Pauli de Cæsena monasterio sancti Apollinaris in Classe ex archivo Classensi.

XXVII. De cardinale Gabrielio & de Ignatio abbate Florentino.

A Petro Candido Cintorii abbate provocatus Delphinus epistolam scripsit laudibus refertam ad Gabrielem Gabrielium cardinalem Urbinatem, quem laudat, quod totus in lectione divinorum humanorumque librorum versetur, neque latinis tantum literis, verum etiam & Græcis ad æmulationem Catonis vel senior oblectetur. Effert etiam ipsius religionem, temperantiam, moderationem, integritatem, benignitatem, humanitatem, affabilitatem. Sequenti epistola ingenium facile, copiosum, suave laudat Ignatii abbatis Casinensis, qui venusta, & vivida oratione conventus Siculos ordinis sancti Benedicti Casinensi congregationi conciliavit, & instituto laxiori inservientes ad arctioris ac formatioris vitæ normam traduxit.

Sanctem Matthæi de Faventia monachum Camaldulensem electum ab hominibus societatis in rectorem sanctæ Mariæ de Calvario loci Castri-cari confirmavit Delphinus die XXX. augusti hujus anni, officii sui XXVII.

ANN. CHR. 1508. XXVIII. Obitus patriarchæ Venetiarum.

POST mortem Antonii Suriani patriarchæ Venetiarum electus fuit ad id onus subeundum Ludovicus Contarenus canonicus regularis sancti Georgii in Alga die XIX. maji. Vix tamen a Romano pontifice confirmatus & consecrationis munere decoratus, decessit die XVI. novembris, cujus obitu [a] doluit Delphinus non tam ob antiquam mutuam amicitiam, quam ob jacturam Venetæ civitatis, quæ præsule optimo atque integerrimo

a *Lib. IX. ep.* 8. 10.

ANN. CHR. 1508.

mo vix inito per ipsum magistratu orbata est, quem etiam scribit *composite & sancte vita excessisse similem dormienti, argumentum peractæ innocenter vitæ*. Suffectus est Antonius Contarenus canonicus regularis congregationis sancti Salvatoris die trigesima novembris.

Ad archiepiscopatum Florentinum translatus fuit Cosmus Pactius episcopus Arretinus, cui per literas gratulatus est Delphinus.

In necrologio Avellanensi sub die duodecima aprilis legitur: Obiit Guidobaldus de Feltrio dux Urbini devotus noster.

XXIX. Et Pauli Canalis monachi S. Michaelis de Muriano.

POSTREMO ad Deum transiit hoc anno in monasterio sancti Michaelis de Muriano Paulus Canalius monachus ejusdem loci. Is Venetiis ex patritia gente Canalia ortus anno 1483. Græcis Latinisque linguis optime excultus, philosophiæ, astrologiæ & mathematicis scientiis addictissimus, viginti-quinque annos natus immaturo fato occubuit post viginti-duos dumtaxat dies a suscepta monastica toga, phtisi consumptus. *Juvenem & Græce, & Latine apprime doctum Paulum Canalem patricium Venetum florem delibutum, quem vere, si vixerit, phœnicem unicum futurum sperat*, appellat Baptista Egnatius [a], *cui*, subdit, *tam pertinax studium, tam acre sublimeque ingenium, tam tenax memoria, tanta præterea est morum probitas, quem nunc parcius laudare cogor, ne fortassis, aut amore labi, aut judicio videar;* & cap. XVII. *Canalis noster Paulus Phœnix semper mihi dicendus.* Petrus Bembus in epistola ad annum 1505. die XIII. decembris ad cardinalem Urbinatem Gabrielium laudat cardinalis ejusdem caritatem, studium, liberalitatem, quibus æstivo tempore anni 1505. & se & Paulum Decanalem suum idem Gabrielius tractaverat. Ad utrumque tam Bembum, quam Canalium extat Andreæ Navagerii amantissimi & patricii itidem Veneti carmen. Paulus Justinianus Camaldulensis eremita in prælonga epistola ad Teupulum, Savornianum, & Navagerium amicos suos, *dimidium & plusquam dimidium sui* appellat Paulum Canalem, *cujus neque similem, nec secundum unquam vidi, quia potius angelicus quam humanus spiritus*. Scripsit Canalius de Deorum genealogia, teste eodem Egnatio. Geographiam Ptolomæi dum corrigebat, assidua nimium exercitatione crepuit ei vena in pectore. Sed Pierium Valerianum audiamus in libro inscripto *Contarenus*, sive de *Infelicitate literatorum*, quem in Analectis de *Calamitate literatorum* edidit Johannes-brucardus Menckenius anno 1707. Ibidem in dialogo inter Gasparem Contarenum oratorem Venetum, & Johannem-antonium Pollionem prælatum domesticum pontificis legitur [b]: *Hic Pollio. Quid obsecro probatissime vir, indignos alienigenarum casus ita meministi, ut tuorum obliviscaris? Audivi ego Venetiis, dum orator pontificius in Pannoniam iterum missus, menses aliquot illic subsistere coactus sum, excidii Romani certior factus, dumque vestrorum hominum literas perscrutor, Paulum quemdam Decanalem indignissimum vitæ exitum sortitum, cujus te perbelle conscium putem, quisnam hic fuerit obsecro, nobis indices; nam & Granam & Colotium video, & alterum alterius auribus insusurrasse animadverti magnam utrumque literatorum carnificinam paravisse. Sed enim priusquam Decanalis elabatur, detur nobis a nostris venia, ut quid super eo dicturus es, audiamus. Sane quidem cum de literatis sermo sit, nullius ego libentius meminerim, quam Pauli Decanalis, qui quantæ fuerit eruditionis nulli non innotuit. Is enim vix quintum & vigesimum ætatis annum attigerat, dum præstanti labore Ptolomæi geographiam non tam temporum, quam imperitorum hominum injuria partim depravatam, incolumitati pristinæ reddere contendit, neque sibi die, neque noctu parcit, tam utilem & jucundam humanis ingeniis cognitionem brevi exhibiturus,*

a Racemat. cap. VI.

b Pag. 295.

turus, ex nimia scribendi assiduitate, nisu & perseverantia, rupta pectoris vena ita sanguinem cepit evomere, ut nulla medicorum arte sisti posset. Ea tum fuit una Pauli mens, ut se totum Deo daret, & in claustra religiosa convolaret. Prosequitur porro Valerianus: *Tum ille fatalem instare diem inspiciens, id unum habuit praematurae mortis, et interceptae in studiis gloriae solatium, quod rerum aliarum omnium contempta cura, sacris initiatus, et in Augustinianorum heremitarum claustra inclusus, intra paucissimos dies, intaminatae juvenis vitae, integerrimum pudicissimumque animum coelo reddidit.* Fallitur Valerianus, proximitate duarum sancti Christophori, in qua Augustiniani, & sancti Michaelis, in qua Camaldulenses, insularum deceptus, cum certo certius sit Paulum apud Camaldulenses nomen dedisse. Meminit Pauli Erasmus Roterodamus tunc Venetiis existens, in epistola ad Jodocum Gaverum JC. *Venetiae vidi Paulum Canalem patritium juvenem summis rebus natum, nisi mors illud ingenium terris invidisset. Is phtisi periit, me illic agente.* Paulus Orlandinus vicarius tunc congregationis Camaldulensis libro V. suae triplicis Theologiae orat Paulum Justinianum, *ut Petri Quirini, et Pauli Canalis vitam, obitumque cum clarissimis eorum gestis ad honorem et decus religionis nostrae*, conscribat. Ventura Minardus in suis regulis de Balneis Calderianis aperte Camaldulensem facit scribens anno 1571. Augustinus Fortunius [a] idipsum affirmat de Paulo. Luxerunt plures acerbam Canalis jacturam, inter ceteros Hieronymus Bononius Tarvisinus epigrammate promiscuorum libro XI. alioque Pierius Valerianus, sicut viventem laudarunt Johannes-aurelius Augurellus, Petrus Contarenus & Bembus. Agunt de ipso Lilius Gregorius Giraldi, Honorius Dominicus Caramella, Augustinus Valerius, Johannes-marius Crescimbenius, Almelovenius, Georgius-martinus Raidelius, Franciscus-xaverius Quadrius, Georgius Mathias Konig, Marcus Fuscarenus, Apostolus Zenus, praeter authores superius recensitos, & fusius Johannes de Augustiniis [b], ex quo multa ex his excerpsimus. Extant foetus ipsius aliquot carmina tum Latina, tum Italica.

ANN. CHR. 1508.

a *P. II. lib. IV. cap.* 24.

b *T. II. pag.* 549.

XXX. Julii II. brevia pro monasteriis Camaldulensibus.

QUINTA-DECIMA aprilis pontificatus sui anno quinto [c] Julius II. confirmavit monasterio Angelorum de Florentia privilegia & beneficia, nominatim monasteria de Saxo, de Cerreto, de Vertilio, ecclesiam sancti Viti de Arretio, & hospitale sancti Ægidii in dioecesi Volaterrana. Ecclesiam paroecialem sancti Viti Arretii copulaverat coenobio Angelorum die VIII. aprilis hujus anni, anno XXVIII. sui generalatus Delphinus; fueratque eatenus membrum abbatiae Saxi; ex tabulario [d] ejusdem monasterii Angelorum.

c *Num.* 32.

d *Num.* 197.

Idem Romanus pontifex abbati Vergaretano, scholastico ecclesiae Lucanae, & Alexandro Salvetto canonico basilicae sancti Petri de Urbe mandavit recuperationem bonorum monasteriorum sancti Felicis in Platea Florentiae, & sanctae Mariae Trivii de Monte-cornario.

Kalendis februariii pontificatus V. praeposito, & Michaeli Terdocio canonico Faventino, & vicario episcopi commisit, ut Benedicto de Como priori sanctae Mariae Camalduli Foro-liviensis, & uniti prioratus sancti Johannis-evangelistae pacificam redderent possessionem eorumdem prioratuum, qui ab adversario Benedicto de Negosantis impetebantur. Contulerat dictos prioratus eidem Benedicto de Como, qui appellatur Benedictus Petri de Mandello, priori sancti Johannis-baptistae de Faventia Delphinus anno praeterito die IV. septembris Julii II. anno IV. officii vero sui XXVII.

Leonardus Lauretanus dux Venetiarum commisit Aloysio Capello provisori Faventiae die XXIII. martii hujus anni, ut ex consilio Rogatorum indu-

Ann. Chr. 1508.

induceret in possessionem abbatiæ sancti Hippolyti de Faventia Philippum Bartholomæi de Martinellis Faventinum electum abbatem ejus loci a Petro Delphino pro demortuo Paulo Menghi de Solarolo abbate. Electio facta fuit a Delphino die xv. martii, officii sui anno xxviii.

Franciscus S. R. E. presbyter cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ legatus apostolicus in civitate Bononiæ, exarchatu Ravennæ, & in tota provincia Romandiolæ, Papiensis dictus ex Alidosiorum familia concedit indulgentiam visitantibus ecclesiam sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiæ, & illi parthenoni adnexam ecclesiam sanctæ Luciæ de Stifonte Bononiensis diœcesis, diebus sanctæ Christinæ, & sanctæ Luciæ, ac dominica Palmarum, ac manus adjutrices porrigentibus ad reparationem utriusque ecclesiæ. Datum Bononiæ anno M. D. VIII sexto idus novembris, pontificatus domini Julii papæ II. anno quinto. Ipsa est beata Lucia sanctimonialis Camaldulensis.

In ea parte sacrarii abbatiæ Balneensis, quæ ducit ad turrim campanariam prostat hæc inscriptio: *Divæ Johannæ ob patriam a peste vindicatam oppidani urnam hanc erexerunt, et huc translata jacet anno Domini* M. D. VIII. *die* XX. *augusti*. Corpus tamen beatæ Johannæ Balneensis conditum asservatur in ecclesia super altare in suo peculiari sacello, ubi venerationem obtinet. Conspicitur sacrum corpus exile & exsiccatum, ut illud beati Danielis in ecclesia divi Mathiæ de Muriano, cum vestibus & cum cuculla tamquam sanctimonialis Camaldulensis, ejusque festiva dies agitur mense augusto cum officio & Missa de Communi Virginum.

Ann. Chr. 1509. XXXI. Aliæ ejusdem Rom. pont. bullæ.

Julius II. die xxvi. januarii pontificatus anno vi. mandavit Petro Delphino, ut monasterium insulæ Montis-Christi provideret de monachis, qui ibidem commorarentur, ac necessitatibus eorum subvenirent, qui vel a procellis jactati, vel piratas evasuri ibidem confugerent; *quod erit gratum Deo*, inquit, *et ordini Camaldulensi gloriosum*; ex tabulario Fontis-boni [a]. Electus fuit a Delphino abbas ejus monasterii Hieronymus Januensis, cui etiam & ordini Camaldulensi sibi commendatam alteram abbatiam Anglariensem restituit Nicolaus de Flisco S. R. E. cardinalis ex Delphini epistola ad ipsum cardinalem [b].

Idem Romanus pontifex ex Viterbio anno vi. decimo-tertio kalendas octobris contulit monasterium sancti Salvatoris de Sexto Lucanæ diœcesis & Camaldulensis ordinis Bartholomæo Arnolfini clerico Lucano. Notatione digna verba ejusdem pontificis in bulla inserta: *Cum itaque nos hodie monasterium sancti Salvatoris sancti Salmanii de Cantuario Camaldulensis ordinis Lucanæ diœcesis ad præsens certo modo vacans dilecto filio magistro Bartholomæo Arnolfini clerico Lucano* &c.

Octava decembris Franciscus S. R. E. cardinalis legatus sedis apostolicæ in Italia prioratum Eremi-novæ, sive sanctæ Mariæ in Alpibus assignavit sacrario & æditui eremi Camaldulensis. Datum Faventiæ anno VII. Julii papæ II.

Reædificata fuit hoc anno basilica sanctorum Donati & Hilariani Camalduli majoris sive Fontis-boni. In ea ecclesia altaria & parietes coloribus & picturis ornavit anno 1537. celebris pictor Georgius Vasarius.

XXXII. De Antonio Recanatense habitatore Cryptarum Massaccii.

Venit die tertia septembris ad cryptas Massaccii frater Antonius Anconitanus habitu seculari indutus, cui Angelus prior Podi-cupi locum concessit, annoque sequenti mense januario habitum Camaldulensem tribuit. Habitatus fuerat dictus locus seculis XIII. & XIV. tum per B. Johannem eremitam, tum per B. Matthæum Sabbatini. Die duodecima junii anni 1303. Gerardus prior Camaldulensis ex monasterio Eremitæ de Mandriolis hanc potestatem

a §. Brevia A. 6. 17.

b Lib. IX. ep. 31.

tem fecerat *fratri Matthæo Sabbatini Petri de Maſſaccio inſtanter & humiliter petenti ſtandi & morandi, et vitam ducendi eremiticam, prout ſibi ex alto fuerit inſpiratum in crypta, quam beatæ memoriæ frater Johannes, cui in eadem crypta moranti ſpatio longi temporis fidelibus actionibus deſervitus fuit, vitam potius ducens angelicam, quam humanam uſque ad feliciſſimum diem ſui præclari obitus feliciter commoratus*. De Johanne egimus ad annum 1303. Videbimus annis ſequentibus valde in eo loco renovatam religionem tum a beato Paulo Juſtiniano, tum ab ejus ſociis.

ANN. CHR. 1509.

XXXIII. Hiſtorica hujus temporis ex Delphino.

REFERT Delphinus in ſuis epiſtolis ſub hoc anno obitum clariſſimorum virorum procuratorum ſancti Marci atque affinium ſuorum, Dominici & Marci-antonii Maurocenorum, qui Delphino extiterant ſemper benevolentia & amore, quam carne conjunctiores. Parentis loco habuit primum, qui nonagenarius exceſſit, uterque vero Delphinum haud vulgari caritate complexi ſunt. Primarii cives ambo, & de patria ſua optime meriti. Excurrit autem in eorum laudes in epiſtola ad Franciſcum Brixienſem monachum ſancti Michaelis [a]. Gratulatur Petro Soderino perpetuo Florentiæ vexillifero ob Piſarum vel feram receptionem [b]. In epiſtola ad Euſebium Priolum monachum ſancti Michaelis [c] memorat triſtis inopinatam tot ſimul urbium imperio Veneto ſubjectarum defectionem; poſteaquam vero vulgatus eſt rumor, miſſos fuiſſe & ad pontificem & ad Cæſarem legatos, levatum aliquantulum animum. Paulopoſt famam perduxiſſe paucos intra dies Tarviſium, intercedente civium fidelium factione, in poteſtatem Venetorum rediiſſe, trucidatis ſupra quinque Germanorum millibus ex hoſtibus, ac propterea civitatem perenni exemptione donatam. Paduam ſimiliter receptam, licet longe minore militum ſtrage, ac direptis tantum quorumdam civium domibus, qui fuerant defectionis auctores. Maximum præterea denuo conflaſſe exercitum Venetos, adeout in ipſorum caſtris ſupra quinquaginta armatorum millia contineri dicantur. Senatum de induſtria permiſiſſe defectionem ſuarum civitatum ad Germanum & Gallum, poſteaquam in acie Veneti ſuperati ſunt, ne barbarorum fierent præda, ſed aliquot cives male meritos de Venetis conjeciſſe in carcerem præfectos urbium, occupatis direptiſque ipſorum bonis. Legantur epiſtolæ 33. 38. 39. libri IX.

a *Ibid. ep.* 23.
b *Ibid. ep.* 29.
c *Ibid. ep.* 31.

Kalendis octobris anni M. D. IX. officii ſui XXIX. per paginam rogatam a Lazaro olim Antonii de Bonamicis de Sancto-miniate notario & ſcriba ſuo idem Delphinus copiam facit Donato de Marmellis archidiacono Aretino, & epiſcopi Arretini cardinalis ſancti Georgii perpetui adminiſtratoris vicario, permittendi Hilariano priori ſanctorum Laurentini & Pergentini extra muros Arretii facultatem ædificandi in eccleſia Camaldulenſium monialium ſancti Benedicti de Arretio capellam, cui applicarentur multa bona relicta a quadam pia muliere; ex tabulario ſancti Romualdi de Urbe [d].

Monaſterium Taurinenſe Putei-Stratæ commendat Delphinus [e] tum Bartholomæo Taurinenſi doctori, tum Emmanueli de Strata & Petro Bono conſulibus Taurinenſibus.

d *Faſc. I. n.* 1.
e *Lib. IX. epp.* 52. 53. 54.

Alterum monaſterium ſeu eccleſia ſancti Viti de Arretio, quæ ſubjiciebatur abbatiæ ſancti Johannis-decollati de Saxo, unita fuit hoc anno menſæ monachorum ſanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, ut habet Fortunius [f], quam unitam diximus anno præcedenti.

f *P. I. pag.* 193.

In veteri pavimento eccleſiæ ſancti Gregorii de Urbe extabat hæc inſcriptio: *Johanni de Plumaugat nobili canonico et officiali Maclovienſi juris civilis et pontificii, bonarumque artium perito, morum gravitate vitæque* inte-

Ann. Chr. 1509.

integritate præclaro Dionysius episcopus Maclovienfis regius orator amico benemerenti posuit. Obiit immatura morte VI. *kalendas augusti* M. D. VIIII.

Ann. Chr. 1510. XXXIV. De Thoma Justiniano facto eremita Camaldulensi.

ACCESSIT hoc anno vitam eremiticam ducturus ad solitudinem Camaldulensem Thomas Justinianus nobilissimus Venetus patritius. Is Venetiis anno ab orbe redempto M. CCCC. LXXVI. ex ea præclara familia natus patrem habuit Franciscum ab amplissimo senatu ob inclyta gesta equestris ordinis, militiæque insigniis magnifice decoratus, matrem autem Paulam de Maripetris matronam nobilissimam, ambos christianæ pietatis maxime cultores. In ipsa pueritia Thomas disertissimus evasit orator, hinc Latinis Græca conjungere sitiens, perinde se in eo ludo exercuit, ut non facile discerneretur, Latina-ne an vero Græca lingua in eo excelleret magis. Hoc etiam in puero merito divinum existimatum est, quod numquam lectulum ascendere, aut inde descendere visus est, quin genibus flexis devote aliquantulum oraret; cibum capere mane, re sacra non audita, nunquam ei persuaderi potuit. Decimo-septimo ætatis anno, jam utroque parente orbatus, non lascivientibus juvenibus, ut fieri solet, se miscuit, sed potius domo patriaque relictis, a clarissimis fratribus atque dilectis sororibus (habebat enim sex, & fratres duos) discedens Patavium se contulit, ubi per annos undecim & philosophicis, & theologicis in florentissima academia studiis sedulam navavit operam. In ipso studiorum suorum felicissimo cursu multos habuit officiosos summaque amicitia conjunctos socios, quorum tamen præcipui extitere doctissimus ille Paulus Canalis, & Gaspar Contarenus vir nobilissimus, & postea S. R. E. meritissimus cardinalis. Verum inter omnes Pauli amicos primas semper tenuit Vincentius Quirinus & ipse patritius. Patavinis igitur studiis debito tempore relictis XXVIII. ætatis annum agens domum revertitur, non minori virtute, quam doctrina imbutus; ut autem domum & civium frequentiam fugeret, in suburbanum, cui Muranum nomen est, cum sola librorum suppellectili recessit. Ubi in remota, propria tamen domo, satis solitarius tribus annis vixit; tanto postea desiderio Hierosolymam peregrinandi affectus est, ut nullo modo ab eo, donec effectum est, evelli potuerit. Cumque per annum aut eo amplius rem differens, ex Deo ne spiritus iste foret diligenter examinans, atque in dies magis magisque in proposito confirmaretur, confessario, cui se totum manifestaverat, approbante, Hierosolymam peregrinari statuit. Tandem anno M. D. VII. ætatis suæ XXXI. navim ascendens, felici statim navigatione, brevi temporis cursu incolumis pervenit. Sacris locis perlustratis & animo impressis Judæam relinquit, & licet non sine laboribus multis variisque periculis, patriæ tamen incolumis restituitur. Amore sororis suæ Cæciliæ nuptæ cuidam patritio de Contarenorum familia a desiderata solitudine retractus, negotiis secularibus se implicat, & tamquam tutor sororum & nepotum suarum (præmortui enim erant Thomæ fratres, alter tenella ætate, alter, qui post se puellas reliquerat sub ipsius cura) curis mundi pius homo immergitur, incipit tepescere spiritus, frigescit spiritualis fervor, & a divinis mens distrahitur, ac a studiis divinarum & humanarum literarum, sub specie boni. Per biennium in hoc vitæ genere perduravit, donec a Deo vocatus, & a somno mirabiliter excitatus per Delphinum priorem generalem Camaldulensium, & per Paulum Orlandinum, qui tunc Venetiis commorabantur, ad amplectendam solitudinem demum revocatur. Hæc ferme exscripsimus ex eremitica historia [a] Lucæ Barcinonensis. Die XIV. maji anni 1507. adhuc Venetiis erat, & Hierosolymitanam peregrina-

a *Pag.* 46. *& seqq.*

grinationem meditabatur ex epistola Vincentii Quirini ad ipsum, in qua etiam meminit varias linguas, quas possidebat Justinianus, qui nunc prosaica, nunc ligata oratione, nunc Etrusca, nunc Hispana, Veneta nunc, nunc Siriaca lingua in literis utebatur. Mense igitur julio hujus anni 1510., post peragratas varias Italiæ partes, ad eremum Camaldulensem se contulit, cepitque & loci habitudo, atque eremitarum ibi commorantium conversatio mirum in modum homini solitudinis avido placere. Postulat vir prudens ab ipso loci superiore, quatenus ibidem proprio habitu per dies triginta eremitico autem more experiundi causa ei commorari liceat, quod illi benigne concessum est, cui per idem tempus ut eremitæ omnia, quæ ad victus pertinent, ministrabantur. Illeque vicissim nil eorum, quæ ad observantiam pertinent, prætermittebat, quominus observando ad unguem adimpleret. Jejunabat, psallebat, orabat, & in jugi silentio manens cuncta, ut peritissimus eremita, complere studebat. Mense tandem in hac sancta experientia facienda transacto, eremitam fieri, ibidemque habitum sanctum suscipere decrevit. Verum, antequam id faceret, domum reverti, ac de rebus suis quasi tunc moriturus disponere voluit, ne postea aliquid impedimenti superesset, quo pium propositum impediretur. Delphinus [a] scribens Lucæ monacho: *Petis*, inquit, *fieri certior*, *placuerit-ne Thomæ Justiniano eremi nostræ commoratio et situs per id tempus*, *quo ibidem commoratus est*, *adeo cordi fuit illi locus ipse*, *sic est ea solitudine et universo ritu oblectatus*, *ut non potuerit magis*. *Non est territus austeritate eremitici propositi*, *non fractus jejunio panis et aquæ*, *non fatigatus prolixitate psalmodiæ*, *atque nocturni officii*, *non longa silentii custodia tœdio affectus*. *Denique ita se gessit in eremo*, *ut non minus ei locus satisfecerit*, *quam ipse loco*. *Nam tanta ibi moderatione et humilitate conversatus est*, *ut uno eremitarum consensu summopere laudaretur*, *omniumque promeruerit gratiam*. *Nonus hic est dies*, *quo obiit*, *rediturus*, *ut nobis constantissime recepit*. Scripsit Justinianus eo mense julio ad Vincentium Quirinum & Baptistam Egnatium ex cella eremi, quam incolebat, prope quam erat oratorium sive ecclesia cum egregia ara, & cum monumento sepulcrali a terra eminente, quo claudebantur ossa cujusdam eremitæ reclusi, qui judicabatur Sanctus esse. Describit etiam formam corporis, moresque reclusi alterius viventis, (beati nimirum Michaelis) qui fuit presbyter secularis, a quinquennio reclusi, & eremitæ aperti per quatuor annos ante reclusionem, qui tunc sexaginta ætatis annos habebat, quocum sermonem ea die habiturus erat. Ad suos itaque reversus Justinianus, quæ sibi agenda restabant, citius expedivit, constituit scilicet, qui sororum atque puellarum curam gereret, & bona omnia, quibus jure obveniebant, reliquit. Mense decembri patria relicta, navim ascendens Ravennam appulit, inde terrestri itinere ad dilectam solitudinem remeavit. Extat prælonga Justiniani epistola ad amicos suos, qua tum iter suum, tum pugnas animi sui ob derelictas sorores, nepotes, domesticosque omnes atque amicos, tum pericula, quæ evasit, describit. Ravennæ duobus diebus suaviter conversatus est cum fratre Francisco Placentino visitatore canonicorum regularium Lateranensium, qui vel Pistorii, vel Lucæ prædicans verbum Dei inimicitias & odia civium extinxit, ad confusionem eorum, qui in suggestis abjecto evangelio Aristotelem, & humanas subtilitates in medium proferunt. Inter amicos suos præsertim nominat, quos etiam per epistolam alloquitur, Nicolaum Theupulum doctorem, Hieronymum Savornianum, Andream Navagerium patritios Venetos, quorum pariter objectionibus occurrit, declarans, quo sano consilio seculum reliquerit, & quot

ante

Ann. Chr. 1510.

[a] Lib. IX. ep. 78.

ANN. CHR. 1510.

ante annos meditatus fuerit fugam hanc. Non fuisse Delphinum auctorem sui discessus, quem *Phrygii* nomine ii subsannabant, sed Deum, qui ejus voluntatem præmoverat. Meminit cujusdam eremitæ apud abbatiam Burgundionum (sancti Thomæ de Torcello), qui pane & aqua dumtaxat vescebatur toto Adventus & Quadragesimæ tempore, qui cilicium gestabat corpus totum circumdans. Demum se commendat precibus sanctissimi episcopi Cremonensis (Hieronymi Trivisani, qui exul a sua sede Venetiis degebat). Asserit autem se die decima-septima decembris ad eremum pervenisse, ubi exceptus fuit a priore generali Petro Delphino [a], qui in Missa auroræ Nativitatis Dominicæ schemate eremitico ipsum triginta-quatuor annorum ætatem præferentem induit, mutato Thomæ in Pauli nomen. Cetera de Paulo Justiniano annis sequentibus.

a Lib. IX. ep. 96.

XXXV. Conventiones inter moniales Porcilienses, & monachos S. Michaelis.

ANNO M. D. X. indictione XIII. die XVVII. februarii Paduæ in colloquutorio monasterii monialium sancti Petri de Padua, *ubi nunc degunt moniales sancti Antonii Peregrini, seu sanctæ Mariæ de Porcilia extra muros Patavinos ob demolitionem sui monasterii propter adventum inimicorum intra civitatem Paduæ*, congregatæ dictæ moniales, ac asserentes corpus dicti beati Antonii, quod erat in arca conditum penes vetera monasteria Porciliæ tam virorum, quam mulierum, eratque commune, nunc ea occasione translatum fuisse ad ecclesiam sancti Petri, se exhibuerunt paratas ad contribuendam medietatem omnium oblationum, quæ fiunt ad dictum corpus, Ambrosio abbati sancti Michaelis de Muriano, cui monasterio adjunctum fuerat alterum Porciliense virorum. Nominatur etiam in pagina conventionis corpus beati Compagni similiter reconditum apud Porcilienses, nunc vero translatum ad ecclesiam sancti Petri. Instrumentum edimus in Appendice ex autographo sancti Michaelis. Porciliense monasterium suburbanum tam monachorum, quam monialium destructum fuerat anno antecedenti.

XXXVI. Aliqua Camaldulensia monumenta.

PRIORATUS sancti Salvatoris de Foro-livio Kalendis septembris pontificatus anno VII. adnectitur a Julio II. congregationi sancti Michaelis. Franciscus Soderinus vulgo Volaterranus dictus S. R. E. cardinalis, & ordinis Camaldulensis protector, obtentis abbatiis Vallis-castri, sancti Urbani de Apiro, & sancti Blasii de Fabriano invicem unitis, & vacantibus per mortem Fatii Sanctorii cardinalis sanctæ Sabinæ Cæsenatis dicti, postremi commendatarii, beneficia eorumdem monasteriorum vacantia confert, inter cetera beneficium sancti Nicolai de Apiro anno M. D. X. indictione XIII. pontificatus Julii II. anno VII. Datum ex oppido Mazani Nepesinæ diœcesis. Has abbatias idem cardinalis hospitatus apud Fontembonum [b] pollicitus est Delphino se liberas traditurum ordini, dimissa commendatione, quod præstitit anno sequenti.

b Lib. IX. ep. 74.

Scribens Delphinus ad Hieronymum Donatum equitem oratorem Venetum [c] gratulatur, quod eo auctore jusserit pontifex Julius II. solvi leonem turpiter catena obstrictum, quem anno præterito Ravenna captivum abduxerat exercitus pontificius, eique alas & diadema restitui; insigne nimirum Venetæ reipublicæ.

c Ibid. ep. 80.

Delphinus meminit [d] Lazari San-miniatensis, qui per biennium cancellarii officio apud se functus fuerat, nunc vero se receperat apud præfectum Castri-cari; & carminis Andreæ Prioli monachi Veneti sancti Michaelis fratris Eusebii [e], quod in honorem beatæ Virginis confecerat.

d Ibid. ep. 82.

e Ibid. ep. 94.

Sebastianus de Balneo episcopus Molesiensis abbatiæ sancti Hilari de Galeata perpetuus commendatarius die vigesima januarii renovavit in emphyteusim de viginti in viginti annos Bartholomæo de Pupio recipienti nomine

nomine Camaldulensis eremi omnia prædia Eremi-novæ in Alpibus, alteriusque eremi in medio villæ Strabatenzoli, atque prædia cellarum Vallis-bonæ & Saxetti nullius diœcesis, quæ erant jurisdictionis dictæ abbatiæ; ex tabulario Fontis-boni [a].

Ann. Chr. 1510.

a §. *Emphyteusis*.

Per mortem Simonis abbatis sancti Johannis-evangelistæ de Burgo-sancti-Sepulcri eligitur abbas ejusdem monasterii Galeottus de Gratianis.





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS.

Ab anno Christi M. D. XI. *ad annum* M. D. XIV.

ANN. CHR. 1511.

I. Paulus Justinianus invitat ad eremum Camald. Vincentium Quirinum.

a *Lib. X. epp.* 1. 2. 5. 8. 9. 16. 18. 32.



AULI Justiniani eremitæ Camaldulensis virtutes, carnis macerationes, jugisque contemplationis exercitia fuse enarrat [a] Delphinus in suis epistolis vel ipso ejusdem tirocinii tempore; tentationes quoque non subticet, quarum prima erat pupillarum recordatio, altera, quod muro cingi eremum Camaldulensem percuperet, postrema, quod intra Etruriæ terminos eremiticum institutum concludi ægre ferret, quas tamen immissiones orationis adjumento superavit, ultimam vero, cum a Deo prodire intellexit, opere feliciter complevit. Solliciti interea erant tum Delphinus, tum ipse Justinianus, pro adducendis ad eremum Camaldulensem Egnatio, & Quirino. Scripserat Delphinus utrique tum mense augusto anni præteriti, tum januario hujus anni, & volentibus calcaria addebat, Justinianus vero amicissimum sui Quirinum instruxerat per epistolas, omniaque aperuerat eremiticæ vitæ commoda & incommoda vel eo tempore, quo anno elapso periculum mense fecit ejusdem instituti. Respondit Justiniano Quirinus sub nomine Lycenopis die quinta-decima julii ejusdem anni omnia sibi plene satisfacere, nihilque adeo concupiscere, quam eam vitam complecti. Alteri epistolæ, quam receperat a Justiniano per Petrum Bembum, eodem sensu rescribit, ac meminit in ipsa Lusci, Longini, & Fuscarii, qui eodem vitæ genere delectabantur. Audito autem hoc anno Justiniani consilio, & perceptis ab eo epistolis, intimos sui sensus aperit Quirinus, & simul describit pugnas animi sui, inflammata autem desideria ipsum imitandi. Die XXII. januarii scribit eidem Justiniano amicos ejus ipsum traduxisse ut stultum, tetraque cogitatione ductum, præter Georgium & Contarenum, qui beatum judicant eum, quod a seculi strepitu se receperit in solitudinem. Mutuis epistolis toto hoc anno se consoverunt Justinianus & Quirinus, qui postremus mense septembri, patria, propinquis & amicis relictis ad Camaldulensem eremum se contulit, ubi etiam ex infirmitate lecto decubuit aliquanto tempore,

pore, una cum Sebastiano Georgio patritio itidem Veneto, sed antequam nomen daret, Florentiam proficisci decrevit, tum ad ejus urbis ornamenta contemplanda, tum ut maturiore consilio ceptum opus perficeret. Die XXVI. decembris Gaspar Contarenus amicum Quirinum literis conatus est a proposito dimovere, sociabilem hominem, non solitarium placere Deo & proximo ostendens, pericula quoque solitudinis, abstinentiæ & rigidioris vitæ exponens; Meminit fratris Pauli Mauri ordinis Prædicatorum in conventu sancti Petri martyris de Muriano, qui vitam austeriorem supra vires eligens in insaniam prope versus occubuerat his diebus. Memorat etiam Augustinum Donatum, Marcum-antonium Contarenum, & Albertum Carporum principem; hic & publice, & private honorifice loquebatur de Quirino, Musurum etiam, & de se aliqua proferens affirmat relictis studiis ceteris, se totum contulisse ad studium sacræ Scripturæ. Interea Quirinus tum Camalduli, tum Florentiæ acerbissimis premebatur animi vexationibus, nec quid decerneret, potens erat, matrimonium fratris sui germani Georgii curas ipsi addebat, derelictio suorum, & etiam amicorum; semper tamen prævalebat desiderium solitudinis, vitæque religiosæ capessendæ, ut ingenue de se fatetur in epistolis ad Justinianum mense decembri & januario datis. Florentiæ utebatur familiarissime cum archiepiscopo Cosmo de Pactiis, cum Antonio Puccio subdecano Florentino nepote Laurentii, qui plurimum pollebat auctoritate & gratia apud Romanum pontificem Julium II. cum magnifico Juliano Mediceo, & cum doctioribus & nobilioribus viris ejus urbis. Die XXI. januarii refert Justiniano concilium Mediolanense vires augere; nudius tertius ad januam ecclesiæ Virginis Annuntiatæ Florentiæ affixam fuisse citationem pontifici factam, ut termino quadraginta dierum respondeat concilio, an consentiat interesse vel in urbibus Italicis Vercellarum, Mediolani, Taurini, Casalis in Pedemontio, Pisarum, Veronæ, vel extra Italiam in urbibus Avenionis, Lugduni, Basileæ & Constantiæ concilium indici; quod si non consentiat, vel non respondeat, patres concilii venturos ad electionem novi pontificis; opinionem esse archiepiscopi Florentini rem in schisma prolapsuram, si rex Franciæ non ejiciatur extra Italiam. Sed Quirinus semper semetipso fortior tandem sub finem januarii Camaldulum rediit, & intra solitarios recessus ejusdem eremi se recepit, ut dicemus sequenti anno. Egnatius autem excusationes adduxit. In altera Delphini epistola, qua ad solitudinem hunc allicere curabat [a], laudat ipsius orationem habitam in funere ducis Pitiliani; carpit tamen, quod sacerdos cum sit Egnatius, testimonia sacræ Scripturæ inserere suis orationibus formidet, ac Gentilium phrases potius usurpet. A cardinale autem Mediceo [b] expostulat, quod, cum constitutionibus ordinis & eremi Camaldulensis cautum sit, ne quis in eam recipiatur, qui non fuerit sacerdos, & saltem per tres annos non permanserit in aliquo monachorum ordinis cœnobio, fas sibi sit hanc legem pontificia auctoritate dispensare cum quatuor laicis viris.

Bernardus Oricellarius Florentinus [c] historiam confecturus, proemium ipsius examinandum tradidit Petro Delphino, hic vero negotiis occupatus legendum dedit Paulo Justiniano eremitæ Camaldulensi. Paulus autem, ut refert Delphinus in epistola ad eumdem Oricellarium, prolixiores dedit ad Delphinum ipsum literas, judicium suum proferens. Videtur Justinianus in eo proemio carpsisse phrases quasdam Gentilium lectionem redolentes; assuetus enim nunc Græcis, nunc Latinis libris evollendis, & præsertim meditandis eloquiis sacrarum Scripturarum, abhorrebat a Gentilium librorum lectione, cui primis annis vacaverat.

Ann. Chr. 1511.

a *Lib. IX. ep.* 99.

b *Lib. X. ep.* 11.

c *Ibid. ep.* 28.

Ann. Chr. 1511.

II. Historicae ex Delphini epistolis.

MEMORAT idem Delphinus in epistolis hujus anni & gratulatur [a] Johanni cardinali Mediceo, quod pro sede apostolica legatus destinatus fuerit in provinciam Flaminiæ. Petit [b] a Nicolao Valorio optimo cive Florentino, ut quandoque alias fuerat ipse orator pro republica Florentina apud regem Galliarum, operam det, ut ex Galliis ad se convehatur quincuplex Psalterium, Gallicum videlicet, Romanum, Hebraicum, Vetus & Conciliatum cum expositione atque emendatione Jacobi Fabri Stapulensis viri suo judicio literatissimi, & in divino eloquio eruditissimi, quod impressum fuerat in Galliis in cœnobio sancti Germani juxta muros Parisienses ante biennium. Et subtus: *Multum sane huic Fabro tribuo, quem accepi adhuc vivere, & multa alia volumina edidisse, esseque non minus sanctimonia, quam eruditione insignem*. Laudat zelum [c] Benincasæ prioris Pratalis, qui summe affectus Petro Soderino vexillifero perpetuo Florentiæ ipsum monuerat, ut a pressura cleri & ab impositionibus abstineret. Qua occasione narrat signa & portenta paulo ante Florentiæ & in ipsius palatio visa; nocturna nimirum fulmina præter temporis autumnalis rationem totum fere palatium pervagata, tria lilia super ostium palatii sita unius fulminis ictu exusta; interdictum insuper pontificium petit, an Florentiæ observetur, quod postea monitus literis Thomæ Strozii ex ordine Prædicatorum prioris sanctæ Mariæ de Saxo [d] intellexit non continuare, neque obstringere eremum Camaldulensem. Meminit [e] Pisani concilii, quod repugnante pontifice indictum est ad Kalendas novembris, & eo ipso die inchoatum, ad quod præter quatuor cardinales, multi etiam prælati transalpini & doctores complures eminentissimi convenerant, vereturque, ne ecclesiæ schisma prorumpat. Gaudet pontificem Julium convaluisse de infirmitate, ut castra possit evertere exterorum, & schisma imminens potenter dissolvere. Dolet etiam [f] de morte clarissimi patris monachi Eusebii & Andreæ Priolorum patritii Veneti, viri gravitate, religione, fide, humanitate præditi, administratione, consilio, opera de patria sua optime meriti.

III. Card. Volaterranus cedit tres abbatias ordini Camald.

CEDENTE cardinale Volaterrano commendationi abbatiarum unitarum sancti Salvatoris de Valle-castro, sancti Urbani de Æsinante, & sancti Blasii de Fabriano, Benedictus Andreæ de Mutina Camaldulensis ordinis & totius congregationis sancti Michaelis de Muriano vicarius generalis vigore licentiæ obtentæ a Romano pontifice Julio II. bulla plumbea, accedente consensu Johannis Colæ vicarii cardinalis Volaterrani dudum commendatarii, hoc anno M. D. XI. indictione XIV. die martis decima julii, præsentibus testibus, & præsertim Ludovico Arrivabene Mantuano sanctissimi Julii papæ II. delegato super spoliis domini Fatii Sanctorii cardinalis sanctæ Sabinæ jampridem abbatis commendatarii, possessionem recepit eorumdem monasteriorum & ecclesiarum, monachos admittens ad obedientiam, & juramentum sibi præstanda; ex tabulario sancti Blasii de Fabriano. Electus fuit abbas dictorum trium monasteriorum Bartholomæus Morsius, qui fuerat annis anteactis prior Angelorum Florentiæ.

Idem Romanus pontifex ex sancta Maria de Laureto anno pontificatus octavo die XI. junii mandavit Laurentio Puccio præposito Fesulano, ut vacante monasterio sanctæ Mariæ de Poplena jam unito eremo Camaldulensi unionem ipsam rescinderet, ac conferret ejusdem abbatiæ administrationem Bartholomæo de Scopetanis monacho sancti Benedicti extra mœnia Florentiæ ad ipsius vitam dumtaxat, habito tamen prius assensu prioris generalis Camaldulensis; ex archivo Fontis-boni [g].

Refert Manzonius in episcopis Foro-corneliensibus [h] monasterium Camaldu-

a Ibid. ep. 33.
b Ibid. ep. 39.
c Ibid. ep. 40.
d Ibid. ep. 41.
e Ibid. ep. 38.
f Ibid. ep. 27.
g §. Electio A. 6. 7.
h Pag. 299.

maldulense sancti Eustasii seu Eustachii de Imola hoc anno adjunctum fuisse præposituræ cathedralis ecclesiæ.

ANN. CHR. 1511. IV.

Tertia inventio corporis S. Apollinaris in ecclesia Classense.

CONTIGIT hoc anno tertia inventio corporis sancti Apollinaris primi archiepiscopi Ravennatis, & translatio ejus sacrorum ossium, quam ex oculato præsenteque teste Paulo Orlandino vicario tunc congregationis Venetæ addiscimus, qui post quinquennium sequentem de ea translatione epistolam dedit ad Paulum Tinctum a Laude abbatem eo tempore cœnobii sancti Apollinaris in Classe.

Frater Paulus Orlandinus abbas sancti Michaelis de Muriano rev. domno Paulo de Laude abbati Classensi benemerito S. P. D.

Etsi in negotiis familiaribus impeditus, de alienis rebus, & quæ non sunt muneris nostri, parumper cogitare queo, de tua tamen abbatia quandoque recogito, ne qua forsan oblivione deleatur, quod & paternitas tua, & ego pariter vidimus, & manus nostræ tractaverunt de verbo isto. Ea autem est translatio Apollinaris sanctissimi, ac terque quaterque beati, ubi martyris ipsius hymnos ipse una cum ceteris solemniter decantabas, ego vero ejus ossa e limo terræ cernuus depiscabar; eo quippe tempore, quo abbatiæ Classensi præerat ven. pater domnus Andreas Secchinus vir utique integer vitæ scelerisque purus, cujus siquidem animus pientissimus indoluerat admodum, quod tam incultus tamque inhonoratus martyr ille beatissimus permaneret, cui & extruxit mausoleum novum, in quo nunc corpus ejus sacratissimum requiescit. Neque illud silentio dignum fore censuerim, quod pro hujusmodi honoris sibi delati præmio eumdem domnum Andream ob istius Classensis abbatiæ custodiam sibi per martyrii palmam associavit sanctissimus Christi martyr Apollinaris, eo tempore quidem, quo Galli ipsi feroces Ravennam paulo post ejusmodi translationem antedictam immaniter depopulati sunt. Quidni, & ipse paulominus lapidatus fui, ubi deinceps magna in populo Ravennæ seditio coorta est, cum sævit illic animis ignobile vulgus, cauteriatam habens conscientiam, & dicens me expilasse, ac alio detulisse patroni sui sancti Apollinaris ossa, scilicet & ipse impedivisti penitus coronam meam, debortatus illos ab ejusmodi insania. At nondum venit hora mea, neque adhuc tali dignabar honore; quapropter evasi illorum manus in nomine Domini. Attamen illud mihi in ea turba impendio magis placuit, quod colerent eo saltem more indigenæ illic omnes patronum suum, simul & hunc esse ipsum pariter attestarentur, quem ego e cœno ad urnam de limo in marmoream capsam transtulissem. Nunc vero ne translatio ejusmodi obliteretur, sed & ad posterorum quoque notitiam valeat pervenire, eamdem utique animum ad scribendum appuli, quam ipsam transmitto reverentiæ tuæ tum lectitandam, tum perficiendam, si quid minus retulerim, quod in ea conscribendum videretur. Poteris autem ipse reminisci, quod mihi excidisset forsan e memoria, dignum profecto ut annotaretur. Idipsum autem lectitando animadvertes; lege itaque patienter, & divi Apollinaris translationem vide reponendam aliis præ tua caritate. Filii enim, qui nascentur, & exurgent, enarrabunt ea posteris, & nati natorum & qui nascentur ab illis, quod utique sit commodum maximum ex ipsa lectione.

Incipit translatio corporis sancti Apollinaris in abbatia Classense diœcesis Ravennatis.

In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit, de viro sancto id asserit fidelis cantor &c. *Pridem vero ab eodem apostolo Christi Petro dimissus beatissimus hic noster Apollinaris Ravennam accessit Flaminiæ urbem tum antiquissimam, tum clarissimam, ubi post plurimas virtutes editas, post miracula pene infinita pro fide Christi martyrio coronatus est*

ANN. CHR. 1511.

est sub Vespasiano augusto, sepultus autem extra muros Classensis urbis in arca marmorea a discipulis suis. Ea vero sub terram missa est propter Paganos insectantes illum, sic ejus gloriam extinguere cupientes. Subinde vero in eum subvectus est locum, ubi nunc extat amplissimum templum Classensis abbatiae milliario tertio a civitate Ravennae. Illicque multis requievit annis incultus usque adeo & inhonoratus, judicio nempe Dei, quod occultum quandoque dicitur, injustum vero numquam. Judicia nempe Dei sunt quasi abyssus multa, vera tamen & justificata in semetipsa.

Cum vero tandem placuit Altissimo, qui est suorum militum sors & corona praemium, ut quod occultum erat, in apricum ageretur, eo desuper annuente, consilium fuit praelatorum quorumdam, monachorumve complurium venerabilis congregationis sancti Michaelis de Muriano nostri Camaldulensis ordinis, cujus est abbatia praedicta non ignobile membrum, ut excoleretur aliquantisper corpus ipsum, quod tegebatur in specu subterraneo quodam aqua limoque repleto sub altare majori abbatiae Classensis, & in loco decentiori poneretur eductum e praenotato coeno. Quapropter extruxerat Classensis abbas, qui tunc erat domnus Andreas Secchinus Bergomensis venerabilis pater, sarcophagum quoddam novum arcamve marmoream, qua corpus ipsum clauderetur ibidem aliquanto tamen altius sub altare majus Classensis templi. His igitur sic pensitatis atque conclusis, ut fierent, forte quidem Ravennae tunc temporis erat Romana curia una cum sanctissimo ac beatissimo pontifice Julio divina providentia papa secundo. Sic itaque & illic interfuit admodum opportune reverendissimus dominus basilicae XII. apostolorum presbyter cardinalis, alio nomine dictus dominus Franciscus Soderinus de Florentia cardinalis Vulterranus, qui cum esset in curia Romana protector nostri Camaldulensis ordinis & congregationis, eidem humiliter supplicarunt praedicti rev. patres, quod rev. dominatio ejus a summo pontifice exoraret fieri translationem corporis venerandi; quam eamdem ipsemet reverendissimus manibus ageret propriis ad honorem Dei & martyris beatissimi. Annuit hujusmodi postulationi beatissimus pontifex, idque magna cum hilaritate, cum qua semper expetiit beatitudo sua, ut res ecclesiae catholicae excolerentur, in quibus hae possunt dignissime recenseri, tum quoniam pastor idem paucis ante diebus una cum XII. reverendissimis S. R. E. cardinalibus ad ipsam se contulerat abbatiam, ubi & plurimum ac diutissime contemplatus ipsum famosissimum Classis templum, antiquum quidem & omni veneratione dignissimum, applicavit animum suum Classensi coenobio; quapropter quamlibentissime concessit rev. cardinali jamdicto, quod ejusmodi translationem ageret corporis beatissimi.

Prima igitur die mensis aprilis praenominatus rev. dominus Franciscus cardinalis Vulterranus obtenta licentia, ut supra, translationis agendae, significavit rev. domno Andreae Secchino abbati Classensi se velle postridie indultum hujusmodi apostolicum exequi, quae secunda erat dies mensis ejusdem de anno M. D. XI. idque tam propere, quoniam ipse migrare decreverat Bononiam versus die tertia, & idcirco quasi clanculo facta est ipsa traslatio & repente, ideoque non valuit abbas ipse hoc civibus Ravennae, aut saltem primariis referre, ut moris est in ejusmodi gestis. Secunda itaque die praedicti mensis sanctissimi domini nostri domini Julii divina providentia papae II. pontificatus sui anno VIII. praenominatus rev. cardinalis Vulterranus ex inclyta civitate Ravennae se contulit ad praedictum famosissimum Classis templum una cum omnibus, qui secum erant in civitate de familia sua. Illic autem assistente eodem reverendissimo, de sancto Apollinare martyre Missa solemniter decantata est a vicario congregationis, qui

illic

illic aderat minister in cunctis. Subinde vero reverendissimus ipse pluviali sericeo indutus, necnon & vicarius ipse planeta sacerdotali deposita induit pluviale, sicque omnes processionaliter incessere, prælati scilicet atque monachi, & familiares ipsius reverendissimi, & Ravennates quidam cum luminaribus & thure, ut moris est, universi pariter concinentes hymnum, qui incipit: Veni creator Spiritus, *donec ad locum, ubi jacebat sanctissimum corpus, perventum est. In loco autem, ubi latebant sacræ reliquiæ, subterraneo quippe ac valde humido, magna cum reverentia consedit colendissimus ipse, qui & vicario antedicto perbenigne dixit, ut, quæ in aqua erant, beatissimi martyris ossa colligeret, sibique exhiberet eadem, in capsa ibidem reposita reponenda. Hac ergo de causa jussa capessens vicarius ipse pluviali deposito & podere albo dumtaxat & rubea stola præcinctus accessit ad foveam aquosam cœnosamve, seque devote inclinans ossa ipsa educebat sigillatim ex limo, qui erat in fovea, eademque sistebat in manu cardinalis: sicque illa ambo pariter in capsam lariceam illic præparatam deponebant. Stabant autem ad latera vicarii diaconus & subdiaconus vestiti sollemniter cum luminaribus & incenso, & hi vicarium ipsum, ut poterant, adjuvabant. Ipse enim vicarius super asserem ligneum altero innixus pede in aquas ferme pendulo, altero se sustentabat in petra; cum vero se inclinaret ad ossa capienda, ne laberetur in cœnum, capite quidem & humeris ac læva annitebatur superiori muro, quem ipse subibat, cum ad ossa extrahenda se illuc dimisisset. Aqua autem illic jugiter scatebat; quapropter adstabant ministri duo, qui cucumis & lagenis ipsam asportabant, ut illic ossa cuncta per aquam dispersa trahi potuissent, quæ eadem ut a vicario sumebantur, sic pariter exhibebantur reverendissimo, subinde vero in capsam mittebantur. Ossa vero isthæc inordinate admodum atque incomposite habebantur in luto cœnoque dispersa & aquis obruta atque submersa, quatenus piscari propemodum ossa illa vicarius videretur in gurgustio. Ossa autem ipsa reperta sunt super alabastri lapide sita, limoque tali operta, ut cinis ferme madidus esset. Quoad aquam illa nec inficeret, nec fæteret cœni instar, sed ablueret magis, perinde ac lixivium esset. Alabastrum vero ipsum velut tabula erat longitudine pedum quatuor, latitudine pedis, altitudine duorum digitorum. Quod ipsum ubi e cloaca illa eduximus, & aqua eadem continue insurgente abluimus, pulcherrimum apparuit atque perspicuum, ut transpareret hinc inde apposito lumine, ac si vitreum foret. Inventa est illic insuper & pars alabastri quædam minuscula veluti appendicium quoddam ad permissum pedis unius & semis, nam pars illa antedicta grandior non fuerat, forsitan longa satis ad ossa retinenda. Super ossa autem ipsa ac limum aquamve labentem erat catenula quædam in amigdalarum speciem fabrefacta, ænea siquidem & aurata, ad sacri corporis ornamentum pariter & tutelam. Hæc vero facta erat in partes plurimas & tota pene dispersa per aquam, quam tandem vicarius ipse expiscans eduxit, misitque in prædictam capsam una cum alabastro illo & ossibus conservandam, sed & super hanc ipsam erat craticula ferrea laminis latioribus acta, quæ, quoniam recentior videbatur, neglecta est, minimeque in capsam cum aliis reliquiis sacratissimis posita, sed appensa ad murum capellæ majoris post dies aliquot, ubi & existit usque in præsentem diem. Ut vero meminimus pridem, aqua illa cœnumque cloaceum, quæ illic ossibus admixta erant, nequaquam inficiebant, fœdabantque atque fætebant, utpote limus efficit alibi quod videtur; quinimmo purgare ea videbantur lixivii more; aqua nempe ipsa subalbida erat, terra autem quasi cinis madidus, nullusque propterea ibi fœtor, qualis utique in locis cœnosis solet esse sub terra. Omnia vero illic ita*

Ann. Chr. 1511.

Ann. Chr. 1511.

ita se habebant, ut reverendissimus ipse una cum ceteris sibi assistentibus, nonnullisque cantantibus hymnos & psalmos labore, tædio fastidioque nullo frangerentur, qui per tres horas & sesqui quidni jucunditate, lætitia, gaudioque magno affici ibidem viderentur. Ceterum reverendissimum ipsum suppudebat, pigebatque, quod tamdiu permansisset incultum corpus martyris beatissimi. Præcepit autem iterum atque iterum, ut vicarius ipse studiose perquireret, ne quid officulorum remaneret in cœno; hic vero qua valuit diligentia perquisivit, ac manu propria persæpe revolvit limum sub aqua sursumve, quotquot autem reperiit ossium, tot tot colendissimo præbuit, & eo jubente illa in capsam collocavit. Cum vero pervestigasset diutius, & terque quaterque cœnum illud hac de causa manu satagente revolvisset, nullumque os amplius inveniret, jubente eodem reverendissimo, vicarius ipse unaque diaconus & subdiaconus antedicti substulerunt ipsam reliquiarum capsam, & in lucem de specu prodeuntes extulere beatissimum corpus, omnibus processionaliter redeuntibus, simulque canentibus: Te Deum laudamus; *sicque cuncti pariter pervenerunt ad altare majus, super quod capsam ipsam honorifice posuerunt. Post hæc autem incensata capsa, dictaque interim oratione Dominica, reverendissimus ipse, ut supra pluviali indutus accessit ad divi Apollinaris corpus, ibique supra ipsum orationem cecinit, commutans nihilominus* festivitatis *nomen in* translationem. *Data vero cunctis benedictione, ut moris est, a pontifice, vicario præcepit cardinalis ipse, ut suo nomine universis & singulis indicaret & indiceret, ut quotannis translationis hujusmodi memoria celebretur hac eadem die secunda mensis aprilis cum hoc spirituali stipendio, ut centum dierum indulgentia haberetur ab universis & singulis, qui ipsum famosissimum Classis templum hac ipsa die in hujusmodi translationis memoriam visitarent. Sic itaque vicarius ipse exposuit alta voce publice coram omnibus de mandato hanc ipsam cardinalis reverendissimi voluntatem. Postea vero præcepit colendissimus idem vicario antedicto, quod acta hæc omnia sigillatim distincteque conscriberet, eademque in formam publicam & authenticam ageret ad perpetuam rei memoriam & ad posteros instruendos; quod ipsum vicarius prædictus excepit ex obedientia. Quia vero in laminis quibusdam antiquissimis nonnulla continebantur de Sancto isto, prout patet in ipsis, quæ inter reliquias habentur in abbatia Classensi, ideo jussit reverendissimus ipse, ut illarum trium laminarum verba rursus cælarentur, addita & quarta lamina, in qua de hac ipsa hodierna translatione tractetur, sicque una claudantur omnes in loculo marmoreo, ubi corpus sanctissimum in capsa laricea conclusum est. Quæ quidem omnia vicarius ipse promisit se esse facturum. Et ea propter vicarius antedictus, qui sum ego frater Paulus Orlandinus de Florentia in actis superioribus sæpecitatus, quoniam præsens fui universorum & bajulus, & minister, ut præscripsimus, has præsentes literas feci fieri, jurans utique in animam meam, Deumque ipsum in testimonium advocans, quod suprascripta omnia vera sunt, atque, ut scribuntur, gesta fuerunt in verbo veritatis. In quorum omnium & singulorum fidem has præsentes literas fieri fecimus, & divi Michaelis sigillo roboravimus. Has autem dedimus die* X. *mensis septembris anno Domini* M. D. XVI. *in monasterio sancti Michaelis de Murano, ubi nunc abbatem ago, licet indignus, ex obedientia tamen generalis capituli nostri, ut placuit patribus definitoribus de anno præsenti.*

Verba trium laminarum argentearum suprascriptarum, quæ fuerunt a Christianis consepultæ in testimonium martyris beatissimi, hæc sunt.

Prima lamina: *Ortus ab Antiochia beatus Apollinaris a summo apostolorum principe missus est Ravennam prædicare baptismum pœnitentiæ in*

remis-

remissionem peccatorum : ibique per eum Dominus virtutes multas operatus est, nam cæcos illuminavit, paraliticos curavit, mutos loqui fecit, dæmones fugavit, mortuos suscitavit, leprosos mundavit, simulacra & idolorum templa dissolvit.

Secunda lamina: *Hic fustibus cæsus est diutius, super prunas stetit nudis pedibus, equuleo appensus denuo verberatur, super plagas aquam suscepit fervidam cum gravi pondere ferri; in exilium relegatus ore saxo concluso defunctus est sub Vespasiano Augusto* x. *kalendas augusti regnante domino nostro Jesu Christo cum patre & Spiritu sancto in secula seculorum, amen.*

Tertia lamina: *Hic requiescit sanctissimum corpus beatissimi Apollinaris sacerdotis & martyris Christi. Quod vero hic deest in hac eadem ecclesia ob maximam cautelam reconditum est.*

Has autem laminas, ut diximus, cum corpore sacratissimo conditas invenit olim ad ossa beatissimi Apollinaris Ildebrandus reverendissimus S. R. E. presbyter cardinalis et legatus apostolicæ sedis, qui accessit quondam ad prædictum famosissimum Classis templum, inquisiturus, an illic haberetur corpus hujus sanctissimi martyris. Quo quidem ibidem reperto una cum laminis istis in ecclesia antedicta apostolica auctoritate edixit et publicavit, quod in hoc eodem templo corpus istud sanctissimum esset, silentiumque indixit omnibus aliter sentientibus.

Pro hac autem translatione nunc nuperrime, ut superius scribitur, celebrata additur quarta lamina, cujus siquidem verba sunt hæc.

Reverendissimus dominus Franciscus Soderinus basilicæ XII. *apostolorum presbyter cardinalis, accepta auctoritate ab apostolica sede accessit ad hoc Classense cœnobium, et sanctissimi Apollinaris ossa permulta hinc a subterraneo specu, ac ex aqua limoque eduxit ad sublime in capsam ligneam, quam eamdem in arcam hanc marmoream recondi mandavit, præcipiens, ut translatio hæc quotannis celebraretur a posteris sub stipendio dierum centum de indulgentia. Actum anno Domini* M. D. XI. *aprilis die secunda.*

Hæc vero omnia compilavi, et propria manu conscripsi in verbo veritatis ego idem frater Paulus Orlandinus de Florentia, qui tunc temporis vicarium congregationis agebam, nunc vero abbatem sancti Michaelis de Murano de Venetiis Camaldulensis ordinis Torcellanæ diœcesis de anno Domini M. D. XVI. *die* X. *mensis septembris.*

Frater Paulus, ut supra.

V. De puteo Martyrum in eadem ecclesia. a *P. II. lib. I. cap.* 2.

Teste Fortunio „ in sacro templo sancti Apollinaris in Classe extabat argentea catena, qua crux humi insculpta circumdabatur, tantæ „ longitudinis, quantus est si circulus cum umbone, qui auream crucem „ circumdat, barbarici operis in summitate templi, quæ est pedum triginta-septem. Hæc pendebat ad aram maximam, sicut in urbe Ravennæ sex aliæ similes asservabantur, auream suggestans coronam, qua „ puellæ Ravennates utebantur in nuptiarum sollemnitatibus, vel quando „ reginam comitabantur, sicut legitur in vita beati Felicis archiepiscopi. Hæc autem anno 1509. quando Veneti Ravennam apostolicæ sedis „ restituere, furtim ablata, numquam restituta fuit. “

Refert etiam idem Fortunius „ celebrem fuisse ad idem templum puteum sanguinis sanctorum martyrum plenum, de quo ferebant, quod „ cum sanctus Gregorius legavisset aliquando nuncium ad abbatem, ut „ mitteret inde Romam aliquas templi reliquias, ille vero ad id faciendum ægre induceretur, factum est divino numine, ut abbas pavimentum scopis mundari fecerit, collectasque cum pulvere quisquilias in „ ca-

Ann. Chr. 1511.

„ capsula clausas ad pontificem miserit, quæ Romæ aperta, illico plena „ rutilante sanguine magno miraculo apparuit, quæ res cum indicium „ fecisset totum templum sanguine Sanctorum Christi esse refertum, pa- „ stor magnus ad templum venire voluit, qui nudis pedibus pro reve- „ rentia, cum per januam, quæ cœnobio incumbit, intraret, pes in li- „ mine a subjecto lapide excipitur tamquam a molli cera, ubi craticula „ ferrea in testimonium ad hanc diem visitur. Qua fama Julius II. pon- „ tifex maximus adductus, sicut seniores adhuc referre solent, post cla- „ dem Ravennæ ad sancti Apollinaris templum adiens, cum anulum filo „ appensum intromisisset in puteum, ac retractum sanguine madentem conspexisset, statim illum in puteum rejecit tremebundus. "

VI. Vitalis Aquæductii opusculum de basilica Classensi.

Hæc exscripsit Fortunius ex libello Vitalis Aquæductii monachi Camaldulensis, qui tunc temporis vivebat in monasterio Classensi. Sicut enim augustissimum sancti Vitalis Ravennæ fanum, quod intra urbem incolunt monachi Casinates, accuratissimo commentariolo descripserat Johannes-petrus Ferrettus Myli primum, tum Lavellinatum episcopus Græce Latineque doctissimus, ita clarissimi concivis sui, quem maxime suspiciebat, exemplo incitatus Vitalis, brevi scriptione statuit hoc anno ea complecti, quæ ad divi Apollinaris basilicam spectare intellexit, eam opellam dicans Francisco Soderino cardinali. Titulus libri, qui ms. asservatur in bibliotheca Classensi, est *de Ædificatione & mirabilibus ædis divi apostolici Apollinaris in civitate olim Classensi*. Subjicimus epistolam nuncupatoriam & præfationem.

Reverendissimo in Christo patri & domino domino Francisco Soderino tituli basilicæ XII. *apostolorum cardinali Volaterrano.*

Vitalis Aquæductius Ravennas monachus Camaldulensis S. P. D.

Cuperem maxime, reverendissime pater, mihi tantum ab immortali Deo ingenii & doctrinæ præstari, ut aliquid egregii operis excudere possem, quod nomine tuo amplissimo dignum esset; sed qui ingenio valeam nihil, minusque sim literis præditus, mallebam tacitus in simplicitate mea quiescere, ne vel arrogantiæ, vel temeritatis arguerer. Sed cum opusculum quoddam de Ædificatione ædis beati Apollinaris iis diebus absolverim, tuque quodammodo cœlitus huc nuper adveneris, malui imperitiam meam ostendere, quam ingratitudinis nota taxari. Tibi inquam Camaldulensis ordo tantum debet, quantum nemini unquam, ex quo sumus; illum namque protectione tua illustrare dignatus es, pileoque illo tuo præfulgido clariorem reddere. Quantus vero inter omnes emineas, hæc præclarissimæ virtutes tuæ manifestant, quæ semper in te viguerunt, in quantum illa tua excellentissima Soderinorum familia, ex qua tamquam ex equo Trojano viri in quibuscumque præstantissimis artibus nominatissimi prodiere, testis est non modo Thuscia, omnisque ora Italiæ, sed universa terra, quæ cœli ambitu circuitur. Non mirum igitur, si te omnes celebrant, teque omnes admirantur, sed illud valde est mirandum, quod omnes ita humanitate tua allicias, pertrahas atque confoveas, ut te parentem assidue nominare non desinant. Quo fit, ut facillime adducar, ne ullo pacto possim non vehementer optare hos meos labores, hæc mea studia ex multis annalibus decerpta, securus ad te mittere, ea quidem adeo delapsa erant, ut ne ulla penitus memoria exstiteret. Itaque donum libelli hujus ex his nostris paludibus exiens, quod tuo sacrato nomini offero, jucunde ac libenter recipere digneris, non ingenii mei tenuitatem attendens, sed ut es magnus, sic parva hæc non minus quam eximia grata habeas. Nec rei quæso quantitatem perpendas, sed animum offerentis magnus plane ita erga te est, ut major esse nequeat. Spero autem

cum

cum tibi aliquando otio frui licuerit, mirabilia hæc de templo divi apostolici Apollinaris tibi inter legendum jucunda fiant & grata. Valeas reverendissime præsul S. R. E. & almæ nostræ religionis patriæque tuæ florentissimæ fulgentissimum sydus, meque pro tua singulari clementia commendatissimum habe.

ANN. CHR. 1511.

Ex sacro cœnobio divi Apollinaris Classensi M. D. XI. *quarto nonas aprilis Ravennæ.*

PRÆFATIO.

Dum in hac vitæ brevitate sumus, nobis adlaborandum est, ut divinas laudes omni terreni corporis labe purgata, amplectamur. Nam si mortalium infulas aut thiaras incausto conscriptas, aut auro radiantibus literis memoriter commendatas videmus, cur non cœlestia suscipimus, & quæ auctoris nostri Dei sunt, per præcipitia labantes immemores existimus? Hoc est enim, quod per dies singulos terrenum corpus operatur, caducæ fragilitati semper inhærens, atque demersus animus & pessumdatus originis suæ principia cognoscere non potest, sed in tenebris projectus aut dormit, aut erubescit. Visus sum igitur pro officio meo facere, si ea, quæ vel vetustate temporum vel locorum intercapedine perierunt, quantum ex scriptis & pontificum Ravennatum gestis potuimus decerpere, revocare ad memoriam nostrorum temporum. Nam cum ego pro virili assidue perquisiverim, quæ ab aliis omnino omissa spernebantur, & intelligere, quantæ excellentiæ & admirationis fuerit celeberrima in toto orbe terrarum ecclesia sacratissimi martyris & Dedigni Apollinaris, ea mandare literis curavi, quo posteritas nostro munere tanti particeps beneficii fieret. Divina igitur opitulante clementia hæc sunt, quæ digna relatu inveni, dum in cœnobio illo per plures annos commorans, omnia pro diligentia discussissem. Plura, quæ apud vulgares passim referuntur, omisimus, quandoquidem satius credidimus eorum non adhærere sententiæ, quam prorsus veram non invenimus, & inter apocrypha enumeranda statuimus. Quidquid igitur posuimus, nisi pro veritate ipsa dictum unusquisque judicet.

De Antiquitate Cæsareæ, & Classis, & quando constructa fuerit ecclesia beati Apollinaris? Caput primum.

Memoria beati Apollinaris &c.

VII. Exemptio monasterii Montis-acuti.

GABRIEL Gabrielius S. R. E. tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis Perusiæ Umbriæque sedis apostolicæ de latere legatus, abbas commendatarius monasterii sancti Salvatoris de Monte-acuto Perusinæ diœcesis confirmat exemptionem dicti monasterii, castrorum, oppidorum, villarum ecclesiarumque ipsi subjectarum a capitaneis comitatus Perusini, declaratque ipsum & ipsa adnexa dumtaxat dispositionibus commendatariorum, sicut etiam declaraverat L.. idest Leonardus de Ruvere XII. Apostolorum S. R. E. presbyter cardinalis Agennensis suus in legatione prædicta prædecessor. Datum Perusiæ IV. aprilis M. D. XI. pontificatus Julii papæ II. anno VIII., ex archivo ejusdem monasterii.

In tabulario sancti Michaelis [a] extat bulla unionis facta a Julio II. monasterii sancti Benedicti extra muros Florentiæ die XVII. aprilis congregationi Camaldulensi.

a *Capf.* I. *n.* 12.

ANN. CHR. 1512.

VIII. Vincentius Quirinus eremita Camald. factus.

TRIGESIMA januarii hujus anni Vincentius Quirinus cum Sebastiano Georgio ex Florentia Camaldulum iterum se recepit, vitæ ereminiticæ instituta professurus. Quanta comitate Cosmas archiepiscopus, Julianus Mediceus, Antonius Puccius subdecanus Florentinus, omnes alii nobilissimi

Ann. Chr. 1512.

bilissimi & doctissimi cives Florentini se exceperint, narravit Quirinus Delphino. De Puccio praesertim : *Gratissima*, ita scribit Delphinus [a] eidem Puccio, *gratissima*, *inquit Quirinus*, *fuit mihi Puccii sacerdotis optimi conversatio*, *suavissimum viri eruditi ac diserti colloquium*, *admiranda & vere catholica concionatoris doctrina*, cui proinde ipse Delphinus gratias agit. Magno itaque animi fervore, & seculi contemptu die XXII. februarii dominica Quinquagesimae, qua die etiam occurrebat festum cathedrae beati Petri apostoli, in novum hominem transmutatus est Quirinus, assumpto nomine Petri, sicut Sebastiano impositum fuit nomen Hieronymi, eremiticoque habitu induti fuere a Delphino. In epistola ad cardinalem Volaterranum gaudio percitus haec habet idem Delphinus [b]: *Significandum duxi induisse me heri in sacra nostra eremo novitios duos patritios Venetos*, *quorum alter* (Quirinus) *Hebraica*, *Graeca*, *Latina lingua peritissimus*, *haud vulgaribus legationibus & magistratibus in patria sua functus est*. *Miratam audio Florentiam totam*, *apud quam jam percrebruerat de illorum adventu*, *utpote qui toto praeterito mense ibidem fuerant commorati*; simulque ab eodem cardinale flagitat, quod flagitaverat a cardinale Mediceo legato, derogari constitutionibus ordinis, quibus cautum erat, ut initiandi in eremitas forent sacerdotes, tribus autem annis conversati essent in aliquo coenobio, attingerent demum vigesimum-quintum aetatis annum; quod non pro Justiniano, Quirino & Georgio dumtaxat postulat, sed pro aliis, qui eorum vestigia sequerentur. Nicolaus Theupulus doctor, & Gaspar Contarenus Veneti patricii & Quirini amicissimi literis datis ad ipsum Quirinum damnarunt vecors ejus consilium stultamque deliberationem; sed contra eos surrexit Justinianus invectus, quod captiosis suis argumentis conati fuissent hominem a Dei servitio revocare, eosque amandavit ad Johannem-chrysostomum *contra Vituperatores vitae monasticae*, & ad Thomam *contra retrahentes hominem a religione*. Iterum duodecima martii idem Justinianus epistolam dedit Baptistae Egnatio, Nicolao Theupulo, & Gaspari Contareno, in qua memorata lacrymabili caede Brixiensis urbis hujus anni, & acerba morte Marci-antonii a Turre celeberrimi philosophi & literatissimi viri, quam sit fallax seculum, & quam sano consilio seculum fugerit Quirinus, ad oculum demonstrat. Tertia vice scripsit ad Theupulum & Contarenum die XVIII. aprilis. Octava augusti sollemnem votorum professionem emiserunt Justinianus, Quirinus & Georgius, Justinianus quidem vigesimo mense postquam habitum induerat ob rei oeconomicae familiae suae dispositiones, Quirinus & Georgius sexto probationis mense. Verum potiora de Justiniano & de Quirino fusiore calamo colligemus annis sequentibus.

IX. Excerpta ex literis Delphini.

Superius enuntiatam Brixiae stragem deplorat Delphinus [c] in epistola ad Eusebium Priolum. Haec paulo antea in ditionem Venetam venerat, denuo ab hostibus capta primo impetu & irruptione, obnoxia fuit inimicorum furori, qui non solum armatos & se tuentes, sed imbellem & inermem multitudinem trucidarunt, non parcentes infantibus & puellis. Gratulatur idem Delphinus [d] Nicolao Valorio electo a Florentinis priori libertatis ad bimestrem magistratum, cui commendat clerum, rectisque uti consiliis in republica gerenda; re enim vera [e] statim a sua electione una cum collegis revocavit decretum exigendae a clero pecuniae. Petro enim Soderino, qui eatenus vexilliferum perpetuum egerat, exauctorato, novam faciem induerat respublica Florentina. In epistola ad Petrum Quirinum [f] memorat schismaticos, qui tunicam Salvatoris inconsutilem scindere moliuntur, cum tamen indubitatus sit pontifex jampridem ab universali

a Lib. X, ep. 49.

b Ibid. ep. 53.

c Ibid. ep. 58.

d Ibid. ep. 57.

e Ibid. ep. 65.

f Ibid. ep. 60.

Ann. Chr. 1512.

versali ecclesia admissus, simul etiam meminit interdicti quam primum a Florentina urbe tollendi, quod mense martio sublatum fuit. Parat[a] proficisci in Urbem ad concilium Lateranense indictum, cui interesse ex obedientia adstringitur, sed Ursinis iter occupantibus, ac transeuntes deprædantibus subsistere cogitur Florentiæ[b].

a Ibid. ep. 68.
b Ibid. ep. 71.

X. Cædes Andreæ abbatis Classensis.

Andreas Secchinus abbas sancti Apollinaris in Classe, dum tutaretur monasterium, summo furore Gallorum, qui Ravennam invaserant hoc anno, a grassatoribus & impiis trucidatus fuit quatuor confossus vulneribus, & nudus in cubiculo repertus. Petrus Quirinus martyrem ipsum appellare non dubitavit, tum in epistola ad Antonium Puccium, tum in alia ad Delphinum. Delphinus vero inter martyres non recensendum Andream e contra sensit in responsione ad Quirinum, cum non pro confessione Christiana vitam dederit. Laudat tamen ejusdem Andreæ integritatem mentis & corporis, labores pro religione susceptos, observantiam, tolerantiam in adversis, patientiam in infirmitatibus, zelum demum, quo per triginta & amplius annos exarsit pro Camaldulensi ordine. Quirini epistolam ad Puccium subjicimus ex autographo in eremo Rhuæ existente tomo primo epistolarum mss.[c].

c Pag. 119.

Petrus eremita Antonio Puccio S.

Novum in religione martyrem habemus, Antoni suavissime, Andream monachum, qui tanta Christianorum omnium trepidatione a Gallis detentus, dum Julium pontificem maximum Jesu Christi vicarium confiteretur, Ravennæ martyrium consummavit; ab eis enim capite damnatus est. Cujus quidem virtutem atque constantiam cum ipse cogito, non possum hominem non admirari, atque summis etiam laudibus non extollere. Is cum a pueritia suavissimo religionis jugo colla subdidisset, patribus omnibus usque ad hanc ejus senectutem, sexagenarius enim erat, se talem præstitit, quod neminem eo cariorem, neminem in Deum, in quo ejus ecclesiam propensiorem religio hæc nostra se unquam habuisse meminit. Divino namque flagrabat amore, & ea semper ceteros omnes prosequebatur caritate, qua Cristianum, qua monachum eos prosequi decet. Cujus sane rei manifestum est argumentum, pro vera Jesu Christi sponsa adeo strenue occubuisse. Hujus sanctissimi viri mortem, etsi mihi semper carissimus pater extiterit, non doleo, invideo magis; & utinam mihi datum esset desuper, non possumus enim quidquam ex nobis tamquam ex nobis, ejus vestigia imitari, mortem pro Julio pontifice nostro, pro ecclesia, pro vera Jesu Christi confessione subire, quam autem gratanter, quam hilari corde eam susciperem, ut me proprio sanguine Deo optimo maximo sacrificarem. Quod si fecero, Deo optimo maximo gratias referam immortales, qui mihi undequaque infirmo ac debili ejus auxilium præstaverit. Ceterum si tu, pater optime, quo consilio, quave ego ratione ductus illas ad te literas dederim, scire non dedignaberis, Bartholomæum Poplenensem abbatem percontato, cui totam consilii mei rationem, ne tuas aures obtunderem, indicavi.

Ex eremo x. *calendas maji* M. D. XII.

Hoc sit Andreæ Secchini Bergomatis abbatis Classensis elogium, quem martyrem appellat etiam Paulus Orlandinus.

XI. Alia memorabilia in Delphini epistolis.

Laudat Delphinus[d] Magdalenam electam abbatissam sancti Petri de Luco. Cardinalis Nicolaus de Flisco liberam dimisit[e] ordini abbatiam Anglariensem sibi commendatam, suffecto in abbatem regularem Stephano monacho Camaldulense doctore. Provinciam Flaminiæ restitutam[f] memorat ecclesiæ. Congaudet Johanni Mediceo cardinali, quod liberatus fuerit a captura cum plurimis aliis concaptivis, ob quam contristatus antea fuerat

d Lib. X. ep. 77.
e Ibid. ep. 78.
f Ibid. ep. 80.

ANN. CHR. 1512.

fuerat ac resumpserit legationis munus; paulo vero post etiam in patriam fuerit restitutus. Pontifex Julius [a] cum magno exercitu per Florentiam erat transiturus; Gallos tota Italia exterminavit; princeps Ferrariæ in captivitate Romæ detentus, auctor ipse fuerat cladis Ravennæ, & vastationis tot aliarum nobilium urbium, ob ingens odium, quo prosequebatur Venetos, nunc eorum opera fuerat ejectus, licet confideret in protectione Gallorum. Turris campanaria sanctæ Crucis de Florentia dejecta vi venti cum magna tecti illius ædis ruina, & totius chori oppressione. Hæc Delphinus in epistola ad Angelicum monachum. In [b] alia ad Spem abbatissam Muratarum Florentiæ meminit cum laude Antonii Puccii insignis concionatoris, qui modo ad tempus se receperat in eremum Camaldulensem. Deflet [c] obitum secutum Faventiæ Ambrosii Mediolanensis prioris Angelorum Florentiæ viri probi, moderati, & justitiæ continentis, atque haud contemnendæ in congregatione auctoritatis, cui suffectus est in eo prioratu Paulus Orlandinus. Basilius abbas sancti Felicis extra agrum Florentinum fuerat in annum relegatus. Cum autem aliquorum factione tentaretur, ut etiam beneficiis, & abbatia, quæ obtinebat, privaretur, orat [d] pro ipso Delphinus cardinalem Mediceum legatum, licet tam ipsi cardinali, quam ejus domui clarissimæ ex mandato dominii Florentini visus fuerit Basilius adversari eo tempore, quo respublica infensior fuit in Mediceos.

a *Ibid. ep.* 86.
b *Ibid. ep.* 88.
c *Ibid. ep.* 90.
d *Ibid. ep.* 96.

XII. Testamentariæ tabulæ Petri Soderini.

TESTAMENTUM condidit hoc anno M. D. XII. indictione XV. die XVI. maji in palatio residentiæ vexilliferi justitiæ populi Florentini Petrus Soderinus filius quondam Thomæ in præsentia Benedicti Andreæ de Mutina vicarii congregationis sancti Michaelis de Muriano, Ambrosii Georgii de Mediolano prioris monasterii sanctæ Mariæ-angelorum, Michaelis Thomasii de Cremona, Pauli Jacobi de Arimino, Thomasii Philippi de Florentia, Simonis Johannis Lucæ de Biblena, Bernardi Francisci de Pistorio, Mathiæ Justi de Alemannia omnium monachorum dictæ congregationis testium, commissarios & executores suæ voluntatis constituens abbates sanctæ Mariæ de Florentia, & de Septimo, ac priores Angelorum & sancti Marci, ut legitur in monumentis [e] ad vitam ejusdem Petri conscriptam a Silvano Ractio.

e *Pag.* 148.

Die XXI. junii ex tabulario Fontis-boni [f] definitores capituli generalis congregationis Venetæ statuerunt, ut eremitæ Camaldulenses in omni loco ac occasione præcedere deberent monachos ejusdem congregationis.

f §. *Statuta* 1. *A.* 6. 9.

ANN. CHR. 1513.

XIII. Capitulum generale Florentiæ.

POSTQUAM, instituta semel sancti Michaelis de Muriano Venetiarum congregatione, plura monasteria sui olim juris novo cœtui adhæserant, unumque jam corpus confecerant, atque abbates olim perpetui, triennales vel annuales evaserant, & promiscue regimina mutabant juxta dispositiones & decreta capituli generalis ejusdem congregationis, mussitabant nonnulli, quod caput, & qui primas tenebat in ordine Camaldulensi, prior nimirum generalis, ad vitam perduraret; quare superioribus annis Petrus Delphinus, qui jam trigesimum-secundum annum ordinis habenas moderabatur, tentatus sæpius fuerat, ut dignitatem perpetuam dimitteret, permitteretque, ut congregationi novi supremi prælati vel triennales, vel annuales darentur. Restitit infracte Delphinus, pluribusque epistolis se opposuit recentibus molitionibus, præsertim Paulum Orlandinum, qui ex numero erat prælatorum, coarguit, quod se invito hujusmodi consilia tractarentur, atque non ambitionis ergo, non inanis gloriæ cupidus respondit, se quidem operam daturum, ut eremus Camaldulensis unire-

tur

tur congregationi Venetæ tamquam caput ceteris membris, sed nunquam passurum, ut dignitas prioris generalis, quæ per quingentos annos perpetua fuerat, & ad vitam priorum, consensu suo mutaretur, animatus potissimum literis Petri Barotii episcopi Patavini, dum viveret, & consiliis illustrium & doctorum virorum. Eremitæ quoque Camaldulenses pertæsi ob diutinum regimen Delphini, de quo etiam conquerebantur, quod per vicarios, & præsertim per Basilium abbatem sancti Felicis male administrata fuissent negotia temporalia, novarum rerum erant percupidi. Ipsi Delphini conterranei, amicissimi & subjectissimi, licet vix explessent tirocinii annum, Paulus nimirum Justinianus, & Petrus Quirinus tamquam ceterorum coryphæi contra Delphinum insurrexerunt, & potentium virorum patrocinio suffulti, & præsertim apostolici legati Johannis Medicei, pontificium breve obtinuerunt, ut hoc anno in urbe Florentiæ congregaretur universale ordinis capitulum, in quo tum de prioratus generalis abrogatione, tum de unione monasteriorum in unum corpus ageretur. Sed antequam acta capituli proferamus, ea delibemus, quæ ex epistolis ipsius Delphini innotescunt. Ad Petrum Quirinum scribens [a] asserit legatum approbasse decretum celebrandi capituli, quod & ipse approbat, si modo canonice & opportune id fiat; ipsius præsentiam legati fore sibi gratissimam, non autem alterius pro eo. Binis interea literis [b] cardinalis Mediceus Delphinum invitavit, ut Florentiam veniret, paratumque se affirmavit componere negotia ordinis. Mense februario [c] die vigesima-prima discessit Delphinus e Fonte-bono, die altera divertit ad cœnobium sancti Benedicti extra muros Florentiæ. *Sequenti nocte*, subdit, *Julius pontifex maximus naturæ concessit. Nocte altera hora octava allatus est nuntius mortis legato, qui continuo orto jam sole Florentia discessit, ut Romam magnis itineribus peteret.* Quare cum Mathia subpriore conqueritur frustraneum fuisse suum discessum e Fonte-bono. Meminit capturæ aliquot civium Florentiæ, & sumpti jam de quibusdam ultimi supplicii. Die duodecima martii [d] gratulatur Delphinus Juliano Mediceo de fratre assumpto ad pontificium solium, postera die eidem Romano pontifici Johanni [e], nunc Leoni X. scribens incredibilem sui animi exultationem profert ex lætissimo nuncio ejus electionis in supremum ecclesiæ hierarcham. Epistola sequenti [f] ad Matthæum subpriorem tristatur propter obitum Benedicti Mutinensis abbatis sancti Michaelis de Muriano, viri zelo succensi, rari exempli in observatione regulæ, pii, pacifici, integri, timentisque Deum. Neque plura de capitulo Florentino literis, quæ collectæ sunt, consignare libuit Delphino, licet privatas aliquot exaraverit, quas inferius memorabimus. Die XIV. januarii per epistolam encyclicam indixit tempus celebrationis capituli generalis ad dominicam primam post octavam resurrectionis Domini in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia.

Interea duumviri illi Justinianus & Quirinus mente præconcipiebant quæcumque acturi erant in capitulo. Extat conventio inter eos de minutissimis etiam rebus, & de modo agendi in capitulo generali scripta die nona februarii. Ultima martii prodiit breve apostolicum pontificatus Leonis X. anno primo, quo eremitarum precibus demandatum fuit Johannibaptistæ de Sacchettis abbati sanctæ Mariæ de Florentia, ut auctoritate apostolica præsideret dicto capitulo, præfatos duos eremitas Justinianum & Quirinum, sive sacerdotes forent, sive non, præelectos a conventu eremitarum in definitores admitteret, reformationi totius ordinis insisteret, & querimonias omnes componeret. Acta ipsius capituli scripta fuere manu Sebastiani de Florentiola notarii, & confirmata sunt privilegio magno Leonis

ANN. CHR. 1513.

[a] *Lib. X. ep.* 95.

[b] *Ibid. ep.* 97.

[c] *Ibid. ep.* 98.

[d] *Ibid. ep.* 100.

[e] *Lib. XI. ep.* 1.

[f] *Ibid. ep.* 2.

ANN. CHR. 1513.

Leonis X. anno pontificatus primo, die quarta julii hujus ipsius anni. Accesserunt Florentiam Justinianus & Quirinus die XVI. februarii, definente mense aprili celebratum fuit capitulum. Die decima maji Florentia discesserunt missi Romam tamquam sindici & procuratores a ceteris definitoribus, pro obtinenda apostolica confirmatione. Nona augusti Urbe relicta, decima-tertia Florentiam, decima-nona ad eremum rediere.

XIV. Privilegium Leonianum pro congregatione S. Michaelis.

IN privilegio itaque Leonis X. asseritur patres capituli Florentini statuisse erectionem novæ congregationis *eremi Camaldulensis & sancti Michaelis de Muriano* nuncupatæ, institutionem quoque interim decem & septem locorum principalium sive monasteriorum sive prioratuum, unionem minorum aliorum illis principalioribus, reformationem omnium, prioris generalis electionem non amplius perpetuam, sed temporariam, modum demum & normam eremitarum & monachorum, vitam vel regularem, vel conventualem agentium. Confirmantur itaque primo omnia vetera pontificum & imperatorum privilegia concessa eremo, congregationi & singillatim omnibus monasteriis, statuta & ordinationes dicti capituli roborantur; extenduntur ea indulta ad omnia Camaldulensia monasteria tam virorum, quam feminarum, & indicitur, ut monachi hujus congregationis, licet in diversis locis sint constituti, unum tamen sint corpus, & una congregatio eremi & sancti Michaelis; approbata vero ea cum sit ab apostolica sede, ab universis Christi-fidelibus in reverentia & devotione habeatur; jus habeat hæc congregatio constitutiones edendi tam quoad spirituales, quam quoad res temporales, & quoad ordinationem divini officii, quæ constitutiones omnes obligent, non tamen ad peccatum, nisi ex contemptu. Cetera monasteria, si ad reformationem venerint, decretis hujusmodi se subjiciant. Acta, conventionesque dictæ congregationis apostolico sint robore communita. Prælati suo generali, monachi suis prælatis pareant. Nemini liceat appellare ab iis etiam ad apostolicam sedem, appellationesque & inde secuta irrita habeantur. Processus fiant non juxta terminos juris, sed juxta consuetudines congregationis. Licentiæ sedis apostolicæ non suffragentur monachis de loco in locum transire volentibus, nisi Leonianæ ordinationi sufficienter derogetur, ea specifice expressa; aliter tamquam apostatæ habeantur. Monachi unius monasterii professi, viventes in alio monasterio, illius etiam professi intelligantur. Monasteria & prioratus per prælatos dumtaxat administrentur. Generalis, major pars visitatorum & ceteri a congregatione deputati infra tempus ex vacatione monasteriorum eligant prælatos, qui sint monachi congregationis. Defectus natalium non sit impedimento ei, qui idoneus sit ad prælaturam. Generalis cum visitatoribus possint amovere ad ipsorum nutum electos ab eorum administrationibus. Prælati electi absque dispensatione sedis apostolicæ valeant præesse in temporalibus & spiritualibus, actusque jurisdictionis exercere, & deferre insignia. Generalis & deputati a congregatione absentibus prælatis a suis monasteriis legitima causa valeant substituere alium cum facultatibus spiritualibus & temporalibus. Monasteriorum Camaldulensium nullum, nullusque ipsorum locus aut in commendam, aut in titulum, aut per modum pensionis, concedi, reservari, assignari possint & acquiri a quocumque in quavis dignitate constituto, nec item ob eamdem rationem impeti aut molestari. Beneficiorum collatio cum cura & sine cura, eorumdem provisio & dispositio ad abbates, priores & conventus pertineant. Excommunicentur quicumque eos impedientes vel violentias exercentes, ita extrahentes monachos a congregatione, etiamsi eos ducerent sub colore arctioris vitæ ducendæ. Generales vero & abbates possint fugitivos, & ultra

& ultra licentiam a superioribus suis concessam vagos monachos custodiæ tradere, & carceribus mancipare, atque ad obedientiam compellere censuris ecclesiasticis aliisque opportunis remediis. Ipse autem generalis, monachi, & omnes famuli ac servitores sint exempti ab omni aliorum judicum jurisdictione. Monasteria & loca imposterum eidem congregationi incorporanda iisdem privilegiis donentur. Legati etiam de latere, nuntii apostolicæ sedis, vicarii, rectores, patriarchæ, archiepiscopi non se intromittant in jura congregationis. Benefactores occasione beneficiorum sint exempti. Viventes autem in congregationis monasteriis sint exempti ab omni jurisdictione vel ratione delicti, excessus, vel contractus, & congregatio ejusque bona & personæ sint sub immediata protectione & jure beati Petri, ac pro libertate congregationis solvatur census annuus Romanæ ecclesiæ. Legati & subdelegati, & alii quicumque, qui attentare contra exemptos præsumpserint, si post triduum non destiterint, excommunicationis pœnam incurrant, irritumque sit quodcumque per eos actum fuerit. Prælati aut monachi nequeant compelli interesse conciliis, funeribus aut processionibus publicis, vel visitationibus vel correctionibus aliorum. In locis congregationis Missæ non celebrentur, ordines non conferantur invitis monachis, nec ibi hospitia, habitationes vel incarcerationes fiant. Juridica sint & legitima testimonia patrum in causis propriis. Eximantur a gabellis & publicis oneribus, a decimis, & a canonicis portionibus; Legata ipsis relicta & donata non obligentur ad decimas. Non subjiciatur congregatio impositioni, exactioni, collectæ, decimæ, caritativo subsidio. Possessiones locorum Camaldulensium ubilibet constitutæ ad instantiam congregationis cultæ non solvant primitias, decimas, quartesia. Legata & fidei-commissa monachorum, aliaque qualitercumque delata congregatio acquirere possit. Monachis petendi jus sit ac in seculo forent. Præscriptio non currat, nisi elapsis sexaginta annis. Interdicti tempore Missæ & divina officia celebrentur januis clausis. Ordinationes sacras petere possint monachi a quolibet episcopo sine ordinarii licentia, non præmittatur examinatio in ordinum susceptione; episcopus quilibet de consensu abbatis in suo monasterio possit Missas celebrare, ecclesias, altaria, aliaque benedicere & consecrare. Generalis, & abbates in omnibus casibus de jure communi prælatis & monachis dispensationes & licentias concedere queant. Unicuique fas sit ingredi religionem Camaldulensem, etiamsi aliam vovisset, super quo voto poterit dispensari. Absolutio ab excommunicatione possit concedi intrantibus Camaldulensem religionem. Jus sit commutandi vota etiam secularium personarum, ministrandi ipsis sacramentum confessionis & eucharistiæ. Prælati & monachi participando cum excommunicatis non incurrant in excommunicationem, nisi specialiter sint denuntiati. Prælati valeant dispensare cum suis monachis a recitatione regularis officii, dummodo in sacris non sint constituti ordinibus. Officium beatæ Mariæ virginis obliget omnes. Sepultura in monasteriis religionis cunctis, dummodo non sint excommunicati, sit libera. Pacta illicita & conventiones etiam apostolica confirmatione deficientia absque simoniæ labe abbates in commodum suorum monachorum inire, retinere, & observare libere & licite possint. Præjudicium nullum generet actus personæ cujuscumque dignitatis & conditionis contra tenorem privilegiorum eorum negligentia vel ignorantia facti, vel alia de causa scienter vel ignoranter attentati. Privilegia congregationi concessa revocari vel annullari non censeantur, nisi de eis totus tenor ac de verbo ad verbum integre inseratur, & nisi specifica mentio fiat de omnibus & singulis monasteriis congrega-

Ann. Chr. 1513.

gregationis, & manifeste appareat, quod pontifex illis derogare velit. Unionum & incorporationum annullatio & revocatio nullum congregationi inferat præjudicium. Remissio plena in articulo mortis semel impartiri queat a confessariis idoneis voluntate superiorum electis cum obligatione tamen restitutionis vel satisfactionis impendendæ, & cum pœnitentiis imponendis. Stationes & indulgentiæ ecclesiarum Urbis acquiri possint a monachis in quacumque ecclesia. Itinerantes sacerdotes ante diem usque ad Nonam celebrare permittantur. Interdicti tempore etiam familiares laici divinis interesse possint, confiteri peccata & sumere eucharistiæ sacramentum. Habeant facultatem Camaldulenses conservatores eligendi, sive judices privilegiorum, abbates scilicet sanctæ Mariæ Florentiæ, sancti Georgii-majoris Venetiarum, & sancti Juliani de Arimino.

Sequuntur post hoc amplissimum privilegium statuta facta in capitulo Florentino sanctæ Mariæ-angelorum, nempe ordinatio, ut Camaldulensis eremi & sancti Michaelis congregatio complectatur loca omnia tam eremitarum, quam monachorum observantium & conventualium, ex qua congregatione monachorum & eremitarum fiat unum corpus. Describuntur deinde monasteria hujus congregationis, & loca unita iisdem monasteriis. In primis eremus Camaldulensis, cui uniuntur hospitale sancti Frigdiani de Pisis, dictum sancti Martini, prioratus sancti Savini de Chio prope Castellionem-Arretinum, monasterium sancti Andreæ de Puteo, prioratus Scandalonis, monasterium Insulæ cum adnexis, abbatia de Tiphio in valle Caprese, prioratus sancti Ægidii de Cortona, prioratus Agnæ, prioratus Prataleæ, prioratus Planetuli, & prioratus Vallialæ.

Monasterium sancti Michaelis de Muriano, cui uniuntur prioratus sancti Martini de Opitergio, abbatia sancti Michaelis de Lemmo in Histria, & prioratus Camalduli Veronensis.

Prioratus sancti Mathiæ de Muriano cum suis adnexis, cui adjunguntur prioratus sancti Viti de Vicetia, prioratus Montis-crucum in agro Patavino, prioratus sanctæ Mariæ de Orbisio, & prioratus sancti Benedicti de Filetto Cenetensis diœcesis.

Monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus, cum suis manualibus & adnexis.

Monasterium sancti Apollinaris de Classe Ravennæ cum suis membris.

Prioratus sancti Salvatoris de Foro-livio, cui adnectuntur prioratus sanctæ Mariæ de Scardavilla, prioratus sancti Petri de Cæsena, prioratus Montis-calvarii & sanctæ Mariæ de Fontana de Castro-caro, & prioratus de Prodano in agro Cæsenate.

Prioratus sancti Johannis-baptistæ de Faventia, cui uniuntur prioratus sancti Johannis baptistæ de Bagnacavallo, prioratus sancti Johannis-evangelistæ de Richòo & prioratus sancti Damiani de Bononia.

Monasterium sancti Romualdi Vallis-castri cum suis manualibus & adnexis, cui adjicitur prioratus Podicupi, prioratus sancti Georgii, prioratus de Aqua-perellis, & eremus dicta de Quadrigaria.

Prioratus sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia cum suis adnexis, cui copulantur prioratus sanctæ Agathæ de valle Clanarum in monte sancti Sabini, prioratus sancti Christophori & sanctæ Luciæ prope Montem-sancti-Sabini, prioratus de Mucchio Volaterranæ, & prioratus sancti Viriani Arretinæ diœcesum.

Prioratus sancti Benedicti extra mœnia Florentiæ cum suis adnexis, cui incorporantur monasterium sanctæ Jucundæ Lucanæ, monasterium de Cintoria Pisanæ, prioratus Urticariæ Fesulanæ, prioratus sancti Cypriani Vola-

Volaterranæ, monasterium de Castagneto Pisanæ, monasterium de Montemuro Florentinæ, & monasterium de Deciano Sarsinatensis diœcesium.

Ann. Chr. 1513.

Monasterium sancti Felicis in Platea Florentiæ, cui unitur monasterium Montis-cornarii prope Balneum.

Monasterium Rosæ Senarum, cui adjungitur eremus de Vivo, prioratus Arcus, aliaque Senensis diœcesis.

Monasterium sancti Michaelis de Arretio, cui adjicitur monasterium sancti Clementis de Arretio, & prioratus sancti Laurentini prope Arretium.

Monasterium sanctæ Mariæ de Balneo cum omnibus suis manualibus & adnexis, cui prioratum sancti Silvestri adjunctum fecere.

Monasterium sancti Severi de Perusio cum prioratu sanctæ Trinitatis prope Perusium, cui copularunt prioratum sancti Antonii de Tuderto, & prioratum sancti Angeli de Massaccio.

Monasterium sancti Hippolyti de Faventia cum suis manualibus, cui adjecere ecclesias sancti Andreæ & sancti Laurentii, prioratum de Ferracciano Foro-liviensis, prioratum sanctæ Mariæ de Camaldulo Foro-liviensi, & prioratum sancti Mauri de Solarolo Faventinæ diœcesis.

Monasterium de Monte-christo in insula prope Corsicam cum suis adnexis, cui adjecta fuere monasterium sanctæ Trinitatis in Sardinia, ecclesiæ sancti Petri in Scanno, sancti Nicolai de Trulla, sanctæ Mariæ & sanctæ Eugeniæ in Samanar, sancti Michaelis & Laurentii in Vanari, sanctæ Mariæ & Johannis in Altassar, sanctæ Mariæ in Contra, sancti Johannis & Simonis in Salvenero, sancti Pauli in Controli, sancti Petri in Olim in Ilba insula, locum Capoliveri, & omnia alia ordinis loca in Sardinia, Corsica, Plumbino & circumjacentibus terris.

Has septemdecim monasteriis uniones factas a capitulo Florentino ratas habet Romanus pontifex Leo X. simul cum pensionibus subministrandis monialibus sancti Benedicti de Arretio, sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri, sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone, & sanctæ Trinitatis de Faventia, ut facilius tum in illis virorum, tum in istis feminarum disciplina monastica vigeat & observetur, quæ quidem uniones eo ipso effectum suum sortiantur, statim ac vacaverint loca per cessum vel decessum eorum prælatorum, qui ea impræsentiarum obtinent.

Pariter confirmavit capituli statutum, ut beneficia supranominata & unita a nemine deinceps conferrentur ad vitam cuiquam in ordine, vel extra ordinem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sed in iis statuerentur abbates vel priores annuales; cessiones locorum fierent in manibus generalis; qui autem cederent, deputarentur ad vitam rectores locorum, quæ resignaverint.

Statuerunt etiam, ut generalis prior deinceps de anno in annum eligeretur de numero vel eremitarum, vel cœnobitarum observantium, non autem conventualium, juxta formam, quæ consuevit observari in electione vicarii congregationis sancti Michaelis. Ipse generalis sic electus posset visitare ordinem, & collectas repetere a locis, qui exsolvere tenerentur. Similiter fieret de eremi priore, cedente vel decedente Petro Delphino, qui prior commoraretur semper in eremo. Quando autem cesserit vel decesserit Delphinus, quia non statim congregari poterit capitulum, vicarius congregationis sancti Michaelis suppleat vicem generalis; prior autem eremi eligatur a capitulo eremitarum pro ea dumtaxat vice. Generalis eligat & deputet vicarios super conventuales, cœnobitas, eremitas, & moniales, qui tum ad triennium confirmari, tum intra annum revocari possint ad nutum generalis.

 Duo

Ann. Chr. 1513.

Duo capitula celebrentur, alterum omni anno, in quo conveniant cœnobitæ & eremitæ dumtaxat cum priore eremi, & in ipso eligantur prior eremi, generalis, & abbates locorum observantium, & priores per novem definitores de numero prælatorum deputandos juxta consuetudinem congregationis sanctæ Justinæ. Alterum vero capitulum congregetur, quoties generali videbitur, & in ipso intersint etiam conventuales, eliganturque sex definitores, quorum duo sint eremitæ, duo de numero monachorum observantium, duo de numero conventualium una cum præsidente, qui sit semper ipse generalis, vel eremi prior. Definitores ejusmodi possint eligere monachum idoneum, qui sit scriba capituli, cui ac si publico notario fides adhibeatur.

Nullum observantium transeat ad vitam conventualem, conventuales vero ad observantes transire possint; nullus deinceps sine licentia, familiaris alicujus cardinalis vel prælati evadat; nullus extra ordinem beneficia possit recipere. In beneficiis, quibus cura imminet animarum, continue accensa lampas ante sacratissimum Christi corpus teneatur. Cœnobitæ observantes & eremitæ intra quinque annos dimittant curam animarum, quæ exerceatur per presbyteros seculares. Quinque quolibet anno alterius religionis etiam Mendicantium atque Cartusiensium possint regulares viri ad Camaldulensem observantium habitum assumi. Loca ordinis, quæ transcendunt summam sexcentorum Florenorum, debeant præceptores conducere & tenere, qui linguas, doctrinas, & maxime sanctarum Scripturarum disciplinam doceant.

Eremitæ antiquas eremi constitutiones non relaxent; post obitum vel cessionem Petri Delphini generalis ministri omnes eremi eligantur singulis annis die sancti Romualdi; ipso autem vivente & non cedente, eligantur ab eodem. Eremitis clausis, & apertis etiam monachis tam conversis, quam sacerdotibus liceat barbam deferre, ita tamen ut sacerdotes eam circa os tondere teneantur. Nullus neque prior, neque major, neque sacrista, neque alius eremita monachus & conversus eremi, dum in ea commorantur, possint sub aliquo colore tenere vel recipere aliquam etiam minimam pecuniæ quantitatem, nisi forte camerarii Fontis-boni coadjutor, qui una cum camerario sexies in anno rationem reddat; pluraque hujusmodi statuuntur, quæ regimen, conversationem, mores & ceremonias eremitarum tum apertorum, tum reclusorum respiciunt, quæque inseruntur præfatæ Leonianæ bullæ. Decernunt demum patres in capitulo Florentino coadunati, ut in omnibus principalioribus locis, in quibus viget observantia, teneantur omnes fratres orare pro summi pontificis & sedis apostolicæ felicitate, & diebus ferialibus eos psalmos & orationes dicere, quæ antiquissima institutione in eremo dicuntur eo modo, quo ibi dici consueverunt. Hortantur autem & admonent omnes ordinis Camaldulensis viros & mulieres, ut specialius pro Leone X. pontifice maximo, magnificoque fratre ejus Juliano ordinis protectoribus & benefactoribus præcipuis continuas ad Deum preces fundere non omittant. Bullam solitis clausulis terminat summus pontifex datam Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ M. D. XIII. quarto nonas julii, pontificatus nostri anno primo.

Recens electo Romano pontifici Leoni X. libellum exhibuerunt ex Apennini jugis iidem Petrus Quirinus & Paulus Justinianus Camaldulenses eremitæ in sex partes divisum, ut eumdem pontificem, cujus fuerant familiarissimi cardinalatus tempore, ad ecclesiam reformandam provocarent. Prima pars pontificis potestatem, ejusque officium ostendit. Secunda Ju-

dæos

dæos & Idololatras ad fidem vocandos suadet. Tertia Mahumetanos aut convertendos, aut in pugnam vocandos proponit. Quarta septem Christianorum nationes, quæ a Romana ecclesia sunt divisæ, capiti uniendas docet. Quinta de Christianorum omnium, qui Romano obediunt pontifici, reformatione agit. Sexta temporale ecclesiæ dominium & imperium per universas infidelium regiones augendum hortatur.

Ann. Chr. 1513.

XV. Aliæ Leonis X. bullæ.

Die quinta novembris ejusdem anni Romanus pontifex vicario & visitatoribus ordinis, sive congregationis eremi & sancti Michaelis facultatem fecit eligendi & deputandi priorem claustralem eremi Majorem nuncupatum, qui una cum socio per conventum eremitarum eligendo ad capitulum generale congregationis sancti Michaelis accederet, & in eo suffragii jus haberet ad electionem novi generalis annui. Similiter iisdem vicario & visitatoribus concessit apostolicam auctoritatem pro dissolutione unionum nonnullorum monasteriorum aliis monasteriis congregationis, alias apostolica auctoritate factarum, ita tamen ut monasteria dissoluta æque principalia evaderent, & perpetuo forent ejusdem congregationis, ac per abbates & priores annuales regerentur; ipsisque vicario & visitatoribus eamdem auctoritatem indulsit, quam habiturus erat generalis quamprimum eligendus. Die autem octava decembris, cum ii elegissent Majorem eremi, ac insuper Camaldulum-majus, sive Fontem-bonum in monasterium ex principalioribus, ita & Camaldulum-Florentinum in cœnobium principale erexissent, ac abbates & priorem in eis constituissent, ratum habuit, quod peregerant.

XVI. Ingrata Delphino mutatio rerum facta in capitulo Florentiæ.

Acriter indoluit Petrus Delphinus se ab amicissimis suis Justiniano & Quirino ita tractari; nonnihil passus est humani, ingratosque eos acceptorum beneficiorum non semel notavit, hancque non debuisse senectuti suæ imponi mitram conquestus est. Ipse Quirinus & coram, & literis sæpius repetiit dolere se ex corde, quod illum ad indignationem provocaverit, pœnitereque se asseruit plurimum præteritorum, pollicitus ad hæc multum mutatus ab illo, qui hoc anno fuit, futurum se illi obsequentissimum & pientissimum filium, modo perspicue novisset, se cum illo in gratiam rediisse. Cui humanissime respondit Delphinus die tertia [a] octobris hujus anni. Rediit tamen Quirinus Romam, negotiorum gestor, & cum sindicatus nomine missus a patribus eremitis. Sed rerum omnium seriem, & ademptam à Delphino administrationem remittimus ad annum sequentem.

a Lib. XI. ep. 5.

Prioratus sanctæ Mariæ de Fontana de Castro-caro Foro-liviensis diœcesis unitur a Petro Delphino cum ecclesia seu prioratu sanctæ Mariæ de Montecalvario, Sancti de Solarolo priori data administratione utriusque ecclesiæ & monasterii hoc anno M. D. XIII. die XII. aprilis officii sui anno XXXIII. pontificatus Leonis X. primo, paucis diebus ante capitulum generale.

XVII. Delphinus Romam it ad concilium Lateranense.

Post cujus celebrationem Delphinus Romam se contulit [b], tum ad osculandos pedes sanctissimi pontificis Leonis X. tum evocatus ab ipso ad concilium Lateranense, cooptatus idcirco congregationi cardinalium & episcoporum ad procurandam reformationem ecclesiæ. Cum prorogaretur octava sessio, copiam imploravit a pontifice discedendi ab urbe, sed suasu Antonii cardinalis de Monte substitit. Quoniam vero ob multiplices assiduasque occupationes pontificis non licuit ipsi coram recitare lucubratiunculam suam, quam pro delato ei divinitus summo præsulatu ediderat, exemplar ipsius ad illum transmittendum putavit. Non discessit ex Urbe, nisi januario mense anni sequentis ex ipsius epistola ad cardinalem Julium de Medicis.

b Lib. XI. epp. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Cum

ANN. CHR. 1513. XVIII. Ecclesia S. Apollinaris-novi de Ravenna data fratribus Minoribus.

CUM a Romano pontifice Julio II. rogatu communitatis Ravennæ concessa fuisset ecclesia sancti Salvatoris & abbatia sancti Apollinaris-novi fratribus sancti Mammæ Ravennæ ordinis Minorum, accedente consensu abbatis commendatarii sancti Apollinaris, & cura parœcialis sancti Salvatoris applicata fuisset ecclesiæ sanctæ Barbaræ Ravennæ, annuente abbate Classense, cui ecclesia sanctæ Barbaræ subjiciebatur; gubernator, sapientes & consiliarii dictæ urbis die decima julii hujus anni concesserunt priori ecclesiæ sanctæ Barbaræ aliquot terras ejusdem communitatis; ex libro *Partium* A. prædictæ urbis.

XIX. De Junipera Theupula sanctimoniale.

a *Lib. XIII. ep.* 73.

JUNIPERA ex nobilissima Teupula Veneta familia desponsata fuerat anno 1500. Johanni Sfortiæ, qui paulo ante fuerat Pisauri dominus, ut die quinta novembris ejus anni scribit Petrus Delphinus [a] ad alterum Petrum Delphinum patritium Venetum. Visitur super januam ecclesiæ patrum Servorum beatæ Mariæ ejusdem urbis excellens pictura manu Hieronymi [de Cotiniola, sub qua leguntur hæc verba: *Junipera Sfortia patria a marito recepta ex voto* P. M. CCCCC. VIII. Post eum annum, & post mortem mariti, & filii tenera ætate defuncti, se in monasterium sancti Petri de Luco recepit Junipera, ubi & velamine monastico fuit Deo sacrata. Ad ipsam extat Nicolai *del Biada* prioris sancti Benedicti extra muros Florentiæ epistola hortatoria ad sollemnia vota emittenda. Petrus Quirinus hoc anno adhortator accessit [b] ad eam firmandam in monastico proposito, eamque sibi reservaverat una cum Justiniano facultatem colloquendi cum ipsa, dum Florentiam pro capitulo generali celebrando se contulerant. Nondum professionem emiserat anno 1515. Scribens enim eo anno XXII. martii Delphinus [c] Marino Georgio oratori Veneto in Romana curia: *Magna fiducia*, inquit, *tibi commendandam censui causam Juniperæ Sfortiæ filiæ nostræ, ac tecum propinquitate conjunctæ. Quæ contempta seculi vanitate elegit abjecta esse in domo Dei sui, magisquam habitare in tabernaculis peccatorum. Et relicta vidua post mortem viri sui principis Pisauri & filiorum, veluti femina continentissima secundas adhuc junior exhorruit nuptias. Vivit nunc in monasterio sanctimonialium nostri ordinis tanta vitæ regularis observatione, ut virginum cœtui sociata facta sit omnibus devotionis, continentiæ atque humilitatis exemplar, nihilque penitus, quod sapiat seculum, præseferat. Visitavi eam in transitu hac hyeme, dum redirem Venetiis. Retulit mihi nimirum Annam illam viduam de evangelio. Cupit ea plurimum ad professionem admitti, nec alia intercedit professionis dilatio, nisi quod de credito dotis suæ disponere non permittitur pro arbitrio, quin eam adhuc exigere non valuit.* In Lucensi tamen monasterio non perseveravit, sed in patriam reversa ordinis Mendicantium monialium habitu induta, & mutato nomine Juniperæ in Hieronymam sancte vixit in rigidissimo Venetiarum monasterio, ut addiscimus ex alia Delphini ad Paulum Justinianum epistola [d], ad annum 1517.

b *Lib. XI. ep.* 5. *inter editas.*

c *Ibid. ep.* 24.

d *Ibid. ep.* 64.

XX. De Nicolao del Biada monacho Camaldulense.

QUOAD Nicolaum *del Biada*, is Leonardi filii Georgii filius Bernardi frater, patruus equitis Jacobi, Florentinus nobili genere natus, cum familia Blada ab anno 1396. ad 1494. septem numeraverit reipublicæ Florentinæ priores, inter quos eques Jacobus, monachum induit in monasterio sancti Benedicti extra Florentiam die XXIV. februarii anno 1457. cui etiam monasterio sua bona tradidit, natus erat die XII. martii anno 1438. Nicolaus Gregorius in baptismo appellatus, susceptus e lustrali fonte a Philippo Carmelita pictore tunc temporis insigni. A Leonardo Salutato Florentino, episcopo autem Fesulano sacerdos factus decima julii anno 1463. prior monasterii sui sancti Benedicti evasit quarta julii anno

anno 1482. confirmantibus Petro Delphino priore generali, ejusque vicariis per triennium, quo regionem tenuit ejus loci. Iterum anno 1485. sexta julii monachi convenerunt in ipsius electionem. Anno sequenti XXIV. decembris habitu Camaldulensi induit Guidonem olim Cisterciensem monachum electum in priorem sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, sicque sancti Benedicti prior permansit usque ad annum 1491. quo die VII. aprilis cessit in manibus Petri Delphini. Sub Paulo Coppino priore anno 1499. erat camerarius ejusdem cœnobii; anno autem 1509. XXIII. octobris præficitur bibliothecæ monasterii a Cypriano Veneto priore. Edidit Italica lingua Nicolaus librum secundum dialogorum sancti Gregorii papæ de vita sancti Benedicti a se ex Latino translatum; synopsim historiæ Montis-casini, ubi præcipue de monachis sanctæ Justinæ in illud inductis per cessionem Johannis cardinalis Medicei commendatarii. De historiis & miraculis aliquot memorabilibus, quæ in ordine sancti Benedicti accidere. De congregationibus monachorum sub regula sancti Benedicti militantibus. Hæc omnia in codice ms. bibliothecæ eruditi viri Petri-mariæ Kavinæ Faventiæ asservabantur, in quo præterea legebantur epistolæ aliquot Francisci monachi Casinensis, epistola Bartholomæi monachi abbatiæ Florentinæ ad ipsum Nicolaum, de fistula, qua abbas Casinensis olim utebatur in sumptione sanguinis, & Leonardi Vernagalli consilium super obligatione regulæ sancti Benedicti scriptum ad instantiam Stephani Nelli seu del Biada eremitæ Camaldulensis. Scripsit præterea Nicolaus commentaria de rebus monasterii sui, & de iis quæ contigerunt tempore suo, quæ custodiuntur in archivo sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, præter opusculum, quod indicavimus, nuncupatum Juniperæ Theupulæ.

ANN. CHR. 1513.

In necrologio Font-avellanensi ad diem XIX. februarii legitur: *Obiit Julius pontifex maximus commissus noster anno* 1513. quod intelligi debet ratione commendationis ejus monasterii, quam obtinebat.

Anonymus monachus Camaldulensis vitam sancti Romualdi a beato Petro Damiani scriptam prælo subjecit hoc anno Florentiæ, ad cujus calcem addidit catalogum omnium ordinum religiosorum; In hoc catalogo singulorum ordinum notantur principia. Animadvertunt autem Agiographi Antverpienses in hoc libello de Carmelitano ordine hæc formalia verba legi: M. CC. *ordo Carmelitarum ab Alberto episcopo Hierosolymitano*. „Apparet autem, quod catalogi auctor pro nihilo habuerit qualecumque principium ante acceptam regulam &c. " Hæc illi [a].

Sepulcri honorem in nostra sancti Michaelis de Muriano ecclesia habuit hoc anno Andreas Lauretanus cum hoc elogio ad aram majorem a cornu epistolæ: *Andreas Lauredanus Nicolai F. magni animi vir Venetique exercitus legatus, cum hostibus ad Vincentiam acerrime pugnans, ne anteactæ vitæ bene gesta minus honesto successu fœdaret, hostili manu fortiter cadere maluit, quam turpi fuga libere superesse* 1513. VII. *idus octobris. Vixit annos* LXIII. A cornu autem evangelii: *Andreas Lauredanus Nicolai F. cujus animi virtutes e regione intueri licet non modo præclaras ædes, dum viveret, erexit, verum etiam æternitatis memor, annua pecunia monachis pie legata, magnificaque testudine huic templo addita, Hoc monumentum sibi & Mariæ Baduariæ uxori optimæ testamento fieri jussit. H. M. H. N. S.*

ANN. CHR. 1514.

XXI. Narratio abrogationis supremi magistratus Delphini.

GRAVITER tulerat Delphinus irrogatam sibi præterito anno injuriam suæ remotionis a prioratu generali Camaldulensis ordinis, quem triginta-tribus annis laudabiliter gesserat, idque potissimum tentatum fuisse

ANN. CHR. 1514.

se a suis conterraneis, quos incredibili gaudio exceperat paulo ante in eremum, summa benignitate foverat, atque senectutis suæ baculum fore sibi persuaserat. Secutarum inde rerum seriem addiscimus ex quatuor ipsius epistolis scriptis ad Eusebium Priolum monachum sancti Michaelis de Muriano, & ad Jacobum priorem sancti Martini de Opitergio, quæ separatæ sunt tum ab editis, tum ab iis voluminibus, quæ in eremi Camaldulensis bibliotheca & in illa sancti Michaelis mss. asservantur, in quibus agit de sua depositione ab admnistratione, quarum etiam parvo libello comprehensarum breviationem proferimus ab iis diebus, quibus evocatus fuit Delphinus Florentiam a cardinale Mediceo initio anni elapsi. *Profectus*, inquit, *Florentiam exceptus sum bis a legato uberiore, quam pro meritis meis humanitate .... inter cetera testatus est cupere se auctorem fore augendæ dignitatis meæ, non ulla ex parte minuendæ. Accepta a me responsione ad satisfactionem, dimisit me in pace, exosculatus non semel; atque complexus coram multis, qui aderant .... non mirari me, subdidi; insurgere nunc in priorem & prælatum suum, quoniam alias non semel audissem & legissem Ambrosium antecessorem meum, virum & vita, & doctrina insignem persecutiones tolerasse. Credo te non secus opinaturum; quam plerique fere omnes apud nos sentiant. Siquidem per totam hanc regionem vulgatum est, Quirinum generalatum perpetuum ambientem, conatum esse me loco deturbare. Cur autem hoc fecerint, sive ducti conscientia, ut ipsi affirmant, sive ambitione inflati, quemadmodum passim creditum est, ex serie ac narratione rei gestæ percipies.* In decursu epistolarum licet de aliis, de Quirino tamen & de Orlandino præsertim conqueritur. *Interea*, subdit, *defuncto Julio, & suffecto in ejus locum Medice, cognoverunt alia sibi aggrediendum esse via, quod non eos lateret, quantum me pro sua benignitate diligeret novus pontifex ob antiquam meam & fidelem erga ipsum servitutem. Impetrarunt novum diploma, sed longe distans a primo. Siquidem retulit mihi magnificus Julianus, illud jussu pontificis tertio castigatum atque emendatum fuisse, cum singulari attestatione benevolentiæ ipsius erga me, ac testimonio laudum, quibus sum longe indignus. Oraverunt autem me instantissime, ut secum in Urbem irem, sicut mihi ante capitulum fuerat animus, ut pontifici optime de me merito satisfacerem, profuturam siquidem judicabant præsentiam meam ad expedienda religionis negotia.* Distulit tamen Delphinus iter suum, & interea literas accepit a cardinale Antonio de Monte, quibus ipsi significabatur Quirinum cum socio virtutes & bonitatem Delphini ipsius ad cœlum ferre, sed ministros ejus carpere. *Iturus sum itaque*, prosequitur, *si placuerit Altissimo statuto tempore, ut pontificis optime de me meriti deosculatus vestigia, gratuler coram adeptæ dignitati, & ut intersim futuræ concilii sessioni, præsertim cum placuerit ipsius sanctitati me quoque iis prælatis adjungere, quibus demandata est cura reformandæ curiæ atque ecclesiæ. Quod modo fieri non potuerit, non diffido adepturum me Romæ, quoniam ad minus spero valituram erga me veterem & continuatam semper pontificis benevolentiam, quam germani ejus valuerit erga eos.* Autumnali ergo tempore Delphinus in Urbem se recepit; *nam mecum volvebam animo teneri me interesse futuræ paulo post Lateranensi sessioni, & longe magis frequentibus congregationibus cardinalium atque episcoporum, quibus me sua sanctitas motu proprio deputaverat, atque adjunxerat* &c. Neque prætermittendum silentio in præsentiarum duco, idque non ab re, qua me benignitate, qua humanitate sequenti, postquam Urbem ingressus sum die, pontifex excepit, qui non solum sacros pedes deosculandos exhibuit, verum etiam utraque manu amplexari

xari me tantillum dignatus est, admoto insuper sacro capite ad utrasque genas meas. Gratulatus bonæ meæ valetudini, ut redirem ad se pro arbitrio dixit. Erat tunc siquidem magnis viris atrium repletum. Paucis interjectis diebus iterum a sua sanctitate, cum esset in castello sancti Angeli, admissus sum, erectusque ab eo manu propria jussus sum stans loqui. Supplex itaque petii, ut &c. *Gratum dedit, benignumque responsum, dimissurum se utique nos in pace & compotes eorum, quæ postulaveramus; statueram propterea ex Urbe discedere, ne, si interfuissem sessioni, cogerer media hyeme esse in itinere. Hortabatur cardinalis de Monte, ne abirem; contra Volaterranus protector suadebat, ut peterem commeatum a pontifice per literas, qui tunc aberat a Roma; quod & feci. Sequenti die breve mihi a sua sanctitate transmissum est, quo etsi mihi potestas fiebat redeundi domum, tamen aperte declarabat futurum sibi fuisse gratius, ut manerem non tam propter futuram sessionem, quam propter novum mihi congregationis deputatum atque injunctum munus, inserta brevi majore, quam pro meritis, commendatione parvitatis meæ. Cognito pontificis desiderio, urgente præsertim cardinale de Monte, manere constitui. Hæc idcirco epistolæ inserenda existimavi, ut noveris Dei consilio & voluntate sic actum esse, ne reversus Florentiam iterum necessario ad repugnandum vexatoribus meis redire in Urbem compellerer.* Idipsum constat ex literis ejusdem Delphini editis [a] ad eumdem Romanum pontificem, & ad cardinalem de Monte. *Superveniente podagra probibitus domo exire, questus sum literis apud pontificem, & apud cardinales complures, quod dolose fuissem exturbatus domo. Non defuerunt mihi in tam justa causa cardinalium favores, neque magno negotio piissimus pontifex revocavit diploma. Jussit enim per novum breve, ut restituerer per omnia in gradum pristinum. Interfui interim, ægre licet, ob tumorem pedum octavæ sessioni paucis diebus ante natalem Domini in Laterano celebratæ, & peracta Dominicæ nativitatis solemnitate curavi expediri impetratum breve. Nec tamen antea licuit nobis ex Urbe proficisci, quam* XVI. *januarii die*, hujus scilicet anni 1514. *Ubi vero Florentiam redii, accersiri fecerunt me a vicario. Tertio citatus intra dies paucos ad ipsum vicarium me contuli, ubi semel convocatis de industria religiosis quibusdam mihi optime cognitis, conatus est vicarius tum illorum, tum sua exhortatione mihi persuadere, ut cum Quirino, qui in atrio palatii præstolabatur eventum rei, potius convenirem, quam privationis periculo me exponerem. Respondi ego vicario & patribus illis, id nullo pacto me esse facturum, quoniam honori meo adversaretur. Subdi mihi Quirinum oportere, non ipsi me. Si me privatione dignum vicarius nosset, non me propterea veniam deprecari, impleret ipse munus suum. Sufficere mihi testimonium conscientiæ. In hæc verba dimissi sumus. Biduo seu triduo post fecit mihi intimari vicarius (* archiepiscopi Florentini *) ad Quirini amici sui instantiam per schedulam sub anathematis pœna, & itidem abbati sanctæ Jucundæ quæstori eremi, ne frui mihi liceret, & ne mihi quæstor ipse quid tribueret de redditibus ac proventibus eremi. Ubi hæc pervulgari ceperunt, non se poterant, ut tunc mihi relatum est, contineri viri graves, & quotquot hæc audiebant, quin mei miserarentur, supra merita tribuentes mihi. Siquidem quo magis me quærebant opprimere, eo amplius mihi omnium gratiam & favores comparabant. Citatis enim a vicario ipsorum nomine prælatis multis nostri ordinis, & quotquot haberi potuerunt de familia nostra, ac super iisdem capitulis interrogatis, idque cum juramento, non est repertus, ut audio, qui de me fuerit obloquutus, aut sinistrum aliquod minusve bonestum deposuerit testimonium. Scripsi continuo pontifici & cardinalibus*

[a] Lib. XI. epp. 6. 7. 8.

Ann. Chr. 1514.

sex fautoribus meis, petiique, ut transferretur hujus causæ cognitio in Urbem. Demandavit paulo post judicium istud pontifex cardinali de Monte. Ægerrime tulisse pontificem intellexi non fuisse habitam a vicario dignitatis meæ rationem, commotum tum literis meis, tum relatione & conquestu cardinalium trium, qui illas pariter dederant suæ sanctitati. Redire tandem statui in Fontem-bonum, usurus potestate mihi a pontifice tradita. Ubi quanta lætitiæ significatione, quantis acclamationibus non solum a familia nostra, verum etiam ab omnibus, per quorum oppida ruraque in agro Casentinate transieram, fuerim exceptus, non est meum literis commendare. Mirati sunt, qui mecum erant, occurrisse mihi multitudinem virorum ac mulierum atque infantium, sicut olim Johanni apostolo ab Ephesо revertenti, ut nihil aliud se magis optasse, quam reditum meum viderentur. Paulo post ingressum meum in Fontem-bonum supervenit Orlandinus vicarius, qui electus ejusdem loci fuerat prior. Convocata familia omni verba feci super restitutione mea, sicut etiam in diplomate, quod mecum detuleram, plenius continebatur. Respondit Orlandinus se inde recessurum pro meo arbitrio, nec se velle ullo pacto mecum contendere. Abiit & rediit sequenti die. Siquidem allatum fuerat ad eos novum breve, per quod singulari mea ignominia revocabatur meum. Nam dilatione mea Florentiæ factum est, ut non defuerit adversariis tempus illud impetrandi, existente præsertim Romæ Quirino procuratore eremi & congregationis, ad cujus nutum facile ob favores nonnullorum brevia componebantur. Neque enim creditum est mandasse pontificem, ut inter cetera, quæ in brevi erant descripta, verba ista ignominiæ plena inserentur. Nos, inquit, conscii de pessima administratione, quam præfatus generalis & omnes ministri ejus per triginta & amplius annos habuerunt cum maximo bonorum omnium tum spiritualium, tum etiam temporalium detrimento, & cetera quæ sequuntur. Denique per illud breve statutum fuerat, ut mihi tercentum nummi aurei quotannis a priore Fontis-boni darentur, relicta illi administratione domorum nostrarum. Verum accipe aliam Quirini adinventionem, qua me oportuit intermisso Romano itinere Florentiam ire. Videns enim hic bonus vir conatus suos contra me irritos fieri, nec se honeste posse mihi vim inferre, ut generalatu pro voto suo sponte me abdicarem, blandimentis mecum agendum censuit, & propositis mihi honoribus atque dignitatibus alliciendum. Sed agnovit tandem per Dei gratiam frustra jaci rete ante oculos pennatorum. Scripserat ad me civis quidam Florentinus satis mihi cognitus, habere se breve apostolicum ad me conscriptum, quod sibi transmissum una cum literis cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum ad me itidem missis mihi manu propria esset jussu pontificis redditurus. Urgebat propterea, modeste tamen, ut quoniam ipse venire ad me ob publicam in palatio functionem nequaquam poterat, irem ego Florentiam, ut sibi liceret implere mandata pontificis. Obtemperandum petenti censui. Ubi me advenisse Florentiam didicit, continuo me Camaldulum adiit. Accepto reverenter brevi apostolico atque perlecto, quo mihi significabat pontifex, ut relationi ipsius civis fidem plenam exhiberem, mandata civis exposuit, quæ nihilominus epistola cardinalis itidem expresserat. Offerri siquidem mihi a pontifice titulum archiepiscopatus cum pensione mihi ab eremitis quotannis persolvenda. Dari mihi insuper potestatem manendi in tribus nostri ordinis monasteriis, quæ sunt Florentiæ, aut si ita maluissem, in archiepiscopatu Florentino, futurus perpetuus suffraganeus reverendissimi archiepiscopi cardinalis de Medicis. Multo sermonis lenocinio bis mecum congressus, conatus est me in sententiam trahere. Excusavi me continuo, utpote qui essem ab hujusmodi cogitationibus alienus, adducta in medium

dium ætate in dies ingravescente, quæ magis otium & quietem, & manumissionem a laboribus, quam sublimiorem & majorem aliquam dignitatem cum curarum molestiis expeteret. Rescripsi pontifici, cardinalique, qui me ad hoc magnopere fuerat hortatus, in eamdem sententiam, deprecans, ut jam ætate provecti excusationem admitterent, quoniam etiam indignum me penitus agnoscerem hujusmodi honoribus. Egi ambobus gratias pro tam pia & benigna erga me tantillum voluntate. Profectus Florentia Romam petii. Cum igitur die quadam invenissem in palatio protectorem nostrum deambulantem in atrio cum pontifice, ejus interventu eadem die ingredi ad ipsum frustratis custodibus permissus sum. Deosculatis sacris vestigiis erexit me pater sanctissimus, & stantes ambo deambulavimus pariter in cubiculo non semel absque arbitris, præterquam abbatem Faventinum. Interrogavit me prior sanctitas sua, an bene valerem? Bene, inqui, pater sancte, sed melius me valiturum, si adversarii vexationibus parcerent. At ille, non possunt, ait, de te honorificentius loqui, & cum veneratione majore; tantum de aliquot familiaribus tuis obloquuntur. Cui ego; bene, inqui, pater sancte, de me loquuntur, & operantur male. Mirari se dixit, si ita foret. Denique intuli, nihil aliud persecutores meos quærere, quam me generalatus possessione dejicere. Respondit pater beatissimus, nunquam se hoc esse passurum, cum semper me habuisset parentis loco. Tandem bono animo ut essem, pie hortatus, dimisit me in pace. Post pontificis alloquium curavi sollicito quantum potui studio, ut per constitutos judices componeretur negotium nostrum. Tertia-decima junii die convenerunt tandem in unum in palatio papæ cardinales colendissimi constituti nobis judices, & una cum illis ingressi sumus Quirinus procurator eremitarum, & ego. Dederam ego in scriptis capita complura, per quæ indicabam judicibus votum meum super futura compositione. Approbaverunt nonnulla, rejecerunt aliqua, cetera correxerunt. Ubi animadverti nolle ipsos permittere, ut redirem in domos meas, in quibus per triginta & tres annos ætatem meam consumpseram, & infinitos tum animi tum corporis labores pertuleram, ægre ferens prohibitionem inopinatam, prorupi in hanc vocem: Judicarent pro arbitrio, uti eis melius visum fuisset, siquidem ego expectarem aliud futurum de cœlo in causam nostram judicium. Non fuit, qui ad hoc responderet. Statuerunt propterea, ut exhiberentur mihi quotannis ab eremo seu Fonte-bono tercenta scuta aurea, quarto quoque mense sub pœna dupli, nisi statuto tempore ipsi ultro illos mihi numerandos curassent. Insuper etiam, quod possint a me per censuras ecclesiasticas ad solvendum compelli. Adjecti sunt præterea quinquaginta nummi aurei in annos singulos ultra prædictam summam in compensationem ablatæ mihi potestatis commorandi in domibus meis, ab eisdem mihi persolvendi. Præterea has etiam statuerunt, ut deberentur mihi collectæ ordinis, & earum credita, obligatis ad contribuendum commendatariis quibuscumque. Decreverunt ad hæc, ut habitare perpetuo mihi liceret in hospitio sancti Benedicti prope Florentiam, aut ubicumque in ordine seu congregatione maluissem, tradita mihi suppellectile trium cubiculorum meorum, utriusque videlicet Camalduli & Musoleæ una cum libris omnibus. Item quod in aliquo non subjicerer congregationi, nec ipsa mihi. Surreximus postea omnes pariter, & continuo Quirinus flexis genibus coram cardinalibus petiit a me supplex veniam de illatis mihi eousque injuriis. Respondi ei paucis, ut deprecaretur Dominum, ut facile in futurum me caperet oblivio, quoniam revera & multæ, & graves magnique momenti extitissent. His peractis inde discessimus. Tandem compositis rebus nostris, ac petito coram a pontifice commeatu, munitus sanctitatis ejus benedictione, & ad

Ann. Chr. 1514.

ad osculum pro sua benignitate admissus, sequenti die Roma profectus sum, indultis mihi nonnullis, quæ ab ejus beatitudine postulaveram. Ubi Florentiam reversus sum, intra dies paucos ab adventantibus ex agro Casentinate renuntiatum est mihi, vulgari passim futuram paulo post Musoleæ, quam a fundamentis erexeram, alienationem, & de ipsa una cum vinea illi adjuncta in perpetuum actum iri. Cogitare mecum cepi, & subiit consilium, ut scriberem vicario congregationis, brevique epistola obtuli ei quinquaginta nummos aureos, qui mihi decreto pontificis ultra aliam summam in annos singulos debebantur, si me tutum redderent, ne unquam Musolea & vinea ædibus illis novis contigua venderetur, aut aliquo modo alienaretur. Facta cum eremitis collatione, grate admissa est oblatio mea ab eremitis & vicario, pollicitique sunt per decretum manu singulorum subscriptum, adjecta in testimonium promissionis factæ subscriptione prælatorum octo, qui ad diem festum Fontis-boni convenerant, nunquam se futuros auctores transigendæ Musoleæ, addicta gravi pœna, si unquam fidem fregissent. Improbatum est a multis hoc factum, quod visus fuerim ingratis ac de me male meritis haud exiguum beneficium contulisse. Alii vero, qui rectius sentiunt, approbant meam in eos liberalitatem; & revera nequaquam me facti pœnitet &c. *Quid sit posthac futurum ignoro, nisi quod ago divinæ bonitati gratias, cujus clementia consultum est quieti tum corporis, tum mentis meæ. Sentiant, qui voluerint, derogatum fuisse plurimum honori meo. Ego vero a Domino factum esse istud arbitror, ut senectuti meæ, præter omnem expectationem, auctum sit plus commodi, & relictum minus honoris. Nihil enim est otiosa senectute jucundius, quam tamen, si ipsemet expetiissem, ut remotus a publicis & privatis generalatus & prioratus mei negotiis ad otium profugerem, non sine conscientiæ scrupulo id fecissem* &c. *Ex monasterio sancti Benedicti prope Florentiam* XIV. *augusti* M. D. XIV.

In epistola sub die XXII. ejusdem mensis eadem repetit: *Quod si acrius*, subdit, *judicaveris restitisse me oppugnatoribus meis, quam oportuit, scias me voluisse habere, non detegendi aliena crimina, sed conservandi honoris & famæ in repellendis atque purgandis falsis mihi objectis calumniis rationem, quam qui negligit, etiam, ut vulgo dicitur, crudelis cognominatur.*

Laudum seu arbitrium commissum fuit inter Delphinum & Quirinum a Romano pontifice cardinalibus Antonio Ferrario sancti Vitalis, & Laurentio Puccio sanctorum quatuor Coronatorum S. R. E. cardinalibus, qui rem composuere, ut mox ex præfatis Delphini epistolis retulimus. Die XXVI. junii indictione. II. pontificatus anno II. Leo papa X. precibus utriusque collitigantis auctoritate apostolica confirmavit hujusmodi arbitrium, recensens inter loca habitationis vetitæ Delphino eremum, Fontem-bonum & Musoleam; volens, quod ipse Petrus ad debita hactenus contracta prioratus sui causa minime teneretur, quæ ad congregationem pertinerent; collectas perciperet; liceret illi vicarium super conventuales ad nutum deligere, atque in conventuales ordinariam jurisdictionem exercere; in moniales ordinis una cum visitatoribus munus visitationis exequi, & demum percipere tercentos nummos aureos pro pensione, committens Hieronymo Ghinuccio episcopo Asculano, Alexandro Guasco episcopo Alexandrino, & Leonardo Guasconio archidiacono Florentino publicationem hujus sui decreti. Ipse Delphinus tamen, licet prohibitus Fontem-bonum accedere, anno 1522. multorum consilio motus, Fontem-bonum venit, prætextu generalis capituli convocandi, & zelo reformandæ religionis.

Ex epistolis editis ejusdem Delphini habetur [a] cardinales Volaterranum pro-

[a] *Lib. XI. ep.* 13.

protectorem & sancti Vitalis acerrime egisse apud pontificem, ut ipse denuo in pristinum suum jus restitueretnr. Redux secunda vice Delphinus ex Urbe substitit in monasterio sancti Benedicti extra Florentiam. Mense septembri Venetias concessit, ex quo loco octobri mense [a] Petro Lando oratori Veneto in curia scripsit pro monasterio sancti Michaelis de Muriano imminuto proventibus propter bellorum sævitiem, & consequenter divino cultu. Quidam civis Venetus obtulerat ei cœnobio sacerdotium in Vicetina diœcesi situm, non solum ubertate redditum ac soli feracitate, verum etiam situs amœnitate insigne. Ipsi oratori proinde commendavit hujusmodi unionem. Facile beneficium de Nante Vicetinæ diœcesis, de quo post biennium. Rediit postea Florentiam sub finem anni.

ANN. CHR. 1514.

a *Ibid. ep.* 18.

XXII. Obitus Petri Quirini eremitæ.

PETRUS vero Quirinus Romæ permansit sindicus eremitarum, eorumque procurator. Sed ecce dum negotiis eremi intentus, prælatorum, cardinalium, & ipsius Romani pontificis gratiam & favorem sibi conciliat, dum summis rebus tractandis admovetur, dum ad cardinalitium galerum designatur, infirmatur lethali morbo mense augusto hujus anni. Hospitabatur frequens in palatio apostolico, privatam tamen sibi habitationem elegerat in monte Quirinali apud patres Prædicatores conventus sancti Silvestri. Allato Florentiam nuntio ejus morbi Delphinus Zenobio Acciajolio ejusdem ordinis ascetæ Quirini valetudinem commendatam fecit, nil dubitans deesse ipsum ipsiusque confratres officiis pietatis erga infirmum eremitam, qui tamen vi morbi, indignatione stomachi, febri, vomitu & sputo sanguinis ad plures dies vexatus naturæ concessit ipso anno mense septembri.

XXIII. Apologia pro Petro Quirino, ejusque laudes.

Ex superiori rerum narratione nonnihil inquinata apud legentes remanet fama Petri Quirini, qui calcaneum suum erexerit contra seniorem, amicum, patrem & prælatum suum Delphinum. Sed ne tanti viri offuscetur memoria, operæ pretium arbitramur ea omnia hic loci, præsertim ex epistolis ipsius Quirini colligere, quæ meliorem optimamque posteris servent æstimationem, illustrentque celebre ipsius nomen. Petrus itaque Quirinus, Vincentius dum in seculo esset, natus est Venetiis circa annum 1479. ex nobilissima Veneta patricia gente ejus nominis, ex Hieronymo scilicet quondam Baldi ejus patre, & ex Dandula Dandulo ejus matre; die XXI. octobris anni 1496. decem & octo annos compleverat, qua die apud Advocatores Communis præsentatus fuit ab Antonio & Georgio Quirino, & ab Antonio Trivisano, & a Lazaro Mauro ex libro *Aureo* III. pagina 1298. Vir factus magistratibus & legationibus compluribus pro patria functus est. Extant mss. relationes legationis Quirini ad Philippum Burgundiæ ducem, tempore, quo ad Hispanicam coronam fuit assumptus; ad Maximilianum imperatorem, ad regem Hispaniarum, in bibliotheca Ambrosiana; ex iis liquet, quanto in pretio foret apud concives suos ipsius dexteritas, solertia, facundia ceteræque virtutes animi. Fortunius [b] refert, se ab Aloysio Superantio patritio Veneto dono accepisse Vincentii Quirini de *Origine Helvetiorum* tractatum ms. extant & ipsius commentaria de India & de provincia Ciclut. Adhuc juvenis conclusiones philosophicas & theologicas Venetiis editas dicavit Alexandro VI. pontifici maximo. *Contra Infideles* memorat opuscula multa ipsius Possevinus in Apparatu sacro [c]. *De officio Pontificis* tractatum a Paulo Justiniano elucubratum communi epistola ipse Quirinus una cum auctore Leoni X. nuncupavit. Tractatus *de Conciliis* asservatur in bibliotheca nostra sancti Michaelis. In bibliotheca eremi Rhuensis in Patavina diœcesi extant: *Cantici canticorum nova juxta Hebraicam veritatem translatio a vulgata transla-*

b *P. I. lib.* III. *cap.* 10.

c *T.* III.

Ann. Chr. 1514.

translatione valde diversa; Ejusdem libri *juxta novam prædictam translationem eruditissima expositio usque ad finem capitis* IV. *Job secundum Hebraicam veritatem translatio a vulgata multum distans*; *Adnotationes quædam super evangelium secundum Johannem*; Initium quoddam *expositionis epistolæ Pauli ad Romanos*. Incœpta *expositio super Psalmum* 119. *Sermone di Antonio Puccio Fiorentino Dell' Assunzione della B. V. Maria habito in l'eremo di Camaldoli* 1512. *Opusculo volgare di frate Pietro eremita Camaldolese, sermone nel quale subtilmente tracta, se la gloriosa Vergine fù conceputa in peccato originale, o nò?* In alia bibliotheca Montis-coronæ: *Grammaticæ introductionis Hebræorum libri tres, quos composuit, & propria manu scripsit vir in omni doctrina eminentissimus, triumque linguarum peritissimus, morumque sanctitate clarissimus Petrus Quirinus Venetus eremita Camaldulensis*. Plura ipsius carmina, epistolæ quoque extant in collectionibus Ludovici Dominici, Andreæ Arrivabene, Bernardini Pini aliorumque. Ceterum meminere Vincentii Quirini Hieronymus Bononius Promiscuorum libro x. Petrus Bembus in epistolis familiaribus, Sansovinus, Aloysius Contarenus, Wion, Maurolycus, auctores Additionum ad Ciaconium, Clementinius in historia Malatestarum, Ludovicus Paschal, Cataneus, Zabarella, Thomasinus, Superbus, Lidius Cato, Ziliolus, Bartholomæus Fontana, Petrus Justinianus, Bucellinus, Mabillonius, Fuscarenus aliique præter Orlandinum, Fortunium, Lucam Hispanum, Ractium, Minium, Archangelum Hastivillium, Grandium omnesque ex nostris. Hieronymus Avantius in præfatione ad Lucretium ex editione Aldi Vincentium appellat anno 1511. *Academicorum, Peripateticorumque dogmatum conciliatorem, nobilissimorum eruditissimum, scientiarum sydus*, ejusque amicitiam memorat cum Valerio Superchio Pisaurensi, cum Petro Bembo Bernardi prætoris filio, & cum Angelo Tiburtino episcopo apostolico ad Venetos legato. Christophorus Marcellus archiepiscopus Corcyrensis Quirinum *literis, virtutibus, ingenio, affabilitate, gratia multum insignem vocat*; mox *etiam vitæ sanctitate præclarum*. Arcta familiaritate adstrictus erat Quirinus cum Nicolao Theupulo doctore, cum Gabriellio, Mauroceno, Gradonico, cum Gaspare Contareno, cum Baptista Egnatio, cum Alberto Carporum principe, & Florentiæ cum Cosmo Pactio archiepiscopo, cum Antonio Puccio, cum Juliano Medicæo, sed arctissima cum Thoma, inde Paulo, Justiniano, cujus exemplo voluntatem suam optime dispositam accendit ad eremiticum institutum capessendum. Mense augusto anni 1511. Venetiis discessit Quirinus cum Sebastiano Georgio, & cum Marco Musuro, qui postremus haud multum alienus erat a vita solitaria amplectenda. Eremum petiit, inde Florentiam divertit anno desinente, ubi literas a religione dissuasorias recepit a Gaspare Contareno, contra quas arma arripuit Paulus Justinianus, sicut etiam arripuit anno sequenti die XII. martii contra eumdem & Theupulum, dilucide demonstrans vel a secunda legatione, quam obivit Quirinus, ipsum in corde suo sibi proposuisse vitam monasticam, quam & penes Cartusianos incolas Montelli nemoris, & penes Pratalienses in territorio Patavinos monachos congregationis sanctæ Justinæ inire cum eodem Justiniano gestiebat. Superatis itaque propinquorum & amicorum certaminibus imperterritus, magnaque in Deum fiducia solitarium institutum amplexus est anno 1512. die XXII. februarii in Camaldulensi laura. Die vigesima-septima junii epistolam scripsit Quirinus una cum Justiniano suo ad Helisabetham Eleonoram Gonzagam Urbini ducissam, ipsam orans, ut apud sanctissimum pontificem Julium II. ageret, quatenus ad sacerdotium non promoverentur, cujus suscipiendi indignos

dignos se arbitrabantur; ad dispensationem hanc obtinendam ipsius ducissæ operam requirebant, neglecto Petro Bembo & archiepiscopo Salernitano (Frederico Fregosio) quorum favore uti possent. In ea epistola salutem dicunt Æmiliæ. Prima die julii Quirinus Egnatium hortatur & obtestatur, ut relictis sollicitudinibus urbis Venetæ se ad eremum conferat, vel vitam eremitarum suscepturus, vel saltem in commissorum numero solitudini vacaturus. Idem agit cum Thoma Strozzio ordinis Prædicatorum residente in conventu sancti Marci de Florentia, ac una cum sociis Camaldulensem eremum petat, conversationemque eremiticam suscipiat, pollicitus se apud pontificem futurum mediatorem, ut ei liceat de uno ad alterum ordinem transire. Interea de eremitico ordine, & de instituto Camaldulensi reformando plura consilia miscuit Quirinus cum Justiniano, quæ cum omnia discussa essent, die XIV. septembris ejusdem anni 1512. iterum opera usus est ducissæ Urbini, supplicem ad ipsam dirigens libellum Julio II. Romano pontifici offerendum, cujus summa est, ut breve apostolicum conficeret Julius, quo præciperetur Petro Delphino priori generali, quatenus postposito concilio Lateranensi, ad quod evocatus fuerat, congregaret ordinis generale capitulum intra octavam Paschæ anni 1513. in quo tum eremus Camaldulensis uniretur congregationi sancti Michaelis, quæ redditus eremi administraret; tum ipse generalis cederet administrationi, quam susciperet prior alter ibidem creandus, atque contentus foret pensione eidem Delphino ab eremo persolvenda. Hoc & Justinianum, hoc & Michaelem reclusum eremitam optime ducissæ cognitos ardentissime cupere & expostulare. Scripsit Quirinus & ad Cosmam Pactium Florentinum archiepiscopum, judicium ipsius summopere expetens, si emerserint controversiæ inter eremitas & inter generalem Delphinum, quem tamen orat, ut *venerabilis senectutis patris nostri majorem semper, quam desideriorum nostrorum rationem habere velis; ejus enim singularis doctrina, morum probitas, vitæ innocentia, paternusque erga nos affectus ita nos sibi devinxit, ut eum, cum quo pugnare videmur apud te, qui inter illum & nos futurus es judex, magis quam nosmetipsos commendatum esse cupiamus.* Sed intermortuus est optimus archiepiscopus ipso capituli generalis tempore, nempe die nona aprilis, cui supremam opem officiaque præstitit ipse Quirinus, ut testis est Alexander Pactius germanus frater antistitis in epistola ad Paulum Justinianum. Johannis item Medicei cardinalis & in Etruria legati, Juliani ejus fratris, aliorumque potentium & doctissimorum virorum favores in Florentina urbe sibi comparavit Quirinus, & defuncto Julio II. aliud apostolicum breve obtinuit pro celebratione capituli generalis ab recens electo Romano pontifice Leone X. Mense itaque aprili habita fuere comitia in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, quorum acta, confirmationemque apostolicam fuse descripsimus anno antecedenti, destinatusque fuit Quirinus cum Justiniano ab eremitis procurator & sindicus in Urbem. Sed antequam ad ipsam accederet, Florentiæ plura tractavit cum Juliano germano fratre pontificis, plura cum cardinalibus, qui scindebant ecclesiam, egit, ut ad unionem cum legitimo Romano pontifice pervenirent, ut liquet ex epistola die prima maji scripta ex monasterio Angelorum ad eumdem Julianum, qui Romam jam se contulerat. Sequenti anno hoc est 1514. die XIV. junii per literas enixissime flagitavit ex Urbe Justinianum, ut removeretur a se onus visitationis, quod sibi imponere meditati erant eremitæ Camaldulenses. Cocum potius, infimumque ministrum coquinæ, quam visitatorem

Ann. Chr. 1514.

rem, quam prælatum, quam rectorem sincerissime se futurum profitetur; *vereor*, subdit, *& abborreo ab officiis & dignitatibus, plusquam credere queas*. Quinta-decima ejus mensis Justinianus ad examen revocat favores patriæ, dispositionem & voluntatem pontificis, impulsus & adhortamenta nobilissimorum & amicissimorum hominum, ut Quirinus pateretur eligi S. R. E. cardinalis, simulque tenacissimum Quirini propositum perseverandi in eremitico instituto, immo se recludendi in cellula. Quibus inter se collatis Justinianus amicum suum dehortatur ab hujusmodi dignitate. Veneta siquidem respublica, pontifex, Julianus pontificis frater summopere avebant, ut Quirinus purpura honestaretur, eo quod totis animi viribus pacem firmasset inter eumdem pontificem & Venetam civitatem. Hinc continua commoratio Quirini vel in pontificio palatio, vel ad sanctum Silvestrum in monte Quirinali. Augebatur de die in dies fama ejus promotionis, ita ut die ultima junii idem Justinianus, qui paucis antea diebus fuerat dehortator, conscientia motus Quirino persuaserit, ut non ultra recusaret cardinalatum, eo quod cum ætatis florentioris esset, multæque doctrinæ, par erat reformandæ ecclesiæ juxta libellum, quem simul pro eadem reformatione conscripserant ad pontificem. Similiter prima junii Quirinus manifestat Justiniano Venetos velle exorare pontificem jam paratissimum ad dandam sibi purpuram. Se requisiisse pluries commeatum ab Urbe, sed pontificem impedivisse, Venetos orasse, ne abscederet. Obtestatur demum Justinianum, ut cum magnifico Juliano agat, quatenus onus tam grave sibi non imponatur, sed permittatur sibi regressus in eremum. Quarta-decima julii scribit, quod cum Hungariæ plebs insurrexerit contra nobiles & ecclesiasticos, pontifex se accersivit iterum, accersivit etiam, ut ageret expeditionem contra Infideles, nemini ipsum pontificem tam fidere, auremque accommodare, quam sibi & Bibienæ (Bernardo scilicet Bibienæ vel Divitio ex nobili Tarlatorum Arretina familia S. R. E. cardinali). Petro Bembo se suspectissimum evasisse, verenti, ne sibi præriperetur cardinalatus a Quirino. Alloquutus est Justinianus Julianum fratrem pontificis, qui ad eremum Camaldulensem accesserat, & dormierat in eadem Justiniani cellula, & protraxit ad sex horas sermonem, unice de Quirino efflagitans, ut Roma sineretur abire, neque dignitatibus ecclesiasticis premeretur. Respondit autem Julianus Quirinum esse gratissimum pontifici, multaque bona operari in Urbe, plurima autem divertere scandala. Nil autem jucundius sibi posse contingere, quam ut Quirinus cardinalatu decoraretur; & hoc dicens illacrymabatur. Ne tamen amicum offendat in re ingrata, se non futurum causam exaltationis Quirini, sed requisitum omnino patefacturum ingens sui desiderium, ut cardinalis fiat. Vigesima-septima augusti per Dominicum cardinalem Grimanum Veneti ferventius expetiere a pontifice electionem Quirini ad purpuram. Orator Gallicus, etiam ipse denominandus, urgebat. Bembus conquerebatur, quod dolose Quirinus sibi abstulisset prædam. Instabat Quirinus & petebat profectionem ab Urbe; Veneti & pontifex obdurantur, ne Quirinus discedat. In re tam gravi nullos sibi suppetere consiliarios quid sibi sit agendum, præter Bonsium & archiepiscopum Jaderensem (Franciscum Pisauro). Volebat Quirinus alloqui pontificem & deprecari, ne se cardinalem crearet, sed statim subverens, ne callidum videretur subterfugium, in tempus aliud, scribit, se reservasse patefacere apertum dissensum suum. Confusus omnino & nescius quid consilii caperet, cupiebat dissolvi & esse cum Christo; metuebat gravissimum dignitatis pondus, ac pro certo tenebat Leonem

nem pontificem mitioris, sed tardioris ingenii futurum persecutionibus obnoxium, cum eo pati avebat, de sua vero infirmitate conscius dubitabat, & mallebat se ab Urbe subtrahere. Demum exorat Justinianum, ut preces effundat apud Deum, Jesum-christum, ejusque sanctissimam matrem, quatenus mors laqueos hujusmodi, quibus est irretitus, conterat; Michael quoque reclusus Deum oret. Epistolam claudit, certiorem faciens Justinianum de sua optima valetudine, licet bis in hebdomada pane & aqua contentus victitet, ceteris vero diebus semper abstineat ab esu carnium. Atque hæc fuit postrema Petri Quirini epistola ad fidum amicum suum Justinianum scripta. Famuli, & famulorum suorum vota & preces audivit Deus. Jam infirmabatur, jam moriebatur optimus eremita Petrus, ut superius diximus. Jnter amplexus ejusdem Justiniani, qui admonitus de lethali morbo Quirini, celerrime se in Urbem contulerat, decessit die XXIII. septembris, honorifice humatus in ecclesia sancti Silvestri apud patres Prædicatores.

Justinianus, qui omnium secretorum Quirini erat conscius, post hujus mortem donatus fuit a ceteris eremitis quodam horologio arenario, qui ad usum fuerat ejusdem Quirini. Quæ super eo horologio scripsit Justinianus, in medium proferimus pro coronide; signant enim vitæ memorabiliora Petri Quirini. *In quodam*, inquit, *arenario horologio, quo utebatur illustrissimus vir Vincentius Quirinus, qui mihi, dum ambo adhuc in seculo versabamur, a teneris annis incomparabili amicitiæ vinculo conjunctissimus fuerat, & postmodum in hac eadem, in qua & ego, sacra Camaldulensi eremo ad religionem conversus Petrus fuit eremita, omnium virtutum speculum, & religiosæ vitæ singulare ornamentum, quod post ejus felicissimum ad Dominum transitum mihi quasi quoddam dilectissimi fratris monumentum concessum fuit, hæc, quæ subjiciam, scripta sunt, quæ quidnam significare velint, ipse mihi, cum quo omnia arcana pectoris communicabat, declaravit. Curavi vero ego hic scribere & declarationes addere, ut si quando illud, ut fieri solet, casu aliquo deperiret horologium, hæc non simul interirent, quæ mihi volenti, si vita comes erit, aliquando ejus vitam admirabilem scribere valde futura sunt opportuna & pene necessaria.*

Ab incarnatione 1501. die XXIII. octobris C.

Hujus vero scripturæ talis est significatio ejus, scilicet: Anno 1501. *ab incarnatione Domini die* XXIII. *octobris Castitatem servare proposuisse aut vovisse, quam & me servare suasit.*

1508. die X. januarii O.

Anno 1508. *die* X. *januarii incepisse quotidie saltem per unius horæ spatium mentali vacare Orationi.*

1509. die XVIII. octobris O.

Anno 1509. *die* XVIII. *octobris cepisse divinum Officium quotidie dicere, hoc me, fateor, suadente.*

1510. die XXV. maji C.

Anno 1510. *die* XXV. *maji cepisse Cilicium deferre me suadente.*

1510. die XIV. augusti C.

Anno 1510. *die* XIV. *augusti celebrata generali confessione cepisse semel in mense Confiteri.*

1512. die XXII. februarii H.

Anno 1512. *die* XXII. *februarii sanctæ religionis Habitum in hac ipsa Camaldulensi eremo me inspectore suscepisse.*

1512.

Ann. Chr. 1514.

1512. die VIII. augusti P.

Anno 1512. *die* VIII. *augusti in sancta religione atque eremitica vita sollemnem & publicam Professionem emisisse, me quidem eadem die professionem una emittente.*

His addam ego, quod ipse scribere non potuit.

Anno 1514. *die* XXIII. *septembris felicissimam in Domino dormitionem suscepisse Romæ, cujus sanctissimi transitus ego spectator esse merui. Vixit annos triginta-quinque; In religione vero tres & menses septem.* Error exscriptoris, lege *duos & menses septem.*

Sciat vero quicumque hæc legerit ipsum magni animi virum non facile, neque temere unquam hæc aut alia decrevisse, proposuisse, sed matura prius habita consideratione; quod vero semel facere decernebat, statuebatque, nunquam postmodum dimisisse, nunquam a proposito declinasse; unde hæc ipsa, ut de aliis multis ejus taceam, cum semel facere instituit, usque ad ultimum vitæ exitum inviolabiliter servavit, sed & auxit, sed & perfectiora multa addidit, quæ legitimo, si Deus concesserit, opere alias explicabimus, quibus cognoverint omnes secula nostra nullum habuisse, quem possint, vel dum secularem vitam duxit Vincentius Quirinus, vel postquam religionem professus est, Petro eremitæ conferre, adeout in utroque vitæ genere emicuerit, & longo intervallo omnes sui seculi viros præcesserit, in extremo vero vitæ munere seipsum non secus obeundo superavit, quem vivendo omnes ætatis suæ mortales superasse visus est, Sed & hoc latere non volo, me cum diu ejus admirabilissimam & sanctissimam vitam, & omni admiratione & veneratione dignissimum transitum literis mandare distulisse non aliam ob causam, nisi quia magnitudo & multitudo rerum ab eo præclarissime gestarum meæ mediocritatis vires deterrere solet, cum vix valeam ejus præclara in utroque vitæ genere opera vel colligere, sed de Domini auxilio ejus intercedentibus meritis & precibus non diffido, quamvis sentiam impar viribus meis pondus esse tam illustrem, tam sanctam, tam admirabilem vitam vel obitum describere. Frater Paulus eremita. Stimulos addidit Justiniano etiam Paulus Orlandinus, ut vitam exararet tum ipsius Quirini, tum Pauli Canalis monachi sancti Michaelis de Muriano; sed eas incassum quæsivimus, & Justinianus vel non potuit eas scribere, vel in angulo aliquo delitescunt. Alexander Pactius frater Cosmæ archiepiscopi Florentini scribens eidem Paulo die XVI. octobris graviter tulit obitum Quirini *propter ejus innumeras pene & singulares virtutes, sine quo sibi videtur eremus Camaldulensis altero lumine orbata, immo ecclesia universa.* Hæc de Quirino colligere placuit, ne ipsius gloria obfuscaretur ob defectionem pene manifestam, quam prænarravimus, a Petro Delphino priore generali. Ceterum eo sensu, quo elicitur ex mox allatis epistolis, intelligenda est dignitas cardinalitia, quam designatam Quirino a pontifice Leone X. asserunt Lucas Hispanus, Thomas Minius, Heredia, Victorellus, Vincentius Coronellus, & plerique alii scriptores.

XXIV. Leonis X. variæ bullæ pro congregatione & monasteriis Camaldulensibus.

Ultima martii pontificatus anno II. Leo X. vicario & visitatoribus eremi, & congregationis sancti Michaelis scribens derogat alteri suo brevi, quo videbatur Delphino tribuisse jurisdictionem in Fontem-bonum & in Camaldulum-Florentinum, decernitque, ut in ea monasteria jus resideat penes vicarium generalem, robur novum adjiciens iis, quæ per dictum vicarium & visitatores facta fuerant.

Denuo die XXVII. aprilis pontificatus sui anno secundo iisdem potestatem facit absolvendi monachos suos ab omni irregularitate, præterquam ex

ex causa homicidii, ne monachi cogerentur ad Romanam curiam accedere, vel impetrare literas apostolicas cum incommodo & detrimento. Item promovendi quotannis quatuor monachos ad presbyteratus ordinem, qui vigesimum secundum ætatis annum attigerint.

Ann. Chr. 1514.

Die quinta julii pontificatus anno secundo iterum confirmavit uniones factas monasteriorum, & copiam fecit iisdem vicario & visitatoribus imponendi pensiones monasteriis ditioribus solvendas indigentioribus; permittendi alienationes & permutationes bonorum immobilium, quæ non excederent sex ducatos auri; concedendi participationes bonorum spiritualium congregationis singulis benefactoribus tum ordinis, tum singularium monasteriorum; statuendi, ut eremitæ professi, licet in sacerdotio non constituti, vocem activam & passivam haberent in capitulis. Adjecit demum eremo Camaldulensi eadem lege, qua anno præterito, monasteria sancti Angeli de Vergareto, & sanctæ Agathæ de Monte-herculis, & ecclesiam sancti Salvatoris de Pupio per cessum vel decessum ea obtinentium; & quod cum uniones factæ fuerint monasteriorum, obligatio in camera apostolica de solvendo Quindennio eidem cameræ ratione hujusmodi unionis debito, infra sex menses fieret. Die XXIX. septembris concessit iisdem, ut possent uti aliquibus fructibus monasterii Camalduli-Florentini, licet ipsum ex unito evasisset principale monasterium, ad exsolvendam pensionem priori generali Delphino. Die V. julii facultatem fecit autem abbatibus & prioribus Camaldulensibus alienandi bona, quæ non excederent valorem sex ducatorum auri, ex archivo sancti Michaelis [a].

[a] Caps. 2. n. 7.

Septimo idus martii committit Johanni-baptistæ Pallavicino referendario, & episcopo Cavallicensi, ac vicario episcopi Foro-liviensis, ut Bernardino Francisci de Rupere Faventino monacho Camaldulensi, possessionem tradant monasterii sanctæ Mariæ prope Foro-livium, & ejus adnexi prioratus sancti Johannis-evangelistæ ejusdem urbis, quæ beneficia obtinebat in commendationem Franciscus episcopus Tiburtinus, qui sponte in manibus pontificis monasterium sanctæ Mariæ cesserat; ex tabulario sancti Romualdi de Urbe.

Die tertia novembris Parisius Tarvisinus vicarius generalis congregationis, & Bernardus de Pistorio visitator, absente Paulo Justiniano altero visitatore, unierunt monasterio sancti Mathiæ de Muriano, priore ibidem existente Mansueto Bergomensi, cœnobia sancti Johannis-baptistæ de Fossa-clodia, & sanctæ Mariæ de Rhua diœcesis Patavinæ, amotis inde prioribus, qui eatenus consueverant eligi a capitulo monasterii sancti Mathiæ. In capitulo autem generali celebrato mense majo hujus anni in monasterio Fontis-boni Justinianus præsidens capituli cum ceteris definitoribus unierant eidem cœnobio sancti Mathiæ monasterium sancti Michaelis de Lemo in Histria, ipsum separantes ab illo sancti Michaelis de Muriano, sicut etiam prioratum sanctæ Mariæ de Orbisio Paduanæ diœcesis separaverant a monasterio sancti Mathiæ, & addixerant illi sancti Michaelis.

Dominicus de Cupis perpetuus abbas commendatarius abbatiæ seu monasterii sanctæ Crucis Comitum de Saxo-ferrato ordinis sancti Benedicti Camerinensis diœcesis confert parœciales ecclesias simul unitas, subjectasque eidem abbatiæ, sancti Nicolai de Doleo, sancti Stephani de Sementano, sanctæ Mariæ de Cerro, sancti Johannis de Inferno, sanctæ Mariæ de Corbis & sancti Ciriaci Nucerinæ diœcesis Polydoro de Vecchiis monacho ejusdem monasterii. Datum Romæ extra pontem castri sancti Angeli anno M. D. XIV. indictione II. die VI. decembris pontificatus Leonis X. anno secundo; ex tabulario sancti Romualdi de Urbe.

In

Ann. Chr. 1514.

In necrologio Font-avellanensi ad diem XXI. novembris sub hoc anno legitur: *Obiit domina Johanna Feltria Senogalliæ prophetissa devota nostra.*

Leo X. concessit hoc anno die X. julii Philippo Martinelli abbati sancti Hippolyti de Faventia uti posse pontificalibus, mitra & anulo, benedictionemque impartiri populo.

Cardinalis Sixtus a Ruvere locat abbatiam sanctæ Mariæ de Agnano, & sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii Aloysio de Gaddiis die XXII. martii. Anno 1540. Johannes de Gaddiis decanus cameræ apostolicæ erat commendatarius abbatiæ de Silva-munda diœcesis itidem Arretinæ, ex archivo Gaddiano fasciculis V. & VI. numero 6. 5.



APPEN-




APPENDIX

TOMI SEPTIMI

ANNALIUM CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.



I.

Delegatio pontificia Paulo Venerio abbati S. Michaelis de Muriano pro Martino archiep. Corphiensi.

Anno 1431. III. kal. maji.

Ex autographo sancti Michaelis de Muriano.



Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Michaelis de Murano Torcellane, ac sancti Johannis Chrysostomi & sanctorum Apostolorum de Venetiis Castellane diocesis plebium plebanis salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Martinus archiepiscopus Corphiensis petitione monstravit, quod nonnulla pecuniarum quantitates, jocalia, vasa aurea & argentea, necnon alia mobilia & immobilia bona per bone memorie Georgium archiepiscopum Corphiensem dicti Martini archiepiscopi predecessorem tempore sui obitus relicta, & ad mensam archiepiscopalem Corphiensem legitime spectantia ad diversas personas pervenerunt, que testamentarie dispositioni, quam prefatus Georgius archiepiscopus fecisse dicitur, & aliis captatis occasionibus innitentes ipsi Martino archiepiscopo ad opus ejusdem mense pecuniarum quantitates, jocalia, vasa & bona hujusmodi deliberare & tradere indebite contradicunt, in ipsorum Martini & mense prejudicium non modicum atque damnum. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis personis predictis, etiamsi ecclesiastice & quotcumque numero sint, ac aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota decernatis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXI. III. kal. maji pontificatus nostri anno primo.

Jo. de Collis.

II.

II.

Electio hospitalarii S. Danielis de Padua facta ab abbate Carcerum.

Anno 1431. xv. septembris.

Ex autographo dicti monasterii.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. XXXI. indictione IX. die sabbati xv. mensis septembris in ecclesia abbatie sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis, presentibus nobili viro domino Hieronymo filio quondam domini Matthei de Sandellis de Venetiis habitatore civitatis Venetiarum in contrata .... Guasparino cribellatore filio magistri Petri barbitonsoris de Noventa habitatore ville Novente Vincentini districtus, Gallo filio quondam Johannis de Xagabria habitatore in contrata Carcerum districtus Este territorii Paduani testibus ad hec habitis, rogatis & specialiter convocatis & aliis. Ibique rev. in Christo pater domnus Franciscus de Sandellis de Venetiis Dei & apostolice sedis gratia abbas abbatie sancte Marie de Carceribus ordinis Camaldulensis de consensu & voluntate omnium venerabilium fratrum & monachorum suorum presentialiter in dicta abbatia existentium ibidem congregatorum, qui fuerunt primo domnus frater Michael de Venetiis, domnus frater Nicolaus de Abbatia, domnus frater Johannes de Cargne, domnus frater Jacobus de Comis, domnus frater Nicolaus de Sansogna, domnus frater Martinus de Tarvisio, & domnus frater Columbanus de Gadio conversus, & protestarunt de presenti in dicta abbatia nullos alios fratres esse vocem habentes. Considerans, quod necesse est providere de uno priore, qui possit & valeat continue superesse atque providere hospitali pauperum & miserabilium personarum recipiendorum in hospitali & loco sancti Danielis de Padua antiquitus deputato ad tenendum hospitalitatem pauperum dietim supervenientium in eodem, quod hospitale diu caruit priore, & propter prioris carentiam fuit quodammodo desolatum, Volensque igitur salubriter providere, & confidens de prudentia & sollicitudine ven. fratris Leonardi de Utino dicti ordinis omnibus modo, jure &c. cum uno annulo, quem suis tenebat in manibus per se successoresque suos & nomine dicte abbatie investivit dictum domnum fratrem Leonardum de Utino ibidem presentem, & cum qua decuit reverentia acceptantem de dicto prioratu dicti hospitalis sancti Danielis de Padua in ipsius fratris Leonardi vita, ac ipsum hospitale eidem contulit regendum & gubernandum cum omnibus & singulis suis domibus, locis, bonis mobilibus & immobilibus, juribus & jurisdictionibus spiritualibus & temporalibus quibuscumque ad ipsum hospitale & locum sancti Danielis de Padua spectantibus & pertinentibus quomodocumque. Quod quidem hospitale fuit & est unitum cum dicta abbatia sancte Marie de Carceribus per quondam rev. in Christo patrem & dominum dominum Raymundum Dei & apostolice sedis gratia episcopum Paduanum de consensu & voluntate capituli dominorum archipresbyteri & canonicorum majoris ecclesie Paduane, prout de dicta unione patet & constat publico instrumento scripto sub signo & nomine Mundi quondam ser Dominici de Padua de contrata Domi publici notarii & officialis cancellarie prefati domini Raymundi episcopi Paduani in M. CCC. LXXXI. indictione IV. die jovis V. mensis septembris a me notario infrascripto viso & lecto. Ita ut a modo dictus domnus frater Leonardus sine aliquo contradictionis obstaculo prefati domini abbatis & monachorum dicte abbatie sancte Marie de Carceribus suorumque successorum aut cujuscumque alterius persone possit tenere, gubernare & reformare ipsum hospitale & domos cum omnibus suis possessionibus &c.

Ego Albertus filius quondam ser Francisci de Galzignanis de Este habitator terre Este in contrata sancti Martini publicus imperiali auctoritate notarius his omnibus presens fui, & rogatus scripsi.

Pendet sigillum cereum cum verbis: Sigillum Francisci de Sandellis prioris sancte Marie de Carceribus.

III.

Electio Ambrosii monachi in priorem generalem Ordinis Camaldulensis.

Anno 1431. XXI. octobris.

Ex tabulario Fontis-boni.

JOhannes miseratione divina tituli sancti Petri ad Vincula S. R. E. presbyter cardinalis Hispalensis vulgariter nuncupatus, universis & singulis presentes literas inspecturis & audituris salutem in Domino. Notum facimus, quod sanctissimus

simus in Christo pater & dominus noster dominus Eugenius divina providentia papa quartus nobis, quatenus nos personaliter ad monasterium Fontis-boni Arretine diocesis, quod principalius est ordinis Camaldulensis, ubi capitulum generale ejusdem ordinis celebrandum erat, conferremus, & ipsi capitulo auctoritate ejusdem domini nostri pape preessemus, ipsumque dirigeremus, ordinaremus, & disponeremus atque provideremus, que omnia & singula in eo salubriter & sincere statuerentur & ordinarentur ad honorem Dei, ejusque ecclesie ac dicti domini nostri pape & apostolice sedis obsequium debitum & devotum, ipsius quoque ordinis bonum regimen, tranquillitatem & pacem suis certi tenoris literis quibusdam modis & formis in eisdem literis plenius contentis commisit & mandavit, & deinde per quasdam alias suas literas apostolicas nobis liberam facultatem fecit, quatenus generalem priorem dicti ordinis, si id nobis pro bono reformationis & regiminis ipsius ordinis expediens videretur, ab ejus officio generalis prioratus auctoritate apostolica absolvere ac deponere & amovere, ac alium idoneum & sufficientem generalem priorem, prout nobis pro statu & conservatione ordinis predicti visum foret, ponere, deputare, & institutum cum ea potestate & facultate, qua alii generales priores hactenus fuerunt, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam & alia juris remedia compescere possemus, concessit facultatem, prout hec & alia in eisdem literis plenius continentur; quarum literarum unius tenor sequitur talis.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni tituli sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali salutem & apostolicam benedictionem. Cum generale capitulum ordinis Camaldulensis in monasterio Fontis-boni Arretine diocesis, quod est principale dicti ordinis monasterium, sit de proximo celebrandum, nos, qui eum ordinem inter ceteros religiosos ordines paterna caritate prosequimur, cupientes, ut per abbates, priores, officiales & monachos in dicto capitulo congregatos juxta dicti ordinis instituta talis reformatio fiat, que Deo accepta, nobis grata & ipsi ordini conveniens existat, ac christiano populo fructuosa, de tua circumspectione & sapientia in arduis nostris & Romane ecclesie negotiis comprobata sumentes in Domino fiduciam specialem, de consilio venerabilium fratrum nostrorum ejusdem Romane ecclesie cardinalium, tibi, qui etiam ipsius ordinis protector per sedem apostolicam deputatus existis, tenore presentium committimus & mandamus, quatenus personaliter te conferens ad monasterium predictum, ipsi capitulo auctoritate nostra presis, ipsumque pro tua prudentia dirigas, ordines & disponas, ac salubri maturitate provideas, quod omnia & singula salubriter & sincere statuantur, & ordinentur ad honorem Dei ejusque ecclesie, ac nostrum & apostolice sedis obsequium debitum & devotum, ipsius quoque ordinis bonum regimen, tranquillitatem & pacem. Nos enim tibi dirigendi, disponendi, statuendi, precipiendi, mandandi, que pro ipsius ordinis ac personarum in eo degentium utilitate divinique cultus augmento utilia cognoveris seu etiam opportuna, & quoscumque transgressores puniendi, corrigendi, officiis & beneficiis privandi, absolvendi, ponendi, deponendi, amovendi, approbandi, reprobandi, procedendi, judicandi & exequendi, prout utilitas ingerentium negotiorum exegerit, voces quoque abbatum, priorum ceterorumque dicti ordinis officialium absentium vel alias commode interesse non valentium supplendi, ac dictum ordinem reformandi tam in capite, quam in membris. Contradictores *&c.* Mandantes in virtute sancte obedientie & sub penis excommunicationis, suspensionis & privationis monasteriorum, prioratuum, beneficiorum ac officiorum suorum quorumlibet, & omnium actuum legitimorum dilectis filiis generali priori, ac abbatibus, prioribus, ceterisque officialibus & monachis in dicto capitulo congregatis, quatenus tibi in omnibus, que ad reformationem ordinis & personarum predictorum quomodolibet spectant, pareant & intendant. Nos enim sententias sive penas quascumque inflixeris sive tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Constitutionibus apostolicis ac statutis dicti ordinis juramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXI. XII. kal. septembris pontificatus nostri anno I.

Alterius vero litere tenor sequitur sub his verbis.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni tituli sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali salutem & apostolicam benedictionem. Cum te ad capitulum generale ordinis Camaldulen-

dulensis, quod in monasterio Fontis-boni dicti ordinis Arretine diocesis debet de proximo celebrari pro ipsius ordinis ac personarum in eo degentium reformatione & correctione, presidentem & reformatorem duximus deputandum, prout in literis nostris desuper confectis latius continetur; nos volentes ut eo promptius ac melius ad reformationem hujusmodi vacare possis, quo majori per nos fueris facultate & potestate munitus, tibi generalem priorem dicti ordinis, si id tibi pro bono reformationis & regiminis ipsius ordinis expediens videbitur, ab ejus officio generalis prioratus auctoritate apostolica absolvendi ac deponendi, & amovendi, & alium idoneum & sufficientem, prout tue prudentie pro statu & conservatione ordinis visum fuerit, ponendi, deputandi & instituendi cum ea potestate & facultate, qua alii generales priores hactenus usi fuerunt, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, & alia juris remedia appellatione postposita compescendi, plenam & liberam auctoritate prefata tenore presentium concedimus facultatem. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M.CCCC.XXXI. XII. kal. septembris pontificatus nostri anno I.

Quarum quidem literarum vigore nos ad dictum monasterium Fontis-boni contulimus; & deinde ad civitatem Bretenoriensem in monasterio sancte Marie de Urano extra muros dicte civitatis predicti ordinis de consilio & voluntate generalis, abbatum & priorum de dicto monasterio Fontis-boni certis de causis legitimis ad hoc nos moventibus dictum capitulum generale celebrandum duximus transferendum & transtulimus, dictoque capitulo prefecimus, ac ipsum direximus, ordinavimus, & disposuimus, necnon circa omnia & singula occurrentia pro nostra possibilitate providimus, quatenus salubriter & sincere statuerentur & ordinarentur ad Dei honorem ejusque ecclesie, ac dicti domini nostri pape & apostolice sedis obsequium debitum & devotum, prefatique ordinis bonum regimen, tranquillitatem & pacem, sed & etiam in, & circa omnia & singula in premissis ingerentia negotia, que nobis in, & circa & ea, & quodlibet eorum necessaria seu quomodolibet opportuna videbantur, dicta auctoritate directionem adhibuimus, disposuimusque, statuimus, precepimus, & ea que pro dicti ordinis ac personarum in eo degentium utilitate, divinique cultus augmento utilia seu etiam opportuna cognovimus, fieri mandavimus. Et cum ad predictarum commissionum mandati & facultatis executionem ulteriorem ac prefati ordinis in capite reformationem transiremus, religiosus vir frater Benedictus dicti ordinis generalis prior suum prioratum & officium generalatus dicti ordinis & omni juri dependenti a dicto officio in manibus nostris libere renuntiavit & resignavit, & similiter omni per eum interposite, vel que per eum interponi posset, remedio appellationis expresse renuntiavit. Quam resignationem dicta nobis commissa auctoritate admittentes eumdem fratrem Benedictum resignantem secundum suorum priorum votorum petitionem ad monasterium sancte Marie de Angelis de Florentia pro conventuali monacho ipsius monasterii transtulimus, & nihilominus de dilecti nostri religiosi viri fratris Ambrosii ordinis & monasterii de Angelis predicti professoris, quem cum ad eum nostram direxerimus perquisitionis sollicitudinem, invenimus hominem integre vite & zelatorem religionis & singularis meriti florere virtute, cujus exemplo comprobati hos, quos sua caritas amplexa foret, sue religionis professores verba & exemplo instrui, aliosque ad pie & sincere devotionis & fidei augmentum cum salute introduci posse religionis zelo, exacta vita, & observantia regulari plenam & indubitatam notitiam habentes, ipsum de plurium devotorum dicti ordinis professorum & fratrum libero consilio & assensu toti ordini Camaldulensi, & omnibus abbatibus, prioribus, prepositis, officialibus, conventibus, fratribus & monasteriis tam in spiritualibus, quam in temporalibus priorem generalem prefecimus, fecimusque, statuimus & ordinavimus, ac prioratum generalem ordinis & aliorum predictorum dicta auctoritate sibi contulimus & assignavimus, conferimusque & assignamus per presentes, ipsumque presentem id volentem & acceptantem in & ad corporalem realem & actualem possessionem eorumdem posuimus & induximus, ac ponimus & inducimus, investiendo eum per dictarum literarum apostolicarum ad manus traditionem corporaliter de eodem. Quo circa omnibus & singulis dicti ordinis monasteriorum & conventuum abbatibus, prioribus, prepositis, officialibus, fratribus & conventibus presentibus & posteris, & aliis quibuscumque vassallis, enfiteotis, terrasque aut bona a dicto ordine vel aliquo monasteriorum, prioratuum & officiorum ipsius tenentibus, ceterisque de jure vel consuetudine ipsius prioratus generalis

subditis tenore presentium in virtute sancte obedientie, & sub excommunicatione & aliis penis, ac juris remediis, quas & que in eos & eorum quemlibet, nisi faciant, que mandamus & fecimus in his scriptis districte precipientes mandamus, quatenus ipsum fratrem Ambrosium in priorem generalem dicti ordinis in omnibus & per omnia recipiant, habeant & teneant, & etiam sicut consuetum fuit, ac suis mandatis, voluntatibus, preceptis & commissionibus, ordinationibus & statutis obtemperent, votumque religionis & monastice professionis sibi reddant cum obedientia salutari, mandantes similiter & volentes, quatenus sibi vel procuratori suo ejus nomine de omnibus & singulis fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus ac emolumentis universis dicti prioratus, rerumque & bonorum, possessionum, jurisdictionum & dominiorum ecclesiasticorum, regularium, secularium & temporalium, presentium & futurorum integre respondere ei debere & responderi, computumque, calculum & rationis assignationem faciant juxta suam voluntatem & mandatum rationis & equitatis; dantes sibi omnem & totalem, que priori generali dicti ordinis competit & competere poterit, aut quomodolibet tam de jure, quam de consuetudine vel privilegio competit & competere poterit jurisdictionem, dominium, merum & mixtum imperium, proprietatem, correctionem, exactionem & jus, ac ipsorum plenum & liberum exercitium in spiritualibus cum ea potestate & facultate, qua alii generales priores hactenus fuerunt, & tunc etiam ab eodem fratre Ambrosio priore generali fidelitatis & obedientie devotionisque debitarum pro sancta Romana ecclesia & domino nostro papa, ac successoribus suis Romanis pontificibus canonice intrantibus, & nobis, totique ordini suo, & quod ipsum ordinem juxta sibi a Deo datam directionem & prudentiam tam in personis, quam in bonis bene & utiliter reget & dispensabit, & bona debite administrabit, necnon immobilia & pretiosa mobilia bona ipsius non vendet, distrahet, neque alienabit, seu vendi, alienari vel distrahi faciet, aut permittet absque apostolice sedis licentia & consensu, bonaque & proprietates, res, dominia & jura ipsius ordinis quomodolibet distracta vel alienata pro posse recuperabit. Regimenque & gubernamen dicti ordinis fideliter exercebit, proprium & corporale in manibus nostris & in forma juris prestitum recepimus juramentum, & alia in talibus solita & consueta juramenta, & sic eum Deus juvet & sancta Dei evangelia. Que omnia & singula omnibus & singulis, quorum interest vel intererit quomodolibet in futurum conjunctim & divisim intimamus, insinuamus & notificamus, & ad eorum notitiam deducimus & deduci volumus per presentes. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium premissorum presentes nostras literes per notarium publicum, secretariumque nostrum infrascriptum subscribi & publicari mandavimus, nostrique sigilli jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in supradicto monasterio sancte Marie de Urano extra muros Brittonorienses nobis inibi in capitulo generali predicto auctoritate apostolica presiden. sub anno Domini M. CCCC. XXXI. indictione IX. die vero sabbati XXI. mensis octobris pontificatus prefati domini nostri pape Eugenii IV. anno I. presentibus ibidem religiosis & discretis viris domnis Johanne de Sicilia priore sancti Pauli extra muros Urbis ordinis sancti Benedicti, & Dominico Sanctis de Bibbiena decretorum doctore dicti ordinis Camaldulensis procuratore testibus ad premissa vocatis & specialiter rogatis.

† Ego Rodericus Gundisalvi de Montellos clericus Burgensis diocesis publicus apostolica auctoritate notarius, judexque ordinarius, reverendissimi patris domini mei Johannis cardinalis prefati secretarius premissis cessioni, resignationi, admissioni, provisioni & institutioni, omnibusque aliis & singulis, dum sic agerentur & fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi, audivi & in notam recepi, indeque hoc presens publicum instrumentum manu alterius scriptum extraxi, & una cum ejusdem domini mei cardinalis appensione sigilli signo meo solito signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium, & singulorum premissorum.

IV.

Donatio facta a Nicolao marchione Estensi monasterio Carcerum.

Anno 1432. XI. martii.

Ex collectionibus abbatis Cannetii.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. XXXII. indictione VIII. die martis XI. mensis martii in

in abbatia sancte Marie de Carceribus Paduane diecesis in thalamo deputato pro persona reverendissimi in Christo patris domini abbatis infrascripti, presentibus domno Augustino filio quondam Luisii de Conrello habitatore in villa Gadii districtus Este, Bonaventura filio quondam Johannis de Padua habitatore Este testibus rogatis. Ibique nobilis vir dominus Christophorus filius quondam domini Jacobi de Condulmeriis de Venetiis camerarius in Este & procurator illustris & magnifici domini domini Nicolai marchionis Estensis, ut patet publico instrumento procure scripto manu Pauli filii quondam Jacobi de Sardis publici notarii Ferrariensis ac notarii camere prefati domini anni M. CCCC. XXIV. indictione II. die XXIII. mensis januarii a me notario infrascripto viso & lecto, volens exequi tenorem literarum dicti domini sigillatarum sigillo in cera viridi, quarum tenor talis est. Nicolaus marchio Estensis *&c.* Carissime noster. Exhibitam nobis supplicationem pro parte ven. patris domini abbatis monasterii de Carceribus ordinis Camaldulensis situati in diocesi Paduana, necnon fratrum ejusdem monasterii tibi mittimus iis inclusam; & considerantes, quod monasterium istud ab illustribus progenitoribus nostris fundamentum habuit, dotatumque & privilegiatum fuit de bonis & gratiis suis, quorum vestigia imitari nos decet, attendentesque juspatronatus, quod in ipso monasterio habemus, deliberavimus nos erga prefatos ven. abbatem & fratres reddere gratiosos. Volumus igitur, attentis premissis, ut eis nostro nomine facias inter vivos donationem puram & liberam per nos & successores nostros de directo dominio & proprietate hujus perie terre, de qua in dicta supplicatione fit mentio, & de omni jure, quod nos & camera nostra haberemus & habere possemus in ea, & hoc per publicum & authenticum nostrum validandum & roborandum clausulis, capitulis & solemnitatibus consuetis & opportunis. Ferrarie die XXIII. decembris M. CCCC. XXXI. A tergo autem dictarum literarum: Egregio viro Christophoro Condulmerio camerario nostro Este. Tenor supplicationis in dictis literis incluse est. Illustrissime dominationi vestre supplicatur pro parte reverendissimi in Christo patris fratris Francisci de domo Sandelli abbatis monasterii de Carceribus ordinis Camaldulensis in diocesi Paduana situati, necnon pro parte fratrum suorum ejusdem monasterii, quatenus de speciali gratia dignemini eidem abbati & monasterio quamdam petiam terre vineate sex seminis duorum sextariorum grani vel circa ad mensuram Paduanam locare, seu aliquo quovis titulo perpetuo dictam petiam terre dare & concedere, prout eidem illustrissime dominationi vestre videbitur & placuerit, & hoc maxime considerato, quod dicta petia terre juxta fores monasterii predicti confinata undique est a bonis & possessionibus dicti monasterii *&c.* *Sequitur concessio facta a dicto Christophoro Condulmerio nomine marchionis Nicolai. Dictis millesimo &c. suprascriptus abbas intravit tenutam &c.*

Ego Albertus filius quondam Francisci de Galignanis de Este habitator terre Este in contrata sancti Martini publicus imperialis notarius iis omnibus interfui, & rogatus scripsi.

V.

Electio rectoris ecclesiæ sancti Quirici de platea Firmi.

Anno 1432. III. julii.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

IN nomine Domini M. CCCC. XXXII. indictione X. tempore domini Eugenii pape IV. & die III. mensis julii ven. & honestus vir domnus Angelus Balderii prior monasterii sancti Leonardi de Volubrio districtus terre Montis-fortini, ad quem ...... membrorum dicti monasterii ex antiqua consuetudine pertinet & spectat confirmatio prioratus, rectorie & beneficii ecclesie sancti Quirici de platea de Firmo, unde visa primo electione & nominatione de provido & honesto viro domno Bartholomeo Dominicutii de Eugubio monacho monasterii sancte Crucis Fontis-avellane & priore ecclesie sancti Juliani de Firmo facta per honestum & religiosum virum domnum Petrum Mariani priorem ecclesie sancti Petri de Apedone, & domnum Franciscum Cole priorem ecclesie sancti Quirici de Cupedone comitatus Firmi *&c.* & considerata sufficientia & legalitate ipsius domni Bartholomei *&c.* idem domnus Angelus acceptavit, confirmavit, & approbavit *&c.* Actum in domo ecclesie sancte Marie de Mart. posita in Monte-fortino juxta domum filiorum Martini *&c.* presentibus domino Jacobo Francisci priori ecclesie sancti Salvatoris de sancto Angelo in Pontano, domino Antonio Angeli *&c.* testibus *&c.*

Et

Et ego Marinus Amatutii de Montefortino &c. notarius &c. scripsi &c.

VI.

Altera electio prioris S. Luciæ de Ancona facta ab Ambrosio priore generali.

Anno 1432. XVII. decembris.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine anno Domini millesimo quatrigentesimo trigeximo-secundo indictione undecima tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Eugenii divina Dei providentia pape quarti die XVII. mensis decembris actum in monasterio Fontis-boni prope sanctam Camaldulensem eremum in palatio habitationis & residentie infrascripti domini generalis, presentibus ven. viris domno Bernardo Antonii de Mediolano eremita dicte eremi, donno Eustachio Francisci abbate monasterii Vallis-castri de Fabriano, & fratre Antonio Cyani de Florentia converso dicti monasterii Fontis-boni testibus ad hec vocatis, habitis & rogatis. Omnibus innotescat per hujus plubici seriem instrumenti, quod vacante monasterio sancte Lucie de Ancona diocesis Anconitane per acceptationem alterius beneficii factam per donnum Federicum ultimum & immediatum priorem dicte ecclesie sancte Lucie, de qua constare dicitur publica scriptura. Cujus institutio & destitutio, & quelibet alia dispositio ad sanctam Camaldulensem eremum manualiter & pleno jure dignoscitur pertinere. Reverendissimus in Christo pater & dominus frater Ambrosius prior sancte Camaldulensis eremi & totius ejusdem ordinis generalis, nolens quod dictum monasterium ex rectoris carentia patiatur in spiritualibus vel temporalibus detrimentum, ad honorem Dei & beate Marie virginis matris ejus & omnium Sanctorum & Sanctarum celestis curie & nominatim sancte Lucie, sub cujus vocabulo noscitur dictum monasterium insignitum, & ad reverentiam sancte matris ecclesie & sanctissimi patris & domini domini Eugenii divina Dei providentia pape quarti ejusdem generalis pastoris, necnon ad honorem sancte Camaldulensis eremi & ejusdem ordinis universi ad predicti monasterii statum pacificum & perfectum in religiosum virum donnum Johannem ser Cicchi monachum in monasterio Vallis-castri dicti Camaldulensis ordinis expresse professum, & in sacerdotio constitutum direxit aciem sue mentis, vita, scientia & honestis moribus predotatum, & eundem donnum Johannem licet absentem, & donnum Andream priorem ecclesiarum sancti Blasii de Pratali & sancte Lucie de Sparena simul unitarum ordinis Camaldulensis ibidem presentem, & pro ipso domno Johanne, & vice & nomine recipientem in priorem, rectorem & administratorem prefati monasterii &c. Qui domnus Andreas genuflexus coram dicto domno priore & generali predicto predictam institutionem factam de dicto domno Johanne delibe-ratione prehabita pro ipso domno Johanne, & ejus vice & nomine humiliter acceptavit, & eidem domino priori Camaldulensi intuitu administrationis prefati monasterii sibi domno Johanni commisse pro dicto domno Johanne promisit obedientiam & reverentiam manualem secundum regulam sancti Benedicti & ejusdem ordinis instituta, necnon fidelitatis juramentum tacto libro, quem idem domnus prior tenebat in manibus prestitit in consueta forma. Postea subsequenter & immediate prefatus dominus prior Camaldulensis prefatum donnum Andream pro dicto donno Johanne, & ejus loco ad osculum pacis recepit, & per suum anulum de prioratu predicto presentialiter investivit, committens ven. viro donno Venantio de sancto Severino priori sancte Marie de Serra, & cuicumque alii prelato & monacho dicti ordinis licet absentibus, ut prefatum donnum Johannem priorem predictum ponat, mittat & inducat in tenutam & corporalem possessionem monasterii prelibati, jurium & bonorum ejusdem, defendatque inductum. Contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo, invocatoque ad hoc auxilio, si opus fuerit, brachii secularis, & mandavit mihi Fazino notario, ut de predictis omnibus & singulis publicum conficerem instrumentum.

Et ego Fazinus ser Rainaldi de Fabriano publicus imperiali auctoritate notarius, & nunc scriba predicti domni generalis predictis omnibus & singulis, dum sic agerentur, interfui, & ea rogatus scribere scripsi, & publicavi.

VII.

VII.

Tertia prioris S. Mariæ de Rhua facta a monast. S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1434. xv. januarii.

Ex archivo S. Mathiæ Capf. S. Irenis.

FRater Angelus Dei & apoftolice fedis gratia prior monafterii & conventus fancti Mathie de Murano Camaldulenfis ordinis Torcellane diocefis omnibus has prefentes literas infpecturis notum facimus & manifeftum, quod pro nonnullis reformandis pertractandifque negotiis & utilitatibus monafterii in noftro refideremus capitulo, vallati noftris monachis & fratribus conventualibus, quorum nomina funt hec: Dompnus Dionyfius de Utino, dompnus Bernardus conventualis de Clugia, dompnus Petrus de Fano, dompnus Mathias de Flandria, frater Johannes de Forlivio, frater Ambrofius de la Guardia, frater Johannes de Faventia, qui vocem habent in capitulo, & funt ultra duas partes, reprefentantes totum & integrum, ac plenum capitulum noftri monafterii predicti; & inter cetera nobis occurreret qualiter rev. in Chrifto pater dominus Ildebrandinus olim epifcopus Paduanus zelo devotionis, quam pie gerebat noftro monafterio & ordini, univerfeque religioni Camaldulenfi, contuliffet eidem noftro monafterio quemdam locum & montem nominatum de Ruha, fitum apud Toriglam Paduani diftrictus ac diocefis juxta fuos confines, prout liquide conftat per publica inftrumenta inde confecta animo ac intentione, ut ibi inftrui & edificari deberet eremus feu locus fub vocabulo beate Marie, & habitandus per monachos & eremitas hujus noftri eremi feu monafterii, prout factum fuiffe conftat etiam per publica inftrumenta. Et quod poftmodum aliqui ibi vicini bono odore converfationis falutifere talium eumdem locum habitantium, certas terras vigras ac nemora, & ob reverentiam ejufdem beate Marie Virginis, memorato loco donaffent in remiffionem nimirum peccaminum fuorum. Nos attendentes, quod predicte donationes tam epifcopi, quam vicinorum parum aut nihil ex nobis accepiffent incrementi pro preterito, aut accipient in futurum, nifi aliquis eidem loco profititius & utilis profitetur cuftodus; & verentes in extremo eterni judicis examine de hujufmodi negligentia reddituros rationem, de ipforum omnium & fingulorum predictorum monachorum & fratrum voluntate expreffoque confenfu nemine difcrepante, invocato fuffragio atque auxilio divino ad honorem Dei omnipotentis & beatiffime Virginis Marie matris ejus, fub cujus vocabulo locus ille nominatur, totiufque celeftis curie triunfantis, omni meliori via, modo, & forma, quibus magis & melius fcimus, poffumus & valemus, & ad honorem & reverentiam fancte Romane ecclefie fanctiffimique patris & domini Eugeni pape quarti, atque ad confolationem & utilitatem hujus noftri monafterii, & totius ordinis Camaldulenfis, prenominatum dompnum Petrum de Fano monachum predicti ordinis in facerdotio conftitutum, & ex legitimo thoro procreatum, & coram nobis genuflexum ftantem eligimus, conftituimus atque preficimus in cuftodem, adminiftratorem atque gubernatorem dicti loci & eremitorii, atque ecclefie, etiam cum edificata fuerit atque conftructa, curam, adminiftrationem & gubernationem ipfius temporalem & fpiritualem omnimode conferentes ufque dumtaxat ad noftrum & fucefforum noftrorum canonice intrantium beneplacitum voluntatis. Committimus proinde venerabili fratri noftro dompno Johanni de Ferro digniffimo priori monafterii Montis-crucum predicti ordinis Camaldulenfis Paduane diocefis, ut per fe vel per alium te vel procuratorem tuum in tenutam & corporalem poffeffionem predicti loci, juriumque & pertinentiarum fuarum temporalium & fpiritualium inducat & ponat, pofitumque manuteneat ac defendat, & a te vel tuo quamprimum poffeffionem pacificam fueris vel fuerit affecutus, vice noftra noftrique monafterii & capituli folitum ac debitum fidelitatis & obedientie juramentum accipiat, atque omnia & fingula gerat & faciat, que in predictis & fingulis faciendis & agendis nos conftituentes facere poffemus feu etiam deberemus.

Datum Muriani in monafterio fancti Mathie predicti anno Dominice incarnationis millefimo quadrigentefimo trigefimotertio die vero quinto-decimo januarii.

VIII.

Permutatio monafterii S. Mariæ de Mandria cum dominis de Capitibus-liftæ.

Anno 1433. xxii. augufti.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

IN Chrifti nomine, amen. Anno a nativitatis ejufdem M. CCCC. XXXIII. indi-

indictione XI. die XXII. augusti congregato & convocato capitulo & conventu monasterii sancti Michaelis de Muriano in sacristia ecclesie dicti monasterii, cum dictum monasterium pro nunc careat loco capitulari, ad sonum campanelle, ut moris est, in quo quidem capitulo interfuerunt reverendus in Christo pater dominus frater Paulus Venerio Dei gratia abbas dicti monasterii & conventus, domnus Felix Pavo de Venetiis prior dicti monasterii, domnus Petrus de Sardinia, domnus Laurentius de Venetiis, domnus Philippus de Mediolano, domnus Johannes de Alemania, domnus Bernardus de Papia, domnus Guielmus de Flandria, domnus Benedictus Zane de Venetiis, frater Franciscus de Cherso, frater Andreas de Corso, frater Nicolaus de Foro-livio, frater Maurus de Venetiis, frater Dominicus de Muriano, frater Stephanus, frater Thomas, frater Johannes, & frater Antonius omnes fratres conventuales & professi dictorum monasterii & conventus, asserentes constituere & representare totum & universale capitulum dictorum monasterii & conventus, & nullum alium esse in dicto monasterio, nec alibi, qui in ipso capitulo de jure vel de consuetudine vocari debeat. Ipse dominus abbas taliter exposuit dictis suis fratribus & monachis, quod ipse habebat pre manibus spectabilem militem & utriusque juris doctorem dominum Johannem-franciscum de Capitibuslifte de Padua, qui cambiare & permutare volebat per ducatos quinquemile denariorum suorum imprestitorum, ex his quibus percipiuntur tres pro centenario quolibet a camera imprestitorum sine aliqua angaria omni anno, cum omnibus & singulis possessionibus & juribus, que & quas dictum monasterium habet & possidet in villa de la Mandria & in campanea Padue versus Abbanum, & in Montagnone, ac in villa Tituli, quod esset & verteretur in majus utile dicto monasterio, quam tenere possessiones predictas; & quia ex dictis possessionibus non percipiebantur in anno, nisi fere ducati centum auri & minus, & de dictis imprestitis percipiebantur annuatim ducati centumquinquaginta auri de prode &c. qui monachi responderunt se super hoc velle excogitare & habere respectum usque ad diem crastinum, qua die responderent ipsi domino abbati &c. Actum &c. *ut supra*.

Item suprascriptis millesimo &c. die XXIV. augusti. Convocato & congregato capitulo &c. dicti monachi omnes unanimes & concordes responderunt &c. quod dicta permutatio fienda esset de dictis possessionibus &c.

In Christi nomine, amen. Anno &c. M. CCCC. XXXIII. indictione XI. XXIII. junii in monasterio sancti Michaelis &c. presentibus spectabilibus & egregiis viris domino Francisco Barbaro quondam domini Candiani, nunc milite, & domino Francisco Barbadico sancti Gervasii testibus &c. Cum dictum monasterium sancti Michaelis habeat &c. nonnulla terrena &c. in Paduano, Justinopolitano & Tarvisino districtibus & alibi, que &c. nullius quasi sunt utilitatis dicto monasterio &c. In Paduano vero districtu in infrascriptis locis, videlicet in la Mandria, in plebe Sacci, la Bruzene, & in Mirano, le Fratte, & in Justinopoli certas vineas, terrena & casalia, ac etiam in Venetiis certas domos positas & sitas in sancto Johanne Bragore, in sancto Cassiano, & in sancto Jacobo de Luprio, & certas alias domos in Muriano, necnon & certum locum in dicta Torcellana diecesi vulgariter nuncupatum le Mexole. Et rev. in Christo pater domnus Paulus Venerio abbas &c. supplicavit rev. in Christo patri & domino domno Ambrosio totius ordinis Camaldulensis generali, quatenus attenta modica utilitate, vel non tanta quanta proveniret monasterio antedicto ex dictis terrenis & possessionibus, si venderentur & permutarentur, & pretium inde perceptum ad cameram imprestitorum communis Venetiarum depositaretur, dignaretur eidem licentiam impertiri &c. Prefatus rev. pater domnus Ambrosius generalis &c. licentiam omnimodam indulsit eidem Paulo abbati &c.

Et ego Ambrosius quondam ser Viti &c. notarius scripsi &c.

Ducali sublimitati, suoque sapienti & excelso consilio humiliter exponitur pro parte abbatis & fratrum conventus sancti Michaelis de Muriano diecesis Torcellane apud divinam majestatem pro bono vestri status continuo deprecantium. Qui locus predictus habet in villa de la Mandria districtus Paduani certas possessiones, quas jamdiu & de presenti tenent cum utilitate seu redditu a nonaginta usque ad centum ducatos annuatim; & licet dictus redditus videatur satis bonus, tamen quia opportet circa dicta terrena partim prativa, partim laborativa, & partim vineata plurimo tempore anni tenere occupatos aliquos ex fratribus cum sinistro dicti monasterii, & non absque periculo animarum suarum; insuper in villi-

villicis & laboratoribus oportet tenere multos denarios mortuos, & quando redditus non sunt boni, ipsi fratres non debent, nec consueverunt tollere a pauperibus, que non habent, unde ex hoc plerumque damnum patiuntur. Etiam quia de presenti esset necesse reparare domos & tegetes, in quibus esset necesse expendere circa ducatos centum viginti, quod cederet ad maximum incomodum dicto monasterio. Demum quia his consideratis obtinuerunt licentiam a suo Generali posse permutare vel alienare dictas possessiones in aliquo meliori & utiliori redditu & profictu monasterii prelibati, ut de jure debetur, & moris est, & ob hanc causam inveniant personam, que ubi nunc monasterium cum dictis contrarietatibus, & cum onere factionum, quas pro ipsis terrenis supportant, habet circa ducatos centum, dabunt ipsi monasterio tot imprestita, que reddent annuatim ducatos centum quinquaginta. Propterea supplicatur humiliter, quatenus vestra serenissima dominatio dignetur cum auctoritate sui consilii concedere dictis abbati & monasterio, quod possint dictas possessiones in imprestita permutare, que imprestita sint ad cameram conditionata, que vendi nequeant, sed eorum redditus in perpetuum dicto monasterio temporibus debitis consignetis pro eorum necessitatibus, & hoc humiliter petunt, & de gratia speciali.

Die XXII. octobris M. CCCC. XXIII. capta in Rogatis.

Quod concedatur abbati & fratribus sancti Michaelis de Muriano Torcellane diecesis, quod certas possessiones, quas habent in Paduano districtu, vendere possint ponendo denarios ad cameram imprestitorum cum conditione, quod vendi non possint, sed eorum redditus sit pro victu & necessitate dicti monasterii.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCCC. XLII. indictione V. & die III. mensis octobris actum Murani in monasterio sancti Michaelis, presentibus spectabili juris utriusque doctore domino Aluisio Foscareno nato domini Antonii de Venetiis & egregio decretorum doctore domino Nicolao de la Savonarola quondam domini Johannis de Padua, domino Pasquale Boldu quondam domini Benedicti de Venetiis, &c. testibus &c. Cum hoc sit, quod de M. CCCC. XXXIII. de mense augusti rev. in Christo pater dominus frater Paulus Venerio Dei gratia abbas &c. & cum licentia sui Generalis &c. obtenta licentia ab illustrissimo consilio Rogatorum permutaverit certas possessiones sitas in villa de la Mandria & in villa Tituli cum spectabili milite & utriusque juris doctore domino Johanne-francisco de Capitibusliste de Padua dante nomine & vice permutationis eidem domino abbati & monasterio antedicto ducatos quinquemile denariorum imprestitorum &c. ex quibus &c. percipiebantur tres pro centenario &c. & prefatus dominus Johannes-franciscus eidem abbati &c. satisfecerit &c. & propter varias & longas absentias prefati domini Johannis-francisci de mandato tam sanctissimi domini nostri Eugenii pape IV. quam illustrissimi ducalis dominii Venetiarum, tam in consilio Basiliensi, quam in diversis aliis mundi regionibus, contigerit dicta instrumenta permutationis numquam fuisse confecta, idcirco prefatus dominus Johannes-franciscus &c. petiit &c. confici publicum instrumentum &c. unde abbas &c. & ipse dominus Johannes-franciscus &c. rogaverunt me notarium, quod de premissa permutatione conficere deberem publicum instrumentum tenoris infrascripti, videlicet.

In Christi nomine, amen. *Anno, die loco & testibus ut supra*. Ibique cum ecclesia sive monasterium & conventus sancti Michaelis &c. haberet &c. in campanea Padue in contrata Mandrie versus Abbanum certas possessiones, & certos campos pratorum & vigrorum in Montagnone & in villa Tituli Paduani districtus cum aliquibus edificiis &c. rev. pater dominus frater Paulus Venerio &c. abbas &c. dicti monasterii &c. & ipsi domini monachi nomine ipsius monasterii sustinerent multa onera & diversas expensas tam pro tenendo presbyterum in ecclesia sancte Marie de la Mandria edificata in dicto loco, quam pro ornamentis necessariis pro dicta ecclesia, & pro construendis & manutenendis super ipsis infrascriptis possessionibus & rebus & edificiis, pro subveniendo laboratoribus &c. que onera & expensas non poterant fieri sine diminutione ipsorum reddituum &c. Et ita sit, quod spectabilis miles & generosus utriusque juris doctor famosissimus dominus Johannes-franciscus de Capitibus liste nobilis civis Padue filius quondam nobilis viri domini Francisci de Capitibusliste dixit se nomine permutationis & cambii pro ipsis possessionibus &c. velle dare &c. dicto monasterio &c. ad cameram imprestitorum &c. quinque mille ducatos &c. Cumque prefatus dominus abbas &c. & monachi antedicti cum plena cause cognitione &c.

visis

visis &c. conclusum fuit, quod ipsa permutatio esset dicto monasterio &c. utilis & proficua &c. constituerunt suum &c. procuratorem prefatum rev. patrem abbatem cum libera & plena potestate &c. accipiendi de imprestitis, de quibus dictum est, ut supra. Et hoc addito, quod idem spectabilis miles & doctor dominus Johannes-franciscus in se susceperit onus tenendi unum presbyterum pro celebrando in dicta ecclesia & alia onera necessaria pro ipsa ecclesia &c. Eapropter vigore omnium predictorum rev. pater dominus abbas &c. ex una parte, & dominus Johannes-franciscus antedictus parte ex alia &c. permutaverunt ut infra. Quia dominus abbas dictis nominibus prefatas possessiones &c. omni modo, via &c. titulo & nomine permutationis &c. in perpetuum dedit &c. infrascriptas possessiones &c. ex adverso autem pro ipsis infrascriptis possessionibus &c. dominus Johannes-franciscus per se & suos heredes &c. dare promisit antedicto monasterio &c. pro se & suis successoribus omnia & singula jura &c. in ducatis quinquemillibus imprestitorum &c. Et ita &c. partes ipse &c. ipsum contractum dictis nominibus approbaverunt, ratificaverunt &c. & sibi promiserunt hinc inde per solemnem stipulationem, ac pro suis heredibus & successoribus referendo singula singulis indemnes conservare, & insuper promiserunt sibi invicem & vicissim per solemnem stipulationem & per pactum speciale & expressum dictas res de jure per se traditas & tradita & earum quamlibet in totum & in quamlibet partem guarentare, defendere, autorizare & disbrigare contra quamcumque personam, commune, collegium societatem & universitatem &c. Renuntiantes &c.

Ego Bartholomeus de Camuciis filius quondam domini Thome de Verona civis & notarius Venetiarum &c. scripsi & publicavi &c.

IX.

Ostasius de Polenta donat abbatiæ Classensi hospitale de Misericordia Ravennæ.

Anno 1433. XI. decembris.

Ex autographo ejusdem abbatiæ.

IN Christi nomine, amen. Anno ab ejusdem nativitate M. CCCC. XXXIII. indictione XI. die vero XI. mensis decembris tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Eugenii divina providentia pape IV. Ravenne in curia magnifici & potentis domini & militis domini Ostasii de Polenta in camera de Fraschis, presentibus spectabili & generoso viro domino Paulo Contareno de Veneriis honorabili potestate civitatis Ravenne pro magnifico domino prelibato, & infrascripto, & egregiis viris juris peritis domino Jacobo de Raulis vicario prelibati magnifici domini, domino Jacobo quondam Zannis de Balbis, Francisco quondam Benedicti de Indivinis, Guasparo quondam Budi nobili viro, Guicciolo quondam Girondini de Duna cive Ravenne, Zannino de Mazolano habitatore Ravenne, domino Johande de Albaredis de Bagnacavallo, Petro de Russis de Ravenna, & quampluribus aliis testibus legitime adhibitis, juratis & rogatis. Cum hoc sit, quod magnificus & potens dominus & miles dominus Ostasius de Polenta quondam recolende memorie magnifici & potentis domini domini Opizonis de Polenta & sui antecessores sint & fuerint patroni hospitalis sancte Marie de la Misericordia de Ravenna, & ad ipsos tam de jure, quam de antiqua & approbata consuetudine spectaverit & pertinuerit, & spectare & pertinere dignoscatur pleno jure institutio, reformatio & provisio dicti hospitalis, & visitatio & privatio & amotio prelibato magnifico domino, totiens quotiens eidem visum fuerit; & cum prelibatus quondam magnificus dominus Opizo de Polenta genitor prelibati magnifici domini, dum viveret, dictum hospitale, dedisset & contulisset religioso viro domno Johanni de Bononia tunc vicario venerabilis monasterii sancti Apollinaris in Classe pro ipso monasterio recipienti & per plures & plures annos dictum hospitale tentum & possessum fuit, & per monasterium antedictum usque ad mortem quondam reverendi in Christo patris domni Johannis de' Franguellis dudum abbatis dicti monasterii, & postmodum fuerit ademptum dicto monasterio & per prelibatum magnificum dominum, seu & concessum Ugolino Gavalerio, & postmodum eidem ademptum, & datum per prelibatum magnificum dominum Ostasium magistro Jacobo Gavallo de Ravenna, qui usque in presentem diem preest in dicto hospitali pro magnifico domino prelibato, & cum prelibatus magnificus dominus consideret, quod in dicto hospitali est ecclesia fabricata atque constructa in honorem atque reverentiam sancti Bartholomei apostoli, in

in qua eſt etiam altare ſancti Lazari, & quod dictum hoſpitale regetur & gubernabitur tam in divinis, quam in humanis, & tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus melius, commodius & opportunius, ſi in eodem preſint perſone religioſe & ſacerdotes, qui habeant in dicta eccleſia ſancti Bartholomei & altare ſancti Lazari celebrare Miſſas & divina officia, & nihilominus hoſpitalitatem in ipſo hoſpitali retinere, & edificia reſtaurare & reparare, & bona dicti hoſpitalis provide & ſalubriter cum omni integritate vite fideliter cuſtodire, manutenere & conſervare, ad laudem Dei & commodum perſonarum in eodem loco degentium, & ſolamen ac remedium animarum, que dicta bona dicti hoſpitalis largitionibus dimiſerunt, & reliquerunt dicto hoſpitali, & omnium quorumcumque bonorum, & civium hujus alme civitatis conſolamen. Eapropter prelibatus magnificus & potens dominus & miles dominus Oſtaſius de Polenta devotione ſincera, quam habet ad ordinem Camaldulenſem, & precipue ad ſacram Camaldulenſem eremum, necnon ad rev. dominum domnum fratrem Ambroſium priorem dicte ſacre Camaldulenſis eremi ac totius dicti ordinis generalem, & ad alia loca & monaſteria dicti ordinis, & precipue ad ven. monaſterium ſancti Apollinaris in Claſſe de Ravenna dicti ordinis, per ſe & ſuos heredes pure, ſimpliciter & irrevocabiliter & inter vivos titulo irrevocabilis donationis dedit, donavit & conceſſit dictum hoſpitale ſancte Marie de la Miſericordia dicto domino fratri Ambroſio generali dicte ſacre Camaldulenſis eremi priori & totius dicti ordinis generali preſenti & recipienti pro ipſa ſacra Camaldulenſi eremo ſeu pro ven. monaſterio ſancti Apollinaris in Claſſe, & pro ven. in Chriſto patre Aluiſio abbate dicti monaſterii & pro ſuis in eoſdem ſucceſſoribus cum omnibus ad dictum hoſpitale pertinentibus juribus atque bonis quibuſcumque preſentibus, queſitis & ſeu querendis ad habendum, tenendum *&c.* Promittens prelibatus magnificus dominus predicto domino generali preſenti *&c.* & predicto domino abbati dictam donationem non revocare aliqua ratione vel cauſa, & in nullo contrafacere vel venire, ſed predicta omnia perpetuo firma & rata habere & tenere *&c.* Item juravit dictus magnificus dominus ad ſancta Dei evangelia manu tactis Scripturis, licet minor viginti-quinque annis, major tamen quatuordecim, & major viginti-quatuor annorum, non venire contra predicta vel aliquod predictorum per ſe vel alium aliqua ratione, cauſa vel ingenio, de jure vel de facto *&c.*

† Et ego Bartholomeus filius quondam ſer Johannis de Bichis de Bagnacavallo civis Ravenne publicus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius his omnibus preſens, dum ſic agerentur vel fierent, rogatus ſcribere ſcripſi & publicavi *&c.*

In Chriſti nomine, amen: Anno ab ejuſdem nativitate M. CCCC. XXXIII. indictione XI. die vero XI. menſis decembris tempore pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini domini Eugenii divina providentia pape IV. Ravenne in curia magnifici & potentis domini prelibati in camera de Fraſchis, preſentibus teſtibus ſupradhibitis vocatis & rogatis, prelibatus magnificus & potens dominus & miles dominus Oſtaſius de Polenta ibidem preſens precepit atque mandavit egregio juris civilis perito domino Jacobo de Balbis de Ravenna & Franciſco quondam Benedicti de Indivinis, & eorum cuilibet preſentibus, audientibus & intelligentibus, quatenus ſui parte & mandato vadant & precipiant, atque mandent magiſtro Jacobo Cavallo, qui ad preſens moratur in hoſpitali ſancte Marie de la Miſericordia de Ravenna, quod debeat amodo relinquere omnia bona & jura dicti hoſpitalis, & dictum hoſpitale cum omnibus eidem ſpectantibus & pertinentibus aſſignare reverendiſſimo in Chriſto patri domino domno fratri Ambroſio ſacre Camaldulenſis eremi priori & totius ejuſdem ordinis generali preſenti & recipienti pro ipſa ſacra Camaldulenſi eremo, ſeu pro ven. monaſterio ſancti Apollinaris in Claſſe ordinis memorati cum omnibus ad ipſum hoſpitale pertinentibus juribus atque bonis quibuſcumque, ex eo quod prelibatus magnificus ac potens dominus dominus Oſtaſius prelibatus dictum hoſpitale donavit & titulo donationis irrevocabilis dedit, conceſſit dicto domino generali dicto nomine recipienti, & predicta ex ſui parte & mandato faciant, dicant, percipiant, ordinent & fieri faciant, atque omnimode mandent, & predicta ad inſtantiam & petitionem prelibati reverendiſſimi domini domini generalis, & dicti domini abbatis ven. monaſterii ſancti Apollinaris in Claſſe preſentium & jurantium pro predicto mandamus in omnibus, quatenus de predictis omnibus & quolibet predictorum publicum conficiatur inſtrumentum *&c.*

† Et ego idem Bartholomeus *&c.* ſcripſi & publicavi *&c.*

In

In Christi nomine, amen. Anno ab ejusdem nativitate M. CCCC. XXXIII. indictione XI. die vero XI. mensis decembris &c. presentibus domino Ugolino de Bagnacavallo monacho ordinis Camaldulensis, Bonfilio quondam Baptiste de Copertoriis cive Ravenne, Martinello .... testibus ad infrascripta omnia legitime adhibitis, vocatis & rogatis. Franciscus quondam Benedicti de Indivinis existens in loco infrascripto habens in mandatis a magnifico & potenti domino ac milite domino Ostasio de Polenta precipiendi atque mandandi magistro Jacobo Cavallo hospitalario usque in presentem diem hospitalis sancte Marie de la Misericordia de Ravenna pro magnifico domino prelibato patrono dicti hospitalis, videlicet quatenus debeat eidem magistro Jacobo precipere & mandare, quod debeat assignare & consignare reverendissimo in Christo patri, & domino domno fratri Ambrosio priori sacre Camaldulensis eremi, ac totius ejusdem ordinis generali pro ipsa sacra Camaldulensi eremo, sive pro ipso monasterio sancti Apollinaris in Classe hospitale sancte Marie de la Misericordia de Ravenna, quod ad ipsum magnificum dominum prelibatum spectabat & pertinebat, & quod hospitale prelibatus magnificus dominus donavit pure & irrevocabiliter dicto domino generali recipienti pro ipsa sacra Camaldulensi eremo sive pro monasterio sancti Apollinaris dicti ordinis, prout de dicta donatione constat publico instrumento manu mei notarii infrascripti, ac etiam de commissione facta eidem Francisco & domino Jacobo de Balbis, & eorum cuilibet, precepit atque mandavit dicto magistro Jacobo Cavallo hospitalario predicto usque in presentem diem, quatenus debeat dicto prelibato magnifici domini & militis mandato assignare dicto reverendissimo in Christo patri & domino fratri Ambrosio generali predicto, & seu etiam reverendo in Christo patri domino fratri Aluisio abbati monasterii sancti Apollinaris in Classe dictum hospitale & omnia ejus bona cum omnibus juribus & bonis ad ipsum quoquomodo spectantibus atque pertinentibus, cum prelibatus magnificus dominus donaverit idem hospitale cum omnibus juribus suis & pertinentiis atque bonis dicto reverendissimo domino seu dicto domino abbati pro ipso monasterio sancti Apollinaris in Classe; & predicta omnia dixit, fecit, jussit & precepit atque mandavit dictus Franciscus ex commissione predicta & predicto domino Jacobo presenti audienti & intelligenti ex parte & mandato prelibati magnifici & potentis domini & militis domini Ostasii de Polenta omni meliori modo, via, jure & forma quibus magis & melius de jure potuit & debuit &c. Post que dictus magister Jacobus hospitalarius predictus volens jussionibus & preceptis prelibati magnifici & potentis domini & omnimode obedire, dictum hospitale & omnia ejus bona & jura quecumque pertinentia eidem hospitali prelibato rev. domino domno fratri Ambrosio consignavit & assignavit, & dicto rev. in Christo patri domino domno fratri Aluisio abbati dicti monasterii sancti Apollinaris in Classe pro ipso monasterio, & suis in ipso monasterio successoribus recipienti a modo & deinceps vigore dicti mandati sibi facti, & sic se a modo stare & habitare in dicto hospitali pro ipso domino generali & seu pro ipso domno Aluisio abbate dicti monasterii sancti Apollinaris in Classe confessus fuit, & ad ipsorum requisitionem atque mandatum; & predicti dominus generalis & dominus abbas in signum vere tenute & corporalis possessionis intraverunt in dictam ecclesiam sancti Bartholomei & dictum hospitale, & in omnibus per dictum hospitale & per omnia bona ejusdem in signum vere tenute & corporalis possessionis, mandantes mihi notario, quatenus de predictis publicum conficerem instrumentum. Acta sunt predicta in dicto hospitali in domibus & ecclesia dicti hospitalis atque in civitate Ravenne in contrata Gazzi, presentibus supradictis testibus adhibitis, vocatis & rogatis.

† Et ego Bartholomeus filius quondam ser Johannis de Bicchis &c. *ut supra*, scripsi & publicavi &c.

X.

Eugenius IV. committit abbati S. Michaelis de Muriano recuperationem bonorum monasterii S. Petri de Casa-calba.

Anno 1434. XVIII. kl. octob.

Ex autographo monast. S. Michaelis XIII. 35.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii sancti Michaelis de Murano Torcellane diecesis salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii Laurentii prioris prioratus sancti Petri de Casacalba Torcellan.

cellan. ordinis sancti Augustini precibus inclinati, presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsius prioratus alienata inveneris illicite vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem prioratus legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes &c. Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXIV. decimo octavo kal. octobris pontificatus nostri anno quarto.

P. de Carbonibus.

P. D. G. de la porta Cyprianus. An. Petezaconus. F. & Carrionus.

X I.

Consilium Basileense instituit exactorem semidecimæ in toto Dominio Veneto Franciscum abb. de Carceribus.

Anno 1435. VI. idus martii.

Ex tabulario S. Michaelis de Muriano.

SAcrosancta generalis synodus Basiliensis in Spiritu-sancto legitime congregata universalem ecclesiam representans venerabili Laurentio episcopo Castellano salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Dudum dilecto filio Francisco abbati monasterii sancte Marie de Carceribus Camaldulensis ordinis Paduane diecesis per alias nostras literas dedimus in mandatis, quatenus ab omnibus & singulis personis ecclesiasticis per provincias Aquilejensem & Gradensem, necnon in omnibus terris & locis temporalis dominii communitatis Venetiarum ubilibet constitutis semidecimam sive vicesimum denarium per nos impositos usque ad summam mille & octingentorum ducatorum auri dumtaxat, & non ultra, secundum quod certis de causis per venerabiles Fantinum archiepiscopum Cretensem & Petrum episcopum Paduanum pro tota semidecima, que dictas provincias & terras dicti dominii tangere poterat pro dicta summa nobiscum extitit concordatum auctoritate nostra exigere, colligere, recipere, & juxta traditam sibi per nos formam & informationem presentare & disponere studeret diligenter sub modis & formis, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum itaque pro parte dilectorum ecclesie filiorum Cosme & Laurentii de Medicis mercatorum de Florentie mille & sexingenti ducati de auro ad usus expensarum universalis ecclesie, pro quibus solvendis archiepiscopus & episcopus predicti, necnon dilecti ecclesie filii Federicus Contareno & Johannes-franciscus de Capitibusliste miles oratores prefate communitatis fide jubere dignati sunt, exposuerint: Nos ut mercatoribus ipsis satisfiat, dictique archiepiscopus & episcopus, & dicti Federicus & Johannes a fidejussione hujusmodi penitus liberentur, discretioni tue per hec scripta committimus & mandamus, quatenus prefatum abbatem, ut de receptis per eum juxta commissionem sibi factam hujusmodi di eisdem mercatoribus de mille & sexingentis florenis prefatis satisfaciat cum effectu, auctoritate moneas, inducas & alias ab eo rationem de receptis & collectis, necnon juxta traditam sibi commissionem hujusmodi expositis auctoritate nostra recipias; & nihilominus sibi ac heredibus & successoribus suis & fidejussoribus & aliis, quorum interest, de expositis hujusmodi plenam & liberam absolutionem & quietationem facias, ad que peragenda tibi auctoritate universalis ecclesie tenore presentium plenariam concedimus facultatem. Datum Basilee VI. idus martii anno a nativitate Domini M. CCCC. XXXV.

A. de Kempenich.

Pendet sigillum plumbeum cum literis.
SACROSANCTA UNIVERSALIS SYNODUS BASILIENSIS.

X I I.

Eugenius IV. unit monasterio S. Agathæ de Florentia alia S. Silvestri, S. Mariæ ad Nives & S. Ursulæ.

Anno 1435. KL. octobris.

Ex archetypo monasterii S. Agathæ n. 110.

EUgenius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romani pontificis providentia circumspecta ad monasteriorum & religiosorum locorum, & in eis presertim sub fragili sexu deditarum personarum omnium directioni & commodo semper intendens nonnunquam illorum statum alternatur, variat & commutatur, prout personarum hujusmodi, ac locorum & temporum qualitate pensata justis etiam & rationabilibus suadentibus causis id conspicitur in Domino expedire. Ad audientiam siquidem nostram venerabili fratre nostro Thoma episcopo Traguriensi generali ecclesie Flo-

Florentine presentialiter pastore carentis in spiritualibus & temporalibus administratore, ac ad visitationem quorumlibet civitatis & diecesis Florentine monialium ac religiosarum quorumvis ordinum monasteriorum & locorum a nobis specialiter deputato, & nonnullis ejusdem civitatis civibus referentibus non absque cordis displicentia pervenit, quod licet quodlibet ex sancti Silvestri & beate Marie de Nive ac sancte Ursule Florentine ordinis sancti Benedicti monasteriis pro abbatissa & pluribus monialibus, que sua inibi sub regulari dicti ordinis observantia & vite castimonia vota Altissimo reddere tenerentur, fundatum & rectum extiterit, Ac in illis ante multos annos pro tempore degentes abbatisse & moniales bene & laudabiliter vixerint, tamen a nonnullis annis citra temporibus monasteria ipsa prelatorum illorum incuria & negligentia, seu potius malo regimine non solum observantia hujusmodi & quasi divino cultu destituta remanserant & remanent, sed, quod deterius est, una in sancti Silvestri, ac etiam alia in beate Marie de Nive, & quatuor in sancte Ursule monasteriis predictis presentialiter degentes moniales, ac illorum singule abbatisse seu earum major pars in mundanis potius vanitatibus, quam divinis officiis se exponentes, religionis & honestatis semita potius derelicta, ac diversos & illicitos conversationes & actus plurimum diverterunt & quotidie divertunt, in suarum animarum periculum, religionis opprobrium, ac scandalum & perniciosum exemplum etiam plurimorum. Nos igitur, ad quos ex debito summi pontificatus officii omnium monasteriorum & locorum hujusmodi cura potissime pertinet in premissis, ne ulteriora exinde dispendia & inconvenientia subsequantur, opportune providere volentes, matura etiam super hiis deliberatione prehabita, motu proprio, non ad alicujus super hoc oblate petitionis instantiam, auctoritate apostolica ex certa scientia harum serie in singulis monasteriis predictis singulas abbatissales dignitates ac dictum ordinem supprimentes & penitus extinguentes, necnon abbatissas presentes hujusmodi dignitatibus predictis, ac regiminibus & administrationibus omnibus monasteriorum eorumdem privantes, & ab illis realiter amoventes, ipsas & omnes & singulas moniales predictas cum earum ac dictorum monasteriorum, & ad quodlibet eorumdem legitime spectantibus, idest terris, vineis, possessionibus *&c.* ad monasterium sancte Agathe etiam Florentine dicti ordinis, in quo, ut accepimus, abbatissa & plures moniales sub suavi religionis jugo laudabilem vitam ducant, auctoritate & scientia predictis transferimus, ipsasque terras, vineas, possessiones *&c.* necnon ipsorum & dicti sancte Agathe monasteriorum fructus, redditus & proventus presentibus haberi volumus pro expressis, eidem monasterio sancte Agathe auctoritate & scientia predictis perpetuo concedimus, donamus, applicamus ac etiam appropriamus. Ipsorum nihilominus sancti Silvestri & beate Marie de Nive, & sancte Ursule monasteriorum ecclesias, & alia infra eorum septa dumtaxat consistentia domos, habitationes, structuras, edificia, curias, hortos, hortalitia a concessione, donatione, applicatione & appropriatione predictis specialiter excipiendo, ordinationique & dispositioni nostre & sedis apostolice tantummodo reservando. Ita quod liceat dilectis in Christo filiabus abbatisse & conventui prefati monasterii sancte Agathe per se vel alium seu alios corporalem terrarum, possessionum, jurium, pertinentiarum *&c.* possessionem libere apprehendere, & in earum & dicti monasterii sancte Agathe usus & utilitatem convertere, & perpetuo habere & retinere, diecesani loci aut alicujus super hoc licentia minime requisita. Et insuper volumus, ac auctoritate & scientia similibus tenore presentium statuimus, decernimus & declaramus, quod abbatissa & conventus monasterii sancte Agathe hujusmodi abbatissas & moniales translatas predictas in suas & dicti monasterii sancte Agathe sorores & moniales recipere, ac eis de communibus illius proventibus, sicuti aliis ejusdem monialibus, ministrare, sinceraque inibi in Domino caritate tractare. Ita tamen quod ipse translate abbatisse se de cetero pro abbatissis nullatenus reputare, sed debitam in dicto monasterio sancte Agathe, prout alie moniales predicte faciunt, obedientiam prestare & exhibere omnino debeant, ac etiam teneantur. Quodque abbatissa pro tempore, ac conventus monasterii sancte Agathe hujusmodi usque ad vigintiquinque annos a data presentium computandos, aliquam personam in earum monasterio hujusmodi monialem recipere minime possint neque debeant. Preterea eidem episcopo de omnibus & singulis libris, paramentis, jocalibus, & aliis ad divini cultus decorem deputatis ecclesiasticis ornamentis sancti Silvestri ac beate Marie de Nive, ac sancte Ursule monasteriorum predictorum, inter illa & dictum sancte Agathe monasterium distribuen-

buendi, illaque eis concedendi & perpetuo assignandi, prout sibi videbitur & placebit plena & libera auctoritate predicta concedimus facultatem & etiam potestatem. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Florentie anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo trigesimo-quinto kalendis octobris pontificatus nostri anno quinto.

Gratis de mandato domini nostri pape
Ja. de Arimino.

XIII.

Idem confirmat electionem hospitalarii S. Danielis de Padua factam ab abbate de Carceribus.

Anno 1435. XI. kl. novembris.

Ex exemplis monasterii S. Michaelis de Muriano.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Leonardo de Utino rectori hospitalis pauperum sancti Danielis Paduan. salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vite & morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus apud nos fide dignocommendaris testimonio, nos inducunt, ut te apostolicis favoribus & gratiis prosequamur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Francisci abbatis monasterii beate Marie de Carceribus Camaldulensis ordinis Paduane diecesis ac tua petitio continebat, quod olim ipse abbas ac dilecti filii conventus dicti monasterii cupientes, ut pauperum & aliarum miserabilium ad hospitale sancti Danielis Paduane eidem monasterio canonice unitum confluentium pro tempore personarum cura diligens haberetur, illud per te cum omnibus suis domibus, possessionibus, bonis, juribus & pertinentiis universis, ut pauperum & personarum hujusmodi juxta hospitalis hujusmodi facultates curam gereres, concesserunt, illius ac domorum, bonorum & jurium predictorum curam & regimen tibi plenarie committendo, tuque hospitalis, ac domorum, bonorum, & jurium predictorum possessionem vigore commissionis & concessionis hujusmodi assecutus illum ex tunc tenuisti & possedisti, prout tenes & possides de presenti similiter pacifice & quiete: ac dilectus filius Ambrosius prior eremi Camaldulensis & totius ejusdem ordinis generalis concessionem & commissionem hujusmodi auctoritate sui generalatus officii confirmavit, tibique, quo a regimine & administratione hujusmodi causa non subsistente legitima amoveri nequiret, eadem auctoritate concessit, prout in literis tam abbatis, quam prioris predictorum sigillis munitis plenius dicitur contineri. Quare pro parte abbatis & tua hujusmodi fuit humiliter nobis supplicatum, ut commissioni, concessioni & confirmationi predictis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice firmitatis cum suppletione defectuum, si qui forent, adjicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur literas predictas habentes presentibus pro expressis, necnon commissionem, concessionem & confirmationem premissas ratas habentes & gratas, illas auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, tibique quod a regimine & administratione premissis, nisi causa resistente premissa, nequeas amoveri invitus. Constitutionibus, ordinationibus apostolicis, & statutis & consuetudinibus monasterii & ordinis predictorum, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica prefata nihilominus concedentes. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXV. undecimo kalendas novembris pontificatus nostri anno V.

G. de Urbino. Jo. Montanus.
Jo. Monten.

XIV.

Idem confirmat privilegium a Gregorio IX. concessum Camaldulensibus, ut recipere possint in eorum congregationem religiosos viros professos alterius ordinis.

Anno 1435. VIII. kl. decembris.

Ex archivo monast. Fontis boni.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & universis fratribus domus fratrum eremi Camaldulensis presentibus & futuris salutem & apostolicam benedictionem. Illa, que pto tranquillo personarum sub religionis habitu Domino famulari desiderantium, studio pie vite, statu provide facta sunt, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolice confirmationis robore communimus, eaque ampliamus & extendimus, prout in Deo hoc conspicimus salubriter expedire. Sane dilectorum filiorum..

rum.. prioris & fratrum domus eremi Camaldulensis per priorem solite gubernari nuper habita petitio continebat, quod olim felicis recordationis Gregorius papa IX. predecessor noster priori, qui tunc erat & fratribus dicte eremi, pro eorum & ipsius eremi incremento quasdam literas concessit in hec verba.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Fervor & integritas religionis, que in domo tua & presertim in eremo per beneplacitum conditoris vigere cognoscitur, inducit nos propensius & hortatur, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, prompto velimus animo exaudire. Hac itaque ratione inducti tibi & fratribus tuis auctoritate apostolica indulgemus, eos, qui de aliis congregationibus venientes in eremo vestra, dummodo elegerint & promiserint sub ordine & habitu vestro in eremo perpetuo deservire, libere, sine cujusquam contradictione retinere possitis, ita tamen quod non permittantur in sacris ordinibus, nisi de ipsorum ordinatione certi fueritis, ministrare. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Anagnie IX. kalendas julii pontificatus nostri anno primo.

Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, propter diversa privilegia & indulta diversis congregationibus diversorum domuum & monasteriorum ex post per apostolicam sedem concessa, necnon diversas alias constitutiones & ordinationes editas concessioni prefati predecessoris nostri plurimum derogatum existit, propter quod multi, qui in dicta eremo Altissimo famulari affectant, ab eorum proposito retrahuntur. Quare pro parte dictorum prioris & fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc opportune providere, dicteque concessioni robur apostolice confirmationis adjicere, & etiam quantum opus est, ipsam ampliare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis plenius informati prioris & fratrum predictorum supplicationibus inclinati, concessionem predictam, necnon dictas literas, & quecumque in eis contenta, rata & grata habentes, ea auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Vobisque ut omnes & singulos cujuscumque ordinis existant, & de quibuscumque congregationibus, domibus seu monasteriis sive Mendicantium, sive non Mendicantium, etiam Cartusiensis ordinis venerint, qui in eremo vestra sub ordine & habitu vestro in ipsa eremo Altissimo perpetuo famulari elegerint, superiorum ipsorum licentia petita, licet non obtenta, sine cujusquam contradictione, & alias secundum prefati predecessoris nostri in dictis literis contentam voluntatem, recipere & retinere possitis, tenore presentium indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus, privilegiis & indultis quibuscumque sub quavis forma verborum in contrarium forsan factis seu faciendis, de quibus etiam & eorum totis tenoribus in presentibus esset habenda mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, communitionis & concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Florentie anno incarnationis Domini M. CCCC. XXXV. octavo kalendas decembris pontificatus nostri anno quinto.

Jo. de Steccatis.

XV.

Idem scribit Francisco Sandellio abbati Carcerum, ut subveniat indigentiis matris suæ.

Anno 1436. VII. id. januarii.

Ex apographo monasterii S. Michaelis de Muriano.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Francisco abbati monasterii sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Cum per hos dies nos visitatum venisset dilecta in Christo filia Polissena Barbo germana nostra, secum etiam venit dilecta in Christo filia Franciscina genitrix tua, quam omni respectu libenter vidimus, sed eo libentius, quo illam, que familie nostre a teneris usque annis familiaritate maxima fuit conjuncta, & alteri ex sororibus nostris fidelis usque ad mortem socia, hanc etiam nobis carissimam sororem magna cum caritate fuerat prosecuta. Post varios autem sermones, quos aliquando cum predicta sorore nostra habuimus, annis antea circiter viginti a nobis non visa, accidit ut de matre tua & ejus familia mentio fuerit facta, quo in sermone rem audivimus in fluxu seculi conditione consuetissimam, sed que tamen nos admirari & dole-

dolere compulerit, germanos scilicet tuos cum ipsa genitrice tua ob maximam, que nobis adolescentibus in familia Sanctellorum fuit divitiarum copia, ad tantam devenisse inopiam, ut cum necessaria ad victum difficulter habeant, decentem nullatenus vestitum habere possint. Nobis vero cum admiratione interrogantibus, nunquid tu, qui opulentissimum habes monasterium, genitricis & fratrum necessitatibus subvenias, respondit illa, te filiali affectione & reverentia matrem colere, fratresque, ut par est, amare, sed nullum aut minimum unquam, prout exploratum certissimumque habebat, auxilium illis attulisse. Qui modus a tua devotione quamobrem teneatur, satis intelligere non possumus. Primum namque tua id avaritia aut tenacitate factum esse nunquam induceremur in animum, quia verisimile non videtur, qui seculum jam vir dimiserit, post actam diu in monasterio cum laude vitam, postquam abbatie prefuerit opulente, avaritie morbo correptum esse. At conscientie stimulo deterreris, quominus matri & fratribus subvenias indigentibus, atque etiam post felicem vitam & divitiarum affluentiam prope mendicantibus. Rigida, fili, absurda & supervacanea est ista conscientia, cum ea ratione monasterii divitias susceperis distribuendas, ut post monachorum, monasteriique necessitates Christi pauperibus opem feras, & pauperem in senectute matrem, pauperrimosque fratres familia gravatos ne derelinquas, quin tu potius larga illos manu adjuva, & nostro consilio, nostro etiam mandato adstrictus saltem centum & quinquaginta ducatos illis, donec vixeris, anno quolibet a proximo Resurrectionis Domini nostri Jesu-christi festo inchoando exhibeas, sive ex isto, sive ex aliis, que tenere te continget monasteriis seu episcopatibus vel aliis beneficiis: nam quia dictam supra necessitatem illos nimis premere sensimus, ut presidii tui expectationem magis commode possint tolerare, centum nos illis ducatos de principis apostolorum bonis dari jussimus. Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXV. septimo idus januarii pontificatus nostri anno quinto.

Jo. de Collis.

Pendet bulla plumbea EUGENIUS PP. IV.

XVI.

Concilium Basileense scribit eidem abbati Francisco circa semidecimam.

Anno 1436. XVII. kl. martii.

Ex exemplo ejusdem monasterii S. Michaelis.

SAcrosancta generalis synodus Basiliensis in Spiritu-sancto legitime congregata universalem ecclesiam representans dilecto ecclesie filio Francisco abbati sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis in terris & locis subditis temporali dominio illustrissimi dominii Venetorum pro semidecima exigenda collectori nostro salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Dudum pro exequendis illis sacris operibus, ad que nos sumus in Spiritu-sancto legitime congregati, super totius orbis clero semidecimam generalem indiximus: & volentes cum venerabilibus patriarchis, episcopis, abbatibus & cum ceteris de clero subjectis temporali dominio illustrissimi dominii Venetiarum humaniter agere, semidecimam illos contingentem ad mille octingentos ducatos de Camera reduci mandavimus, pro quibus exigendis te generalem collectorem constituimus, designamus & deputamus, prout in literis super hoc confectis latius continetur. Cum vero ad partes Italie pro pace ibidem consequenda mittere decrevissemus dilectissimos ecclesie filios cardinales sancte Crucis & sancti Petri legatos, dilectus ecclesie filius Robertus Martelli hic pro societate seu pro mercatoribus de Medicis existens, quoniam de pecuniis in promptu tunc opus erat, ducatos mille sexcentos, quos rehabere debebat de predicta semidecima per te, ut premittitur, exigenda, manualiter mutuavit. Et cum tu tam per te, quam per collectores a te deputatos instares pro predicta summa mille octingentorum ducatorum exigenda, ut exinde dicto Roberto seu societati predicte pro dicto mutuo satisfieret, opposuerunt se nonnulli ordines ecclesiastici dicentes jure ad dictam semidecimam persolvendam astringi non posse. Nam quidam allegabant esse ordinis mendicantium, & sic facultatis tue literis non comprehendi: quidam, quod alias super semidecima nobiscum concordaverant; quidam vero dicentes se apostolice sedis officiales & sanctissimi domini pape Eugenii servitores aut curiales ad hanc semidecimam minime teneri profitebantur. Unde factum est,

est, ut stantibus his conditionibus ad integram exactionem dicte semidecime procedere minime potueris, nec dictis mercatoribus de Medicis satisfacere in non modicum eorum prejudicium & gravamen. Nos igitur attendentes, quod pro opere tam necessario semidecimam illam indixerimus, a qua nec S. R. E. cardinales immunes esse volumus, sicque justitie & honestati consonum, ut mercatoribus predictis integre satisfiat, & ut precludatur via subterfugiis, & ne deinceps mandata nostra sinistre vel alias, quod nostre intentionis fuerit a principio, possit interpretari, in virtute sancte obedientie tenore presentium tibi, necnon omnibus & singulis a te subcollectoribus deputatis precipiendo mandamus, quatenus exclusis mendicantibus, quos pro hac semidecima semper per totum terrarum orbem exemptos esse volumus, & iis, qui alias pro hac semidecima nobiscum concordarunt, ceteros omnes cujusque status, ordinis, gradus, preeminentie vel conditionis existant, exemptos & non exemptos, etiamsi forent S. R. E. cardinales, & tales, de quibus habenda foret nominatim & expresse mentio specialis, per censuram ecclesiasticam & arrestationem fructuum beneficiorum suorum & aliis modis opportunis, etiamsi opus fuerit invocatione auxilii brachii secularis, compellatis & inducatis ad solvendam predictam semidecimam usque ad supplementum prefate summe per dictos de Medicis mutuate. Nonobstante quacumque appellatione ad nos vel ad sedem apostolicam super hoc interposita aut interponenda, etiamsi causa forte hic aut in curia Romana super hoc penderet indecisa, quod penitus extinguimus, aut si a nobis vel ab apostolica sede sit alicui indultum, ut interdici, excommunicari aut compelli non possint per literas non facientes specialiter & expresse, ac de verbo ad verbum de hujusmodi nostro mandato mentionem. In quo taliter te exhibeas, ut diligentia ac sollicitudo tua apud nos valeat merito commendari. Datum Basilee XVII. kalendas martii anno a nativitate Domini M. CCCC. XXXVI.

A. Kempenich.

Pendet sigillum plumbeum: SACROSANCTA. GENERALIS. SYNODUS. BASILIENSIS.

XVII.

Eugenius IV. committit abbati S. Vitalis Ravennæ unionem hospitalis de Misericordia de Ravenna abbatiæ Classensi.

Anno 1436. id. martii.

Ex archivo abbatiæ Classensis Ravennæ.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sancti Vitalis Ravenne salutem & apostolicam benedictionem. Pastoralis officii debitum, quo sumus universis orbis ecclesiis obligati, nos compellit, ut acta monasteriorum ac piorum locorum quorumlibet statum prospere dirigendum paternis & sollicitis studiis intendamus, & ut ea, que propterea.... processisse comperimus, illibata persistant libenter, cum a nobis petitur, apostolici roboris mandamus presidio communiri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Aluisii abbatis, necnon conventus monasterii sancti Apollinaris in Classe Camaldulensis ordinis Ravennetensis diocesis petitio continebat, quod dudum dilectus filius nobilis Ostasius de Polenta miles Ravennas tunc verus patronus hospitalis pauperum beate Marie de la Misericordia etiam Ravenne, & existens in pacifica possessione vel quasi juris presentandi personam idoneam ad ipsum hospitale, dum vacabat, proinde considerans, quod si hospitale predictum quod per laicos gubernari consueverat eorum negligentia & incuria in structuris & edificiis collapsum, ac in muris & bonis suis deterioratum erat & deteriorabatur in dies, cultusque divinus & hospitalitas penitus in eo cessabant, per presbyteros regulares studio pie vite deditos presertim monasterii predicti, ad quod & dictum ordinem idem Ostasius singularem gerebat devotionis affectum in antea regeretur & gubernaretur, ex hoc in ipso hospitali hujusmodi cultus & hospitalitas restauraretur, atque alias tam hospitalis, quam monasterii predictorum conditio verisimiliter melior fieri posset, patronatus hujusmodi ac omne aliud jus in dicto hospitali quomodolibet competens in abbatem dicti monasterii pro tempore existentem & dictum conventum realiter transtulit, ita tamen... quod ipsi dictum hospitale in structuris & edificiis hujusmodi debite reparare, jura quoque ac possessiones & bona illius manutenere & conservare, ac in illo Missas atque divina

na officia celebrare & debitam hoſpitalitatem juxta antiquas conſuetudines ipſius obſervari facere tenerentur, quas quidem translationem, largitionem, conceſſionem & donationem venerabilis frater noſter Thomas archiepiſcopus Ravenne auctoritate ordinaria confirmavit & etiam approbavit, prout in quodam inſtrumento publico ſive literis authenticis deſuper confectis & ſigillo ipſius archiepiſcopi munitis plenius dicitur contineri. Quare pro parte Aluiſii abbatis & conventus predictorum aſſerentium, quod hoſpitale predictum propter conceſſionem hujuſmodi in reparatione & aliis predictis non modicum ſubivit incrementum, in eoque debita obſervatur hoſpitalitas, nobis ſit humiliter ſupplicatum, ut translationi, conceſſioni & donationi, necnon confirmationi & approbationi predictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur apoſtolice confirmationis adjicere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de premiſſis notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper premiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, translationem, conceſſionem & donationem, necnon confirmationem & approbationem predictas, & quecumque inde ſecuta eadem auctoritate noſtra approbes & confirmes, ac ſuppleas omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXV. idibus martii pontificatus noſtri anno ſexto.

XVIII.

Eugenius IV. *confirmat literas Martini* V. *quibus unitur monaſterium S. Mariæ de Bethleem Bononiæ alteri Camaldulini.*

Anno 1436. V. KL. octobris.

Ex tabulario S. Chriſtinæ de Bononia B. 4.

EUgenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio .. abbati monaſterii ſancti Stephani Bononien. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Martini pape V. predeceſſoris noſtri litere tenoris emanarunt ſequentis. MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio .. abbati monaſterii ſanctorum Naboris & Felicis Bononien. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sedis apoſtolice gratioſa benignitas piis quarumlibet regulari ſub caſtimonia Domino militantium perſonarum votis libenter annuit, & illis pro earum, necnon locorum piorum ſtatu & indemnitate proceſſiſſe comperit, ut illibata perſiſtant libenter apoſtolici complectitur adiici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Petri prioris prioratus ſancte Marie de Camaldulino extra muros Bononienſes Camaldulenſis ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Antonius prior heremi Camaldulenſis Aretine dioceſis provide conſiderans, quod fructus, redditus & proventus dicti prioratus propter guerrarum turbines, que partes illas diutius afflixerant, adeo diminuti erant, quod ipſam pro tempore obtinens de eis congrue ſuſtentari nequibat, eccleſiam ſancte Marie de Bethleem extra muros predictos ejuſdem ordinis per illius monachos gubernari ſolitam, tunc per liberam reſignationem dilecti filii Jacobi Andree Marinarii olim ipſius eccleſie rectoris per eum de illa, quam tunc obtinebat in manibus ejuſdem Antonii prioris extra Romanam curiam ſponte factam, & per ipſum Antonium priorem, cum ad priorem dicte heremi pro tempore exiſtentem ejuſdem eccleſie reſignationis receptio & admiſſio, necnon omnimoda diſpoſitio de antiqua & approbata, ac hactenus pacifice obſervata conſuetudine pertineant, extra eamdem curiam auctoritate ordinaria admiſſam vacantem cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis ipſi prioratui eadem auctoritate univit, annexuit & incorporavit. Quare pro parte ipſius Petri aſſerentis, quod nos poſt modum ſibi per alias noſtras literas dictam eccleſiam, cujus triginta, per eum uſque ad quindecim annos a data predictarum literarum computandos una cum prefato prioratu, cujus quinquaginta Florenorum auri de camera fructus, redditus & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, tenendam, regendam & gubernandam ſub certis modo & forma in commendam concedi mandavimus, & cujus ipſe poſſeſſionem apprehendens illam in uſus ſuos tenet, ac prioratus ejuſdem, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, annexioni & incorporationi predictis, & pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur apoſtolice confirmationis adiicere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui de premiſſis certam notitiam

non

non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis, qui fuerint evocandi, ita esse inveneris, unionem, annexionem & incorporationem predictas, ac quecumque inde secuta auctoritate nostra approbes & confirmes supplendo omnes defectus, si quos forsitan inveneris in eisdem. Non obstantibus constitutionibus *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum II. kal. martii pontificatus nostri anno septimo. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Petri petitio continebat, licet ipso predecessore in humanis agente ad earumdem literarum executionem processum fuerit, ac unio, necnon annexio, & incorporatio predicte sortite extiterint effectum, prefatus tamen Petrus probationibus & adminiculis congruentibus ignis veluti voragine sublatis de executione premissa fidem facere non possit, ipsum monasterium sit ad presens abbatis regimine destitutum, nos igitur ipsius Petri in hac parte supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad executionem literarum hujusmodi auctoritate nostra perinde procedas, ac si ille tibi directe fuissent, tuque dicto predecessore superstite ad executionem prefatam procedere inchoasses. Non obstantibus constitutionibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Bononie anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo tricesimo sexto quinto kalendas octobris pontificatus nostri anno sexto.

N. Colenzoen.

XIX.

Series ecclesiarum quoquomodo subjectarum abbatiæ Vallis-castri.

Anno 1436. XXIII. novembris.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCCC. XXXVI. tempore domini Eugenii pape IV. & die XXIII. mensis novembris. Ego Johannes abbas Vallis-castri volens omnia & singula beneficia spectantia ad monasterium Vallis-castri seu manualia seu commensalia, cujuscumque conditionis existant, insimul in hoc libro reducere & seriatim secundum ipsorum qualitatem censuari, ut singuli ipsa habentes beneficia semel in anno ipsum monasterium debeant visitare, videlicet in festo sancti Romualdi, quod in ipsa & eadem ecclesia, ut principale vocabulum congregentur, & annuatim ad sui honorem & laudem die decimanona mensis junii divina officia celebrentur, & hec Beneficia omnia, que sunt subsecutive dicenda, pertinent ad dictum monasterium Vallis-castri ex vigore cujusdam bulle papalis facte & ab ipsa curia Romana habite tempore domini Urbani pape IV. in anno Domini M. CC. LXII. & die III. januarii; hec enim apparet bulla manu magistri Michaelis de Tolosa, & hec ipsa quidem bulla ad tutelam & cautelam monasterii fuit facta contra omnes & singulos temerarie insurgentes, & volentes monasterium predictum in aliquo ledere, aut ejus membra qualitercumque ad ipsum pertinentia offendere. Et primo:

Ecclesia sancti Nicolai posita in pertinentiis castri Lapiri. *Non possidetur.*

Eccl. sancti Valentini de Monte in predictis pertinentiis.

Eccl. sancte Marie & sancti Venantii de Albacina posita in dicto castro. *Una focaccia.*

Eccl. sancti Johannis de Cerquetis posita in pertinentiis Cerreti. *Unum capretum.*

Eccl. sancti Jacobi de Alba-rocca.

Eccl. sancti Paschasii posita in pertinentiis Lapiri diocesis Camerinensis. *Una porchetta.*

Eccl. sancte Marie de Ficano posita in pertinentiis castri Ficani. *Unum capretum.*

Eccl. sancti Laurentii de Chisiano posita in ipsis pertinentiis. *Argentei quinque.*

Eccl. sancti Angeli de Mielis posita in ipsis pertinentiis. *Ducati tres.*

Eccl. sancti Andree.

Eccl. sancti Romualdi de Fabriano, ubi habitant sorores sancti Romualdi. *Unum manutergium.*

Eccl. sancti Salvatoris Plani-latiani prope Camerinum. *Ducati duo.*

Eccl. sancti Stephani de Canonica posita infra civitatem Camerini. *Argentei quinque.*

Eccl. sancti Petri de Abbatissa.

Eccl. sancte Lucie posita in ipsis pertinentiis. *Unum caldarium olei.*

Eccl. sancti Petri Collis-guetuli posita in ipsis pertinentiis. *Una porchetta.*

Eccl. plebis sancti Venantii de Cerreto cum omnibus ecclesiis ab eadem dependentibus, & omnibus pertinentiis earumdem. *Ducatus unus.*

Eccl. sancti Quirici, vulgo Clerici, de Serra, posita in ipsis pertinentiis dicti castri. *Ducatus unus.*

Eccl.

Eccl. sancti Pauli de Monticulo cum suis pertinentiis. *Ducatus unus*.

Eccl. sancte Laurentie de Monte-ulmo cum suis pertinentiis. *Ducatus unus*.

Eccl. sancti Urbani de Cerquetis.

Eccl. sancti Andree de Paciliano cum omnibus ecclesiis ab eadem dependentibus & omnibus pertinentiis earumdem Firmane diocesis. *Ducati tres*.

Eccl. sancte Marie de Cerro cum omnibus pertinentiis suis diocesis Recanatensis. *Argentei* x.

Eccl. sancti Johannis de Hercule cum omnibus suis pertinentiis diocesis Recanatensis. *Ducati* XI.

Eccl. sancti Salvatoris Decemani cum omnibus ecclesiis ab eadem dependentibus, & omnibus pertinentiis earumdem diocesis Auximensis. *Ducati* II.

Eccl. sancte Marie de Stiola cum omnibus suis pertinentiis Auximensis diocesis. *Argentei* V.

Eccl. sancti Johannis de Camburano cum omnibus suis pertinentiis diocesis Auximanensis. *Argentei* V.

Eccl. sancti Donati de Colle-bassani cum omnibus suis pertinentiis diocesis Nucerinensis. *Una uncia Zafrani*.

Eccl. sancti Stephani de Genga cum omnibus suis pertinentiis Eugubinensis diocesis. *F*. I.

Monasterium Aque-pagane cum omnibus ecclesiis ab ipso monasterio dependentibus, & omnibus pertinentiis earumdem Spoletane diocesis. *F*. V. *& Acossi* I.

Eccl. sanctorum Stephani & Martini de Avenga Camerinensis diocesis. *Spalle* II.

Eccl. sancte Marie de Ploche Camerinensis diocesis. *Spalle* II.

Eccl. sancte Marie in Campo de mensa abbatis. *F*. I.

Eccl. sancti Petri de Moscano manualis monasterii sancti Blasii. *Ducatus* I.

Eccl. sancti Laurentii in Collina manualis monasterii predicti. *F*. I.

Eccl. sancti Stephani de valle Montis-agnani, vulgo Montagnana, manualis predicti monasterii Camerinensis diocesis. *F*. I.

Eccl. sancte Lucie de Collina, que est de mensa abbatis.

Eccl. sancti Angeli de Rosenga manualis predicti monasterii sancti Blasii Camerinensis diocesis. *Ducati* III.

Eccl. sancti Petri de Colcello manualis predicti monasterii sancti Blasii. *F*. I.

Eccl. sancti Stephani de Genga manualis mense predicti monasterii. *Ducatus* I.

Eccl. sancti Salvatoris de Valle manualis mense domini abbatis sancti Blasii. *Fo*. I.

Eccl. sancti Petri de Vembricellis de mensa abbatis sancti Blasii.

Eccl. sancti Michaelis de Lapurano districtus Rocche-contrate Camerinensis diocesis. *Ducati* III.

Eccl. plebis de Colle districtus Rocche-contrate de mensa sancti Blasii.

Eccl. sancti Victoris de Rubiano de mensa sancti Blasii.

Eccl. sancti Blasii de Rogna inter Albacinam & Fabrianum posita, & habet unam vocem in ecclesia sancti Laurentii extra portam Plani. *Unum parum de pollis*.

Eccl. sancti Severini de Serra. *Una coppa grani*.

Eccl. sancte Agathe posita in Fabriano in quarterio sancti Blasii. *Una focatia*.

Alia series ecclesiarum subjectarum monasteriis Valle-castrensi & sancti Blasii de Fabriano ex authentico instrumento Berardi episcopi Camerinensis scripto anno M. D. LXVI. *die* V. *novembris*.

Ecclesia sancti Paterniani de Clausa.
Eccl. sancte Marie de Precicchie.
Eccl. sancti Stephani de Fossatellis.
Eccl. sancti Paterniani de Dorci.
Eccl. sancti Pauli de Perella. Vulgo dicitur etiam sancti Petri.
Eccl. sancti Michaelis de Valdrigaria.
Eccl. sancti Viti de Serra.
Eccl. sancti Laurentii ab Torsia.
Eccl. sancte Marie de Aqua-fosca.
Eccl. sancti Mariani de Alvacina.
Eccl. sancti Paschasii de Alvacina.
Eccl. sancti Angeli de Fabriano.
Eccl. sancte Marie de Fabriano.
Eccl. sancti Andree de Umbriano.
Eccl. sancti Angeli de Muris de Apiro.
Eccl. sancti Angeli de Ferreto.
Eccl. sancti Silvestri de Umbriano.

Aliæ ecclesiæ, vel eædem sub aliis vocabulis Sanctorum adnotantur in quibusdam veteribus notulis Beneficiorum, quæ unitæ leguntur monasteriis supradictis Valle-castrensi & Fabrianensi.

Ecclesia sancti Johannis-baptiste de Precicchiis Camerinensis diocesis.

Eccl. sancti Paterniani de Domo ejusdem diocesis.

Eccl. sancti Salvatoris castri Podii-cupi Esine diocesis.

Eccl. sancte Marie Collis-pepi.

Eccl. sancti Salvatoris in Valle-eremitarum.

Eccl. sanctorum Johannis & Martini extra castrum Ceretti.

Eccl. sancti Angeli de castro Genghe.

Eccl. sancte Marie intra Saxa.

Eccl. sancti Paterniani de Colcello.

Eccl. sancti Martini de Fusano.
Eccl. sancti Donati in castro Fossati.
Eccl. sancti Johannis de Petriolo comitatus Firmi.
Eccl. sancti Paschalis de Frontale.
Eccl. sancti Angeli terre Cinguli.
Eccl. sancte Marie & sancti Laurentii de castro Retrusi.
Eccl. sancte Marie de Grotta.
Ecclesia in villa Sancti-Elie.
Eccl. sancti Romualdi de castro Porcarelle.
Eccl. sancti Severini de Colle-giglione.
Eccl. sancti Urbani castri Apiri.
Eccl. sancti Petri in districtu Frontalis.
Eccl. sancte Lucie de Foresta, que modo diruta est.
Eccl. sancte Marie de Monte-siano.
Eccl. sancti Severini de eodem Monte-siano.
Eccl. sancti Marci & eccl. sancte Agnetis unite monasterio sancti Sebastiani de Fabriano.

XX.

Eugenius IV. *eximit Franciscum abbatem de Carceribus a pensione solvenda matri suæ.*

Anno 1437. VII. januarii.

Ex apographo S. Michaelis de Muriano.

A Tergo: Dilecto filio Francisco abbati sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis.

Eugenius papa IV. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Nuper nobis pro parte tua fuit & tui conventus humiliter supplicatum, quod cum alias dilecte filie genitrici tue de proventibus tui monasterii, & aliorum monasteriorum vel dignitatum ob sustendandam ipsius inopiam misericorditer ei reservavissemus centum quinquaginta ducatos, ut in literis nostris plenius continetur, annuatim ei dandis, & certis causis nobis expositis, & per ven. fratrem nostrum Johannem tituli sancti Petri ad Vincula S. R. E. cardinalem tui ordinis protectorem instantem, ut te ab hujusmodi pensione liberaremus. Nos igitur tuis precibus inclinati petitionem tuam gratanter suscipientes, te ab hac pensione perpetuo eximimus pariter & exoneramus, & literas illas a nobis alias emanatas nullius esse roboris & momenti decernimus & declaramus. Datum Bononie sub anulo nostro secreto die VII. januarii M. CCCC. XXXVI. pontificatus nostri anno sexto.

Blondus.

XXI.

Eugenius IV. *approbat unionem ecclesiæ S. Uberti de Trappola abbatiæ Balneensi.*

Anno 1437. VIII. kl. februarii.

Ex authentico abbatiæ Balneensis.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sancti Angeli de Vergareto Sarsinatensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Digna exauditione vota personarum humilium divinis laudibus, sacreque religionis observantie deditarum apostolico nos convenit favore prosequi, & ipsarum necessitatibus occurrere provisionis gratia congruentis, ac aliis, qua propterea rite processisse comperimus, ut illibata permaneant, apostolici roboris adjicere firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Matthei Antonii prioris prioratus beate Marie Balneensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Camaldulensis ordinis nullius diecesis, nobis exhibita petitio continebat, quod olim quondam Benedictus tunc generalis ordinis Camaldulensis in generali capitulo per fratres ejusdem ordinis in civitate Bretonoriensi celebrato cappellam sancti Uberti de Trapola, prioratum nuncupatum dicto prioratui beate Marie, qui ab olim hospitale fuit, & in quo a quinquaginta annis citra hospitalitas observata non fuit, imperpetuum univit, annexuit & incorporavit, quarum quidem unionis, annexionis & incorporationis, quas etiam dilectus filius Ambrosius dicti ordinis generalis approbavit & confirmavit, vigore prefatus Mattheus ipsius cappelle tunc certo modo vacantis possessionem apprehendit, illamque aliquando tenuit & possedit, prout tenet & possidet pacifice de presenti, quare pro parte dicti Matthei asserentis, quod cappelle quindecim, & prioratus predicti sexaginta florenorum auri de camera fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni, & incorporationi predictis pro firmiori illarum subsistentia robur con-

confirmationis apostolice, & alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de premissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis omnibus & singulis eorumque circumstantiis universis te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi tibi de unione, annexione & incorporatione predictis legitime constiterit, tu illas & quecumque inde secuta auctoritate nostra approbes & confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis juramento, confirmatione apostolica vel qualibet alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Bononie anno incarnationis Dominice millesimo, quadrigentesimo-sexto octavo kal. februarii pontificatus nostri anno sexto.

XXII.

Idem scribit abbati Carcerum, ut se transferat ad concilium Ferrariense.

Anno 1437. xx. octobris.

Ex exemplo archivi S. Michaelis de Muriano.

A *Tergo*: Dilecto filio .. abbati monasterii sancte Marie de Carceribus Paduane.

Eugenius papa IV. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Placet nobis & volumus, & in virtute sancte obedientie devotioni tue precipimus & mandamus, quatinus omnibus postpositis, prout equum est, ad sacrum concilium Ferrariense in festo sancti Martini proxime futuri te personaliter transferas. Datum Bononie sub anulo nostro secreto die xx. mensis octobris pontificatus nostri anno septimo.

Cincius.

XXIII.

Testamentum presbyteri Thomæ de Cremona, in quo de codicibus eorumque pretio mentio fit.

Anno 1438. xxv. septembris.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano. Caps. xvi. 25.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem M. CCCC. XXXVIII. indictione I. die xxv. mensis septembris. Venerabilis vir dominus presbyter Thomas de Cremona confessor sororum seu dominarum monialium sancti Ludovici de Venetiis Castellane diocesis sponte *&c.* donavit *&c.* monasterio & conventui sancti Michaelis de Muriano Torcellane diocesis ordinis Camaldulensis *&c.* infrascripta volumina & libros, & primo quatuor volumina Biblie & Testamenti Novi pretii & valoris, ut dictus donator asseruit, ducatorum auri XXXIV. Item duo volumina Vite Sanctorum Patrum incompaginata, unum literale, aliud vulgare pretii & valoris, ut asseruit, ducatorum auri XLIV. Item alia duo volumina Vite Sanctorum Patrum compaginata unum literale, reliquum vulgare, pretii & valoris, ut asseruit, duc. auri XLII. Item unum librum Collationum Patrum vulgarem pretii & valoris duc. auri VII. ut asseruit. Item unum librum Expositionum super Genesim pretii *&c.* duc. xv. Item duos libros Ugonis Panciera vulgares pretii *&c.* duc. auri x. Item duos libros Johannis Climaci unum literalem, reliquum vulgarem pretii *&c.* duc. auri XII. Item unum librum Evangeliorum vulgarem pretii *&c.* duc. auri VIII. Item unum librum Actuum apostolorum cum Expositionibus pretii *&c.* duc. auri VII. Item unum librum transitus sancti Hieronymi cum uno tractatu de Casibus, qui vocatur Speculum mundicie pretii *&c.* duc. auri VII. Item unum librum Patientie & Impatientie pretii *&c.* duc. auri VI. Item unam Pisanelam pretii *&c.* duc. auri xv. Item Epistolas sancti Hieronymi ad sanctum Augustinum, & e converso pretii *&c.* duc. auri xv. ad habendum, tenendum *&c.* volens ipse donator, quod fratres seu monachi dicti monasterii presentes & futuri teneantur & obligati sint per unum ipsorum celebrari facere quotidie in dicta ecclesia sancti Michaelis in perpetuum unam Missam pro anima dicti donatoris & suorum parentum

rentum & attinentium atque benefactorum &c.

Ego Bartholomeus Almerici de Tarvisio habitator Venetiarum &c. notarius &c. scripsi &c.

XXIV.

Eugenius IV. committit administrationem monasterii S. Jo. de Judaica abbati Carcerum.

Anno 1439. III. id. septembris.

Ex apographo archivi S. Michaelis.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Francisco abbati monasterii beate Marie ad Carceres, administratori prioratus sancti Johannis de Judaica Camaldulensis ordinis Paduane & Castellane diocesum in spiritualibus & temporalibus per sedem apostolicam deputato salutem & apostolicam benedictionem. Ad exequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes circa ecclesiarum & monasteriorum omnium statum prosperum dirigendum, aciem nostre considerationis extendimus, & ut in illis devote sollicitudinis studio laudetur Altissimus, & divinus cultus restauretur in dies & suscipiat incrementum, vigilantie nostre curas ferventius adhibemus, ecclesiarum & monasteriorum ipsorum consulendo necessitatibus & opportunitatibus providendo. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat prioratus sancti Johannis de Judaica Camaldulensis ordinis Castellane diocesis, cui olim dilectus filius Jacobus illius prior presidebat, & in quo nonnisi duo in sacerdotali & unus in minoribus ordinibus dumtaxat monachi constituti existunt, quique divinis officiis & monachorum numero, qui illa exerceant, carere noscuntur de presenti, ex eo quod venerabiles fratres nostri Thomas Racanatensis & Ludovicus Tarvisinus episcopi apostolica ad id auctoritate suffulti, cum certo eis in hac parte collega, eumdem Jacobum propter hoc ad eorum presentiam legitime vacatum suis culpis & demeritis exigentibus dicto prioratu ejusque regimine & administratione per definitivam sententiam, que nulla procuratione suspensa in rem transivit judicatam, eadem auctoritate privaverunt & amoverunt, realiter ab eisdem vacaverit & vacet ad presens, tuque & qui sub regulari observantia vivunt ejusdem tui monasterii monachi in illo propter guerras & stipendiariorum molestias residere secure, & Altissimo famulari quiete minime valeatis, nec tu locum aliquem habeas, ubi cum eisdem tuis monachis residere, quousque, qui juvenes sunt, in hujusmodi observantia & obsequiis absque ipsorum animarum periculo valeant preservari, pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi tam pro bono & reparatione dicti prioratus, qui magnis debitis pregravatur, quam pro salute animarum monachorum eorumdem tuorum, prioratum ipsum, cujus fructus, redditus & proventus ducentorum florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, ut in illo tu cum monachis tuis predictis residere, ac sedulum ac devotum Altissimo famulatum reddere valeatis in administrationem usque ad nostrum beneplacitum concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque prioratui predicto paterno compatientes affectu, te religionis zelo conspicuum, vite & morum honestate decorum, in spiritualibus providum & temporalibus circumspectum prioratus ejusdem cum omnibus juribus & pertinentiis suis administratorem usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica facimus, constituimus, & tenore presentium deputamus, curam, regimen & administrationem illius tibi in spiritualibus & temporalibus plenariam committendo, ut prioratum ipsum juxta datam tibi a Deo prudentiam regas, dirigas & augmentes, ita quod beneplacito durante predicto debitis & consuetis prioratus ejusdem supportatis oneribus, residuos fructus, redditus & proventus in satisfactionem debitorum predictorum, & illis satisfactis in reparationem prioratus ejusdem applices & convertas; alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dicti prioratus tibi penitus interdicta. Volumus autem, quod omnia & singula, que ad officium administrationis hujusmodi pertinent de consuetudine vel de jure, libere & licite valeas exercere. Quodque eosdem dicti prioratus monachos, si in hujusmodi observantia vivere non potuerint vel forte noluerint, juxta ejusdem prioratus consuetudinem de illius fructibus, redditibus & proventibus manuteneas & gubernes. Quodque ipsi beneplacito durante hujusmodi tibi effectualiter tamquam eorum vero priori pareant & intendant; constitutionibus apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus prioratus & ordinis predictorum, & aliis

aliis contrariis nonobstantibus quibuscumque. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam, regimen & administrationem predicta suscipiens reverenter, sic te circa illa sollicite, fideliter & prudenter exercenda diligenter exhibeas, ac etiam studiosum, quod prioratus ipse gubernatori provido & fructuoso administratori gaudeat se commissum: quodque preter eterne retributionis premia nostram & apostolice sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXVIIII. III. idus septembris pontificatus nostri anno VIIII.

Rta gratis. B. de Monte-sancto.

XXV.

Provisores communis Venetiarum approbant conventiones inter monasteria S. Michaelis de Muriano & S. Andreæ de Aimanis.

Anno 1439. XXIII. martii.

Ex originali in tabulario S. Michaelis.

IN Christi nomine amen. Anno a nativitate ejusdem M. CCCC. XXXIX. die XXIII. martii in Rivoalto ad officium dominorum provisorum communis Venetiarum, presentibus nobile viro Andrea Teupolo quondam Petri de confinio sancti Pauli &c. Nobiles & egregii viri domini Michael Leone, Bernardus Nani, & Bernardus Navajero provisores communis &c. vigore duarum partium in consilio Rogatorum; videlicet unius nomine monasterii sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis Torcellane diocesis, relique vero nomine monasterii sancti Andree de Aimanis dicte diocesis Torcellane ordinis sancti Benedicti vendiderunt ad publicum incantum die XI. decembris proxime elapsi certas domos positas in contrata sancti Johannis Baptiste de Venetiis supra canali magno & in oppositum hospitalis Pietatis ser Andree Lio patrono navis pretio ducatorum octingentorum, de quo pretio domini provisores &c. emerunt ducatorum tria milia imprestitorum ad rationem ducatorum viginti-trium pro centenario, quorum ducatorum trium milium fuerunt scripti dicto monasterio sancti Michaelis die XIV. mensis februarii M, CCCC. XXXVIII. ducati mille in sexterio sancti Pauli, & die XVI. dicti mensis februarii scripti fuerunt alii ducati mille imprestitorum eidem monasterio sancti Michaelis in sexterio Dorsi duri, & ducati septingenti imprestitorum fuerunt scripti die XVI. mensis februarii predicti dicto monasterio sancti Andree de Aimanis in sexterio sancte Crucis, & ducati trecenti imprestitorum fuerunt suprascripto die XVI. februarii scripti eidem monasterio sancti Andree in sexterio Dorsi duri. Et cum, ut asseritur, die XIX. mensis instantis reperientibus simul in predicto monasterio sancti Michaelis de Muriano reverendo in Christo patre domno Paulo Venerio Dei gratia abbate ipsius monasterii, domino domno Felice priore claustrali ejusdem monasterii & domno Petro Boldu, & strenuo & generoso viro domino Jacobo Foscari filio serenissimi principis domini Francisci Foscari Dei gratia inclyti ducis Venetiarum &c. & egregio & nobili viro domino Alexandro Georgio quondam domini Nicolai, & loquentibus una convenerunt & devenerunt concorditer ad infrascripta pacta & conventiones medio predicti domini Jacobi Foscari, videlicet quod dicta imprestita sic dividi debeant, scilicet quod ducati duomilia imprestitorum scripti, ut predicitur, predicto monasterio sancti Michaelis remaneant scripti dicto monasterio &c. & alii ducati mille &c. remaneant scripti predicto monasterio sancti Andree &c. cum hoc quod ducati centum exigi debent &c. Unde constituti personaliter coram presentia egregii & nobilis viri domini Bernardi Nani honorandi provisoris communis &c. frater Nicolaus Michael prior dicti monasterii sancti Andree &c. ex una parte, & egregius & nobilis vir dominus Michael Venerio quondam spectabilis & egregii viri domini Marini sindicus &c. domni Pauli Venerio abbatis &c. ex altera &c. auditis &c. ipsa pacta &c. approbaverunt &c.

Ego Bartholomeus Almerici de Tarvisio habitator Venetiarum &c. notarius &c. scripsi &c.

XXVI.

Eugenius IV. concedit monachis S. Michaelis indulgentiam plenariam in articulo mortis.

Anno 1440. X. KL. julii.

Ex autographo ejusdem archivi. XII. 6.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. abbati & conventui, ac conversis & oblatis monasterii sancti

cti Michaelis de Murano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis presentibus & futuris salutem & apostolicam benedictionem. Provenit ex vestro devotionis affectu, quo nos & Romanam ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras, illas presertim, que animarum vestrarum salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor idoneus, quem quilibet vestrum duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti & ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia & devotione nostra & successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestre tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, tam vobis per vos, si supervixeritis, vel per alios, si tunc forte transieritis, faciendam injungat, quam vos vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini proclivio-res ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte committeretis, quod illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Et insuper quod per unum annum a tempore, quo presens nostra concessio ad vestram notitiam pervenerit, computandum, singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, jejunetis. Et si in dicto anno, vel aliqua ejus parte effetis legitime impediti, anno sequenti, vel alias quamprimum poteritis modo simili supplere hujusmodi jejunium teneamini. Porro si forsan alias prelibatum jejunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commode nequiveritis, eo casu confessor ipse, quem ad hoc elegeritis, jejunium ipsum in alia pietatis opera, prout animarum vestrarum saluti expedire viderit, commutare valeat, que vos pari modo debeatis adimplere. Alioquin hujusmodi presens nostra concessio nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo &c. nostre concessionis & voluntatis &c. Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXX. X. kalendas julii pontificatus nostri anno decimo.

B. Palavicinus.

XXVII.

Alexander Sfortia Marchiæ generalis gubernator declarat exemptos a solutione cujusdam gabellæ clericos & monachos Fabrianenses.

Anno 1440. III. septembris.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe. XV. 23.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCCC. XL. indictione III. tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Eugenii divina providentia pape IV. & die III. mensis septembris presentibus egregiis viris ser Guaspare ser Honofrio de Vixa milite socio ven. & famosissimo juris utriusque doctore domino Andrea de comitibus Castelli de civitate Novarie cive .... & ser Nicolao Antonii Pasqualis de Cingulo officiale extraordinariorum supradicti domini potestatis testibus ad predicta habitis, vocatis & rogatis. Ven. & religiosi viri dominus Nicolaus de Perusio decretorum doctor & procurator ecclesie sancti Venantii pro sua ecclesia & pro suo interesse, ac suorum clericorum, & ven. vir magister Stephanus generalis ordinis Montis-fani etiam pro se & interesse omnium monasteriorum suorum sitorum in dicta terra Fabriani, & domnus Johannes abbas monasterii Vallis-castri & sancti Blasii etiam pro interesse dictorum suorum monasteriorum, & etiam ven. domnus Vicus procurator sancti Nicolai pro interesse suo & dicte ecclesie constituti in presentia prefati domini potestatis & commissarii existentis in palatio ejus solite residentie in sala superiori dicti palatii positi in terra Fabriani in platea magna juxta vias communis & alia latera, quamdam supplicationem, cum rescripto illustrissimi domini, videlicet uno sigillo rotundo cum uno scuto intus habente faciem Leonis in eo sculptam, obtulerunt, presentaverunt & dederunt, eumdem dominum potestatem & commissarium sollicite requirentes, quod procederet & exequeretur juxta ipsarum continentiarum literarum, quam siquidem supplicationem supra scriptus dominus potestas & commissarius reverenter accepit, recepit & perlegit, ejus autem tenor supplicationis, prout ego notarius infrascriptus vidi & legi, talis est.

Supplicant infrascripti viri religiosi specifice & pro se ipsis & toto clero terre Fabriani vestri omnes devotissimi & fide-

fideliſſimi ſervitores, videlicet dominus Nicolaus de Peruſio, &c. *ut ſupra*, & omnes etiam & ſingule alie perſone ecclesiaſtice & religioſe de dicta terra Fabriani pro intereſſe uniuſcumque ſuo & ſuarum eccleſiarum, dicentes omnes predicti & querelantes & exponentes, quod nuperrime contra libertates eccleſiarum & perſonarum religioſarum, & contra jus divinum & humanum eſt factum in terra Fabriani quoddam publicum preconium pro parte poteſtatis dicte terre & magnificorum priorum emanatum, quod omnes & ſinguli de dicta terra, & nomine tam clerici quam laici, tam ſeculares perinde quam eccleſiaſtici nemine excepto, qui recollegerunt granum & quodlibet aliud genus frumenti in terra Fabriani, & reportaverunt in dicta terra, teneantur & debeant ſolvere apud portam ſeu apud caſſetam poſitam ad portas dicte terre certam quantitatem pecunie pro qua libet ſalma ſeu menſura ſub certa pena. Verum quia licet dictum preconium ſeu aliud ordinamentum, ſi quod procedit de jure, ſit nullum, irritum & caſſum, in quantum ſe extendat & comprehendat perſonas ſupraſcriptas & auferat in aliquo privilegia eccleſiarum vel clericorum ...... & nihilominus ſic de facto extitit emanatum & extat. Quare pro parte ſupradictorum, & nominibus quibus ſupra, recurritur ad veſtram magnificam & excellentiſſimam dominationem, & ipſam cum inſtantia deprecantur, quatenus dirigatur attentis rationibus ſupradictis & privilegiis juris conceſſis eccleſiaſticis & eccleſiis, & attenta fidelitate & devotione clericali, & reverentia, que non infertur clericis, ſed Deo, reſcribere & mandare officialibus & procuratoribus dicte terre, quod nonobſtante aliquo ordinamento facto vel fiendo, ſeu nonobſtante aliquo preconio facto vel fiendo, etiam ipſi debeant & permittant reponere & reportare intra dictam terram Fabriani clericos quoſcumque aut alias perſonas eccleſiaſticas de rebus pertinentibus & expectantibus ad eccleſias & loca religioſa & pia, & ad clericos, viroſque religioſos granum & unumquodque aliud genus frumenti abſque ſolutione alicujus collecte ſeu oneris impoſiti ſeu imponendi cujuſcumque conditionis exiſtat, & libere & ſecure, & omni gravamine & impedimento ceſſante, quibuſcumque in contrariis ordinamentis facientibus nonobſtantibus. Et hoc petunt eis fieri de gratia ſpeciali, licet juſtum & honeſtum ſit, & ita reputabunt fieri de gratia ſingulariſſima a veſtra magnifica excelſa dominatione, quam Deus conſervet in feliciſſimo ſtatu, amen.

Alexander Sforzia comes Cotignole Vice-marchio ac generalis gubernator &c. mandamus poteſtati, prioribus & aliis offiialibus Fabriani, ut contra debitum juris in executione dictarum gabellarum, & contra ſupplicationes predictas nil facere attemptent, nec preſumant aliquo queſito colore.

Idem Alexander manu propria.

Antonius auditor &c. Franciſcus &c.

Sequitur inde mandatum exequutorium factum a præſidibus Fabrianenſibus juxta allatum reſcriptum.

XXVIII.

Eugenius IV. unit abbatiæ Vallis-caſtri alteram S. Urbani ad Æſinantem.

Anno 1441. v. januarii.

Ex chartulario S. Blaſii de Fabriano.

IN Dei nomine, amen. Hec eſt copia, exemplum ſive tranſumptum cujuſdam publici inſtrumenti reperti in membranis in archivo monaſterii ſancti Blaſii de Fabriano ſcripti & rogati manu ſer Jacobi Benedicti de Domo olim notarii publici de Fabriano in publicam & authenticam formam cum ſigno dicti notarii tenoris infraſcripti, videlicet:

In Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCCC. XLI. indictione IV. tempore domni Eugenii pape IV. die quinta menſis januarii. Actum in terra Fabriani in loco ſeu monaſterio ſancti Blaſii de Fabriano in quadam camera ſita in dicto monaſterio juxta res dicti monaſterii a tribus lateribus, & domum quondam magiſtri Aloyſii magiſtri Pacis de Fabriano, preſentibus domno Baſtiano Benedicti Nicolucci prepoſito ſancti Michaelis, & domno Petro Franciſci de Fabriano teſtibus rogatis. Rev. in Chriſto pater domnus Johannes ſer Cicchi de Foſſato abbas monaſterii Vallis-caſtri Camerinenſis dioceſis & Camaldulenſis ordinis exhibuit, & preſentavit & produxit egregio decretorum doctori viro rev. domino Nicolao Andree de Peruſio priori eccleſie collegiate ſancti Venantii de Fabriano & in hac parte commiſſario domini noſtri domni Eugenii pape IV. literas apoſtolicas cum bullis plumbeis appenſis a pede ipſarum literarum more Romane curie, in quibus quidem bullis ab uno latere apparebant litere dicentes:

Eugenius papa IV. & ab alio latere apparebant sculpta capita beatorum apostolorum Petri & Pauli cum his literis S. Pe. S. Pa. quarum bullarum tenor talis sequitur infrascriptus.

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Johanni tituli sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali salutem & apostolicam benedictionem. Cunctis orbis ecclesiis & monasteriis disponente Domino presidentes circa singulorum statum prosperum studiosis desideriis vigilamus, eaque sic cupimus utilis provisionis auxilio dirigi, ut ecclesie & monasteria ipsa auctore Domino incrementis felicibus valeant adaugeri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Eustachii abbatis monasterii Vallis-castri Camaldulensis ordinis Camerinensis diocesis petitio continebat, quod cum monasterium sancti Urbani de Asinante monachorum nigrorum ordinis sancti Benedicti dicte diocesis in suis edificiis & structuris sit collapsum, & jam longis temporibus in eo monachi non resederunt, neque resident, ejusque possessiones pro maxima parte inculte & male tractate existunt, cujus fructus, redditus & proventus ultra quinquaginta florenos auri secundum communem estimationem annuatim non valent: & si monasterium sancti Urbani predictum prefato monasterio Vallis-castri perpetuo uniretur & incorporaretur & annecteretur, idem abbas predictum monasterium sancti Urbani in suis edificiis repararet & reparari faceret, ac possessiones ejusdem ad debitam culturam reduceret, & in ecclesia dicti monasterii sancti Urbani Missas & alia divina officia faceret celebrari. Quare pro parte ejusdem Eustachii abbatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cedente vel decedente moderno abbate dicti monasterii sancti Urbani, seu illius regimen & administrationem alias quomodolibet dimittente, monasterium ipsum eidem monasterio Vallis-castri in perpetuum unire, annectere & incorporare de speciali gratia dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, ac de premissis certam notitiam non habentes circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis auctoritate nostra diligenter informes, & si per informationem hujusmodi supplicationibus ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, predictum monasterium sancti Urbani cum omnibus juribus & pertinentiis suis prefato monasterio Vallis-castri, cujus fructus, redditus & proventus centum & quinquaginta florenorum auri secundum estimationem predictam valorem annuum non excedunt, auctoritate nostra in perpetuum unias, incorpores & annectas, ita quod liceat eidem Eustachio abbati & successoribus suis corporalem possessionem monasterii sancti Urbani, juriumque & pertinentiarum predictarum auctoritate propria apprehendere, & in suos & dictorum monasteriorum usus licite & libere convertere & perpetuo retinere, diocesani loci & alterius cujuscumque licentia super hoc minime requisita, nonobstantibus constitutionibus apostolicis, ac statutis, & constitutionibus monasteriorum & ordinum predictorum quibuscumque contrariis juramento, confirmatione apostolica vel alia quacumque firmitate vallatis, provisoque quod in dicta ecclesia Misse & alia divina officia congrue celebrentur, ac ipsius consueta onera debite supportentur. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXII. XII. kal. martii pontificatus nostri anno I. Tenor vero alterius bulle talis est, videlicet:

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . priori secularis & collegiate ecclesie sancti Venantii de Fabriano Camerinensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Apostolice sedis providentia circumspecta pia vota fidelium congruo favore prosequitur, & circa illa, que monasteriorum & aliorum piorum locorum relevationem, necnon divini cultus exigentiam concernere dignoscuntur, libenter intendit, & quantum sibi ex alto permittitur, necessitatibus occurrens de provisionis auxilio providet opportuno. Dudum siquidem per nos accepto, quod monasterium sancti Urbani de Asinante monachorum nigrorum ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis, quod in suis structuris & edificiis erat collapsum, & in eo jam longis temporibus monachi non resederant, neque tunc residebant, ejusque possessiones pro magna parte inculte & male tractate existebant, monasterio Vallis-castri Camaldulensis ordinis dicte diocesis uniretur, annecteretur & incorporaretur, abbas tunc dicti monasterii Vallis-castri prefatum monasterium sancti Urbani in suis edificiis repararet & reparari faceret, & alias ad divinum cultum

tum reduceret, & reduci faceret congruenter: Nos dilecto filio nostro Johanni tituli sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut si habita super premissis informatione decenti, ita esse reperiret, predictum monasterium sancti Urbani cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio Vallis-castri in perpetuum uniret, annecteret ac etiam incorporaret, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Gometii prioris prefati ordinis Camaldulensis petitio continebat propter absentiam dicti cardinalis a Romana curia commissio hujusmodi non fuerat hucusque executioni debite demandata, & abbates, qui tunc eisdem monasteriis presidebant, fuerint vita functi, pro parte Gometii prioris predicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterium sancti Urbani predictum, quod per obitum Bartholomei de Perusio olim ipsius monasterii sancti Urbani abbatis extra predictam curiam defuncti vacat ad presens, ordini Camaldulensi unire, annectere & incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus ad hujusmodi primarum literarum prefato cardinali, ut premittitur, directarum executionem auctoritate nostra procedens prefatum monasterium sancti Urbani, ut premittitur, vel alio quovis modo vacans, & illi non sit alias de abbate canonice provisum, cujus quinquaginta, eidem monasterio Vallis-castri, cujus centum & quinquaginta florenorum auri fructus, redditus & proventus secundum communem estimationem valorem annuum non excedunt, alias juxta ipsarum literarum continentiam atque formam cum omnibus juribus & pertinentiis ejus in perpetuum unias, incorpores & annectas, ita quod liceat abbati & successoribus ejus abbatibus pro tempore existentibus, necnon conventui ipsius monasterii Vallis-castri tam presentium, quam aliarum literarum prefatarum vigore corporalem possessionem monasterii sancti Urbani jurium & pertinentiarum predictarum auctoritate propria apprehendere & perpetuo retinere, ipsiusque fructus, redditus & proventus in suos & dictorum monasteriorum usus & utilitatem libere & licite convertere, diocesani loci & alterius cujuscumque licentia super hoc minime requisita. Nonobstantibus constitutionibus *&c. ut supra*. Datum Florentie anno incarnationis Dominice M. CCCC. XL. quarto idus novembris anno X. pontificatus nostri.

In Dei nomine, amen. Anno Domini M. CCCC. XLI. indictione IV. tempore domni Eugenii pape IV. die XXX. mensis januarii. Actum in terra Fabriani in domibus ecclesie sancti Venantii de Fabriano in quadam camera solite residentie infrascripti domini prioris sita in dictis domibus juxta res dicte ecclesie undique, presentibus domino Petro Francisci Vagnoli de Fabriano canonico ecclesie predicti sancti Venantii, & domno Angelo Deotesalvi de Monte-sancto priore ecclesie sancti Johannis de Petriolo, & domno Bartholomeo Johannis de Cherso priore ecclesie sancte Lucie de Ancona testibus rogatis. Nos Nicolaus Andree de Perusio decretorum doctor prior ecclesie collegiate sancti Venantii de Fabriano & in hac parte commissarius sanctissimi domini nostri domni Eugenii divina providentia pape IV. Cum per rev. virum domnum Johannem ser Cicchi de Fossato abbatem monasterii Vallis-castri fuerint nobis presentate due bulle dicti sanctissimi domini nostri super unione infrascripta, quarum una fuit directa rev. in Christo patri domno Johanni tituli sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali, alia vero nobis continens in effectu tenorem dicte prime: Cumque per nos fuerint cum omni debita reverentia acceptate, ut patet manu infrascripti notarii, & earum & cujuslibet ipsarum considerato tenore, & volentes, ut tenemur, jussa domini nostri executioni mandare, recepimus & examinavimus testes idoneos, & fide dignos super contentis in dictis bullis & literis apostolicis, & habita plena & vera informatione de veritate precum & contentorum in ipsis bullis tam per testes examinatos per nos, quam etiam per relationem multorum de predictis contentis in ipsis literis informatorum, & quod unio antedicta & infrascripta erat & cedebat ad commodum & utilitatem monasteriorum Vallis-castri & sancti Urbani infrascriptorum, Christi & gloriose matris ejus virginis Marie & sanctorum Romualdi & Urbani & totius curie celestis nominibus invocatis sedentes pro tribunali in quodam banco ligneo existente in loco supradicto, quem locum quoad infrascripta & suprascripta pro tribunali & juridico eligimus & deputamus, monasterium sancti Urbani de Asinante mona-

monachorum nigrorum Camerinensis diocesis cum omnibus membris & juribus suis cum monasterio sancti Romualdi de Val de Castro Camerinensis diocesis & Camaldulensis ordinis unimus, annectimus & incorporamus secundum formam & tenorem dicte nostre commissionis cum potestate & facultate nobis in dictis bullis & literis apostolicis secundum formam & dispositionem dictarum literarum, & prout firmius & validius facere possemus & debemus.

Et ego Jacobus Benedicti Nicolutii de Domo imperiali auctoritate notarius presentationi supradictarum bullarum apostolicarum supra registratarum & unioni supradicte dictorum monasteriorum & omnibus supradictis interfui *&c.* scripsi *&c.* publicavi *&c.*

XXIX.

Idem concedit monachis S. Michaelis de Muriano indulgentiam Stationum de Urbe.

Anno 1441. v. id. januarii.

Ex veteri exemplo ejusdem monasterii.

BEATISSIME PATER. Ut animarum saluti devotorum oratorum vestrorum abbatis & fratrum & conversorum pro tempore monasterii & conventus sancti Michaelis archangeli de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis utilius consulatur, ipsique ad divinorum contemplationem eo ferventius animentur, quo per hoc majora gratiarum munera se perceperint adepturos, supplicant Sanctitatem Vestram humiliter, quatenus ipsis omnibus & eorum singulis, qui in diebus, in quibus stationes apud certas alme Urbis ecclesias a Romanis pontificibus predecessoribus vestris indicte sunt, & presertim in prima die quadragesime usque ad octavam Pasche resurrectionis domini nostri Jesu Christi inclusive tria altaria dicte domus per eos ad hoc deputanda visitaverint in perpetuum, quacumque die dictarum stationum contriti & confessi id egerint, illam indulgentiam & remissionem peccaminum consequantur, quam consequerentur, si supradictas ecclesias Urbis diebus, quibus apud eas dicte stationes vigent, personaliter visitarent, misericorditer concedere & indulgere dignemini de gratia speciali; indultis & constitutionibus Sanctitatis Vestre cancellarie regulis factis & fiendis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque cum clausulis oportunis. *Concessum, ut petitur, quamdiu vixerint in observantia regulari. In presentia domini nostri pape. C. Ariminensis.*

Ac etiam quod hujusmodi gratia & concessio ad modernos procuratores dicti monasterii laicos se extendat. *Concessum. C. Ariminensis.*

Et quod hujusmodi supplicationis simplex signatura sufficiat absque hoc, quod litere apostolice desuper expediantur. *Concessum. C. Ariminensis.*

Datum Florentie quinto idus januarii anno decimo.

XXX.

Idem cedit Florentinis oppidum Burgi S. Sepulcri.

Anno 1441. VI. Kl. martii.

Ex regesto Vaticano lib. XVI. *fol.* 207.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis communitati & populo civitatis Florentie salutem & apostolicam benedictionem. Cum vos propter multiplicia, ac varia expensarum onera nobis & Romane ecclesie incumbentia, atque supportanda camere apostolice, quibus propter temporum conditiones non suppetunt facultates, nobis mutuo dederitis, & concesseritis Florenorum auri de sigillo millia viginti-quinque, que nomine vestro per manus dilecti filii nobilis viri Cosmi Johannis de Medicis domicelli Florentini accepimus in pecunia numerata, nos volentes, prout equum est, vestre indemnitati ac securitati in hoc debito providere, Terram Burgi sancti Sepulcri ad nos, & prefatam ecclesiam pleno jure spectantem cum omnibus territorio, juribus & pertinentiis suis auctoritate apostolica vobis pignori, & loco pignoris pro eisdem viginti-quinque millibus Florenis damus, concedimus & assignamus vobis, interim donec ipsam Terram in pignus hujusmodi tenueritis, merum & mixtum imperium, gladiique potestatem & omnimodam jurisdictionem temporalem, que per ipsam ecclesiam inibi exerceri consueverunt, ac quod in eadem potestatem & alios consuetos officiales & castellanos pro tempore ponere & deponere, fructusque, redditus, introitus & proventus dicte Terre exigere & percipere, ac de illis pro libito voluntatis libere disponere & ordinare, omniaque & singula, que ad regimen, gubernationem, tute-

tutelam & defenſionem ipſius terre uti-
lia, neceſſaria & opportuna fuerint, face-
re & diſponere poſſitis, eadem auctori-
tate vobis concedimus. Volumus inſu-
per, ut prefatam Terram, ejuſque habi-
tatores & incolas ad noſtrum & ſancte
Romane eccleſie ſtatutum, & honorem
juſte regere & gubernare, & conſervare
teneamini, quodque nullas novaſque ga-
bellas, vectigalia vel pedagia, ſeu alia
onera inſueta, aut exactiones vel impoſi-
tiones, niſi conſuetas imponere vel exi-
gere in ipſa Terra modo aliquo debea-
tis, quodque quandocumque vel per nos
vel ſucceſſores noſtros prefata viginti-quin-
que millia Florenorum de ſigillo vobis
fuerint reddita, ex tunc prefatam Terram
cum juribus, territorio & pertinentiis
prefatis nobis vel eiſdem ſucceſſoribus re-
ſtituere teneamini abſque contradictione
quacumque.

Datum Florentie anno incarnationis
Dominice milleſimo quadragenteſimo qua-
drageſimo-primo VI. KL. martii pontifi-
catus noſtri anno decimo.

M. de Piſtorio.

XXXI.

Idem concedit Alberto monacho prioratum SS. Margaritæ & Catharinæ de Maſſaccio.

Anno 1441. V. KL. octobris.

Ex autographo S. Blaſii de Fabriano.

EUgenius epiſcopus ſervus ſervorum
Dei dilectis filiis .. generali ordi-
nis Silveſtrinorum, & .. abbati Vallis-ca-
ſtri Camerinenſis dioceſis & .. abbati bea-
te Marie de Mollis Exine dioceſis ſalu-
tem & apoſtolicam benedictionem. Vite
ac morum honeſtas aliaque laudabilia pro-
bitatis & virtutum merita, ſuper quibus
apud nos dilectus filius Albertus Franci-
ſci de caſtro Maſſaccii ordinis Camaldu-
lenſis, rector eccleſie & monaſterii ſan-
cte Margarite & Catharine extra muros
dicti caſtri Maſſaccii Exine dioceſis mo-
nialium ordinis ſancti Benedicti, fide di-
gno commendatur teſtimonio, nos indu-
cunt, ut ſibi reddamur ad gratiam libe-
rales. Dudum ſiquidem omnes eccleſie
& monaſteria monialium, ceteraque be-
neficia eccleſiaſtica tunc apud ſedem apo-
ſtolicam vacantia & in antea vacatura col-
lationi & diſpoſitioni noſtre reſervantes
decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi
ſecus ſuper his a quoquam quavis aucto-
ritate faciente ſcienter, vel ignoranter
contingeret attemptari. Cum itaque poſt-
modum eccleſia & monaſterium predictum
nullo medio tenetur ſolvere annuatim pro
cenſu & fictu venerabili fratri tituli ſan-
cti Marci S. R. E. diacono ſacroſancte ba-
ſilice Lateranenſis archipresbytero & di-
lectis filiis capitulo ipſius baſilice unam
libram cere, & ad preſens caret rectore,
quia nulli per ſedem apoſtolicam de cu-
ra illius monaſterii eſt conceſſum, pre-
dictis de cauſis apud ſedem ipſam vaca-
viſſent & vacarent, tunc nulluſque de
illis preter nos ea vice diſponere potuiſ-
ſet, ſive poſſet reſervatione & decreto ob-
ſiſtentibus ſupradictis. Nos volentes ei-
dem Alberto premiſſorum ſuorum meri-
torum intuitu gratiam facere ſpecialem,
eccleſiam & monaſterium predictum, quo-
rum fructus, redditus & proventus XL.
Florenorum auri de camera ſecundum
communem extimationem valorem an-
nuum, ut idem Albertus aſſerit, non
excedunt, ſive premiſſo, ſive alio quo-
vis modo, aut ex alterius cujuſcumque
perſona vacarent, etiam ſi tanto tempo-
re vacaviſſent, quod eorum collatio jux-
ta Lateranenſis ſtatuta concilii ad ſedem
predictam legitime devoluta, vel ipſi ec-
cleſia & monaſterium diſpoſitioni apoſto-
liee ſpecialiter, vel alias generaliter re-
ſervati exiſterent, & ſuper eis inter alios
lis, cujus ſtatum noſtris literis haberi vo-
lumus pro expreſſo, penderet indeciſa,
dummodo eorum diſpoſitio ad nos dum-
taxat ea vice pertineret, cum plenitudi-
ne juris canonici, ac omnibus juribus &
pertinentiis ſuis apoſtolica eidem Alber-
to auctoritate contulimus, & de illis
etiam providimus, ſervato tamen jure
capituli Baſilice Lateranenſis, decernen-
tes prout erat, irritum & inane, ſi ſecus
ſuper his a quoquam quavis auctoritate
ſcienter vel ignoranter attentatum forſan
erat tunc, vel impoſterum contigerit at-
tentari. Non obſtantibus &c. Quocirca
diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta
mandamus, quatenus vos vel duo aut
unus veſtrum per vos vel alium, ſeu
alios eumdem Albertum, vel procurato-
rem ſuum ejus nomine in corporalem
poſſeſſionem dicte eccleſie & monaſterii
juriumque & pertinentiarum predictorum
inducatis auctoritate noſtra & defendatis
inductum, amoto exinde quolibet deten-
tore &c. Non obſtantibus &c. Datum
Florentie V. KL. decembris pontificatus
noſtri anno XI.

Pro F. de Padua.

C. de Monte-politiano.

XXXII.

XXXII.

Idem dilargitur monachis S. Michaelis de Muriano, ut abſolvi poſſint ab omnibus cenſuris &c. ſi quando indigerent.

Anno 1442. nonis octobris.

Ex autographo S. Blaſii de Fabriano.

BEATISSIME PATER, Ut animarum ſaluti devotorum oratorum veſtrorum abbatis monaſterii ſancti Michaelis de Muriano Camaldulenſis ordinis Torcellane dioceſis, ac monachorum & novitiorum & converſorum dicti monaſterii fructuoſius conſulatur, ſupplicat Sanctitatem Veſtram humiliter Paulus Venerio abbas preſens, quatenus ipſi, ut ſinguli confeſſores dicti monaſterii per ipſum abbatem & ſucceſſores ſuos deputati & deputandi omnes & ſingulos fratres profeſſos atque novitios cum propoſito profitendi, necnon converſos, donatos & oblatos perpetuo preſentes & futuros dicti monaſterii ab omnibus & ſingulis ſuis peccatis omnibus exceſſibus & delictis etiam quantumcumque enormibus, & a quacumque ſymonia in curia, vel alias ubicumque ante & poſt ingreſſum religionis commiſſis, & a quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis cenſuris & penis a jure vel ab homine, apoſtolica vel ſedis apoſtolice legatorum delegatorum, ordinaria vel alia quavis auctoritate, etiam per ſynodales aut provinciales vel generalium conciliorum conſtitutiones, aut quaſcumque extravagantes, vel juxta regularia dicti ordinis inſtituta promulgatas in genere vel in ſpecie, ſi quas incurrerint ante ac etiam poſt ingreſſum religionis, etiamſi talia ſint, propter que apoſtolica ſedes ſpecialiter & expreſſe eſſet merito conſulenda, ſemel tamen in vita abſolvere, necnon cum ſingulis ex ſupradictis ſuper quibuſcumque irregularitatibus & inhabilitatibus quovis modo contractis in omnibus & ſingulis jamdicte ſedi ſpecialiter reſervatis, bigamie, homicidii voluntarii, voluntarie mutilationis membri caſibus dumtaxat exceptis, ſemel ſimiliter diſpenſare ac habilitare, ut non promoti ad omnes eccleſiaſticos ordines & miſſarum celebrationem promoveri, ac ipſi & promoti in illis miniſtrare, & ad quaſcumque dignitates, adminiſtrationes & officia dicti ordinis recipi, illiſque recipi valeant & aſſumi auctoritate apoſtolica libere & licite valeant & poſſint. Si vero predictas cenſuras vel earum aliquam eos ignoranter vel inadvertenter incurrere contigerit, tunc a talibus poſſit confeſſor eos vel eorum quemlibet abſolvere, quoties fuerit opportunum, ac ſuper irregularitate vel irregularitatibus ex talibus cenſuris poſtea celebrando vel in divinis officiis ſe immiſcendo contracta vel contractis etiam diſpenſare valeat, quotiens opus fuerit, concedere & indulgere dignemini de gratia ſpeciali; ac etiam omnes & ſingulos fratres, novitios & ceteros ſupradictos & quoſcumque pro tempore familiares, & ſervitores ac factores continuos commenſales dicti monaſterii ab omnibus & ſingulis ſuis peccatis, criminibus & exceſſibus ac delictis in omnibus & ſingulis, preter quam ſedi apoſtolice ſpecialiter reſervatis caſibus, & in omnibus & ſingulis cenſuris non reſervatis abſolvere, ac familiaribus, ſervitoribus & factoribus prefatis Euchariſtie, extreme unctionis & alia eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare toties quoties neceſſarium fuerit & opportunum, ipſeque abbas & ſucceſſores omnia & ſingula ſupradicta aliis confeſſoribus committere, ac in premiſſis omnibus & ſingulis cum facultate premiſſa confeſſores ſibi eligere, & electos mutare predicta auctoritate libere & licite etiam poſſit & valeat, concedere & indulgere gratioſe dignemini, conſtitutionibus apoſtolicis, ac dicti ordinis ordinationibus & inſtitutis, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque cum clauſulis opportunis.

ITEM pater beatiſſime, ut animarum ſaluti omnium & ſingulorum preſentium & futurorum abbatis pro tempore exiſtentis, ceterorumque fratrum ac religioſorum & novitiorum cum propoſito profitendi, converſorum, donatorum & perpetue oblatorum dicti monaſterii fructuoſius conſulatur, ſupplicat Sanctitatem Veſtram predictus Paulus abbas, quatenus eis, ut quicumque confeſſores predicti perpetuis temporibus omnibus & ſingulis ſupradictis ipſis in ſinceritate fidei, unitate ſancte Romane eccleſie, ac obedientia & devotione dicte Sanctitatis, ac vel ſucceſſorum ejus canonice intrantium perſiſtentibus omnium peccatorum ſuorum, de quibus in genere vel in ſpecie corde contriti & ore confeſſi fuerint, plenariam indulgentiam & remiſſionem in mortis articulo auctoritate apoſtolica libere & licite concedere valeat & poſſit, concedere & indulgere miſericorditer dignemini de gratia ſpeciali; ita tamen quod ſi de

de illa infirmitate, in qua conſtitutus eorum quilibet fuerit, non deceſſerit, ſemper indulgentia predicta intelligatur reſervari ad verum mortis articulum; & ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita impoſterum committenda, quod ſi ex confidentia hujuſmodi remiſſionis aliqua forſan committantur, quod illa predicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur. Et inſuper quod quilibet predictorum, qui ſufficientis literature fuerit, per unum annum a tempore, quo conceſſionem hujuſmodi gaudere voluerit, ſingulis ſextis feriis ſeptem pſalmos penitentiales cum litaniis & orationibus recitet ſive legat; alii vero ſufficienter non literati alias orationes juxta confeſſorum eorum arbitrium, prout animarum ſuarum ſaluti confeſſoribus ipſis viſum fuerit dicere, necnon pietatis & aliis operibus ſanctis ſe exercere teneantur. Quod ſi forte impedimento detenti in dictis anno & feriis pſalmos cum litaniis & orationibus legere aut orationes injunctas commode dicere non potuerit, vel ex inadvertentia aut oblivione omiſerint, ex tunc una alia die ſingularum ſeptimanarum, etiam alterius ſequentis anni, vel alias quamprimum poterint pſalmos & orationes hujuſmodi ſupplere teneantur. Porro ſi forſan alios prefatos pſalmos & orationes in toto vel in parte quomodocumque adimplere commode nequiverint, eo caſu quilibet confeſſor de ſupradictis pſalmos & cetera hujuſmodi in alia opera pietatis, prout ſuarum ſaluti animarum expedire viderit, commutare valeat, concedere & indulgere gratioſe dignemini, non obſtantibus contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis. *Conceſſum, ut petitur, de omnibus & pro omnibus, quamdiu vixerint in obſervantia regulari. In preſentia domini noſtri pape. C. Ariminenſis.*

Et quod hujuſmodi ſupplicationis ſimplex ſignatura ſufficiat abſque literarum apoſtolicarum confectione decernere dignemini. *Conceſſum. C. Ariminenſis.*

Datum Florentie nonis octobris anno duodecimo.

XXXIII.

Idem unit prioratum Aquæ-perellis cum altero S. Benedicti de Frondolaſis.

Anno 1443. v. id. januarii.

Ex autographo S. Blaſii de Fabriano.

Eugenius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio .. priori Montisſani Camerinenſis dioceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Digna exauditione vota perſonarum humilia, maxime divinis laudibus, ſacreque religionis obſervantie debitarum apoſtolico nos convenit favore proſequi, & ipſarum neceſſitatibus occurrere proviſionis gratia congruentis ... Nuper pro parte dilectorum filiorum Franciſci prioris eremi Camaldulenſis & Johannis de Cabanis monachi monaſterii beate Marie de Claravalle Ciſtercienſis ordinis Senogallienſis dioceſis petitio continebat, quod parochialis eccleſia prioratus nuncupata ſancti Benedicti de Frandolaſis extra muros Caſtriplani Exine dioceſis per monachos monaſterii ſancte Helene de Serra ſancti Quirici Camaldulenſis ordinis Camerinenſis dioceſis gubernari ſolita adeo in ſuis fructibus, redditibus & proventibus, qui XXIV. florenorum auri ſecundum communem eſtimationem valorem annuum non excedunt, adeo tenuis eſt & exilis, quod ejus rector exiſtens pro tempore ex illis ipſius eccleſie, que in pluribus partibus minatur ruinam, & cujus domus collapſa conſpicitur, ſtructuras & edificia nequeat reparare; & ſi prioratus ruralis & ſine cura de Aqua-perellis ordinis & dioceſis predictorum a dicta eremo dependens prefate eccleſie ſancti Benedicti in perpetuum incorporaretur, annecteretur & uniretur, ex hoc commodius reparationes hujuſmodi facere & reparata conſervare, ac habens, unde vite & victus neceſſaria ſumeret, cure ſibi commiſſarum animarum commodius & vigilantius intendere poſſet. Quare pro parte Franciſci prioris, & qui, ut aſſerit, dictam eccleſiam ex conceſſione apoſtolica obtinet in commendam, Johannis de Cabanis predictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prioratum prefatum ipſi eccleſie in perpetuum incorporare, annectere & unire de benignitate apoſtolica dignaremur. *Nos* igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſuper premiſſis & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea veritate ſubjici reperis, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, prioratum predictum, qui ſine cura, & conventualis dignitas vel perſonatus non eſt, & a prefata eremo dependet, & ad quem non conſuevit quis per electionem aſſumi, cujuſque fructus, redditus & proventus triginta florenorum

auri

auri secundum estimationem predictam valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis suis prefate ecclesie in perpetuum auctoritate nostra unias, annectas & incorpores; ita quod cedente vel decedente dilecto filio Francisco Dominici de Domo priore prefati prioratus, sive ipsum prioratum alias quomodolibet dimittente liceat dicto Johanni, vel qui pro tempore fuerit ejusdem ecclesie rectori, per se vel alium vel alios corporalem possessionem prioratus, juriumque & pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, ejusque fructus, redditus & proventus percipere & levare, ac in suos & prioratus & ecclesie predictorum usus convertere & perpetuo retinere, diocesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Et insuper si incorporatione, annexione & unione hujusmodi per se vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, ut ille celerius suum consequantur effectum, a prefato Francisco Dominici vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto, resignatione dicti prioratus, si eam in tuis manibus sponte & libere facere voluerit, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipias & admittas, eaque per te recepta & admissa, ipsi Francisco, ne propter illa indigentie prematur incommodis, pensionem annuam, de qua rationabiliter reddiderit se contentum, & tibi videbitur, sibi quoad vixerit, vel procuratori suo ad hoc ab eo sufficiens mandatum habenti per Johannem de Cabanis & suos successores dicte ecclesie rectores, qui fuerint pro tempore, annis singulis in locis & terminis, ac sub sententiis, censuris & penis per te de consensu Francisci Dominici, & Johannis de Cabanis predictorum ad id statuendis cum effectu persolvenda super fructibus *&c.* prioratus hujusmodi eadem auctoritate reserves *&c.* Contradictores *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Florentie anno incarnationis Dominice M.CCCC. XLII. V. idus januarii pontificatus nostri anno XII.

Gratis pro Flavezio. E. Pollart.

XXXIV.

Idem supprimit in monasterio de Carceribus dignitatem abbatialem.

Anno 1444. IV. id. maji.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

EUgenius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad ecclesiarum & monasteriorum omnium statum salubriter & prospere dirigendum paterna sollicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus, & ut illa per nostre provisionis ministerium, quo adjuvante Altissimo preserventur a noxiis, ac felicia in spiritualibus & temporalibus incrementa suscipiant, opem & operam, quantum cum Deo possumus, impendimus efficaces. Dudum siquidem quondam Angelus Corrario Gregorius XII. in sua obedientia, de qua civitas & diocesis Paduana tunc erant, nuncupatus ex certis rationabilibus causis ad id animum suum moventibus per suas literas tunc prioratum conventualem curatum atque electivum monasterii sancte Marie ad Carceres tunc per priorem gubernari solitum Camaldulensis ordinis dicte diocesis cum omnibus membris, juribus, dependentiis, atque pertinentiis suis de ordine sancti Augustini exemit & perpetuo liberavit, volens & decernens, quod ipsum monasterium ex tunc in antea per priorem Camaldulensem regeretur, sicut antea per priorem sancti Augustini ordinis predictorum gubernari consueverat. Ita quod quotiescumque dictum prioratum usque ad triginta annos ex tunc computandos prioris regimine destitui contingeret, monachi dicti ordinis Camaldulensis in ipso monasterio pro tempore residentes juxta ipsius ordinis Camaldulensis statuta & consuetudines aliquem ex se ipsis vel alium extra dictum monasterium monachum, ordinem prefatum Camaldulensem expresse professum & in sacerdotio constitutum ad id utilem & idoneum in eorum & prefati monasterii priorem eligere possent & deberent, & etiam ipsam electionem, quotiescumque illam infra dictos triginta annos fieri contingeret, vim confirmationis habere voluit sic, quod idem electus ex tunc prioratum ipsum in spiritualibus & temporalibus regere posset, ac si hujusmodi electio de ipso taliter facta per superiorem prefati Camaldulensis ordinis pertineret, confirma-

ta legitime fuisset. Quodque elapsis triginta annis predictis confirmatio illorum, quos in priores dicti monasterii pro tempore eligi contingeret, juxta instituta predicta observari deberet, constitutionibus & reservationibus apostolicis generalibus vel specialibus, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Et deinde felicis recordationis Martinus papa V. predecessor noster ex certis tunc ei pro parte quondam Francisci de Sandellis tunc prioris dicti monasterii expositis causis aliis suis literis in monasterio predicto abbatialem dignitatem creari & erigi, ac quod ex tunc in antea perpetuis temporibus Franciscus & successores sui inibi abbates ejusdem monasterii essent & nuncuparentur, statui & decerni mandavit, prout in singulis literis prefatis plenius continetur. Cum itaque, sicut nobis innotuit, Franciscus predictus tunc prior dicti monasterii existens ambitione ductus absque suorum superiorum licentia, necnon preter & contra nostrum, qui tunc in cardinalatus honore constituti protectionem dicti ordinis generalem gerebamus, & desuper factum mandatum ad impetrandas literas Martini predecessoris hujusmodi devenerit, sicut accepimus nuper videlicet literis posterioribus supradictis totali tunc executioni demandatis extra Romanam curiam decesserit: Nos attendentes, quod locus principalis totius ordinis supradicti per priorem regi consuevit, quodque jamdiu nostri desiderii fuit, prout etiam hodie existit, quod predictum ac nonnulla alia prefati ordinis monasteria atque loca pro illorum conservatione necnon felici statu, & ut in eis vita laudabilis ac regularis observantia continuo vigere & incrementa suscipere valeant, insimul uniantur, illaque ac ipsorum pro tempore existentium prelati una congregatio & unum corpus efficiantur, dilecti filii Petri Boldù monachi dicti ordinis asserentis se nuper in abbatem prefati monasterii per obitum Francisci hujusmodi tunc vacantis a dilectis filiis illius conventus electum fuisse, ac prefatorum conventus in hac parte supplicationibus inclinati, abbatialem dignitatem ac nomen & insignia monasterii in monasterio prefato auctoritate apostolica ex certa scientia supprimimus ac penitus extinguimus, ac etiam quod illud de cetero perpetuis temporibus prioratus conventualis existat & nuncupetur, ac per priorem triennalem dumtaxat regatur & gubernetur, quodque conventus predicti, quoties ipsum monasterium ex nunc in antea vacare contigerit, unum prefati Camaldulensis ordinis monachum sub illius regulari observantia tunc degentem, & alias ad id habilem & idoneum in eorum ac dicti sui prioratus beate Marie ad Carceres priorem ad tempus & per tempus triennii dumtaxat eligere, quodque generale capitulum congregationis faciende hujusmodi aut alias in eventum, quod hujusmodi congregatio forsan non fieret, prior pro tempore existens eremi Camaldulensis Aretine diocesis, seu ab eis vel ab eo pro tempore ad id facultatem habentes quamlibet electionum faciendarum predictarum confirmare possint & debeant, hac tamen conditione adjecta, quod capitulum congregationis hujusmodi, prout eis visum fuerit, tempus triennii hujusmodi diminuere & limitare valeant, auctoritate apostolica & scientia supradictis tenore presentium statuimus, decernimus & ordinamus, pariter & declaramus. Non obstantibus constitutionibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XLIIII. IIII. idus maji pontificatus nostri anno XIIII.

Gratis de mandato domini nostri pape.

F. de Laude. A. de Venetiis.

Pendet sigillum plumbeum : EUGENIUS PP. IIII.

XXXV.

Idem confirmat electionem Petri Boldù in priorem S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1444. IV. id. maji.

Ex præfato S. Michaelis tabulario.

Eugenius episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. archiepiscopo Corphiensi, & dilectis filiis Hermolao electo Tarvisino ac .. priori monasterii sancti Mathie de Muriano per priorem soliti gubernari Torcellane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus dilectus Petrus Boldù monachus monasterii sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis apud nos fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem quondam Angelus Corrario Gregorius XII. in sua obedientia, de

de qua civitas & diocesis Paduana tunc erant, nuncupatus, per suas literas inter alia voluit & decrevit, quod monasterium ad Carceres ordinis ejusdem & Paduane diocesis predictorum per priorem ejusdem ordinis perpetuo regeretur, quodque etiam confirmatio illorum, quos in priores dicti monasterii ad Carceres pro tempore eligi contingeret juxta regularia prefati ordinis instituta quibuscumque apostolicis specialibus & generalibus reservationibus non obstantibus observari deberet, prout in dictis literis plenius continetur. Et deinde sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Petri petitio continebat, monasterio ad Carceres supradicto, in quo, ut asseritur olim post datarum literarum hujusmodi dignitas abbatialis, ita quod illud ex tunc in antea per abbatem regeretur auctoritate apostolica instituta fuit, & quod quondam Franciscus illius abbas, dum viveret, possidebat, per obitum ipsius Francisci abbatis, qui extra Romanam curiam decessit, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus prefati monasterii ad Carceres ad electionem futuri inibi abbatis procedentes, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt & debuerunt electioni hujusmodi commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, prefatum Petrum tunc priorem claustralem dicti monasterii de Muriano in sacerdotio constitutum, & ordinem ipsum expresse professum in eorum & dicti monasterii abbatem elegerunt, ipseque Petrus electioni de se facte hujusmodi illius sibi presentato decreto consentiens, eam a dilecto filio Francisco priore eremi Camaldulensis Aretine diocesis prefatum monasterium ad Carceres priori pro tempore existenti prefate eremi ex institutis predictis per sedem apostolicam specialiter confirmatis subesse noscatur, obtinuit auctoritate ordinaria confirmari. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, prefatus Petrus dubitet electionem de ipso factam ac desuper subsecutam confirmationem predictas ex certis causis juribus non subsistere; nos qui hodie aliis nostris literis inter cetera abbatialem dignitatem ac nomen & insignia monasterii in monasterio ipso ad Carceres suppressimus, ac etiam quod illud de cetero prioratus conventualis existeret & nuncuparetur, ac per priorem triennalem dumtaxat regeretur & gubernaretur, quodque dilecti filii conventus dicti monasterii ad Carceres quoties ex nunc in antea illud vacare contingeret & nuncuparetur, ac per priorem inibi eligere ac capitulum congregationis prelatorum, & monachorum predicti & nonnullorum monasteriorum atque locorum ejusdem Camaldulensis ordinis insimul uniendorum, aut in eventum, quod hujusmodi congregatio non fieret, prior pro tempore existens eremi Camaldulensis Aretine diocesis seu ab eis vel illo potestatem habentes quamlibet electionum faciendarum predictarum confirmare possent atque deberent, statuimus, decernimus & ordinamus, volentes dicto Petro, pro quo etiam prefati conventus nobis super hoc humiliter supplicarunt, premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prioratum predictum, cui cura imminet animarum, & cujus fructus, redditus & proventus mille & quingentorum florenorum auri de camera secundum communem estimationem valorem annuum, ut idem Petrus asserit, non excedunt, sive per obitum Francisci hujusmodi, sive alias quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona vacet, etiamsi ille dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservatus existat, dummodo tempore datarum presentium non sit in eo alicui specialiter jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Petro per eum per triennium seu ad illud brevius tempus, de quo capitulo faciende hujusmodi congregationis videbitur, tenendum, regendum, & gubernandum auctoritate nostra conferre & assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus jurium & pertinentiarum predictorum, & defendentes inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac facientes ipsum Petrum vel dictum procuratorem pro eo ad hujusmodi prioratum, ut est moris, admitti, sibique hujusmodi collatione durante de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi. Contradictores per censuram *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XLIV. IIII. idus maji pontificatus nostri anno XIIII.

Blondus. A. de Magis.

XXXVI.

XXXVI.

Idem mandat eidem Petro, ut Bononiam se transferat ad monasterium Angelorum.

Anno 1444. xv. julii.

Et veteri exemplo ejusdem archivi.

A Tergo : Dilecto filio Petro priori sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis ordinis Camaldulensis.

Eugenius papa IV. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Bona & laudabili ex causa, & que ordinis tui conservationi & amplitudini videtur, Domino concedente, plurimum profutura, mandamus tibi sub excommunicationis & privationis pena & in vim obedientie salutaris, ut die exaltationis sancte Crucis in mense septembri proxime futuro cum uno tui ordinis socio, quem cum monachorum consilio duxeris eligendum, debeas interesse Bononie in monasterio Angelorum, prout etiam te requiret & mandabit tibi dilectus filius tui ordinis generalis ; ad cujus mandatum illa facias & exequaris, que ille tibi duxerit ordinanda. Datum Rome apud sanctum Petrum sub anulo secreto die xv. julii M. CCCC. XLIIII. pontificatus nostri anno XIIII.

Blondus.

XXXVII.

Idem unit mensæ monasterii Vallis-castri ecclesias S. Salvatoris de Lanciano & S. Paterniani de Colcello.

Anno 1444. pridie id. decemb.

Ex originali monast. S. Blasii de Fabriano.

EUgenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati monasterii sanctorum Laurentii & Eustachii de sancto Severino Camerinensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Intenta jugiter salutis operibus apostolice sedis copiosa benignitas illa devotorum vota libenter benigno favore prosequitur, per que sarcina egestatis abjecta monasteria, & in eis sub religionis habitu studio pie vite vacantes persone in suis necessitatibus percipere valeant sublevamen. Sane pro parte dilectorum filiorum Johannis abbatis & conventus monasterii sancti Romualdi de Valle-castro Camaldulensis ordinis Camerinensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod fructus, redditus, & proventus dicti monasterii causantibus, quibus partes ille plerumque afflicte fuerunt guerrarum turbinibus, & aliis sinistris eventibus, adeo tenues resultant & exiles, quod ex illis abbas pro tempore existens & monachi dicti monasterii, qui duodecim vel circa sunt numero, commode sustentari, ipsumque monasterium in suis structuris & edificiis, que reparatione non modica indigere noscuntur, reformare, necnon alia eis pro tempore incumbentia onera supportare, congrue non valent. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, si sancti Salvatoris de Lanciano & sancti Patregnani de Colciello de castro Genghe dicte diocesis sine cura ecclesie, que ad collationem, provisionem seu aliam dispositionem abbatis & conventus predictorum communiter pertinent, & a prefato monasterio per decem milliaria vel circa non distant, eidem monasterio in perpetuum unirentur, & incorporarentur, ex tunc ipsi abbas & conventus commodius sustentare, ac structuras & edificia congruentius reparare, necnon etiam onera hujusmodi melius supportare possent, pro parte Johannis abbatis & conventus predictorum asserentium, quod sancti Salvatoris quatuordecim, & sancti Patregnani ecclesiarum quindecim, monasterii vero predictorum centum & quinquaginta Florenorum auri de camera fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, qui de premissis certam notitiam non habemus, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis & eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, sancti Salvatoris & sancti Patregnani ecclesias predictas cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio prefata auctoritate perpetuo incorpores, unias & annectes ; ita quod cedentibus vel decedentibus dictarum ecclesiarum rectoribus, aut illos alias quomodolibet dimittentibus, liceat abbati & conventui prefatis per se, vel alium seu alios corporalem possessionem ecclesiarum, juriumque & pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, ipsa-

ipsarumque fructus, redditus & proventus hujusmodi in suos, & illarum & ipsius monasterii usus & utilitatem convertere & perpetuo retinere, diocesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac monasterii & ordinis predictorum *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo quadragesimo-quarto pridie idus decembris pontificatus nostri anno quarto-decimo.

A. de Spoleto.

XXXVIII.

Definitores capituli generalis committunt abbati Vallis-castri unionem aliquot ecclesiarum.

Anno 1445. XXIV. novembris.

Ex archetypo archivi ejusdem monasterii.

FRater Franciscus sancte Camaldulensis eremi & totius ordinis generalis, domnus Augustinus Major, domnus Thomas eremita prefate eremi, domnus Antonius abbas monasterii sancti Salvatoris de Berardinga & sancti Vigilii de Senis, domnus Johannes abbas Vallis-castri & sancti Blasii, domnus Philippus abbas sancti Illari, & domnus Jacobus abbas monasterii sancti Salvatoris de Florentia definitores capituli generalis nuperrime congregati in monasterio Fontis-boni, universis & singulis has presentes litteras inspecturis salutem in Domino, & pium sancte dilectionis affectum. Ex officii nostri debito, pervigili cura & assidua meditatione pulsamur, ut non solum principalia membra nostri ordinis, verum etiam inferiora sibi invicem colligantur, ut omnia sub uno capite & uno duce perpetua firmitate subsistant. Hinc est, quod cum ven. in Christo frater noster domnus Johannes abbas Vallis-castri & sancti Blasii de Fabriano unus ex nobis definitoribus insidentibus nobis in medium assurgeret, coram nobis exposuerit, monasterium sancti Blasii memoratum, cui ipse preest, habere plura sacra loca ejus suffraganea, quorum nomina sunt hec, videlicet: ecclesia sancti Petri de Moscano, ecclesia sancti Stephani de valle Montis-agnani, ecclesia sancti Laurentii, ecclesia sancte Marie de Collepeco in territorio Fabriani, ecclesia sancti Paterniani, ecclesia sancti Angeli de Rosenga in territorio Genghe diocesis Camerinensis, que quidem ecclesie hactenus per monachos dicti monasterii sancti Blasii solite fuerunt gubernari, & ob earumdem gubernationem distractio & mentis vagatio eisdem monachis contigerit generari, nobis humiliter supplicavit, quod propter evitanda omnia incommoda, & ut commodius monachi in suis clausuris monasterii residere valeant, & divinis officiis interesse jugiter & commode possint, dictas ecclesias dicto monasterio sancti Blasii unire, annectere & incorporare dignaremur. Nos vero per omnia prospicientes unitati locorum, ac paci & tranquillitati non solum prelatorum ordinis, verum etiam subditorum, de predictorum definitorum voluntate concordi dicto monasterio sancti Blasii prefatas ecclesias auctoritate nobis tradita eo modo, via, forma, quibus magis & melius possumus, unimus, annectimus & perpetuo incorporamus, quatenus ipse abbas, qui pro tempore fuerit, prefati monasterii curam integram & totalem administrationem tam in spiritualibus & temporalibus habeat & possideat, adjicientes etiam, ut eamdem jurisdictionem & potestatem habeat in ipsis ecclesiis tamquam in proprio monasterio. Preterea ne aliqua ratione ipse ecclesie careant spiritualibus solatiis, hoc est officio divino, volumus atque injungimus abbati dicti monasterii, & qui pro tempore fuerit, curam spiritualem duobus ex suis monachis, quos magis idoneos esse previderit, committat & injungat. Reliqua vero, que viderit pro dictarum ecclesiarum conservatione secundum conscientiam suam permittimus disponenda. In quorum omnium fidem & evidens testimonium has litteras patentes scribi fecimus per domnum Michaelem priorem de Balneo, & nostri officii cancellarium, atque majoris nostri ordinis sigilli jussimus impressione muniri. Datum in nostro monasterio prefato Fontis-boni die XXIIII. mensis novembris anno Domini millesimo CCCC. XLV. indictione VIIII.

Et ego prefatus domnus Michael de eorum mandato predictorum definitorum has scripsi & sigillavi, & ideo me subscripsi.

XXXIX.

XXXIX.

Franciscus prior generalis scribit, ut ad confirmationem Petri Boldù in prioratu Carcerum procedatur.

Anno 1446. XII. augusti.

Ex chartulario S. Michaelis de Muriano,

FRater Franciscus Dei gratia sacrosanćte Camaldulensis eremi prior, totiusque ejusdem ordinis Generalis dilećto in Christo fratri nostro domno Felici priori monasterii sanćti Matthie de Murano de Venetiis dićti nostri ordinis salutem in Domino & pium sanćte religionis affećtum. Quoniam scriptum est per prophetam de justis, quod ibunt de virtute in virtutem, ut videatur Deus Deorum in Syon, nos volentes fratres nostros in Christo prelatos ordinis, quorum odor virtutum longe lateque fulget, ut promeretur honestas & ratio dićtat, remunerare, suarumque virtutum laudabilia gesta digna mercede compensare; cum nuper viderimus dilećtum in Christo fratrem nostrum domnum Petrum Boldù de Venetiis priorem dumtaxat triennalem in monasterio sanćte Marie de Carceribus Paduane diocesis bene & laudabiliter gubernasse, rexisse & administrasse in eodem monasterio per hoc triennium, propter quam administrationem plurima incrementa in suis bonis tam spiritualibus, quam temporalibus suscepisse dignoscitur. Et cum jam triennii immineat spiratio, quo elapso necesse est de alio providere aut eumdem confirmare, nos rećto mentis intuitu, ut prefertur, cognoscentes prefatum domnum Petrum hoc promeruisse ob laudabile regimen, quod gessit in eodem monasterio, ut sibi ad dignitatem reddamur liberales, cum ad nos spećtet in hac parte predićta illius beneficii confirmatio, de triennio in triennium aućtoritate nobis relaxata per summum pontificem, ut constat per suas bullas publicas, ubi dicitur, quod si fiat unio, capitulum unionis confirmet, sin alias, prior Camaldulensis, qui pro tempore fuerit, confirmet, & cetera, ut in eisdem bullis plenius continetur, tibi prefato domno Felici vices nostras pro hac tantum vice committimus cum omnimoda ac totali aućtoritate nostra, qua possemus, si interessemus, ut adveniente spiratione triennii presentis ad prefatum monasterium de Carceribus presens accedas, ibique in capitulo coram notario & testibus nemine super hoc requisito neque de conventu, neque extra conventum de ordine sive extra ordinem prefatum domnum Petrum Boldù tam presentem, quam absentem in eodem monasterio de Carceribus per aliud triennium futurum confirmes priorem cum illa aućtoritate administrationis, qua administravit usque modo in nullo ejus prioratui derogando. Mandans ab omnibus monachis ipsis monasterii presentem nostram confirmationem inviolabiliter observari, & in nullo contra facere vel venire per se aut alium vel alios sub pena excommunicationis, in qua incurrat ipso fašto ille vel illi, qui relućtare vel contra venire vel impedire, vel non obedire voluerint, a qua non possint absolvi nisi a nobis ipsius, aut a quo jusserimus, illi vel illis talibus contradićtoribus aut contrafacientibus vel inobedientibus, notificans publicam denuntiationem excommunicationis, & processuros nos ulterius, si quod absit, repertus aut reperti fuerint contumaces & rebelles. Ratum, gratum, firmum atque approbatum perpetuo habituri quicquid per te aut operam tuam in hujusmodi confirmationis ašto vel executione fašćtum fuerit appellatione postposita: In cujus commissionis fidem & testimonium hoc tibi presens mandatum nostrum publicum & patens per infrascriptum nostri officii cancellarium fieri jussimus, & nostri majoris & dignioris sigilli appensione muniri. Datum ex nostro monasterio sanćti Benedićti de prope Florentiam anno Domini M. CCCC. XLVI. indićtione VIIII. & die XII. augusti pontificatus domini nostri pape Eugenii IV. anno XVI. officii nostri V.

Et ego domnus Gabriel Benedićti de Florentia suprascripti domini generalis Francisci secretarius, suique officii publicus cancellarius atque universalis scriba, de ejus mandato presentem confirmationis commissionem ordinavi, scripsi, sigilli majoris appensione munivi & publicavi, ideo ad fidem me subscripsi anno, indićtione, mense & die quibus supra.

Et licet superius nos frater Franciscus generalis prefatus dixerimus, quod in ašćtu confirmationis nullus requiratur ex ordine sive extra ordinem &c. declaramus per hanc subscriptam additionem nostram, quod volumus intelligi fašta prius elećtione a conventu, cui elećtioni tu domnus Felix prefatus ac commissarius noster interesse debeas vice nostra, quam elećtionem de prefato domno Petro fašćtam aut de alio quocumque tu confirmare debes, sive talem elećtum, sive sit ipse domnus Petrus, aut alter ido-

idoneus, & de vita duntaxat regulari & observantia adprobata, alioquin si non sit vite regularis & observantie, irrita sit ipso facto & inanis & nullius valoris aut roboris vel momenti ipsa electio. In cujus additionis sive declarationis nostre fidem & testimonium hanc subscriptionem fieri mandavimus sub eodem anno, indictione, die & mense.

Et ego domnus Gabriel prefatus de mandato addidi, ideo me ss.

XL.

Eugenius IV. ordinat aliquibus monasteriis triennales tantum deinceps præsidere abbates vel priores.

Anno 1446. XVII. kl. januarii.

Ex archivo S. Blasii Fabrianensis.

EUgenius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad sacrum ordinem Camaldulensem inter ceteros religionis cultus in ecclesia Dei lumen refulsit, & uberes animarum fructus afferre dinoscitur, cum gesserimus a teneris usque annis precipuam affectionem, & nunc singularem caritatem, affectionemque geramus, merito ad ea in dicto ordine statuenda & ordinanda libenter intendimus, per que & monasteria ipsius augmentum in Domino suscipiant, & persone in illis degentes spiritualem cibum in animi quietem valeant adipisci. Sane inter cetera considerantes, quod in sancti Michaelis & in sancti Mathie de Muriano Torcellane, necnon sancti Savini Pisane, sancte Marie de Carceribus Paduane, & sancte Marie de Angelis Florentine, & sancti Benedicti prope Florentiam, & sancte Marie de Rosa prope Senas monasteriis regularis viget observantia de presenti; sancti vero Johannis de Judaica de Venetiis, & sancte Marie de Angelis prope Bononiam prioratus cum observantia in eis viguerit, sperentur Dei gratia ad debitam observantiam redituri, ac propterea cupientes, ut in prefatis monasteriis & prioratibus hujusmodi observantia eo facilius in Domino augeatur, quo in cura regiminis minori tempore fuerint occupati, & etiam ut per laudabilia & bona monachorum & ministrorum in ipsis monasteriis degentium opera, alia quoque ipsius ordinis monasteria & loca ad similem observantiam facilius invitentur, presenti nostro decreto, quod in perpetuum firmiter observari volumus, statuimus & ordinamus, quod prefatorum monasteriorum & prioratuum, & eorum quorumlibet, que concedente Domino in futurum ad hujusmodi observantiam redigentur & reformabuntur, abbates & priores, qui secundum eorum statuta pro tempore eligentur, triennium dumtaxat ipsis monasteriis & prioratibus usque ad ipsorum generale capitulum presint & non amplius; sed intermediato spatio unius anni illa secundum Deum interim gubernent, & ita se gerant, ut ex eorum bono regimine laudem mereantur, neque etiam ad easdem dignitates, nisi transacto saltem anno, necessitate tantum urgente, ac temporum conditione cogente continuare possint in prelaturis, quibus preficientur, ad id interveniente judicio & consensu omnium definitorum, & hoc pro loco & tempore dumtaxat prefici queant. In capitulis vero, que singulis trienniis celebrari consueverunt, & que in futurum dictis trienniis volumus celebrari, ipsi abbates & priores renuntiare suis prelaturis & dignitatibus teneantur, & omne predictorum monasteriorum regimen & curam deponere, quod si non fecerint, renuntiasse intelligantur, suisque prelaturis & dignitatibus, ac omni cura regimine & administratione hujusmodi sint ipso facto privati, qui etiam a definitoribus, si qui absentes aliquo casu fuerint, a suis prelaturis & officiis absolvantur. Monasteria vero, que de novo ad observantiam regularem reduci contigerit, eisdem statutis & ordinationibus subjici volumus, quibus supradicta monasteria sunt adstricta, quorum monachi ad alia monasteria transferri nequeant, nisi de definitorum seu visitatorum expressa licentia & assensu. Statuimus quoque & etiam ordinamus, quod semper in ipsis capitulis ex quatuor definitoribus, qui ex prelatorum numero, preter generalem & duos eremitas, eligi consueverunt, duos monachos & non prelatos ex ipsis monasteriis visitatores usque ad aliud capitulum constituant & assumant, qui teneantur & debeant annuatim monasteria ipsius observantie tantummodo visitare, & deinde visitatione peracta annis singulis ad eremum Camaldulensem accedere, & ipsi reliqui, qui visitatores consueti una cum generali & duobus eremitis, qui fuerunt proxime definitores, disponant, agant, reforment, privent, puniant, & in casu mortis vel alia necessitate urgente provideant, instituant, destituant, collectas pro fiendis expensis imponant, novas constitutiones faciant, vete-

veteres tollant & interpretentur, unire beneficia manualia jamdicte eremi, quam aliorum monasteriorum ordinis possint, dummodo nil agant contra nostras constitutiones, prout secundum Deum & eorum conscientias pro utilitate monasteriorum & ordinis predictorum, augmento quoque religionis & devotionis fidelium noverint expedire. Quod si non omnes ipsi visitatores, generalis & eremite concordes fuerint, quod major eorum pars decreverit, vim habeat & firmiter servetur, executionique debite demandetur. Si vero, quod absit, ipsi quatuor visitatores, vel eorum aliquis & quotiescumque ad prefatam eremum dictis singulis annis accedere neglexerint aut postposuerint, nisi infirmitate vel alia evidenti causa obstante, usque ad futurum capitulum sint omni officio & voce capitulari ipso facto privati, atque ab omni regimine & administratione sue dignitatis, in qua fuerant constituti, suspensi, neque ad aliud officium aut dignitatem usque ad triennium eligi aut assumi possint. In absentia autem generalis, qui una cum visitatoribus convenire debet, volumus loco ejus majorem eremi interesse, & ipsius officio cum ipsis visitatoribus & eremitis fungi. Clausuram quoque sancte Marie de Angelis Florentie & sancti Benedicti prope Florentiam monasteriorum predictorum hactenus laudabiliter observatam infringi nolumus, nisi pro evidenti necessitate, vel utilitate, aut reformatione predictorum de observantia monasteriorum, & ad id etiam definitorum aut visitatorum accedente consensu. Preterea statuimus ac etiam ordinamus, quod si aliquod hujusmodi monasteriorum sub regulari observantia viventium in egestate deveniret, tunc reliqua observantie monasteria caritativa ad ipsius egentis monasterii congruam substentationem subsidia pro modo facultatum suarum secundum definitorum discretionem & ordinationem debeant erogare. Ut autem duorum monasteriorum, que exiliora videntur, necessitatibus pro nostre providentie opere provideatur, sancti Viti prope Vincentiam, cujus septuaginta, sancti Johannis de Judaica de Venetiis, cujus centum & quinquaginta, & sancti Damiani de Bononia, cujus etiam septuaginta, dicti ordinis prioratus sancte Marie de Angelis prope Bononiam, cujus ducentorum florenorum auri fructus redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, monasteriis prefatis auctoritate apostolica ex certa scientia ex nunc unimus, annectimus & incorporamus: ita quod cedentibus vel decedentibus dictorum prioratuum rectoribus, vel illos alio quomodolibet dimittentibus, liceat dictorum monasteriorum prelatis, videlicet sancti Johannis de Judaica, sancti Viti & sancte Marie de Angelis & sancti Damiani prioratuum prefatorum possessionem libere ac propria auctoritate apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus in suos & dictorum monasteriorum usus convertere, diocesani loci aut alterius cujuscumque licentia super hoc minime requisita. Proviso quod in ipsis prioratibus unitis divinus cultus & animarum cura nullatenus negligatur, sed eis deserviatur laudabiliter in divinis. Per hec autem nostra decreta statutaque prefata novem monasteriorum de observantia, & alia, que interim similem observantiam profiterentur, non intendimus, neque volumus ullo modo ab reliquis monasteriis & locis dicti ordinis negligi aut esse divisa aut separata, sed universum ordinem unum corpus esse, & uni capiti, videlicet priori eremi prefate esse subditos & & ab eo regi atque gubernari, prout impresentiarum observatur. Neque etiam per hec antiquas constitutiones, consuetudines, & statuta, exemptiones, immunitates, & privilegia dicti ordinis, in quantum presentibus non derogent, infringere, seu infringi volumus, neque eis modo aliquo derogare seu derogari, sed ea decernimus in suo robore permanere. Constitutionibus *&c.* ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XLVI. decimo septimo kalendas januarii pontificatus nostri anno sextodecimo.

XLI.

Nicolaus V. unit monasterio S. Severi de Perusio prioratum SS. Trinitatis prope eamdem urbem.

Anno 1447. XIV. kl. aprilis.

Ex archivo ejusdem monasterii S. Severi.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Thome Matthei priori prioratus sancti Severi Perusin. ordinis Camaldulensis salutem & apostolicam benedictionem. Rationi congruit, & convenit equitati, ut ea, que de Romani

mani pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu litere apostolice desuper confecte non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem per felicis recordationis Eugenium papam IV. predecessorem nostrum accepto, quod quondam Hugolinus de Faventia olim prior prioratus sancte Trinitatis extra muros Perusinos Camaldulensis ordinis prioratum predictum, quem tunc obtinebat, ex certis rationabilibus causis sponte & libere resignare proponeret, idem predecessor per quasdam certo dedit judici in mandatis, ut a dicto Hugolino vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto resignationem hujusmodi, si eam in suis manibus sponte & libere facere vellet, ut prefertur, auctoritate apostolica ea vice dumtaxat reciperet & admitteret, eaque per eum recepta & admissa prioratum predictum, postquam per hujusmodi resignationem vacaret, & tunc non esset in eo alicui specialiter jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis dilecto filio Nicolao Matthei de Naya Perusine diecesis per eum, quoad viveret, tenendum, regendum & gubernandum eadem auctoritate commendaret, ac deinde ad audientiam ipsius predecessoris te referente deducto, quod prefatus Nicolaus, qui dictum prioratum sancte Trinitatis per resignationem eamdem tunc vacantem vigore literarum predictarum sibi commendatum assecutus ex tunc in hujusmodi commendam aliquandiu tenuerat, prout tenebat, propris salutis immemor & diabolicis suasionibus illusus, homicidium in persona quondam Baldovini de Perusio laici nequiter perpetraverat, penas, sententias & censuras in tales a jure inflictas damnabiliter incurrendo in anime sue periculum & perniciosum exemplum & scandalum plurimorum; ac pro parte tua nobis exposito, quod fructus, redditus & proventus dicti prioratus sancti Severi propter guerrarum turbines, quibus partes ille diutius afflicte fuerant, adeo tenues & exiles erant effecti, quod ex illis prior ipsius prioratus sancti Severi existens pro tempore congrue sustentari, & alia sibi incumbentia onera commode supportare non valebat, quodque si prefatus prioratus sancte Trinitatis eidem prioratui sancti Severi, in quo tunc temporis quinque fratres dicti ordinis residebant, perpetuo incorporaretur, uniretur & anneeteretur ex hoc priori pro tempore existenti & prioratui sancti Severi hujusmodi circa premissa non modicum cederet relevamen, dictus predecessor, cui pro parte tua asserentis sancte Trinitatis viginti quatuor, & sancti Severi prioratuum predictorum fructus, redditus & proventus decem & septem florenorum auri de camera secundum communem estimationem valorem annuum non excedere inter cetera supplicato, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaretur, idem predecessor venerabili fratri nostro . . Archiepiscopo Neapolitano, tunc in civitate nostra Perusina pro nobis & Romana ecclesia gubernatori suis literis dedit in mandatis, quatinus si eumdem Nicolaum coram eo super premissis accusare, teque in forma juris inscribere velles, postquam illum accusasses & te inscripsisses, ut prefertur, vocatis dicto Nicolao & aliis, qui forent evocandi, super relatis eisdem inquireret diligentius veritatem, & si per inquisitionem hujusmodi ea reperiretur veritate subniti, literas & commendam prefatas, ac quecumque inde secuta revocaret, cassaret & annullaret, ipsumque Nicolaum ab eodem prioratu sancte Trinitatis realiter amoveret: & nichilominus si cassationem, revocationem, irritationem & annullationem hujusmodi faceret, dictum prioratum sancte Trinitatis, qui prioratui heremi Camaldulensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti Aretine diocesis tam ex institutis dicti ordinis per sedem apostolicam ex certa scientia, ut asserebatur, approbatis, quam etiam de antiqua & approbata, eatenusque pacifice observata consuetudine immediate subjectus, & sine cura erat, sive adhuc per resignationem eandem tunc, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona vacaret, dummodo tunc non esset in eo alicui specialiter jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis supradictis eidem prioratui sancti Severi, qui a prioratu sancti Johannis evangeliste ejusdem ordinis Civitatis-Castelli diocesis dicto prioratui eremi similiter subjecto dependet, ac per illius fratres gubernari consuevit, cuique cura imminet animarum, & qui ac dictus prioratus sancte Trinitatis conventuales aut dignitates vel personatus non existunt, eadem auctoritate incorporaret, uniret & annecteret; ita quod ex tunc liceret priori pro tempore existenti antedicto per se vel alium seu alios corporalem prioratus sancte Trinitatis juriumque & pertinentiarum predictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere, ac illius fructus, redditus & proventus in suos & sancti Severi, ac sancte Trinitatis prioratuum eorumdem usus & utili-

tatem perpetuo convertere pariter & retinere, diocesani loci & cujuscumque alterius licentia vel assensu minime super hoc requisitis, prout in dictis literis plenius continetur. Postmodum vero pro parte tua eidem predecessori exposito, quod dictus prioratus sancte Trinitatis eidem prioratui sancti Severi literarum predictarum vigore perpetuo unitus, incorporatus & annexus fuerat, tuque unionis, annexionis & incorporationis hujusmodi obtentu ipsum prioratum sancte Trinitatis, ac illius jurium ac pertinentiarum possessionem extiteras assecutus, necnon possessionem ipsam jam per viginti menses tenueras ac tenebas, quodque pro eo quod propter guerrarum turbines, fructus, redditus & proventus predicti adeo tenues effecti essent, non ita de facili probari poterat, ac etiam fructus, redditus & proventus prioratuum hujusmodi valores in dictis literis comprehensos excedere a quibusdam asserebatur, dubitabas unionem, annexionem & incorporationem predictas juribus non subsistere, ac pro parte tua ipsi predecessori humiliter supplicato, ut super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Ipseque predecessor tuis in hac parte supplicationibus inclinatus, videlicet octavo Kalendas maji pontificatus sui anno quintodecimo voluit & tibi concessit, quod unio, annexio, & incorporatio predicte cum omnibus inde secutis a die octavo Kal. hujusmodi valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent in omnibus & per omnia, ac si in eisdem literis, quod sancti Severi decem & septem, & sancte Trinitatis prioratuum fructus, redditus & proventus hujusmodi quadraginta licet tunc propter in eo factas meliorationes quinquaginta florenorum similium secundum extimationem prefatam valorem annuum non excederent, expressum fuisset. Non obstantibus premissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, que in prefatis unionis literis dictus predecessor non obstare voluerat, ceterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de concessione & voluntate hujusmodi pro eo quod super illis littere dicti predecessoris confecte non fuerunt, valeat quomodolibet esitari, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod presentes litere ad probandam plene voluntatem predecessoris, & concessionem predictas ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo quadragesimo septimo quarto-decimo kal. aprilis pontificatus nostri anno primo.

L. Valla

A. de Racaneto.

XLII.

Franciscus prior generalis unit monasterio S. Blasii de Fabriano ecclesiam S. Johannis de Petriolo.

Anno 1447. xv. maji.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

FRater Franciscus Dei & apostolice sedis gratia sacrosancte Camaldulensis eremi prior totiusque ejusdem ordinis generalis ad futuram rei memoriam. Cum multa quidem illa esse dinoscantur, per que religio verum suscipit incrementum, illa potissimum magisque ac magis conferre judicantur eidem religioni, si in suis bonis aucta & multiplicata sit, per quod augmentum & multiplicamentum educantur, & nutriuntur ille persone, que favente Deo ipsa semper religio floribus adornatur virtutum. Cum itaque monasterium nostri ordinis sancti Blasii de Fabriano diocesis Camerinensis marchie Anchonitane unitum manuale a sede apostolica nostro monasterio sancti Romualdi Vallis de Castro quotidie per bonum, rectum & laudabile regimen floreat tam in personis, quam in suis bonis spiritualibus & temporalibus, per que omnia nostro universo ordini decus resultet & incrementum, cum cupiamus illud, quantum nostra interesse putamus, in melius semper extendi in laudem omnipotentis Dei & conservationem nostre religionis, decrevimus illi de aliquo subsidio providere ad sui potiorem substentationis gradum. Quare cum nuper vacaverit quoddam manuale directaneum monasterii prefati Vallis de Castro per mortem domni Mariani Angeli de Gualdo, qui ei prefuit, & cum jam venerit in collapsum, quia ex ejus redditibus nullus pene potest sustentari, visum est nobis ex certa scientia illud idem manuale, quod dicitur sancti Johannis de Petriolo diocesis & comitatus Firmani dicto monasterio sancti Blasii unire, per quam utique unionem, quibus melius & de jure possumus, idem manuale sancti Johannis de Petriolo ex nunc unimus, annectimus & incorporamus, atque unitum,

tum, annexum & incorporatum esse volumus per presentes dicto monasterio sancti Blasii de Fabriano. Et liceat ex nunc ven. in Christo fratri nostro abbati Vallis-castri accipere & suscipere corporalem possessionem, & omnimodam & totalem administrationem dicti manualis sancti Johannis, non obstantibus quibuscumque constitutionibus in contrarium facientibus, aliisque reservationibus predecessorum nostrorum, etiam si de illis specialis esset habenda mentio de verbo ad verbum, aliisque in contrarium non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum nostri ordinis liceat hanc nostre unionis, annexionis, & incorporationis sententiam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Christi confessorum Benedicti & Romualdi se noverit incursurum.

Datum prope Florentiam ex monasterio sancti Benedicti nostri dicti ordinis anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo quadragesimo-septimo indictione undecima, & die vigesima-octava novembris pontificatus domini nostri domini Nicholai pape V. anno primo nostri vero generalatus officii anno sexto.

Et ego domnus Gabriel Benedicti de Florentia prefati domni Francisci generalis secretarius, suique officii publicus cancellarius & scriba de ejus mandato prescripta omnia & singula ordinavi, scripsi & publicavi, necnon majoris sigilli appensione munivi, ideo ad fidem me subscripsi anno, indictione, mense & die quibus supra.

Nos frater Franciscus prior & generalis ut supra, necnon domnus Augustinus major & domnus Nicholaus sacrista ejusdem sacre eremi, domnus Bernardus abbas sancti Justi de Vulterris, domnus Johannes abbas sancti Ylarii Galeate, domnus Mariottus abbas sancte Marie de Dicciano, domnus Petrus Boldù prior sancte Marie de Carceribus Padue, omnes definitores capituli generalis, quod celebratur in monasterio sancti Savini prope Pisas, diligenti examine discusso, quod supra conceditur, unitur, annectitur & incorporatur, ex certa nostra scientia quicquid in presenti unionis bulla continetur, & omnia inde secuta, confirmamus, approbamus, & confirmamus & ratificamus, & presentis subscriptionis patrocinio communimus, quam per supra-scriptum cancellarium fieri mandavimus nostri quoque officii ad presens cancellarium. In cujus nostre confirmationis, approbationis & ratificationis fidem & testimonium, omnium definitorum nomina mandavimus annotari. Datum ex eodem monasterio sancti Savini, atque ex generali capitulo anno domini M. CCCC. XLVIIII. indictione XII. & die XV. maji.

Et ego domnus Gabriel *&c. ut supra*.

XLIII.

Nicolaus V. eligit Placidum de Boncontibus in abbatem Vergareti.

Anno 1448. idibus februarii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . abbati monasterii beate Marie de Trivio Sarsanatensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Sollicite considerationis indagine, prout officii sacerdotalis cura requirit, circa ecclesiarum & monasteriorum omnium statum utiliter & prospere dirigendum operose diligentie studium impendimus, ut ecclesiis & monasteriis ipsis, ne vacationis cujusvis pergraventur incommodis, de celeris provisionis remedio salubriter consulatur. Hodie siquidem monasterio sancti Hilari de Galeata Camaldulensis ordinis, quod nullius diocesis existit, tunc certo modo vacanti de persona dilecti filii Johannis abbatis monasterii sancti Angeli de Vergareto ejusdem ordinis Sarsanatensis diocesis per alias nostras literas provideri, ipsumque illi in abbatem prefici mandavimus, prout in eisdem literis plenius continetur. Cum itaque propterea prefatum monasterium sancti Angeli, cui dictus Johannes abbas presidere dinoscitur, per provisionem & prefectionem hujusmodi de eo, necnon assecutionem pacificam regiminis & administrationis bonorum dicti monasterii sancti Hilari vel majoris partis eorumdem per eumdem Johannem abbatem dictarum literarum vigore faciendas vacare speretur; Nos cupientes eidem monasterio sancti Angeli, cum vacaverit, de persona secundum cor nostrum utili & idonea, per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat providere, ac de meritis & idoneitate dilecti filii Placidi de Boncontibus monachi eremi Camaldulensis Aretine diocesis apud nos de religionis zelo literarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione aliisque virtutum donis mul-

multipliciter commendati, certam notitiam non habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de meritis & idoneitate hujusmodi auctoritate nostra te informes, & si per informationem ipsam eumdem Placidum ad regimen dicti monasterii sancti Angeli utilem & idoneum fore repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona sua eidem monasterio sancti Angeli, quod a dicta eremo dependet, & per illius monachos, de quorum numero idem Placidus, ut prefertur, & ut asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, gubernari consuevit, cujusque fructus, redditus & proventus quinquaginta Florenorum auri de Camera secundum communem estimationem valorem annuum, ut ipse Placidus etiam asserit, non excedunt, cum illud, ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona vacet, ejusque provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertinent, dummodo tempore date presentium non sit ei alias de abbate canonice provisum, eadem auctoritate provideas, ipsumque illi preficias in abbatem, curam & administrationem ipsius monasterii sancti Angeli sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a dilectis filiis conventus obedientiam & reverentiam debitas & devotas, necnon a vassallis & aliis subditis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim prefato Placido si de ejus persona dicto monasterio sancti Angeli provideris, ut prefertur, ut a quocumque maluerit catholico antistite, gratiam & communionem dicte sedis habente, munus benedictionis accipere, ac eidem antistiti, ut illud dicta auctoritate sibi impendere libere & licite valeant, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Placidus quamprimum vigore presentium possessionem vel quasi regiminis & administrationis bonorum ipsius monasterii sancti Angeli, vel majoris partis eorum fuerit pacifice affecutus, parochialem ecclesiam sancti Silvestri de Fonte-cluso plebanatus Balnei ejusdem ordinis nullius diocesis, quam, ut etiam asserit, obtinet, & cujus fructus, redditus & proventus viginti Florenorum similium secundum estimationem predictam valorem annuum non excedunt, quamque ex tunc vacare decernimus, dimittere teneatur. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XXXXVII. idibus februarii pontificatus nostri anno primo.

XLIV.

Martinus archiep. Corphiensis commissarius apostolicus immittit in possessionem abbatiæ S. Michaelis de Muriano Maphæum Gherardum monachum.

Anno 1449. idibus februarii.

Ex originali ejusdem monasterii.

IN Christi nomine, amen. Anno nativitatis ejusdem M. CCCC. XXXXIX. indictione XII. mense majo die XXVI. actum Muriani in monasterio sancti Michaelis ordinis Camaldulensium, & in ejusdem monasterii ecclesia, presentibus nobili viro domino Baptista Contareno & Hieronymo ecclesie sancti Vitalis de Venetiis beneficiato testibus habitis, vocatis & rogatis. Ibique omnium & singulorum monachorum professorum & conversorum convocato capitulo prefati monasterii de mandato Reverendissimi in Christo patris domini Martini Dei & apostolice sedis gratia archiepiscopi Corphiensis delegati apostolici ad infrascripta specialiter deputati & presente & requirente reverendo patre domno Mapheo eadem gratia ipsius monasterii abbate, in quo capitulo interfuerunt ven. domini Petrus de Sardinia, Laurentius de Venetiis, Bernardus de Papià, Vielmus de Brabantia, Franciscus de Cherso, Nicolaus de Thulmetio, Benedictus Emilianus de Venetiis, frater Petrus Donato, frater Leonardus de Morano, frater Sebastianus de Venetiis, frater Ludovicus Donato de Venetiis omnes ipsius monasterii professi, & frater Maurus de Venetiis, frater Stephanus de Dalmatia, frater Andreas de Venetiis, frater Johannes de Alemannia, frater Ludovicus de Alemannia dicti monasterii conversi. Quibus omnibus suprascriptis convocatis prefatus Reverendissimus dominus archiepiscopus delegatus apostolicus una cum prefato domino abbate subsequentibus prefatis dominis monachis reverenter ante altare genibus flexis & orationibus debitis ad dominum fusis cum aliquali temporis intervallo post completas orationes idem

idem dominus delegatus una cum prefato domino abbate ad altare majus accessivit & illud osculati sunt reverenter, & post. modum prefatus dominus archiepiscopus delegatus versus ad prefatos dominos monachos & capitulum in executione confirmationis electionis factæ per ipsos in personam dicti domini Maphei ad ipsam abbatiam & monasterium sancti Michaelis predicti precepit eisdem, quatenus dicti domni Maphei pareant mandatis, & eidem prestent debitam reverentiam & veram obedientiam tamquam eorum patri; qui singulariter omnes unus post alium reverenter ad pedes ipsius domni abbatis accesserunt, ipsum recognoscentes in patrem, & veram obedientiam & reverentiam offerentes, quo facto prefatus dominus delegatus in veram & ulteriorem dicte confirmationis executionem tenens in manibus literas apostolicas hujusmodi confirmationis & processus desuper per eumdem delegatum habitos manu mei notarii scriptos, prefatum domnum Mapheum in corporalem, realem & actualem possessionem prefati monasterii & abbatie inducens, pannum majoris altaris in manibus assignavit, & stalum in choro & cathedram abbatialem, & locum in capitulo; quibus actis prefati domini monachi & capitulum *Te Deum laudamus* ante majus altare cantare ceperunt, ante altare ipsum dicto domino delegato & abbate flexis genibus existentibus usque ad finem & completas orationes. Quam quidem confirmationis executionem & traditam possessionem prefatus dominus abbas humiliter dixit corpore & animo apprehendere altissimum deprecans Deum, ut sibi creditum gregem salubriter & feliciter regere & gubernare valeat. De quibus omnibus & singulis fui rogatus ego Angelus publicum conficere instrumentum.

† Ego Angelus de Gronda quondam ser Silvestri de Venetiis publicus imperiali auctoritate notarius predictis omnibus & singulis interfui & rogatus scripsi & publicavi & in hanc publicam formam redegi signo & nomine meis appositis consuetis.

XLV.

Nicolaus V. committit abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum aliisque curam Hospitalis-novi de Pisis.

Anno 1450. IV. januarii.

Ex libro Provisionum communis Pisarum lit. E.

F*Oris*. Dilectis filiis prioribus & collegiis Pisane civitatis.

Nicolaus papa V. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Relationem nobis factam & ex literis inde habitis accepimus, quanta cum caritate, & provida consideratione per felicis memorie Martini pape V. decretum extitit circa regimen Hospitalis novi in civitate illa Pisarum ob honorem Dei recenter instituti, ne in spiritualibus & temporalibus ullum patiatur detrimentum, sed in eo continuis temporibus hospitalitas procuretur, vidimus post hanc laudabilem & necessariam provisionem adhibitam per felicis recordationis Eugenium papam IV. predecessorem nostrum, ne quidam Ludovicus Massafera predicti hospitalis hospitalarius ob enormem ejus, ut ajunt, vitam ac mores in administratione ejusdem hospitalis usque ad annos tres post finitum annum, quo suspensus fuerat computandos, se ingereret. Quapropter dilecti filii abbas monasterii sancti Savini ordinis Camaldulensis, & prior Cartusie de Calci Pisane diocesis una cum duobus civibus, & priores & collegia dicta civitatis deputatis in ejusmodi gubernatione permaneant, prout ex literis ac Brevibus superius confectis late continetur. Perspectis itaque omnibus his & paterna meditatione pensatis, precibus vestris inducti supradictam suspensionem, ratam ac firmam in omnibus & per omnia habentes usque ad tres alios annos successive post finem dicti triennii enumerandos, & inde ad beneplacitum nostrum auctoritate apostolica prorogamus & pro prorogatis haberi debeant decernimus per presentes, predictisque priori Cartusiensi & abbati sancti Michaelis de Burgo loco abbatis sancti Savini cum duobus honestis civibus electis, aut his per obitum deficientibus eligendis, ut supradictum hospitale regendi, gubernandi, ordinandi & ministrandi prout ante faciebant, plenam & omnimodam concedimus facultatem; nolentes ut interim Ludovicus antedictus in ejus regimine quovismodo se intromitte-

mittere audeat vel presumat, ne hospitale ipsum in deteriorem conditionem & tamquam in egritudinem recidivam perlabatur & pereat, de bonis tamen suis ad voluntatem predictorum honeste vitam ejus ducere possit & pacifice valeat. Datum Rome apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die IV. januari M. CCCC. L. pontificatus nostri anno III.

Die XXVII. januarii M. CCCC. L. in ecclesia sancti Michaelis de Burgo intimatus & notificatus fuit tenor presentis Brevis sanctissimi domini nostri domino abbati sancti Michaelis, & Symoni Aurifici in presentia domini Coli Operarii, ser Johannis de Pisis & ser Leonardi de Arena ex commissione dictorum priorum.

XLVI.

Idem separat a monasterio Angelorum de Florentia alterum S. Johannis de Saxo[1], in quo instituit Gregorium monachum in priorem.

Anno 1451. XIV. kl. aprilis.

Ex tabulario monasterii Angelorum.

NIcolaus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Constitutus in specula supreme dignitatis Romanus pontifex circa statum ecclesiarum & monasteriorum omnium salubriter dirigendum aciem paterne considerationis extendens, ea que in eorum detrimentum processerunt, ne graviorem tendant in noxam, revocat & annullat, ac ecclesias & monasteria ipsa in pristinum statum reducit, prout cause rationabiles persuadent, & id in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem ex fidedignorum relatione intelleximus, quod monasterium sancti Johannis Decollati de Saxo vulgariter nuncupatum Arretine diocesis olim ordinis sancti Benedicti, quod tunc notabile & insigne, ac in magna veneratione erat, illiusque pro tempore abbates mitra & pastorali baculo uti posse dicerentur, per quondam Balthassarem tunc in sua obedientia Johannem XXIII. nuncupatum monasterio Angelorum de Florentia ordinis Camaldulensis unitum, annexum & incorporatum fuit, male in temporalibus & spiritualibus gubernatur, & Misse & alia divina officia a multis annis citra ibidem celebrata non fuerunt, illiusque ecclesia discooperta, ac habitationes & domus monachorum non solum ruinam minantur, sed ad acervos lapidum deducte sunt; possessiones vero ad ipsum monasterium sancti Johannis spectantes distracte, vendite & alienate fuerunt, & partim inculte evaserunt in religionis obproprium ac perniciosum exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur, ad quos spectat in premissis salubre remedium adhibere, volentes de premissis omnibus & singulis plene informati motu proprio non ad alicujus vel aliquorum nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate unionem, annexionem & incorporationem predictas, ac literas desuper confectas, & processus habitos per easdem, necnon omnia inde secuta sub quamcumque forma & expressione verborum, etiamsi litere ipse motu simili & ex certa scientia emanaverint, illorum tenorem ac si de verbo ad verbum inserte forent, presentibus pro expressis habentes, & ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium revocamus, cassamus & annullamus, ac unionem, annexionem & incorporationem predictas dissolvimus, necnon ordinem Camaldulensem in eodem monasterio sancti Johannis penitus & omnino supprimimus & extinguimus, illudque ad ordinem sancti Benedicti, ac in pristinum statum, & in eum, in quo ante unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi existebat, motu simili reducimus, restituimus & reponimus, intendentes eidem de abbate utili & idoneo provideri. Non obstantibus premissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. paginam nostre revocationis, cassationis, annullationis, dissolutionis, suppressionis, extinctionis, reductionis, restitutionis, repositionis & intentionis &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. L. quarto-decimo Kalendas aprilis pontificatus nostri anno quinto.

Pro Poggio.

L. de Cosciaris.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri nostro episcopo Arretino *scribit, se hodie monasterium sancti Joannis-decollati de Saxo disunivisse & excorporasse ex monasterio sancte Marie Angelorum de Florentia*. Cupientes vero eidem monasterio sancti Johannis de persona utili & idonea, per quam circumspecte regi & salubriter gubernari valeat, providere, ac de meritis & idoneitate dilecti filii Gregorii Berti prioris

ris prioratus sancti Angeli de Nasciano Camaldulensis ordinis & tue diocesis prediĉtorum, qui, ut afferit, ordinem ipsum Camaldulensem expresse professus & in sacerdotio constitutus existit, necnon reparationi dicti monasterii sancti Johannis vacare intendit, apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione aliisque virtutum donis multipliciter commendati certam notitiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de meritis & idoneitate ipsius Gregorii auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ipsum Gregorium ad regimen & administrationem dicti monasterii sancti Johannis utilem & idoneum eum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona ipsius Gregorii prefato monasterio sancti Johannis, cujus fructus, redditus, & proventus centum florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Gregorius etiam afferit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona & ex quavis causa ejus provisio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit illi de abbate canonice provisum, cum omnibus & singulis membris, annexis, juribus & pertinentiis suis auctoritate nostra provideas, ipsumque illi preficias in abbatem, curam, regimen & administrationem dicti monasterii sancti Johannis prefato Gregorio in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a conventu ipsius monasterii pro tempore existenti obedientiam & reverentiam debitas & devotas, necnon a vassalis & aliis subditis suis consueta servitia & jura exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: non obstantibus si conventui, vassallis, & subditis predictis vel quibuscumque aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et insuper prefato Gregorio, si de illius persona eidem monasterio sancti Johannis presentium vigore provideris, ac eum illi in abbatem prefeceris, ut prefertur, munus benedictionis impendas, vel per alium catholicum antistitem gratiam & communionem dicte sedis habentem impendi facias & procures. Volumus autem, quod idem Gregorius ex tunc illum gestet habitum, qui in eodem monasterio sancti Johannis ante unionem, annexionem & incorporationem predictas gestari & haberi solebat, ac illius institutis regularibus se conformet, & insuper prefato Gregorio, ut una cum dicto monasterio sancti Johannis etiam postquam pacificam regiminis & bonorum illius vel majoris partis eorumdem presentium vigore affecutus extiterit, dictum prioratum, qui conventualis non est, & cui cura non imminet animarum, ac manualis existit, & cujus ecclesia & habitationes omnes penitus destructe, desolateque sunt, ac illius prior pro tempore existens ad nutum abbatis monasterii sancti Petri de Rota ordinis Camaldulensis & tue diocesis predictorum, a quo ipse prioratus dependet, revocabilis existat, cujusque fructus, redditus & proventus viginti florenorum similium secundum extimationem predictam valorem annuum, ut idem Gregorius etiam afferit, non excedunt, quem idem Gregorius obtinet, usque ad decennium a data presentium computandum, ad hoc ut melius monasterium sancti Johannis hujusmodi reparari & restitui per eum possit, retinere, necnon de illius fructibus, redditibus & proventibus ejus, debitis & consuetis supportatis oneribus disponere & ordinare, sicut veri ipsius prioratus priores, qui pro tempore fuerint, de eis disponere & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen interdicta. Proviso, quod prioratus ipse debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed illius congrua supportentur onera consueta. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. L. quarto-decimo calendas aprilis pontificatus nostri anno V.

Pro Poggio

L. de Cosciaris.

XLVII.

Idem Nicolaus denuo eidem monasterio Angelorum de Florentia unit prædictum monasterium S. Johannis de Saxo.

Anno 1451. VIII. kl. julii.

Ex eodem tabulario Angelorum.

NIcolaus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Roma-

Romanus pontifex pacis & justitie precipuus conservator propositas sibi causas equa lance discutiens quidquid in alieni juris injuriam processisse comperit, avocat & adnullat, prout ordo postulat rationis. Nuper siquidem ex falsa relatione quorumdam intelleximus, quod monasterium sancti Johannis Decollati de Saxo vulgariter nuncupatum Arretine diocesis olim ordinis sancti Benedicti, quod tunc notabile & insigne ac in magna veneratione erat, illiusque pro tempore abbas mitra & pastorali baculo *&c. ut in superiori anni* 1450. *usque* scandalum plurimorum. Nos relata hujusmodi vera fore putantes, motu proprio unionem, annexionem, & incorporationem predictas & literas desuper confectas, necnon processus habitos per eosdem, ac omnia inde secuta sub quacumque forma & expressione verborum *&c.* cassavimus, revocavimus & adnullavimus, ac unionem, annexionem, incorporationem predictas dissolvimus, necnon ordinem Camaldulensem in eodem monasterio sancti Johannis penitus & omnino suppressimus & extinximus, illudque ad ordinem sancti Benedicti, ac in pristinum & eum statum, in quo ante unionem existebat, motu simili reduximus, restituimus & reposuimus, ac per alias nostras literas venerabili fratri nostro episcopo Arretino, ejus proprio nomine non expresso, dedimus in mandatis, ut de persona dilecti filii Gregorii Berti prioris prioratus sancti Angeli de Nasciano Camaldulensis ordinis & diocesis predictorum eidem monasterio sancti Johannis de abbate provideret *&c.* Cum autem exinde ex relatione fide dignarum personarum ac presertim ex literis ven. fratris nostri Antonini archiepiscopi Florentini nobis super hoc directis intellexerimus, quod monasterium ipsum sancti Johannis olim eidem monasterio Angelorum solum pro sustentatione ipsius fuerit unitum, ac dilecti filii prior & conventus dicti monasterii Angelorum non fuerint causa ruine dicti monasterii sancti Johannis, que non eorum incuria vel negligentia, sed antiquitate & temporum malitia causantibus, etiam ante unionem predictam fuerant subsecuta, ac in parochiali ecclesia & membris dicti monasterii Misse & alia divina officia celebrentur, possessionesque non in perpetuum alienate sint, sed in emphiteosim certi temporis date, postea ad monasterium reversure; pro parte dictorum prioris & conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulas nostras literas predictas, tamquam ex falsis causis & ab ipsorum prioris & conventus malivolis a nobis extortas revocare, cassare, & annullare, aliasque ipsorum prioris & conventus indemnitati in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ex officio nobis commisso tenemur unicuique jus suum illesum preservare, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnesque & singulas literas nostras predictas ad dissolutionem, suppressionem *&c.* revocamus, cassamus, ac si predicte contrarie litere nostre non emanassent *&c.* & nihilominus prefato archiepiscopo & ven. fratribus nostris Fesulano & Polensi episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios prefatis priori & conventui monasterii Angelorum efficacis defensionis auxilio assistentes non permittant eos super eodem monasterio sancti Johannis ac illius possessionibus *&c.* per dictum Gregorium *&c.* quomodolibet molestari, sed faciant pacifica possessione gaudere. Non obstantibus *&c.*

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LI. VIII. kal. julii pontificatus nostri anno V.

Rinutius. L. Bussa.

XLVIII.

Idem restituit in monasterio Carcerum dignitatem abbatialem.

Anno 1453. XVI. kl. maji.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

NIcolaus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Francisco archiepiscopo Corphiensi in civitate Venetiarum residenti salutem & apostolicam benedictionem. Constitutus in specula superne dignitatis Romanus pontifex ecclesiarum & monasteriorum omnium, quorum cura sibi imminet generalis, statum quandoque commutari & honorem augeri mandat, prout cause rationabiles persuadent, & id in Domino conspicit salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Boldu prioris prioratus beate Marie de Carceribus Camaldulensis ordinis Paduane diocesis petitio continebat, quod prioratus predictus, qui olim monasterium fuisse dicitur, in suis fructibus, redditibus & proventibus gratia Domini adeo abun-

abundat, quod ad manutenendum decem vel duodecim monachos in dicto prioratu, si ad monasterium reduceretur, consequenter sufficerent, ipsiusque prioratus seu monasterii ecclesia in majori devotione & reverentia haberetur, divinusque cultus cum salute animarum, ac numerus monachorum inibi continuo susciperet incrementum. Quare pro parte dicti Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum ipsum, qui conventualis existit, in monasterium erigi, ac abbatialem dignitatem & conventum ibidem institui mandare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum ipsum ubique vigere & augere suppressis affectibus desideramus, de premissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de premissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per eamdem informationem ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, prioratum predictum in monasterium auctoritate prefata erigas, ac dignitatem abbatialem & conventum inibi instituas, illudque omnibus insigniis ad instar aliorum monasteriorum dicti ordinis decores. Et nihilominus si erectionem & institutionem predictas per te vigore presentium fieri contingat, ut prefertur, prefatum Petrum in abbatem dicti monasterii ordines, ac statuas & decernas, quod ex nunc in antea ipsi monasterio quoties illud vacare contigerit, de abbate, qui curam, regimen & administrationem dicti monasterii illius provisione semper sedi apostolice reservata, in spiritualibus & temporalibus gerat & exerceat, provideatur, quodque idem Petrus ex tunc sit abbas dicti monasterii, & ita reputetur, sibique obedientia & reverentia tamquam abbati exhibeatur. Et insuper dicto Petro tunc abbati munus benedictionis impendas, seu per alium catholicum antistitem, gratiam & communionem dicte sedis habentem, impendi facias & procures. Volumus autem, ut tu vel idem antistes, qui ipsi Petro tunc abbati prefatum munus impendes vel impendet, postquam illud sibi impenderis vel impenderit, ab eo nostro & Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipias seu recipiat juramentum juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam ac formam juramenti, quam idem Petrus tunc abbas prestabit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures seu procuret. Preterea tam dicto Petro, quam pro tempore existenti illius monasterii abbati & conventui, quod omnibus & singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, preeminentiis & immunitatibus, prout alii abbates & conventus monasteriorum dicti ordinis in genere utuntur & gaudent, uti & gaudere libere & licite valeat, ipseque Petrus & successores sui omnimodam auctoritatem & jurisdictionem habeant, sicuti alii abbates antedicti, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus pariter & indulgemus. Non obstantibus *&c.*

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LIII. XVI. kalendas maji pontificatus nostri anno septimo.

S. de Monte-bonidonis.

Pro Jo. de Cichinis.

Jo. de Vulterris.

XLIX.

Sententia circa confines territorii abbatie de Lemmo in Histria.

Anno 1453. XXV. augusti.

Ex carthario S. Mathie de Muriano.

FRanciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum *&c.* Nobilibus & sapientibus viris Marco Barbo de suo mandato potestati Parentii & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Audita per viros nobiles Thadeum Justiniano & Candianum Bollani Auditores nostros novos summaria causa appellationis officio eorum interposite per fidelem communitatem nostram Parentii in sententia contra eos lata per virum nobilem Andream Barbarigo olim potestatem nostrum Parentii per nos judicem delegatum in causa, per quam pronuntiavit, declaravit & sententialiter terminavit confinia terrarum abbatie ecclesie sancti Michaelis de Lemo hoc modo procedere, videlicet incipiendo in fine montis vocati de Lavelli, qui est ultimus mons veniendo a monte Calbo, qui est prope Lemum, sub quo monte nominato de Lavelli est certa planities, sub qua planitie est quedam vallis concava, quam vallem concavam sub eadem planitie sindici communitatis Parentii dicebant esse vallem Feletosam, que vallis con-

concava est sub via, que vadit per ipsam planitiem, & per quam viam itur de castro sancti Laurentii ad castrum Ursarie, sub qua via prope ipsam viam passibus sex versus eamdem vallem concavam est unum quercus signatum ✠ in medio autem ✠ est fixus unus clavus &c. ut latius in ea continetur, in favorem venerabilis viri domni Petri de Venetiis abbatis sancti Michaelis de Lemo. Et visis scripturis omnibus, auditisque juribus ambarum partium, & omnibus, que pro favore jurium suorum dicere, producere & allegare voluerunt, tandem ipsi nostri auditores dictam laudaverunt sententiam. Et propterea fidelitatibus vestris auctoritate officii dictorum nostrorum auditorum novorum tradita scribimus & mandamus, quatenus dictam sententiam bene & juste latam, & per dictos nostros auditores laudatam & approbatam observare, exequi & executioni mandari facere debeatis, & cogere ac cogi facere dictam nostram communitatem, & habentes de bonis suis ad dandum & solvendum dicto domino abbati pro expensis in hac appellationis & laudationis causa factis, & per dictos nostros auditores sibi taxatis libras viginti parvorum. Facientes has nostras litteras ad futurorum memoriam registrari & registratas eidem domino abbati pro sua cautione restitui.

Data ex nostro Ducali Palatio die XXV. mensis augusti M. CCCC. LIII. indictione prima.

L.

Sententia Andreæ Boni ep. Equilini judicis apostolici circa eosdem confines.

Anno 1454. II. maji.

Ex eodem tabulario S. Mathiæ.

ANdreas Bono Dei & apostolice sedis gratia episcopus Equilinus judex delegatus & subdelegatus apostolicus rev. in Christo patri & domino eadem gratia episcopo Parentino, ac omnibus & singulis, quorum interest vel intererit, seu quos infrascriptum tangit negotium seu tangere poterit quomodolibet in futurum, ac universis & singulis dominis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, cantoribus, subcantoribus, thesaurariis, sacristis, custodibus tam cathedralium, quam collegiatarum canonicis, parochiarumque ecclesiarum rectoribus, plebanis, viceplebanis, archipresbyteris, vicariis, capellanis & beneficiatis perpetuis curatis & non curatis, ceterisque personis ecclesiasticis in quibuscumque dignitatibus, gradibus vel officiis constitutis, ac presbyteris, notariis, clericis & tabellionibus publicis per castrum sancti Laurentii, ac civitatis & diocesis Parentine & ubilibet constitutis, & eorum cuilibet in solidum salutem in Domino, & nostris, immo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Occasione cujusdam differentie & litis vertentis inter rev. dominum abbatem sancti Michaelis de Lemmo ex una, & rev. in Christo patrem dominum episcopum Parentinum parte ex altera nobis commisse per sanctissimum dominum nostrum dominum Nicolaum divina providentia papam Quintum sententiam definitivam dicta auctoritate apostolica in favorem dicti domini abbatis & ejus monasterii tulimus tenoris subsequentis, videlicet. In Christi nomine, amen. Nos Andreas Bono episcopus Equilinus judex delegatus & subdelegatus apostolicus cause & partibus infrascriptis specialiter deputatus, prout legitur literis apostolicis sanctissimi domini nostri domini Nicolai divina providentia pape V. ipsius vera bulla plumbea ad cordulam canapis more Romane curie pendente munitis sanis integris nobis presentatis subsequentis tenoris videlicet:

Nicolaus episcopus servus servorum Dei ven. fratri ... episcopo Equilino, & dilectis filiis ... abbati monasterii sancti Michaelis extra muros Polenses, ac Silvestro Quirino canonico Cr tensi in civitate Venetiarum residentibus salutem & apostolicam benedictionem. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri abbatis monasterii sancti Michaelis de Lemmo Camaldulensis ordinis Parentine diocesis petitio continebat, quod cum olim inter dilectos filios Benedictum de Ragusio priorem dicti monasterii, quod tunc proprio carebat abbate, & dilectos filios commune civitatis Parentine super certis tunc expressis terris, silvis & possessionibus ad dictum monasterium legitime pertinentibus, & que dictum commune minus veraciter ad se spectare pretendebat, orta fuisset materia questionis, partes ipse super his in quemdam tunc expressum arbitrum, arbitratorem & amicabilem compositorem concorditer compromiserunt; qui hujusmodi in se suscepto compromisso iniquum tulit arbitrium inter partes, per quod inter cetera dicto communi adju.

adjudicavit medietatem vel quasi terrarum, silvarum & possessionum earumdem, & quia dictus prior hujusmodi arbitrio contradicere neglexerat, prefatum commune medietatem possessionum hujusmodi apprehendentes, illarum partem inter certos tunc expressos cives Parentinos distribuerunt, postmodum vero quibusdam eorumdem civium vita functis, cum pars possessionum earumdem, quam iidem vita functi apprehenderant, ad ven. fratrem nostrum Johannem episcopum Parentinum successu temporis devenisset, prefatus Petrus abbas recuperatis per eum justitie medio alia parte dictarum possessionum, que per dictum commune detinebatur, & dicto episcopo partem possessionum hujusmodi, que ad ipsum pervenerat, prefato abbate contra justitiam recusante, idem Petrus abbas afferens etiam, quod dictus episcopus ultra dictas possessiones quoddam territorium versus orientem Montis Calbi in dicta diocesi consistens ad ipsum monasterium legitime pertinens occuparet, & detineret indebite occupatum, ac tam ipse, quam dilecti filii capitulum Parentinum ipsum abbatem etiam super quibusdam decimis contra justitiam molestarent, nostras, per quas ipsum ad appellandum ab arbitrio hujusmodi restitui, & eo restituto & causam appellationis hujusmodi prosequente super hiis & aliis premissis, quod justum foret decerni mandavimus sub certa forma ad plebanum ecclesie sancti Geminiani Venetiarum ejus proprio nomine non expresso & certos ejus in ea parte collegas literas impetravit, prefatumque episcopum super hoc petendo se ad appellandum ab arbitrio hujusmodi, ac etiam ad partem possessionum per eumdem episcopum detentarum hujusmodi restitui coram dilecto filio Nicolao de Crucibus plebano dicte ecclesie literarum hujusmodi vigore fecit ad judicium evocari. Et licet dictus plebanus solus, prout ex forma literarum hujusmodi poterat, in hujusmodi causa procedens per suam definitivam sententiam juste & rite latam prefatum abbatem ad appellandum a dicto arbitrio restituerit, & ipse abbas ab illo appellaverit, tamen dilectus filius Andreas de Avensago plebanus plebis sancte Margarite etiam Venetiarum, cui predictus Nicolaus plebanus super ulteriori dictarum literarum executione commisit totaliter vices suas, prefato abbate suam appellationem hujusmodi prosequi volente, ad ulteriorem earumdem literarum executionem hujusmodi procedere non curavit, causam ipsam fere per annum tenens in suspenso, quamvis super illius decisione pro parte ipsius abbatis loco & tempore congruis sepius fuerit requisitus. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, prefatus abbas non speret se coram dicto Andrea plebano super hiis posse consequi justitie complementum, prefatumque arbitrium, cum ipse abbas non adversus illud, sed ad appellandum ab eo, seu illi contradicendum dumtaxat restitutus sit, in enormem cedat dicti monasterii lesionem, ac dictus episcopus super prefato territorio, necnon tam ipse, quam dilecti filii capitulum Parentinum super perceptione decimarum ex fructibus in dictis terris territorio & possessionibus exc... tibus provenientium, que in dictis literis expresse non fuerint, & quarum perceptio hujusmodi ad ipsum abbatem, cum ipse & ejus predecessores in pacifica vel quasi juris percipiendi decimas hujusmodi fuerint a tanto tempore, de cujus contrario memoria hominum non existit, de antiqua & approbata, ac hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, eumdem abbatem adhuc multipliciter molestent & perturbent. Quare pro parte dicti abbatis fuit humiliter supplicatum, ut sibi quoad arbitrium hujusmodi per beneficium restitutionis in integrum & superatis premissis justitie ministerio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur in hac parte supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum vocatis episcopo & capitulo predictis, quatenus id eos contingit, si & postquam vobis de enormi lesione hujusmodi, ut prefertur, tenuerit in suspenso, legitime constiterit dictum Petrum abbatem adversus arbitrium hujusmodi, prout justum fuerit, appellatione remota decernatis, ac alias ad earumdem literarum executionem procedatis, perinde ac si ille vobis directe fuissent, non obstantibus omnibus, que in predictis literis non obstare voluimus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LIII. quarto Kalendas junii pontificatus nostri anno VII. Coronatus. L. de Tervixio.

Volentes dicte cause finem imponere, & partibus predictis dante Domino justitiam ministrare, visa sententia super restitutione dicti domini abbatis ad appellandum lata per egregium decretorum dominum Nicolaum a Crucibus plebanum sancti Geminiani delegatum apostolicum contra laudum & arbitramentum, de quibus supra subsequentis tenoris videlicet:

In

In Chriſti nomine, amen. Nos Nicolaus de Crucibus decretorum doctor plebanus ſancti Geminiani & judex apoſtolicus ad infraſcripta ſpecialiter deputatus, viſis quibuſdam inſtrumentis abbatie ſancti Michaelis de Lemmo productis per dominum abbatem dicti monaſterii, & primo viſa quadam ſententia lata per quemdam dominum Rogerium de Tarſia ſcripta & publicata per ſer Silveſtrum de Adalperio quondam ſer Nicolai notarii de Juſtinopoli publici notarii imperialis in M. CCCC. XI. indictione IV. die ſabbati XXIX. menſis auguſti ſub logia portici Parentii *&c.* Viſo inſuper inſtrumento compromiſſi facti in perſona ſupraſcripti domini Rogerii de Tarſia ſcripto & in publicam formam reducto per ſupraſcriptum ſer Silveſtrum de Adalperio de Juſtinopoli notarium *&c.* in M. CCCC. XI. indictione IV. die lune XXIV. menſis auguſti. Viſo quodam inſtrumento exemplato quod incipit: In Chriſti nomine, amen, Hoc eſt exemplum ex authentico inſtrumento relevatum: In nomine Dei eterni, amen. Anno Dominice incarnationis M. XXXX. regni domini Henrici *&c.* ſcripto manu Andree de Parentio imperialis notarii de mandato ven. domini Bonifacii epiſcopi Parentini in M. CCC. V. indictione III. die ultimo menſis martii. Viſo etiam quodam alio inſtrumento, videlicet ſententia ſpectabilis viri domini Marci Cornario lata & data ſub anno Domini M. CCC. XL. indictione VIII. die veneris XXV. menſis februarii in terra ſancti Laurentii ſub logia communis ſcripta, completa & roborata manu ſer Andree filii magiſtri Caſtellani de Baſſano ſacri palatii notarii. Item quodam inſtrumento quod incipit: In nomine ſancte & individue Trinitatis anno Dominice, ſcripto in hunc modum, videlicet Huic largitioni & traditioni *&c.* Item quodam tranſumpto licentie ſue commiſſionis attributo domino abbati ſancti Michaelis per ven. virum dominum fratrem Antonium ſacre eremi Camaldulenſis priorem, necnon ejuſdem ordinis generalem ſcripto, completo & roborato manu Guidonis de Prato-veteri publici notarii ſcripto completo & roborato ſeu tranſumpto per Jacobum civem Venetiarum publicum notarium de mandato rev. patris domini Andree Bono vicarii generalis rev. domini epiſcopi Caſtellani, & inſuper deſcripto & ſubſcripto manu trium notariorum legalium, videlicet per ſer Baldaſſarem de Caravazo notarium imperialem & ſer Antonium Jacobi civem Venetiarum publicum notarium, necnon auſcultato per rev. patrem dominum abbatem ſupraſcriptum vicarium ipſius rev. domini epiſcopi generalem *&c.* Et viſo quodam exemplo hujus tenoris videlicet: Hoc eſt exemplum cujuſdam publici inſtrumenti, cujus per omnia tenor talis eſt, In Chriſti nomine amen. Cum nos Thomas Juſtiniano pro sereniſſima & excellentiſſima ducali dominatione noſtra Venetiarum poteſtas ſancti Laurentii ducales literas receperimus *&c.* Et viſo quodam alio tranſumpto ſcripto manu Jacobi de Venetiis *&c.* & ſubſcripto manu duorum notariorum, videlicet ſer Antonii Jacobi notarii *&c.* & per ſer Baldaſſarem de Caravazo *&c.* Et demum viſa quadam alia ſententia lata per ſpectabilem virum dominum Andream Barbadico poteſtatem Parentii & ejus diſtrictus in M. CCCC. L. indictione XIII. die veneris tertio menſis julii ſcripta manu Gregorii quondam Zampetri de Farientis de Sacilo publici imperiali auctoritate notarii & tunc cancellarii ſupraſcripti ſpectabilis domini poteſtatis *&c.* ad probandum leſionem prefati monaſterii per prefatam ſententiam, laudum & arbitrium latum per dictum dominum Rogerium de Tarſia. Et viſis demum quibuſdam aliis allegationibus partium coram nobis oretenus factis, Chriſti nomine invocato, a quo omne rectum procedit judicium, ſedentes pro tribunali in ſacriſtia ſancti Geminiani, quem locum ad hunc actum elegimus pro idoneo, dicimus & pronunciamus dictum monaſterium ſancti Michaelis de Lemmo fuiſſe & eſſe enormiter leſum per arbitrium ſupradictum, & ideo reſtituendum ad appellandum juxta tenorem literarum apoſtolicarum nobis commiſſarum, quod monaſterium per hanc noſtram ſententiam ad appellandum reſtituimus, & in eo ſtatu reponimus, ac ſi dies reclamationis ab arbitrio prefato elapſi non eſſent, & hoc dicimus, pronunciamus & declaramus hoc & omni alio meliori modo, via, jure & forma, quibus magis & melius de jure poſſumus & debemus, Lata, data & pronunciata fuit ſupraſcripta ſententia per ſupraſcriptum judicem delegatum ſub anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti M. CCCC. LII. indictione XV. die XXIX. menſis martii, preſentibus ven. viro domino presbytero Bartholomeo nuncio curie Caſtellane & Johanne Georgii diacono eccleſie ſancti Geminiani teſtibus ad hec vocatis & rogatis,

Viſa appellatione pro parte dicti domini abbatis poſt dictam reſtitutionem interpoſitam ab ipſo laudo & arbitramen-

to,

to; viso libello postea coram dicto domino Nicolao exhibito tenoris subsequentis.

Coram vobis ven. patre domino Nicolao a Crucibus plebano sancti Geminiani de Venetiis delegato apostolico comparebo ego frater Petrus de Venetiis abbas monasterii sancti Michaelis de Lemmo Parentine diocesis contra & adversus rev. in Christo patrem & dominum dominum Johannem episcopum Parentinum & quamlibet aliam personam pro ipso legitime in judicio comparentem, & expono, quod licet olim abbates dicti monasterii sancti Michaelis pro tempore existentes pacificam terrarum, & silvarum possessionem dicti monasterii quarumcumque circa castrum sancti Andree de Galisetis dicte diocesis constitutarum tenuissent, tamen communi civitatis Parentine falso afferentibus terras, silvas & possessiones predictas ad se spectare, inter commune ipsum & rev. patrem dominum Benedictum de Ragusio tunc priorem ipsius monasterii materia questionis exorta, dictus prior & commune concorditer in quemdam Rugerium de Tarsia civem Justinopolitanum tamquam in arbitrum, arbitratorem & amicabilem compositorem fecerunt compromissum, licet nulliter & de facto, qui quidem arbiter in causa hujusmodi perperam procedens arbitrium, in quo inter cetera medietatem vel quasi silvarum, terrarum & possessionum predictarum communi prefato adjudicavit, promulgavit iniquum, cujus pretextu prefatum commune medietatem possessionum hujusmodi assequuti, illas inter peculiares cives Parentinos tunc expressos distribuerunt, & quibusdam ipsorum civium vita functis, illorum portio possessionum earumdem certo modo ad dictum rev. dominum episcopum Parentinum pervenit, cum gravi jactura monasterii antedicti. Cumque ego frater Petrus abbas antedictus a communi predicto Parentino coram potestate Parentino ex bonis hujusmodi partem indebite detentam recuperaverim, nec potuit dictus rev. dominus episcopus per dictum dominum potestatem jurisdictionis defectu ad restitutionem territorii vallis Feletose versus orientem dicto monasterio spectantis compelli, quod idem dominus episcopus detinet occupatum, propterea quia dominus noster causam ipsam rev. paternitati vestre commisit, prout in commissione vestra continetur, vosque domine judex de lesione ipsius monasterii cognoscentes me abbatem ad appellandum a dicto iniquissimo arbitramento, & nullo admisistis; sicque appellavi, cujus appellationis causa vestre spectat cognitioni, & cum dictum arbitramentum nulla virtute subsistere possit, tam respectu persone compromittentis, quam respectu iniquitatis ejusdem, prout in processu declarabitur, peto ego abbas predictus, quatenus per vestram definitivam sententiam pronuncietis & declaretis bene appellatum per me & dictum arbitrium male, indebite, perperam & injuste pronunciatum suprascriptum laudum & arbitramentum, quo ad recuperare per dictum dominum episcopum pro nunc infirmetis, cassetis & revocetis, ipsumque dominum episcopum debitis juris remediis ad restitutionem suprascriptarum terrarum & fructuum ex eis perceptorum indebite occupatorum condemnetis & compellatis, salvis omnibus aliis juribus meis contra dictum dominum episcopum & ipsius capitulum & homines Parentii, de quibus loco & tempore prosequendis solemniter protestor & salvo jure addendi, minuendi *&c.* que quidem terre, silve & possessiones sunt a valle Feletosa respicientes versus Orsariam, ubi est una Crux super quodam saxo usque ad Calisede *&c.* prout in testificationibus continetur datis in judicio Parentino, & quia etiam indebite detinet occupatum territorium montis Calbi nullo legitimo titulo ultra sententiam arbitrariam, quod de jure spectat dicto domino abbati & ipsius monasterio, petit dictus dominus abbas, quatenus compellatis & sententietis dictum dominum episcopum ad restitutionem dicti montis Calbi, & fructuum perceptorum & expensarum. Item petit expensas *&c.* salvo jure *&c.*

Viso Brevi prefati domini nostri pape, quo mandatur causa hujusmodi unica sententia terminari tenoris subsequentis, videlicet a tergo: Dilectis filiis plebium plebanis sancti Geminiani & sancti Luce *&c.* Intus: Nicolaus papa V. Dilecti filii, salutem & apostolicam benedictionem. Dudum devotioni vestre *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die III. aprilis pontificatus nostri anno sexto. A. de Florentia. Visa responsione ipsi petitioni facta pro parte dicti rev. domini episcopi Parentini, & litis contestatione; visis omnibus actis & actitatis tam coram decretorum doctore suprascripto domino Nicolao a Crucibus, quam domino plebano sancte Margarite ipsius subdelegato & eorum processibus, necnon omnibus & singulis instrumentis & juribus coram ipsis productis & coram nobis reproductis & repetitis; visis actis & actitatis coram decretorum

torum doctore domino Silvestro Quirino canonico Cretensi collega nostro, ex recommissione per ipsum facta de tota causa premissa; viso libello etiam ultimo loco producto coram dicto domino Silvestro judice collega nostro subsequentis tenoris, videlicet: Coram vobis rev. domino Slvestro judice delegato apostolico compareo ego frater Petrus &c. Visa litis contestatione desuper facta; visis testibus examinatis, & publicatis, exceptionibus & oppositionibus, juribus, instrumentis & aliis omnibus & singulis actis & actitatis tam coram nobis, quam collega nostro & aliis predictis in causa partibus auditis & intellectis, & que in premissis dicere & allegare voluerunt.

Christi nomine repetito, ejusque virginis gloriose Matris Marie, a quibus omne rectum judicium procedit, sedentes pro tribunali in domo nostre habitationis, quem locum ad hunc actum elegimus pro idoneo, per hanc nostram definitivam sententiam, quam fecimus in his scriptis, dicta auctoritate apostolica dicimus, pronunciamus, decernimus & declaramus a suprascripto laudo & arbitramento, ut supra lato & promulgato in gravissimam lesionem dicti monasterii sancti Michaelis de Lemmo fuisse & esse pro parte dicti domini abbatis bene & legitime appellatum, & per dictos arbitros assertos male arbitratum, processum & sententiatum, dictumque monasterium gravissime lesum, ipsumque laudum & arbitramentum, quantum concernit personam dicti domini episcopi Parentini seu ejus ecclesiam, revocamus, cassamus, infirmamus & annullamus, nullumque fuisse & esse decernimus per hanc nostram definitivam sententiam, & successive sententiamus & condemnamus dictum dominum episcopum ad restitutionem omnium terrarum per ipsum detentarum infra limites & confines infrascriptos, videlicet a valle Feletosa, que vallis Feletosa est per transitum montis de Lavellis, relicto ipso monte a sinistris eundo ad sanctum Laurentium versus Vrsariam, ubi sunt campi arativi, in cujus vallis medio est via directa a castro sancti Laurentii ad Vrsariam, prope quam viam a dextris est certus lapis crucesignatus, quo distinguuntur territoria monasterii sancti Michaelis de Lemmo a territorio Vrsarie, quam vallem dictus dominus episcopus Parentinus indebite possidet de jure abbatie predicte. Item locum qui dicitur Arca sepulture in monte Certenese, super quam sunt tres cruces, per quam territoria sancti Michaelis de Lemmo predicti distinguuntur a territoriis Parentii. Item a predicta Arca sepulture quasi versus Aquilonem usque ad possessionem olim ser Dominici, ubi sunt duo putei, qui vocantur putei sancti Justi, deinde a dictis puteis, seu possessione olim ser Dominici usque sursum retorquendo usque ad coronam sancti Mauri, que est prope viam publicam directam a civitate Parentii ad castrum Calisedi, que corona terre abbatie predicte sive monasterii distinguuntur a terris sancti Mauri, & per consequens hoc totum terrenum inclusum infra confines seu confinia immediate prescripta a dextris pertinent ad jurisdictionem abbatie predicte. Item a suprascripta corona sancti Mauri recto tramite vel eundo versus solis ortum usque ad columnas positas pro confinibus dominii inter communitatem civitatis Parentii & castri sancti Laurentii a manu dextra eundo per dicta confinia usque ad viam, que dirigitur a sancto Laurentio ad Ursariam, de qua superius mentio habita est, infra que quidem confinia omnia superius declarata prefatus rev. dominus episcopus aut ejus episcopatus ante memoratam sententiam arbitrariam nullam unquam habuit jurisdictionem aut possessionem seu proprietatem, immo ad monasterium & abbatiam predictam dicte terre pertinebant, & nomine dicte abbatie pacifice possidebantur, prout coram nobis constitit & constat tam per testes coram nobis alias per ipsum dominum abbatem nominatos & productos, quam etiam per testes undecim per spectabilem dominum tunc potestatem Parentii acceptos & in presenti causa coram suprascriptis domino delegato & subdelegato productos & reproductos coram nobis. Item sententiamus dictum dominum episcopum ad restitutionem montis Calbi & totius territorii montis dicti, quod est versus orientem a dicto monte, quam ultra contenta in dicta sententia arbitraria dictus rev. dominus episcopus detinet indebite de juribus dicti monasterii sive abbatie predicti sancti Michaelis pertinet, prout apparet in testificationibus predictis. Item sententiamus dictum dominum episcopum ad dandum & solvendum ipsi domino abbati nomine sue abbatie omnes fructus, redditus per ipsum dominum episcopum perceptos ex terris ipsis a tempore mote litis eumdem in expensis legitimis condemnantes, quarum taxationem in posterum reservamus, & predicta omnia dicimus sententiamus & definimus auctoritate apostolica omnibus melioribus via, jure & forma, quibus ma-

magis & melius possumus & debemus &c. Lata, data & pronunciata fuit suprascripta sententia per suprascriptum dominum episcopum Equilinum judicem delegatum apostolicum sub die XXVIII. mensis januarii M. CCCC. LIV. indictione secunda, presentibus ser Augustino de Bassano notario quondam Artisini, presbytero Johanne Pignol sancti Apollinaris, & presb. Philippo Fortino testibus habitis, vocatis & rogatis & aliis.

A qua quidem sententia fuit pro parte dicti domini episcopi Parentini appellatum, cui appellationi, licet causa unica sententia terminari deberet, ob reverentiam sancte sedis apostolice admisimus, & assignavimus certum terminum ipsi domino episcopo Parentino ad finem faciendum de prosecutione dicte appellationis, & cum coram nobis comparuerit dictus dominus abbas, & petierit, quatenus ad dicte sententie exequtionem procedere dignaremur, ac dicta auctoritate apostolica sibi dare corporalem possessionem dictarum terrarum, que continentur in dicta sententia sibi adjudicatarum, seu dari & induci facere mandaremus, ex eo quod dictus dominus episcopus non prosequutus est appellationem, nec finem fecit de prosequutione infra terminum sibi assignatum, & quod dictum dominum episcopum Parentinum compellere deberemus per censuras ecclesiasticas, juxta traditam a sede apostolica nobis formam. Nos igitur Andreas episcopus antedictus volentes exequi mandata apostolica, ut fecimus, & advertentes hujusmodi requisitionem fore justam pariter & honestam, & veritati inniti, per anuli nostri impositionem dedimus & tradidimus ipso domino abbati possessionem suprascriptarum terrarum, ut supra judicatarum, dicte abbatie existentium & pertinentium dicta auctoritate apostolica cum plenitudine jurium & pertinentiarum earumdem, ac damus, tradimus & investimus tenore presentium ipsum dominum abbatem, vosque dominum episcopum Parentinum, & omnes & singulos sua interesse putantes, quibus predictis noster processus, & hec nostra executio dirigitur, eisdem auctoritate & tenore presentium requirimus & monemus primo, secundo, & tertio & peremptorie communiter vel divisim vobis & cuilibet vestrum in virtute sancte obedientie & penis infrascriptis districte mandamus, quatenus infra sex dierum spatium post presentationem seu notificationem presentium vobis & cuilibet vestrum factam immediate sequentium, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica assignamus, eumdem dominum abbatem vel procuratorem suum ejus nomine in & corporalem possessionem seu quasi dictarum terrarum & possessionum ut supra judicatarum cum omnibus juribus & pertinentiis suis sine contradictione, oppositione aut difficultate recipiatis & inducatis, & ab aliis recipi & induci faciatis & inductum defendatis, amoto exinde quolibet illicito detentore, quem nos, in quantum possumus, amovemus & denunciamus amotum, ac ipsum dominum abbatem vel dictum procuratorem pro eo de possessionibus ipsis & terris suprascriptis in dominum recipiatis, seu alter vestrum recipiat, sibique de ipsarum possessionum & terrarum fructibus &c. universis, prout ad vos communiter & divisim pertinet, respondeatis, & ab aliis integre & plenarie responderi faciatis: quod si forte premissa omnia & singula non adimpleveritis, mandatisque & monitionibus nostris, immo vero apostolicis, non parueritis cum effectu, nos in vos omnes & singulos supradictos, qui culpabiles fueritis in premissis & generaliter in contradictores quoslibet & rebelles, ac impedientes ipsum dominum abbatem vel procuratorem suum in premissis in aliquo, ac ipsum impedientibus dantes auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte &c. excommunicationis sententia ferimus in his scriptis: vobis vero domino episcopo Parentino, cui ob reverentiam vestre pontificalis dignitatis deferimus in hac parte, si contra premissa vel aliquod premissorum feceritis per vos vel submissam personam prefatam, monitione canonica trium dierum premissa ingressum ecclesie interdicimus in his scriptis, si vero hujusmodi interdicti sententiam per alios tres dies prefatos immediate sequentes substinueritis, vos in his scriptis simili canonica monitione premissa suspendimus a divinis, verum si prefatas interdicti & suspensionis sententias per alios tres dies prefatos sex immediate sequentes, animo, quod absit, substinueritis indurato, vos in his scriptis eadem canonica monitione premissa excommunicationis sententia auctoritate apostolica predicta innodamus. Ceterum quia certis aliis occupati negotiis non possumus nos ad alias partes tranferre, vobis suprascriptis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis & ceteris aliis suprascriptis & vestrum cuilibet in solidum super ulteriori exequtione dicti mandati apostolici atque nostri dicta auctoritate apostolica tenore presentium requirimus & monemus,

atque committimus plenarie vices noſtras, donec eas duxerimus revocandas primo, ſecundo, tertio & peremptorie communiter & diviſim, vobiſque nihilominus & veſtrum cuilibet in virtute ſancte obedientie & ſub excommunicationis pena *&c.* precipiendo mandantes vos *&c.* & veſtrum ſingulos, qui ſuper hoc, ut premittitur, fueritis requiſiti *&c.* ſupraſcriptum abbatem ſeu ejus procuratorem in corporalem, realem & actualem poſſeſſionem ſupraſcriptarum terrarum & poſſeſſionum judicatarum per nos dicta auctoritate apoſtolica dicte abbatie ſpectare & pertinere, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis inducatis *&c.* In quorum omnium *&c.* Datum & actum Venetiis in domo habitationis prefati rev. domini epiſcopi Equilini judicis delegati antedicti ſub anno a nativitate Domini M. CCCC. LIV. die vero jovis II. maji indictione II. preſentibus ſpectabile viro domino Andrea Quirino & presbytero Philippo T.. tino teſtibus & aliis.

Ego Marcus quondam Nicolai de Marchetis perpetuus beneficiatus in eccleſia ſancti Samuelis de Venetiis *&c.* notarius, qui dictarum literarum apoſtolicarum preſentationi, receptioni, requiſitioni, ceteriſque premiſſis omnibus & ſingulis preſens fui *&c.* ſcripſi *&c.* ſignavi *&c.*

In Chriſti nomine, amen. Anno ejuſdem nativitatis M. CCCC. LIV. indictione II. die vero VIII. menſis ſeptembris. Actum in diſtrictu Parentii apud ultimum confinium exiſtentem inter commune civitatis Parentii, & commune caſtri ſancti Laurentii verſus territorium Calixedarum, preſentibus ſapientibus viris ſer Antonio de Coleto, magiſtro Stephano Cerdone quondam Martini, ſer Georgio quondam Johannis Bertuccii *&c.* civibus & habitatoribus caſtri ſancti Laurentii teſtibus convocatis ſpecialiter & rogatis, & aliis pluribus. Ibique ſpectabilis & generoſus vir dominus Ludovicus Bredano pro ſereniſſimo ducali dominio Venetiarum *&c.* honorandus poteſtas ſancti Laurentii, tamquam nuntius inſtitutus, deputatus & datus a rev. in Chriſto patre & domino domino Andrea Bono epiſcopo Equilino judice delegato apoſtolico, de quo patent litere ejuſdem domini epiſcopi & judicis delegati ſub anno Domini M. CCCC. LIV. die XXIV. menſis maji, necnon a magnificis dominis advocatoribus communis Venetiarum, ut de predictis quoque patent litere commiſſionis ejuſdem tenoris in predictis milleſimo, indictione & die XII. menſis auguſti, ad inducendum & ponendum ven. virum dominum domnum Petrum abbatem monaſterii ſancti Michaelis de Lemmo in tenutam & corporalem poſſeſſionem de certis terrenis & agris arativis exiſtentibus in territorio & diſtrictu Parentii juxta formam & continentiam ejuſdem ſententie ſuperinde late per prefatum dominum epiſcopum & judicem delegatum apoſtolicum in favorem predicti domini domni Petri abbatis contra rev. dominum epiſcopum Parentinum in M. CCCC. LIV. & die jovis ſecundo menſis maji. Prefatus igitur dominus Ludovicus Bredano honorandus poteſtas ſancti Laurentii vigore commiſſionis, libertatis & baylie ſibi a prefatis domino epiſcopo judice delegato apoſtolico, & a magnificis dominis advocatoribus communis Venetiarum, ut ſupra, ven. virum dominum domnum Mapheum Girardo de Venetiis ordinis Camaldulenſis, ac procuratorem eccleſie ſancti Michaelis de Murano ibidem preſentem, nomine ac vice prefati domini domni Petri abbatis ac ſucceſſorum ſuorum ſtipulantem & recipientem omnibus melioribus modo, via, jure, & forma, quibus melius potuit & poteſt, induxit & poſuit in tenutam & corporalem poſſeſſionem omnium & ſingulorum terrenorum olim poſſeſſorum per prefatum dominum epiſcopum infra hos confines, prout in dicta ſententia latius continetur; videlicet a valle Feletoſa, que vallis Feletoſa eſt per tranſitum montis de Lavellis, relicto ipſo monte a ſiniſtris eundo ad ſanctum Laurentium verſus Urſariam, ubi ſunt campi arativi, in cujus vallis medio eſt via directa a caſtro ſancti Laurentii ad Urſariam, prope quam viam a dextris eſt certus lapis Cruce ſignatus, quo diſtinguuntur territoria monaſterii ſancti Michaelis de Lemmo a territorio Urſarie, quam vallem dictus dominus epiſcopus Parentinus indebite poſſidet, de jure abbatie predicte. Item locum, qui dicitur arca ſepulture in monte Certeneſe, ſupra qua ſunt tres Cruces, per quam territoria ſancti Michaelis de Lemmo predicti diſtinguuntur a territoriis Parentii. Item a predicta arca ſepulture quaſi verſus aquilonem uſque ad poſſeſſionem olim ſer Dominici, ubi ſunt velut duo putei ſancti Juſti. Deinde a dictis puteis, ſeu poſſeſſione olim ſer Dominici uſque ſurſum retorquendo uſque ad coronam ſancti Mauri, que eſt prope viam publicam directam a civitate Parentii ad caſtrum Caliſedi, qua corona terre abbatie predicte ſeu monaſterii diſtinguuntur a terris ſancti Mauri. Et per conſequens hoc totum terrenum incluſum infra confines immediate preſcriptos a dextris pertinet ad juriſdictionem abbatie predicte. Item a ſu-

pra.

pradicta corona sancti Mauri recto tramite vel secundo versus Solis ortum usque ad colonas positas pro confinibus dominii inter communitatem civitatis Parentii & castri sancti Laurentii a manu dextra eundo per dictos confines usque ad viam, que dirigitur a sancto Laurentio ad Ursariam, de qua superius mentio habita est. Item per consequens in tenutam & corporalem possessionem induxit quoque de monte Calbo & totius territorii montis dicti, quod est versus Orientem a dicto monte &c. ut in prenominata sententia ulterius legitur, & continetur, dans & concedens prelibatus dominus Ludovicus predicto ven. domno Mapheo Girardo nomine dicti domini abbatis ac successorum suorum plenam auctoritatem & bayliam auctoritate propria intrandi tenutam & corporalem possessionem terrenorum positorum infra confines superius nominatos juxta continentiam sententie prenominate, ac bona & fructus possidendi & accipiendi ad omne libitum dicti domini abbatis, & successorum suorum omnimodam voluntatem tamquam de rebus dicti monasterii sancti Michaelis de Lemmo. Quibus omnibus & singulis sic peractis, & debita sollemnitate firmatis, prout in similibus moris est, prefatus dominus Ludovicus Bredano mihi notario & cancellario mandavit, ut de predictis omnibus & singulis publicum conficiam instrumentum.

Ego Petrus quondam ser Bartholomei Parentinus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius, necnon prelibati domini Ludovici Bredano cancellarius predictis omnibus, dum sic agerentur, presens fui, fideliter scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signum quoque meum consuetum apposui.

LI.

Monachi Vangaticienses eligunt œconomum in ecclesia S. Zenonis de Borsedo.

Anno 1455. XIII. martii.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe LIII. 5.

EXemplum unius instrumenti Christophori Rosini notarii Abbatie Pollicinii sumptum ex protocollo in quaternulo annorum M. CCCC. LIV. & M. CCCC. LV. ad pag. 37. cujus tenor talis est.

In Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. LV. indictione III. die XIII. mensis martii Abbatie, in monasterio infrascripto Vangadicie, presentibus testibus vocatis, habitis & rogatis magistro Johanne filio Petri de Montolinis professore Gramatice, Francisco Albaresano filio probi viri Albaresani de Ferraria, Dominico Busto & aliis. Vacante ecclesia sancti Zenonis de Villa Borsedi ob mortem religiosi viri domni Antonii de Abbatia ultimi rectoris dicte ecclesie, ven. vir domnus Placidus de Este prior monasterii sancte Marie de Vangadicia ordinis Camaldulensis Adriensis diocesis una cum infrascriptis fratribus & monachis, & ipsi omnes una cum eo, nemine discrepante, videlicet domnus Benedictus Zane nobilis Venetus subtusprior, domnus Ambrosius, domnus Angelus, domnus Michael, frater Angelus, frater Jacobus & frater Hieronymus in pleno capitulo ad sonum campanelle, ut moris est, sollemniter convocati & congregati asserentes & affirmantes se ibi esse majorem & saniorem partem eorum monachorum, qui in eo capitulo vocem habere debent, omnibus modo, via, jure &c. creaverunt & ordinaverunt religiosum virum domnum Georgium de Sclavonia monachum dicti ordinis Camaldulensis in sacerdotio constitutum ibi presentem & adceptantem suum & seu ecclesie sancti Zenonis de Borsedo dicto monasterio immediate subjecte iconomum, gubernatorem & defensorem, sindicum & procuratorem, & quidquid melius dici, censeri & etiam potest specialiter & expresse ad conficiendum sollemniter inventarium omnium & singularum rerum tam mobilium, quam immobilium dicte ecclesie quovis modo spectantium & pertinentium, & res tam sacras, sanctas & religiosas, quam seculares diligenter solicite & honeste gubernandum & manutenendum, & jura quecumque dicte ecclesie defendendum, augmentandum, & conservandum, prout sibi melius & utilius pro utilitate dicte ecclesie visum fuerit expedire & si pro ipsis rebus & juribus defendendum, augmentandum & conservandum opus fuerit ubilibet & in quacumque curia & in judicio partium quarumcumque comparendum tam ad agendum, quam ad defendendum, & omnia & singula faciendum, que .... & juris ordo postulat & requirunt, & generaliter ad omnia &c. sub obligatione &c.

Ego Christophorus Rosinus notarius &c.

XLII.

Calixtus III. *confirmat privilegia concessa Camaldulensibus ab Alexandris* IV. *&* V.

Anno 1455. XXIX. maji.

Ex libro Privilegiorum Camald. pag. 24.

CAlistus papa tertius. Dilecto filio Mariotto priori eremi & generali ordinis Camaldulensis. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Tua & ordinis tui erga nos & Romanam ecclesiam sincera devotio, atque in religionis cultu ingens observantia nos plurimum hortantur, ut tibi gratiosi simus ad ea presertim, que ad laudem Dei & ipsius ordinis augmentum spectent. Igitur desiderantes nunc aliquam & tibi & ordini tuo ejusmodi gratiam facere, omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, honores, gratias & libertates per felicis recordationis Alexandrum Quartum & Alexandrum Quintum, ceterosque summos pontifices predecessores nostros ordini tuo, tam in capite, quam in membris, & tam priori eremi, quam ceteris prelatis, monachis, personis ac locis ejusdem ordinis concessa seu concessas eadem omnia & singula in his literis pro expressis habentes, tenore presentium motu proprio, & ex certa scientia, auctoritate apostolica, si & prout hactenus in melius usi fuistis, confirmamus, approbamus, emologamus & roboramus, & pro confirmatis, approbatis, emologatis & roboratis in perpetuum esse volumus & declaramus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX. maji M. CCCC. LV. pontificatus nostri anno primo.

L. Dathus.

LII.

Idem confirmat monasterio Vangaticiensi privilegia eidem concessa a prædecessoribus suis.

Anno 1455. III. nonas junii.

Ex autographo abbatiæ Vangaticiensis.

CAlistus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Regimini universalis ecclesie licet insufficientibus meritis disponente Domino presidentes pro ecclesiarum & monasteriorum omnium ac in eis sub regulari habitu virtutum Domino famulantium personarum statu salubri & incrementis felicibus libenter intendimus, ac hiis, que propterea processisse comperimus, ut illibata persistant, apostolici muniminis adjicimus firmitatem. Dudum siquidem felicis recordationis Celestinus papa III. predecessor noster nonnullas libertates, exemptiones & protectiones olim monasterio sancte Marie de Vangadicia Camaldulensis ordinis Adriensis diocesis super possessionibus, jurisdictionibus, rebus, bonis, ecclesiis, & monasteriis, ac aliis membris ejusdem per felicis recordationis Silvestrum, Calistum, Innocentium & Alexandrum Romanos pontifices etiam predecessores nostros concessas approbavit, ratificavit & confirmavit, illasque perpetuis futuris temporibus ab omnibus inviolabiliter observari & custodiri voluit & mandavit, prout in literis ejusdem Celestini, quas in cancellaria apostolica diligenter inspici, & signis & characteribus & subscriptionibus obmissis, presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur. Quare dilectus in Christo filius Ludovicus tituli sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis camerarius noster, ac prefati monasterii commendatarius perpetuus nobis humiliter supplicavit, ut libertates, exemptiones ac omnia alia & singula in dictis literis contenta harum serie ratificantes & approbantes munimine roborare ex benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, libertates, exemptiones & omnia alia & singula in literis Celestini predecessoris hujusmodi contenta harum serie ratificantes & approbantes illa omnia perpetuum robur vim & efficaciam obtinere decernimus per presentes. Tenor vero literarum talis est. Celestinus episcopus *&c. Eas edidimus in Appendice tomi IV. col.* 202. Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LV. tertio nonas junii pontificatus nostri anno primo.

LIV.

Capitulum basilicæ Lateranensis concedit facultatem erigendi monasterium prope ecclesiam SS. Trinitatis de Faventia.

Anno 1455. I. julii.

Ex archivo ejusdem parthenonis.

CApitulum & canonici sacrosancte Lateranensis ecclesie magnifico & excellen-

cellenti domino de Manfredis civitatis Faventie domino, & magnifice domine Johanne ejus consorti salutem & sinceram in Domino caritatem.

Quoniam inter cuncta pietatis opera id proprium & meritorium esse dignoscatur, prout sancti patres docent exempla, & sacre pagine instruunt discipline, ut cupientes ecclesias ad divinum cultum fundare aut fundatas instaurare, erigere & manuteneri, favorabili presidio fulciantur; idcirco tanto diligentius nostrum adjutorium impartimur, quanto attentius affectamus nostre sacrosancte ecclesie Lateranensis ad honorem Salvatoris nostri dedicate devotionem ac fidem augeri, ac in ea & ecclesiis sibi subjectis divini cultus obsequium ampliari. Attendentes igitur zelum vestrum, pium propositum & affectionem devotam, quam ad ecclesiam seu monasterium sancte Trinitatis de civitate Faventie vobis immediate subjectum, positum in burgo porte Pontis, precipuum haberi, prout vestra petitio & opera liquido manifestant, merito inducimur vestrum propositum vestrasque supplicationes admittere gratiose. Cum igitur ad dictum monasterium habeatis specialis devotionis affectum, intendentes pro animarum vestrarum salute ob Dei reverentiam & honorem sanctissime Trinitatis prefatum monasterium ruina & vetustate collapsum, ex quo moniales exierunt, nullius cure effectum, instaurare, reparare, fundare, reedificare & ampliare, & in eo abbatissam, priorissam & moniales ordinis & regule per reverendum patrem episcopum Faventinum & vos eligende in sufficienti numero, & probate vite & sanctimonie & honestatis nominare, eligere & representare ad nostri capituli confirmationem ac juribus sacrosancte nostre Lateranensis ecclesie salvis de concessione hujusmodi nobis humiliter vestris nominibus supplicare fecistis, ut vobis instaurandi, reparandi, fundandi, reedificandi, ampliandi & ornandi ecclesiam & monasterium predictum, necnon & inibi abbatissam, priorissam & moniales prefatas eligendi & representandi, que Deo jugiter famulentur, sub censu annuo nobis & ecclesie nostre debito constituto dignaremur auctoritate & potestate super iis sacrosancte Lateranensi nostre ecclesie & nostro capitulo ab apostolica sede concessis opportune licentie remedium impartiri. Nos igitur tam pie devotioni vestre & devoto proposito annuere volentes vobis prefatam ecclesiam & monasterium instaurandi, reparandi, fundandi, reedificandi, ampliandi, ornandi, & si opus fuerit, de novo construendi, & in eo oratorium & officinas restaurandi seu faciendi & reparandi, & altare seu altaria erigendi cum cemeterio, & campanas reponendi secundum consuetudinem sancte matris ecclesie subjectum dicte nostre ecclesie, & ad ipsius opus, jus & utilitatem cum annuo censu quinque Bologninorum antiquorum dicte nostre ecclesie & nostri capituli camerariis annis singulis in festo sancte Trinitatis persolvendorum, necnon in eodem abbatissam, priorissam & moniales pro hac vice tantum eligendi, ponendi & nominandi ordinis & regule, qui & que reverendo patri episcopo Faventino & vobis placuerint, in numero, que vobis videbitur, nobis tamen earum confirmationem, institutionem seu destitutionem, visitationem & correctionem, & earum in dicto monasterio successarum, & etiam omnia alia ecclesie nostre jura reservantes plenam atque liberam tenore presentium concedimus facultatem. Insuper quo majori fervore devotionis accensi, vos ac populus huic pio operi intendatis tenore presentium declarantes auctoritate literarum apostolicarum ipsi ecclesie Lateranensi & membris ejusdem per Romanos pontifices concessas indulgentias infrascriptas omnibus benefacientibus, eleemosynas vel aliquas oblationes dantibus seu prestantibus in dicta ecclesia & monasterio sancte Trinitatis, oratorio, officinis, cemeterio dederint, donum fecerint & manus porrexerint adjutrices, quadraginta annos & decem quadragenas de injuncta eis peninitentia in Domino relaxari, que indulgentia in quolibet festo apostolorum & evangelistarum, & quolibet festo beate Marie virginis, ac in octava ipsarum festivitatum, & in qualibet die quadragesime duplicatur. In die vero fundationis ipsius ecclesie & monasterii & in festo sancte Trinitatis quadruplicatur. Necnon a domino nostro Salvatore omnium, in cujus nomine ecclesia ipsa Lateranensis principaliter fuit constituta & sub utriusque Johannis vocabulo insignita juxta subsidii quantitatem & devotionis affectum suorum remissionem peccatorum, & animarum suarum salutem, aliasque indulgentias misericorditer adipisci. Denique quia ad predicti monasterii visitationem vel reformationem nostrum capitulum presens esse non potest, vices nostras committimus vobis rev. patri episcopo Faventino, videlicet visitandi & corrigendi tam in capite quam in membris abbatissam, priorissam ac moniales predicti monasterii, capitula, constitutiones, ordinationes earum & dicti monasterii videndi, eligendi, emendandi, & si opus

ſi opus fuerit, corrigendi mores & vitam ipſius abbatiſſe, prioriſſe & monialium inveſtigandi atque eaſdem monendi, eiſque & cuilibet ipſarum in mandatis injungendi ſuper obſervantiam earum ordinis & regule, ac eas, ſi tuarum monitionum, mandatorum tranſgredientes extiterint vel etiam contemptrices, ſecundum Deum & ſacros canones corrigendi, caſtigandi, emendandi, puniendi, &, ſi opus fuerit, carcerandi, eaſque ſervare faciendi clauſuram, maxime hoc ſervato, quod nullus homo maſculus dicti monaſterii clauſuram ingredi preſumat ſub pena adjecta, que vobis videbitur opportuna. Non obſtantibus quibuſcumque conceſſionibus canonicorum regularium, aut eorum reformatoribus antecefforum eorum, quas revocamus, caſſamus, & revocatas & caſſas eſſe declaramus, preſente commiſſione ad beneplacitum Lateranenſis capituli valitura. In quorum omnium fidem & teſtimonium ac robur preſentes literas ſcribi fecimus per infraſcriptum noſtrum notarium, & magni capitularis ſigilli Lateranenſis eccleſie juſſimus appenſione muniri. Datum Laterani ſub anno Domini M. CCCC. LV. indictione III. menſe julii die primo pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini noſtri Calixti divina providentia pape III. anno ejus primo.

Fulgentius canonicus & camerarius Lateranenſis.

Dominicus de Malamerendis notarius dictorum canonicorum & capituli de mandato ſupradictorum.

LV.

Bulla Calixti III. *circa prioratum de Cerreto unitum monaſterio Angelorum de Florentia.*

Anno 1455. VII. Kl. ſeptembris.

Ex tabulario ejuſdem monaſterii Angelorum.

CAliſtus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio .. abbati monaſterii ſancti Salvatoris de Camaldulo Florentie ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex injuncto nobis apoſtolice ſervitutis officio ad ea libenter intendimus, per que eccleſiarum & monaſteriorum omnium utilitas procuratur, & ut illa, que propterea proceſſiſſe dicuntur, firma & illibata perſiſtant, cum a nobis petitur, favorem apoſtolicum libenter impartimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Ugolini Petri Honufrii de Antilla prioris prioratus ſancti Georgii de Suarca ordinis Camaldulenſis Florentine dioceſis petitio continebat, quod dudum dilecti filii prior & conventus monaſterii ſancte Marie de Angelis Florentie per priorem ſoliti gubernari dicti ordinis, conſiderantes, quod ipſi ratione monaſterii ſancti Petri de Cerreto Vallis-elſe prefati ordinis Vulterrane dioceſis, Abbatia nuncupata, prefato monaſterio de Angelis uniti multa habebant expenſarum onera ſubire, & diverſa incommoda, & perturbationes propterea ſubſtinebant, unde cupientes ſuper his ſalubriter providere, matura inter eos deliberatione prehabita, pro evidenti monaſteriorum predictorum utilitate omnes & ſingulos fructus, redditus & proventus dicte abbatie de Cerreto eidem Ugolino pro annuo cenſu centum librarum monete Florentine ipſi monaſterio de Angelis quolibet anno perſolvendo, ita tamen quod dictus Ugolinus omnia onera ſpiritualia & temporalia ipſis priori & conventui & monaſterio de Angelis ratione dicte abbatie de Cerreto incumbentia perferre deberet & teneretur, & que poſt obitum ejus eadem abbatia ad dictum monaſterium de Angelis tamquam membrum capiti reverteretur, ad vitam ipſius Ugolini dumtaxat cum certis aliis honeſtis pactis & conditionibus evidentem utilitatem monaſteriorum predictorum, ac pacem & quietem ipſorum prioris & conventus concernentibus locarunt & conceſſerunt, prout in quodam inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet idem Ugolinus vigore locationis & conceſſionis predictarum fructus, redditus & proventus hujuſmodi per duos annos in allocationem, ut prefertur, tenuerit, ac ipſam abbatiam in ſpiritualibus & temporalibus feliciter gubernaverit, prout tenet & gubernat de preſenti, cenſum ipſum debite perſolvendo, nihilominus dubitat eaſdem locationes & conceſſiones juribus non ſubſiſtere. Quare pro parte tam prioris & conventus, quam Ugolini predictorum nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut conceſſioni & locationi hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori robur apoſtolice confirmationis adjicere, aliaſque in premiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de premiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis omnibus & ſingulis ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te

dili-

diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse, super quo tuam conscientiam oneramus, locationem & concessionem predictas in evidentem utilitatem prefati monasterii cedere repereris, concessionem & locationem predictas, ac illas contingentia omnia & singula in dicto instrumento contenta, & inde secuta quecumque, prout rationabiliter processerunt, eadem auctoritate approbes *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice M. CCCC. LV. septimo kalendas septembris pontificatus nostri anno primo.

LVI.

Idem Calixtus III. unit abbatiæ Classensi alteram S. Severi prope Ravennam.

Anno 1455. VIII. id. decembris.

Ex authentico præfatæ abbatiæ Classensis.

CAlistus episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii sancti Spiritus Ravennaten. salutem & apostolicam benedictionem. Non solum conveniens, sed etiam necessarium arbitramur, si dum ecclesie & monasteria ad divinum cultum & commoditatem ministrorum deputata propter vetustatem, negligentiam, desolationem aut alios casus ad ruinam tendunt, & cultus divinus in illis negligitur, eorum, quantum fieri potest, obvietur incommodis, & si non de totali, saltem de ipsa, quam temporis conditio permittit, reparatione & restauratione effectualiter succurratur. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum & monasteriorum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium & in antea vacaturorum ordinationi & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum monasterium sancti Severi extra muros Ravennaten. Cisterciensis ordinis ex eo, quod dilectus filius Franciscus nuper ipsius monasterii abbas considerans, ut asserebat, prefatum monasterium conventu & monachis penitus destitutum, necnon illius bona, possessiones & jura pro majori parte deperdita, occupata & alienata, ac a nonnullis detenta existerent, adeout ad illa restauranda & recuperanda auctoritate alicujus magni viri opus esse nosceretur, seque ad instaurationem & recuperationem hujusmodi faciendas impotentem & inhabilem esse, ac metuens, ne illa dietim in deterius procederent, omni regimini & administrationi dicti monasterii, cui tunc preerat, per dilectum filium Bicium Hieronymi de Foro-livio civem Ravennatem procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte & libere cesserit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, ad presens sit abbatis regimine destitutum, nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione & decreto obsistentibus suprascriptis. Et sicut dilectus filius noster Philippus tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis nobis nuper exposuit, prefatum monasterium ad medium milliare vel circa monasterio sancti Apollinaris extra eosdem muros Camaldulensis ordinis propinquum existat, adeout ambo monasteria predicta per unum & eumdem commendatarium sive abbatem facile regi & gubernari possent, que quidem monasteria si invicem unirentur, annecterentur & incorporarentur, prefatus cardinalis, qui dictum monasterium sancti Apollinaris ex concessione apostolica in commendam obtinet, de ipsius monasterii sancti Severi reformatione & restauratione, ac illius deperditorum jurium & bonorum prefatorum recuperatione & vendicatione, necnon alias de illius statu in melius reformando sedulam curam & diligentiam adhiberet, & cum prefatum monasterium sancti Severi hactenus Altissimo propitiante melius gubernatum fuerit, ac in suis fructibus, redditibus & proventibus opulentius existat, idemtidem facile agere posset quicumque eisdem ambobus monasteriis pro tempore presederit. Quare pro parte dicti cardinalis asserentis, quod sancti Severi centum, & sancti Apollinaris monasteriorum prefatorum trecentorum Florenorum auri de camera fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedant, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsius monasterii sancti Severi statui super iis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis alias certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus & singulis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, prefatum monasterium sancti Severi a superioritate, dominio, potestateque quorumcumque prelatorum dicti Cisterciensis ordinis

eadem

eadem auctoritate liberes & abſolvas, illudque ad dictum Camaldulenſem ordinem transferas & illi applices; & nihilominus illud ac ſancti Apollinaris monaſteria prefata cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem invicem auctoritate prefata perpetuo incorpores, unias & annectas; ita quod ambo monaſteria predicta per prefatum cardinalem, dum in humanis vixerit, in omnibus & per omnia, prout hactenus dictum monaſterium ſancti Apollinaris gubernatum & adminiſtratum fuit, & deinceps perpetuis futuris temporibus per unum abbatem dicti Camaldulenſis ordinis perpetuo regatur, ac etiam gubernetur, necnon unum & eumdem conventum faciant, liceatque ex tunc prefato cardinali & pro tempore exiſtenti eorumdem monaſteriorum abbati per ſe vel alium, ſive alios corporalem poſſeſſionem monaſterii ſancti Severi, juriumque & pertinentiarum prefatorum auctoritate propria libere apprehendere, & perpetuo licite retinere, ac illius fructus, redditus & proventus in ſuos & dictorum monaſteriorum uſus & utilitatem convertere, diocesani loci vel alterius cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita. Et inſuper eidem Franciſco abbati, ne propter reſignationem hujuſmodi nimium diſpendium patiatur, ſuper fructibus, redditibus & proventibus dicti monaſterii ſancti Severi penſionem annuam quadraginta Florenorum ſimilium per prefatum cardinalem, ac pro tempore exiſtentes dictorum unitorum monaſteriorum abbates & commendatarios eidem Franciſco abbati, quoad vixerit, vel procuratori ſuo ad hoc ab eo ſpeciale mandatum habenti annis ſingulis in certis terminis & locis ad id per te de ipſorum petentium conſenſu ſtatuendo efficaciter perſolven. necnon uſumfructum domus ejuſdem monaſterii ſancti Severi & vinee juxta eam poſite auctoritate prefata reſerves, conſtituas & aſſignes, faciens Franciſco abbati vel procuratori prefato penſionem hujuſmodi juxta reſervationis, conſtitutionis & aſſignationis prefatarum, ſi illas feceris, tenorem integre reſpondere. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo; non obſtantibus conſtitutionibus *&c.* & quibuslibet privilegiis, indulgentiis *&c.* ſeu ſi abbatibus & commendatariis predictis vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a ſede apoſtolica ſit indultum, quod ad ſolutionem ſeu preſtationem penſionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, proviſo quod prefatum monaſterium ſancti Severi propter unionem, annexionem & incorporationem hujuſmodi, ſi illas vigore preſentium fieri contigerit, ad profanos uſus minime redigatur; nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Rome apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LV. octavo idus decembris pontificatus noſtri anno primo. Pro prima D. Cardinalis gratis fidel. M. Ferrarii. Gratis pro parte domini Cardinalis. S. de Luca. Loco † ſigilli plumbei cordula appenſi.

„ Extat ſupraſcripta bulla unionis *&c.*
„ Caliſti papæ III. in capſa ſancti Severi
„ in Claſſe ſignata VII. n. 1. in qua pari-
„ ter reperitur ſub num. 2. ſequens in-
„ ſtrumentum poſſeſſionis adeptæ de eodem
„ monaſterio ſancti Severi tenoris hujuſ-
„ modi, videlicet:

In Chriſti nomine, amen. Anno ab ejuſdem nativitate M. CCCC. LV. indictione IV. die ſecunda menſis martii tempore pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Caliſti divina providentia pape III. prelibati, egregius vir ſer Antonius de Monte-cauſario procurator & proprio nomine reverendiſſimi in Chriſto patris & domini Philippi tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis ſancte ſedis apoſtolice, necnon commendatarii perpetui apoſtolici monaſteriorum ſancti Apollinaris in Claſſe, & ſancti Severi extra muros Ravennatenſes ordinis Camaldulenſis ſic unitorum ad infraſcripta & alia legitime conſtitutus, volens & intendens dicto procuratorio nomine vigore unionis, annexionis & incorporationis dictorum monaſteriorum pridie facte per rev. in Chriſto patrem dominum Blaſium a ſancta Victoria abbatem monaſterii ſancti Spiritus, ſeu ſancte Marie in Coſmedin de Ravenna commiſſarium & exequutorem apoſtolicum, ut conſtat manu mei notarii infraſcripti apprehendere & intrare tenutam & corporalem poſſeſſionem dicti monaſterii ſancti Severi uniti, ut ſupra, & ejus bonorum, jurium & pertinentiarum, perſonaliter acceſſit ad ipſum monaſterium ſancti Severi una cum me notario & teſtibus infraſcriptis & intravit & apprehendidit tenutam & corporalem poſſeſſionem dicti monaſterii ſancti Severi & ejus domorum, & bonorum, jurium & pertinentiarum prefatarum, eundo ad altare ipſius monaſterii accipiendo ſua propria auctoritate lapidem ipſius altaris

taris

taris & figuram sancti Severi ligneam existentem super dictum altare, quo facto accessit in campanile ipsius monasterii, demum circuivit dictam ecclesiam, accipiendo in ejus manibus ex lapidibus & terra dicte ecclesie, postquam accessit in domos dicti monasterii ruinatas, & accepit de terra & lapidibus dictarum domorum in ejus manibus, quibus factis accessit ad quosdam campos terre grano seminatos, & prata quedam prope ipsum monasterium, accipiendo in ejus manibus de blada & grano, necnon etiam ex herbis dictorum camporum & pratorum in signum vere tenute & corporalis possessionis dicti monasterii sancti Severi & ejus bonorum, jurium & pertinentiarum quorumcumque spiritualium & temporalium pro prefato reverendiss. domino cardinale & commendatario, dictoque monasterio Classensi & toto ordine Camaldulensi, & omnia alia faciendo, que de jure fieri debent, rogans me notarium infrascriptum, ut de predictis publicum conficerem instrumentum, presentibus Johanne Hieronymo fratribus & filiis quondam marchionis Vi... de Ravenna, Zambono quondam Jacobi de Bononia, & Antonio quondam Francisci districtus Ferrarie omnibus habitatoribus Ravenne testibus ad prefata habitis, vocatis & rogatis.

Et ego Franciscus filius quondam Petri de Fabris civis Ravenne publicus imperiali auctoritate notarius & judex ordinarius predictis omnibus & singulis presens fui, eaque rogatus scribere scripsi & publicavi, & in hanc publicam formam manu propria redegi. In quorum omnium fidem & testimonium premissorum me subscripsi.

Et ego Joseph-maria Carlonus *&c.* notarius ex originalibus *&c.* scripsi & publicavi *&c.* die xxv. julii M. DCC. III. *&c.*

LVII.

Idem confirmat unionem ecclesiæ S. Uberti cum abbatia Balneensi.

Anno 1456. IX. kl. feb.

Ex autographo ejusdem abbatiæ.

Calistus episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii de Anglari Aretine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis desuper apostolice servitutis officio ad ea libenter intendimus, per que religiosis personis quibuslibet de opportune provisionis auxilio succurratur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Simonis de Balneo prioris prioratus beate Marie Balnen. ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Camaldulensis ordinis nullius diocesis petitio continebat, quod olim quondam Benedictus tunc generalis dicti ordinis in generali capitulo per fratres dicti ordinis in civitate Bretinoriensi celebrato capellam sancti Uberti de Trappola prioratum nuncupatum dicti ordinis etiam nullius diocesis eidem prioratui beate Marie, qui olim hospitale fuit, & in quo a longo tempore citra hospitalitas servata non extitit, auctoritate ordinaria in perpetuum univit, annexuit & incorporavit, quarum quidem unionis, annexionis & incorporationis, quas etiam quondam Ambrosius dicti ordinis generalis confirmasse & approbasse fertur, vigore, priores dicti prioratus, qui pro tempore fuerunt, ejusdem capelle possessionem assecuti, illam ex tunc per sexdecim annos & ultra tenuerunt & possederunt, prout ipse Simon tenet & possidet de presenti; cum autem sicut eadem petitio subjungebat, ab aliquibus asseratur incorporationem, annexionem, & unionem hujusmodi ex certis causis juribus non subsistere, quare pro parte dicti Simonis asserentis, quod olim felicis recordationis Eugenius papa quartus predecessor noster easdem incorporationem, annexionem & unionem per suas literas confirmare mandavit, quodque capelle viginti-quatuor & prioratus predictorum sexaginta Florenorum de camera fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, capellam predictam, etiamsi manualis fuerit, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem prioratui de novo eadem auctoritate incorpores, unias & annectas, ita quod ex nunc liceat dicto Simoni per se vel alium, seu alios ejusdem capelle, juriumque & pertinentiarum predictarum corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere ac perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus & proventus in suos &

dicti prioratus usus & utilitatem convertere, diocesani loci, vel alterius cujuscumque licentia super hoc minime requisita, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus premissis ac constitutionibus &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice M. CCCC. LV. nono Kalendas februarii pontificatus nostri anno primo.

LVIII.

Sententia circa confines territorii abbatiæ de Lemmo.

Anno 1456. XVII. junii.

Ex archivo S. Mathiæ de Muriano.

FRanciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum &c. nobilibus & sapientibus viris Zacharie Justiniano de suo mandato potestati Parentii & successoribus suis fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod die nona mensis instantis in nostro consilio de xL. propter introductionem advocatoris communis nostri posita de voluntate ven. fratris Petri abbatis sancti Michaelis de Lemmo, & Almerici de Petrogna procuratoris & sindici communitatis nostre Parentii habentis per ejus recordationem hujusmodi libertatem, & capta fuit pars tenoris infrascripti, videlicet: Quod istud compromissum rogatum alias de M. CCCC. XI. die XXIV. mensis augusti inter tunc dominum priorem monasterii sancti Michaelis de Lemmo ex una, & sindicum & procuratorem communitatis Parentii ex altera, occasione confinium, limitum & pertinentiarum territorii, situs & loci, & possessionum & bonorum dicti monasterii &c. ut latius patet in ipso compromisso &c. cum sententia exinde secuta &c. tamquam factum & facta contra jus & justitiam incidantur, cassentur, revocentur & annullentur cum omnibus suis secutis exemplis annexis & dependentiis, adeo quod de cetero nullius existant efficacie & vigoris, ac si nunquam facta forent, revertentibus partibus in illis statu, jure, conditione & esse, quibus erant, antequam dictum compromissum, & sententia, & secuta fuissent facta; quocirca cum prefato nostro consilio fidelitati vestre mandamus, quatenus partem premissam & contenta in ea observare & exequi, ac observari, & executioni mandari facere debeatis, cassantes, irritantes & annullantes illiusmodi compromissum & sententiam cum omnibus suis secutis exemplis & dependentiis, ita quod de cetero nullius efficacie vel vigoris existant, ac si nunquam facta forent, reducentesque ac reduci facientes partes in illis statu, jure conditione & esse, quibus erant antequam dictum compromissum, & sententia, & secuta facta fuissent. Facientes has literas nostras in actis vestri regiminis ad futurorum memoriam registrari, & registratas predicto abbati restitui, videlicet in illis, que sunt in pertinentiis & jurisdictione regiminis vestri, literis hac pro causa simul & potestati nostro sancti Laurentii scriptis non obstantibus &c. Datum in nostro ducali palatio die XVII. mensis junii M. CCCC. LVI. indictione IV.

LIX.

Calistus III. unit prioratum S. Mustiolæ Senarum monasterio S. Petri de Vivo.

Anno 1456. kl. augusti.

Ex tabulario Angelorum de Florentia.

CAlistus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. vicario fratris nostri episcopi Senensis in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Ex apostolice nobis desuper injuncte servitutis officio libenter ad ea intendimus, per que monasteriorum, ac in illis studio pie vite Altissimo famulantium personarum omnium commoditatibus & indigentiis acceptius valeat provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Dominici prioris monasterii per priorem soliti gubernari, sancti Petri ad eremum, alias *Elmium al Vivo*, ordinis sancti Benedicti Clusine diocesis petitio continebat, quod monasterium ipsum propter bellorum anfractus ac temporum discrimina jam annis sexaginta & ultra elapsis destitutum, incultum & inhabitatum remansit, nec propter qualitatem loci & destructorum edificiorum spes habitationis inibi existit; & sicut eadem petitio subjungebat, si prioratus sancte Mustiole *l' Abbadia all' arco* vulgariter nuncupatus, Senarum dicti ordinis, cujus prioris institutio, dum pro tempore vacat, ad priorem dicti monasterii sancti Petri pro tempore existentem de antiqua & approbata, ac hactenus pacifice observata consuetudine pertinere digno-

gnoſcitur, & ad nutum ipſius prioris amovibilis exiſtit, & cui cura imminet animarum, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis prefato monaſterio perpetuo uniretur, anneӕteretur & incorporaretur prefatum monaſterium in ſuis ſtructuris & edificiis taliter reparari poſſet, quod aliqui monachi ſuum ibidem Domino reddere valerent famulatum in divini cultus augmentum ac magnam ipſius monaſterii commoditatem. Quare pro parte dicti Dominici aſſerentis, quod monaſterii triginta, & prioratus predictorum ſexdecim Florenorum auri de camera fructus, redditus & proventus ſecundum communem eſtimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut propterea prioratum predictum eidem monaſterio unire, annectere & incorporare, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur *&c.* mandamus *&c.* ut unias *&c.* Datum Rome apud ſanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominice M. CCCC. LVI. kalendis auguſti pontificatus noſtri anno ſecundo.

M. Ferrari. Jo. de Cremonenſibus.

LX.

Unio eccleſiæ S. Petri de Eſte prioratui S. Firmi ejuſdem oppidi.

Anno 1457. XVII. julii.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe. LIII.5.

Exemplum unius inſtrumenti ex protocollo ſignato V. ad pag. 41. Chriſtophori Roſini publica imperiali auctoritate notarii Abbatie Pollicinii, cujus inſtrumenti tenor talis eſt.

In Chriſti nomine, amen. Anno ejuſdem nativitatis M. CCCC. LVII. indictione V. die XVII. menſis julii in terra Abbatie ſuper clauſtro monaſterii infraſcripti Vangadicie, teſtibus vocatis & rogatis ſer Petro de Ambroſiis filio quondam ſer Bartholomei de Ferraria habitante Abbatie, magiſtro Jacobo ſartore filio quondam Johannis de Brixia habitante Verone & ad preſens moram trahente Abbatie & aliis. Nos Jacobus de Abbatia canonicus Veronenſis vicarius in ſpiritualibus & temporalibus, & procurator reverendiſſimi in Chriſto patris & domini domini Ludovici tituli ſancti Laurentii in Damaſo S. R. E. presbyteri cardinalis & patriarche Aquilejenſis vulgariter nuncupati, ſanctiſſimi domini noſtri pape camerarii, & commendatarii perpetui ſancte Marie de Vangadicia ordinis Camaldulenſis dioceſis Adrienſis, ut de mandato ad hec & alia in nos collato per prefatum rev. dominum commendatarium evidenter patet publicis & patentibus literis ſollemniter ſcriptis per dominum Marcum a Sole cancellarium ſuum anno M. CCCC. LV. indictione III. die IV. menſis junii bulla pendenti in cera rubea munitis; necnon ſindicus & procurator capituli & conventus dicti monaſterii, ut patet publico inſtrumento ſindicatus manu Chriſtophori Roſini notarii infraſcripti. Cum fuerit nobis nuper expoſitum per religioſum & honeſtum virum domnum Placidum de Eſte priorem monaſterii ſancti Firmi de Eſte, quod eſt quedam eccleſia extra muros terre Eſte predicte ſub vocabulo ſancti Petri, cujus redditus non ſufficiunt ad ſubſtentationem unius ſacerdotis, immo omnibus proventibus ex dicta eccleſia provenientibus legitime computatis non excedunt ſummam ducatorum duodecim auri, & ex hoc dicta eccleſia patitur, & majorem in futurum pati poſſet leſionem atque totalem ruinam. Cumque nobis, ad quos dicte collatio eccleſie, inſtitutio ſive unio & alia quelibet reformatio tam de jure, quam de conſuetudine ſpectat & pertinet, humiliter ſupplicaverit idem domnus Placidus prior, quatenus dignaremur dictam eccleſiam ſancti Petri una cum ſuis juribus, proventibus, poſſeſſionibus & redditibus univerſis dicto monaſterio ſancti Firmi, cujus introitus & proventus adeo & exiles, & tenues ſunt, quod ipſe prior niſi ſiniſtre & cum incommodo maximo ibi degere & ſe ſuſtentare poteſt, annectere, & unire perpetuo, itaquod prior, qui pro tempore fuerit inſtitutus in dicto monaſterio ſancti Firmi, ſit & eſſe intelligatur inſtitutus in dicta eccleſia ſancti Petri, & in juribus dependentibus ab eadem. Idcirco eadem ſupplicatione recepta, moliti ſumus ſuper predictis plenius inquirere veritatem, & tandem fide digno percepimus teſtimonio predicta omnia & ſingula vera eſſe, & quod facta unione predicta, dicta loca melius unus pro altero reparari poterunt, & rebus eccleſiaſticis & ad cultum divinum neceſſariis, ut ſunt miſſalia, calices & iis ſimilia fulciri, & quod prior dicti monaſterii ſancti Firmi ibi commodius ſaltem cum uno monacho ſe ſubſtentari poterit, invocata ergo Dei omnipotentis gratia, & ſancti Petri, ſub cujus vocabulo dicta eccleſia eſt conſtructa, omnibus modo, via,

via, jure & forma, quibus magis & melius possumus, de libera voluntate, dispositione & consensu ven. patris domni Placidi de Boncontibus de Pisis abbatis Vergareti, & prioris claustralis dicti monasterii sancte Marie de Vangadicia, necnon religiosorum monachorum infrascriptorum, videlicet domni Feliciani, domni Gregorii, domni Bernardi de Arimino, domni Bernardi de Florentia, domni Andree, domni Hieronymi, domni Jacobi, domni Benedicti, domni Michaelis, domni Simonis omnium in sacerdotio constitutorum conventualium dicti monasterii, & vocem habentium in capitulo ejusdem monasterii, ibique sono campanelle, ut moris est, congregatorum, & supradictis & infrascriptis omnibus & singulis consentientium predictam ecclesiam sancti Petri cum juribus & possessionibus suis, ac redditibus, proventibus & obventionibus universis antedicto monasterio sancti Firmi unimus & annectimus, ita quod prior institutus in prioratu sancti Firmi sit & esse debeat institutus in eadem ecclesia sancti Petri, & quibuscumque juribus suis, tamquam annexis dicto monasterio sancti Firmi, & que dependent ab eodem *&c.*

Ego Christophorus Rosinus filius quondam ser Pauli *&c.* notarius *&c.*

LXI.

Possessio terrarum tradita abbati Lemmi a potestate Parentii.

Anno 1457. VIII. augusti.

Ex chartulario S. Mathiæ de Muriano.

IN Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis M. CCCC. LVII. indictione V. die lune VIII. mensis augusti sub logia Fontici Parentii, presentibus domino presbytero Zanino Manfredini, ser Nicolao Rossolino *&c.* testibus & aliis quampluribus. Cum spectabilis & generosus dominus Zacharias Justiniano pro serenissimo ducali dominio Venetiarum *&c.* civitatis Parentii & districtus dignissimus potestas requisitus a ven. viro domino domno Petro abbate monasterii sancti Michaelis de Lemmo *&c.* pro executione terminationis per eum facte exequendo literas ducales super reductione dicti monasterii in eodem jure, statu, conditione & esse, quibus erat dictum monasterium ante compromissum & sententiam arbitrariam inter olim abbatem monasterii predicti & communitatem Parentii, & quod dignaretur velle equitare ad loca, de quibus in terminatione fit mentio, videlicet de Mariana & aliis locis, & ponere ipsum dominum abbatem in tenutam & corporalem possessionem, negotiis impeditus ipse dominus potestas ad dicta loca accedere non possit, volens tamen, quod dictus dominus abbas suum debitum obtineat intentum, sicut est de mente illustrissimi dominii nostri, commisit mihi cancellario suo infrascripto, ut accedere debeam ad loca predicta in terminatione contenta, & ipsum in tenutam & corporalem possessionem dictorum locorum, jurium, pertinentiarum & terrarum omnium ponere & inducere, vices suas in hac parte mihi totaliter committendo, pro conservatione jurium dicti monasterii, cum sollemnitatibus debitis & opportunis, ut litere ducales, & pars in eis contenta suum debitum sortiantur effectum, & dictum monasterium in suis bonis de cetero non fraudetur, & memoria perpetuo habeatur.

Eodem millesimo & indictione die jovis XI. mensis augusti in contrata de Mariana ad locum vocatum *le Nogare*, presentibus Fabiano precone communis Parentii, Mattheo filio Vidagni de Antignana *&c.* testibus ad hec conductis & vocatis. Ego Zambernardus de Clivone infrascriptus exequendo commissionem mihi factam, ut supra, per prefatum dominum potestatem pro executione mandatorum ducalium, & pro adimplendo sententiam sive terminationem factam de contrata Mariane & aliis locis & territoriis in sententia contentis, posui & induxi dictum dominum abbatem presentem & acceptantem in tenutam & corporalem possessionem pertinentiarum & jurium dicte contrate de Mariana cum omnibus juribus & jurisdictionibus ad dictam contratam spectantibus & pertinentibus, & que pertinebant ante compromissum & sententiam arbitrariam, & non solum de ipsa contrata & juribus suis, sed etiam de omnibus aliis territoriis, bonis & possessionibus a monte Certenese citra & territorio a corona sancti Mauri, prout est, quemadmodum in terminatione & reductione super inde per prefatum dominum potestatem factis plenius continetur. Dando in manibus dicti domini abbatis de terra, herbis & frondibus dicte contrate, illum ducendo hinc inde per dictam contratam, qui dominus abbas sollemni protestatione premissa dixit & protestatus fuit, dictam tenutam & corporalem possessionem accipere & accepisse, & deinceps suo no-

nomine & monasterii sui retinere animo & intentione accipiendi & retinendi, sicut corpore ita & animo servatis debitis sollemnitatibus; deinde continuato accessimus ad locum, qui dicitur *l' Arca de la sepultura* parum longe a monte nemoroso de Caveccioli, ubi etiam similiter posui dictum dominum abbatem in tenutam & corporalem possessionem de dicto loco, juribus & pertinentiis suis servatis sollemnitatibus solitis ac debitis & consuetis, quam accepit animo & intentione retinendi, & sicut corpore ita & animo, & sic sollemniter protestatus fuit, rogavitque me notarium & cancellarium infrascriptum, quod de predictis publicum conficere debeam instrumentum.

† Ego Zambernardus filius quondam ser Andree de Clivone civis Vincentie *&c.* notarius & cancellarius prefati domini potestatis supradicta scripsi & in hanc publicam formam redegi.

LXII.

Pius II. eligit Petrum abbatem Lemmi in abbatem S. Apollinaris in Classe.

Anno 1458. XIV. kl. aprilis.

Ex tabulario præfati monasterii S. Mathiæ.

Pius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro abbati monasterii sancti Apollinaris de Classe extra muros Ravennates ordinis Camaldulensis salutem & apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines *&c.* Dudum siquidem quondam Alvisio abbate monasterii sancti Apollinaris in Classe extra muros Ravennates ordinis Camaldulensis regimini ejusdem monasterii presidente felicis recordationis Nicolaus papa V. predecessor noster cupiens prefato monasterio cum vacaret, utilem & idoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi & dispositioni sue reservans decrevit ex tunc irritum & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari; postmodum vero monasterio predicto per obitum ejusdem Alvisii abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, abbatis regimine destituto idem predecessor vacatione hujusmodi fide dignis relationibus intellecta, illud dilecto filio Philippo tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, sive, ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona vacaret, & ex quavis causa ejus dispositio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineret, cum omnibus juribus & pertinentiis suis per eum, quoad viveret, tenendum, regendum & gubernandum motu proprio auctoritate apostolica per suas literas commendavit, prout in illis plenius continetur. Cum autem prefatus cardinalis commende sibi facte hujusmodi hodie in manibus nostris sponte & libere cesserit, nosque cessionem hujusmodi duxerimus admittendam, dictumque monasterium sancti Apollinaris, cui monasterium sancti Severi extra muros eosdem dicti ordinis canonice est annexum, adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nullusque de illius regimine & administratione se intromittere potuerit sive possit, pro eo quod dudum pie memorie Calistus papa III. etiam predecessor noster, & ipsius Nicolai immediate successor, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis preter Romanum pontificem de provisionibus ecclesiarum & monasteriorum tempore obitus Nicolai predecessoris hujusmodi vacantium, & quorum provisiones dictus Nicolaus predecessor ordinationi & dispositioni sue cum interpositione decreti reservaverat, disponere potuisset sive posset, ad hujusmodi ambiguitatis tollendum dubium declaravit omnium & singularum ecclesiarum & monasteriorum, que quidem ecclesie & monasteria tempore obitus dicti Nicolai predecessoris vacabant, aut ecclesie & monasteria hujusmodi, si commendata non fuissent, & tunc vacassent, remansisse & remanere per hujusmodi reservationem ac decretum affecta, nullumque de illis preter Romanum pontificem ea vice disponere vel posse quoquomodo. Ac decrevit ex tunc irritum & inane, si secus de illis attentatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attentari. Nos igitur, qui dicto Calisto predecessore, sicut domino placuit, de medio sublato fuimus divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, ac declarationem & decretum fecimus similia, ad provisionem ipsius monasterii sancti Apollinaris, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione, declarationibus ac decretis obsistentibus supradictis, ne ipsum ac monasterium sancti Apollinaris longe vacationis exponatur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te abbatem monasterii sancti Michaelis de Lem-

Lemmo dicti ordinis Parentine diocesis, cui de religionis zelo &c. apud nos nobis fide digna testimonia perhibentur. Et quod tu, qui regimini & administrationi dicti monasterii sancti Michaelis hactenus laudabiliter prefuisti, dictum monasterium sancti Apollinaris scies & poteris auctore Domino salubriter regere & salubriter gubernare, direximus oculos mentis nostre, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis & eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem monasterio sancti Apollinaris de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, preficiendo te illi in abbatem, curam, regimen & administrationem dicti monasterii sancti Apollinaris committendo, ut per tuum laudabile diligentie studium prospere dirigatur, & grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiat incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus imposterum tibi a Domino onus regiminis monasterii sancti Apollinaris hujusmodi suscipiens reverenter, sic te in ejus cura salubriter exercenda exhibeas sollicitum, quod ipsum monasterium sancti Apollinaris fructuoso administratori gaudeat se commissum; tuque preter eterne retributionis premium, nostram & dicte sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Senis anno incarnationis Dominice M. CCCC. LVIII. quarto-decimo kalendas aprilis pontificatus nostri anno primo.

D. de Luca.

Et ego Jacobus filius ser Matthei Johannis de Sassolis notarius de Ravenna &c. fideliter exemplavi &c.

LXIII.

Idem mandat monachis Classensibus, ut recipiant eumdem Petrum in eorum abbatem.

Anno 1458. XIV. kl. aprilis.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

PIus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis conventui monasterii sancti Apollinaris de Classe extra muros Ravennates ordinis Camaldulensis salutem & apostolicam benedictionem. Hodie commenda monasterii sancti Apollinaris in Classe extra muros Ravennates ordinis Camaldulensis ex eo cessante, quod dilectus filius Philippus tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, cui dictum monasterium dudum tunc per obitum quondam Alvisii abbatis extra Romana curiam vacans auctoritate apostolica commendatum extitit, sponte & libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam. Nos eidem monasterio adhuc per obitum dicti Alvisii vacanti de persona dilecti filii Petri illius abbatis de fratrum nostrorum consilio duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo ipsum eidem monasterio in abbatem, curam, regimen, & administrationem illius sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris desuper confectis literis plenius continetur. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Petro abbati tamquam patri animarum vestrarum humiliter intendentes & exhibentes ei obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ejus salubria monita & mandata suscipiatis, devote & efficaciter adimplere curetis. Datum Senis anno incarnationis Dominice M. CCCC. LVIII. quarto-decimo kalendas mensis aprilis pontificatus nostri anno primo.

LXIV.

Constitutiones capituli generalis Fontis-boni.

Anno 1459. VIII. aprilis.

Ex codice veteri bibliothecæ S. Mathiæ.

INcipiunt Constitutiones facte in monasterio Fontis-boni tempore domni Mariotti generalis confirmate per dominum Johannem cardinalem.

Johannes miseratione divina tituli sancte Marie in Transtiberim S. R. E. presbyter cardinalis sancti Sixti vulgariter nuncupatus, ac etiam Camaldulensis ordinis protector universis & singulis presentes literas inspecturis salutem & sinceram caritatem in Domino, ac presentibus fidem indubiam adhiberi. Nuper pro parte rev. & religiosissimi patris domini fratris Mariotti prioris sacre Eremi necnon generalis ipsius ordinis Camaldulensis, venerabilis & eximius legum doctor dominus Leonardus Dathus secretarius apostolicus & ejusdem ordinis in Romana curia procurator nobis exposuit, quemadmodum in capitulo generali dicti ordinis apud hospitium seu monasterium Fontis-boni Aretine diocesis in anno presenti, die vero octava mensis aprilis celebrato per patres definitores dicti ordinis Camaldulen-

dulensis inter cetera quedam constitutiones antique confirmate & renovate fuerunt in hec verba, videlicet: In primis approbaverunt Constitutionem factam per domnum Frigdianum priorem & tunc definitores ordinis in capitulo olim celebrato Senis in monasterio sancti Vigilii infrascripti tenoris. Videlicet: Quum tantum quorumdam processit ambitio, quod sublimati per ordinem non verentur indigna religioni committere, nec tamen volunt, cum peccaverint, regularis discipline remedio castigari, juxta prophetam de malo ad malum egressi spiritum rebellionis assumunt, & totam religionem nostram ad scandala provocant; ex quibus multoties expense & damna proveniunt, & quod est gravius, animarum pericula multa: Nos autem viam talium dignis conatibus precludere cupientes perpetua constitutione sancimus, quod quicumque sive prelatus, sive subditus in ordine nostro de cetero fuerit domino priori Camaldulensi vel visitatoribus ordinis manifeste rebellis, ipso facto vinculum excommunicationis incurrat, & nihilominus si prelatus extiterit, officio prelature sit ipso facto privatus, nec assumi possit ulterius ad aliquam dignitatem, nisi per dispensationem capituli generalis. Si vero subditus, ipso facto vinculum excommunicationis incurrat, & absque dispensatione simili promoveri non valeat, & nihilominus per annum carceri mancipetur. Et quicumque contra domini prioris Camaldulensis vel visitatorum officium recursum habuerit ad aliquas personas extra ordinem, sive prelati, sive subditi fuerint, prout continetur in constitutionibus domini cardinalis [*Octaviani*] per omnia penam consimilem patiantur. Item confirmaverunt Constitutionem factam per definitores ordinis tempore ven. patris domni Gerardi prioris Camaldulensis in capitulo celebrato anno Domini M. CC. LXXIX. infrascripti tenoris, videlicet: Volentes quieti ordinis providere, statuimus & ordinamus, quod nullus tam prelatus, quam subditus adire valeat curiam Romanam sine Camaldulensis prioris licentia speciali; qui vero contrafecerit, ad arbitrium dicti prioris graviter puniatur. Hanc autem constitutionem de non adeundo curiam Romanam decreverunt extendi & ampliari, ut non solum intelligant de his, qui personaliter accedunt, sed de his etiam, qui vel per literas, vel per interpositam personam publice vel occulte aliquid presumpserint tractare in Romana curia, inscio rev. domino protectore aut domino priore antedicto, seu procuratore ordinis, qui pro tempore fuerit, quod personas vel loca ordinis possit quomodolibet pertinere, adjicientes ac declarantes, quod contrafactores illico sententiam excommunicationis incurrant, puniendi nihilominus corporaliter ad arbitrium prefati domini prioris Camaldulensis. Confirmaverunt insuper Constitutionem in eodem capitulo statutam de prelatis vel monachis non assumendis ad capellaniam alicujus domini, tenoris prout sequitur. Statuimus & inviolabiliter firmando sancimus, quod nullus prelatus vel subditus capellaniam alicujus domini extra ordinem recipere audeat sine speciali licentia prioris Camaldulensis & definitorum capituli generalis; quicumque autem contrafecerit, si prelatus fuerit, sit privatus ipso jure prelatura; si vero subditus, per annum carceri mancipetur. Confirmaverunt etiam & approbaverunt Constitutiones in eodem capitulo habitas de falsariis sigilli domini prioris Camaldulensis infrascripti tenoris, videlicet: Quia utilitati ordinis prudenter & sagaciter est consulendum, statuimus & firmiter stabilimus, quod quicumque prelatus, monachus vel conversus falsaverit aut falsari consenserit sigillum prioris Camaldulensis ordinis, si prelatus est, ex nunc prout ex tunc sit ipso jure privatus officio prelature, omni spe restitutionis ablata tam in prelatione habita, quam habenda; si vero monachus fuerit vel conversus, tribus annis carceri mancipetur, monacho dum vixerit ad prelationem aliquam non assumendo. Huic constitutioni addiderunt, quod intra falsarios nuncupetur, quicumque literas domini prioris Camaldulensis vel quas ipse dirigit, vel ad eum directas presumpserit aliqualiter per se vel per alium aperire, legere, & sigillare, lacerare, occultare aut contaminare publice vel private, ita tamen quod hoc presumentes statim vinculo excommunicationis innodentur, & pena superius expressa pro arbitrio dicti domini prioris infligatur in eosdem. His expositis dictus dominus Leonardus vice dicti prioris & generalis humiliter supplicavit, quatenus constitutiones & sanctiones hujusmodi etiam nos comprobare & corroborare dignaremur. Nos igitur cum ea & religionis ipsius ordinis Camaldulensis amplitudini & augmento plurimum in Domino conducere videantur, habita etiam consideratione ad sinceram voluntatem antedictorum definitorum, idcirco eadem omnia & singula preinserta per eosdem definitores, ut supra ostenditur, approbata, confirmata & renovata, decreta,

creta, sancita & ordinata ex auctoritate nostri protectoriatus, ac quam melius possumus seu debemus, tenore presentium, comprobamus, corroboramus, confirmamus & stabilimus perpetuis temporibus duratura, mandantes omnibus & singulis prelatis ac subditis ejusdem ordinis sub penis ibidem contentis illa ad unguem firmiter & inviolabiliter observari, quibuscumque contrariis non obstantibus. In quorum fidem, robur & testimonium presentes literas fieri, nostrique majoris sigilli jussimus appensione muniri. Datum Mantue in domibus nostre residentie & habitationis anno Domini M.CCCC.LIX. die XIX. mensis julii pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domni Pii divina providentia pape II. anno I.

Ego frater Ludovicus de Florentia, qui bullam rev. domini protectoris legitimo sigillo dominationis sue munitam, neque in aliqua sui parte falsam vel maculatam vidi & legi, exemplum hoc fideliter simpliciterque scripsi.

LXV.

Statuta Mariotti prioris generalis circa studia in aliquibus monasteriis stabilienda.

Anno 1459. XXIV. septembris.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Per hoc publicum documentum cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno a salutifera nativitate ejusdem M.CCCC.LIX. indictione VII. die lune XXIV. mensis septembris Padue in contrata sancti Johannis a Navibus in quadam camera superiori domus habitationis rev. patris domini abbatis monasterii a Carceribus diocesis Paduane. Reverendissimus in Christo pater & dominus domnus Mariottus sacre Camaldulensis eremi prior totiusque ejusdem ordinis Generalis volens & intendens ex sui officii debito circa ea, que dicti ordinis sui honorem, amplificationem, bonum statum & utilitatem atque laudem in presenti, & gloriam in futuro concernunt, omni, qua potest, cura & solicitudine diligenter incumbere, & solerti cura providere, illaque executioni debite demandare, privilegiaque & indulta sibi injuncta & dicto ordini concessa reverenter exequi; pro quarum executione &c. exposuit & narravit, qualiter auctoritate apostolica &, ex certa scientia felicis recordationis domini Calisti pape III. fuit dicto ordini concessum, ut in dicto ordine tres officiales presidentes nuncupati esse debeant, quorum unus sit rev. dominus Generalis, alter vero Major eremi Camaldulensis Aretine diocesis, tertius vero alius prelatus ordinis antedicti per Generalem & Majorem prefatos concorditer eligendus, qui habeant providere & ordinare studia literarum in nonnullis locis aptioribus dicti ordinis, & presertim in de Candiculis, & Paduan. Bonon. Senen. & Perusinen. monasteriis. Volentes itaque prefatus rev. dominus Generalis, & rev. in Christo pater domnus Franciscus de Hispania Major dicte sacre eremi auctoritatem a sede apostolica commissam circa predicta exequi diligenter, & hujusmodi provisionem facere, elegerunt rev. in Christo patrem domnum Petrum Boldu abbatem monasterii sancte Marie de Carceribus tertium presidentem ad premissa peragenda, quem inter omnes magis idoneum ad hujusmodi presidentie officium judicarunt. Intendentesque dicti rev. dominus Generalis & dictus rev. dominus Major &c. provisionem hujusmodi fini perducere, & studia hujusmodi literarum in civitate Paduana statuere, deputare, deliberavit idem rev. dominus generalis huc in civitate Paduana venire pro predictis exequendis; & non valens &c. Major antedictus ejus collega &c. ad loca antedicta suam conferre presentiam &c. vices & vocem suam commisit rever. in Christo patri domino Mapheo Gerardo abbati monasterii sancti Michaelis de Murano ordinis antedicti, & prefato rever. domno Mariotto generali antedicto & cuilibet eorum in solidum &c. in casu quo dictus domnus Mapheus abbas predictus aliquo casu impediretur, cum ad predicta & in predictis interesse non posset. Qua facta commissione ipse rev. dominus Generalis se Paduam cum honesta comitiva contulit, & preterea de suo mandato in suprascripta contrata sancti Johannis & in antescripta camera domus dicti rev. domini abbatis sancte Marie a Carceribus convocatis rev. in Christo patribus domno Petro Boldu abbate antescripti monasterii sancte Marie a Carceribus, & domno Mapheo Gerardo abbate antescripti monasterii sancti Michaelis de Murano. Ibique in unum congregati dicti rev. domini presidentes deputati, ut supra sedentes supra uno banco, quem locum sibi pro idoneo & juridico ad infrascripta peragenda elegerunt; & continuo in

in presentia &c. dictus rev. dominus generalis in medium predictas literas apostolicas fe. rec. domini Calisti pape III. sanas, integras &c. presentavit, mihique Francisco rogato notario subscripto tradidit legendas; quarum tenor talis est.

Calistus episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii cura, quam disponente Domino licet immeriti gerimus, nos admonet propensius & hortatur, ut opem & operam quantum possumus, efficaciter impendamus, ut regularium ordinum quorumcumque status per incrementa virtutum & scientie margaritam ubique floreat, & jugibus auctore Domino proficiat incrementis, ea libenter apostolico munimine roborantes, que propriis exquisitis mediis novimus processisse consultius. Sane dilectus filius noster Johannes tituli sancte Marie in Transtiberim presbyter cardinalis nobis nuper exposuit, quod olim dilecti filii definitores capituli generalis fratrum Camaldulensis ordinis, cujus ipse cardinalis protector existit, in monasterio sancti Savini prope muros Pisanos ejusdem ordinis celebrati provide attendentes, quod licet dictus ordo personis & beneficiis satis copiosus esset, tamen in eo pauci viri literati existebant, ac cupientes aliqua studia in certis dicti ordinis monasteriis sive locis dirigi & vigere, in quibus novitii & reliqui dicti ordinis fratres tam in liberalibus artibus, quam sacris literis erudiri & proficere possent, inter cetera definierunt, &c. quod in ipso ordine tres officiales, presidentes nuncupati, propter hoc perpetuo deputari & esse deberent, & unus ex eis existeret generalis prior, alter Major eremi Camaldulensis Aretine diocesis, tertius vero aliquis prelatus ordinis antedicti per generalem & majorem prefatos concorditer eligendus. Qui quidem officiales occurrentibus casibus vacationum tam de Candiculis extra muros Florentinos, quam aliorum dicti ordinis ad id congruorum & aptorum, & presertim Paduan. Bononien. Senen. & Perusin. monasteriorum illi, de quorum personis prefatis monasteriis provideri contigerit, onus nutriendi vel substentandi aliquos novitios vel alios studentes ordinis hujusmodi cum eorum magistris subire & perferre deberent; necnon ipsi officiales in singulis monasteriis predictis, in quibus studia, ut prefertur, directa forent, studentium numerum deputare, illumque augere vel diminuere, prout eis expediens videretur, de loco ad locum transferre, necnon prelatos tam superius expressorum, quam aliorum dicti ordinis monasteriorum, ad contribuendum in substentationem eorumdem magistrorum & studentium pro rata eis contingente compellere, illosque ex eis, qui id agere nollent, & quorum pertinacia sive neglectus id exigeret, ab eorumdem monasteriorum regimine & administratione perpetuo amovere, & in illis alios hujusmodi onera libenter subituros & laturos substituere, seu de illorum personis prefatis monasteriis providere, ac omnia & singula circa hec necessaria seu quomodolibet opportuna facere & exequi possent & deberent, prout in codice quarumdum Constitutionum seu definitionum capituli memorati manu notarii publici roborato plenius dicitur continere. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, tam predictus cardinalis, quam dilectus filius Mariotus modernus prior eremi & generalis ordinis predictorum definitorum statutum & ordinationem hujusmodi pro eorum substentia firmiori cupiant apostolico munimine roborari, pro parte cardinalis & Marioti predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut definitionem, statutum & ordinationem hujusmodi confirmare & approbare, ac alias super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui prefati ordinis jugem profectum paterno zelamus affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati definitionem, statutum & ordinem hujusmodi rata habentes & grata, illa auctoritate apostolica & ex certa scientia tenore presentium confirmamus & approbamus, ac perpetue firmitatis robur obtinere decernimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, & nihilominus pro potiori cautela eisdem presidentibus pro tempore existentibus hujusmodi studia in de Candiculis, & Paduan. & Bononien. necnon Senen. & Perusinen. monasteriis predictis occurrentibus casibus vacationum eorumdem erigendi, ac in illis studentium & magistrorum numerum statuendi & deputandi, illumque augendi & minuendi, ac omnia & singula in definitione, statuto & ordinatione hujusmodi contenta faciendi, gerendi, & exequendi, necnon illos ex prelatis & personis dicti ordinis, qui ad hujusmodi substentationem, quod absit, contribuere neglexerint, ad id per censuram ecclesiasticam compellendi, & si eorum protervitas id exegerit, eorum regimine & administratione monasteriorum, quibus eos presidere, ac aliis beneficiis, que illos obtinere contigerit, privandi, & ab eis realiter amovendi; necnon monasteriis de per-

perſonis idoneis & de reliquis beneficiis per hujuſmodi privationem, & amotionem vacantibus, aliis perſonis idoneis, que onera hujuſmodi ſubire velint & valeant, providendi, & omnia & ſingula circa hec neceſſaria, ſeu quelibet opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, contradictores quoque auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendi, auctoritate apoſtolica predicta earumdem tenore preſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus generalibus reſervationibus monaſteriorum, & beneficiorum eorumdem, ac conſtitutionibus apoſtolicis *&c.* Nulli ergo *&c.* confirmationis, approbationis, conſtitutionis, ſuppletionis & conceſſionis *&c.* Datum Rome apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LVII. III. idus maji pontificatus noſtri anno III.

Poſt quarum quidem literarum apoſtolicarum lectionem idem rev. dominus generalis in medium ſic etiam deduxit codicem, & documentum conſtitutionum ſeu definitionum habitarum, publicatarum & obtentarum in capitulo generali dicti ordinis celebrati Piſis in monaſterio ſancti Savini ſub anno Domini M. CCCC. XLIX. indictione XII. die XI. menſis maji ſcriptum, & in publicam formam redactum manu domini Leonardi Dathi Florentini publici, & apoſtolica auctoritate notarii, de quibus in ſupraſcriptis literis apoſtolicis fit mentio. Quarum quidem conſtitutionum, ſeu definitionum tenor eſt talis.

Item definierunt, quod ſemper debeant eſſe tres officiales, qui appellentur preſidentes, quorum duo continuo ſint & eſſe intelligantur pater Generalis, & Major eremi Camaldulenſis, tertius vero per ipſos dominos concorditer eligendus eſt, & non per alios. Qui tres preſidentes circa ſtudentes, & ſtudia facultatem providendi habeant, prout ſequitur. Et primo definierunt, quod cedente vel decedente domno Romualdo abbate monaſterii de Candiculis, in eo loco fiant ſchole puerorum, ibique preceptor ſit ad eos inſtituendos tam in grammatica, quam in divinis officiis & diſciplina, hoc eſt moribus atque religione. Tot autem pueros una cum preceptore ipſo abbas loci pro tempore exiſtens alere debeat, quot ii preſidentes decreverint atque juſſerint. Poterunt vero preſidentes hujuſmodi non ſolum puerorum talium vel augere, vel minuere numerum, ſed etiam eos ipſos vel partem, vel omnes ad alia loca transferre, & novos ibidem ſubrogare, prout commodius eſſe judicaverint. Poterunt etiam hujuſmodi preſidentes, quod circa monaſterium de Candiculis dictum eſt, idem quoque circa alia monaſteria & loca ordinis ab hodie per ceſſum vel deceſſum vacatura, quoad alendos pueros & preceptorem, ac transferendos & ſubrogandos diſponere, hoc addito, ut abbates & prelati, monaſteria atque loca non apta ad hujuſmodi exercitium pro cujuſque loci viribus per ipſos eoſdem preſidentes cogi poſſent ad erogandum, atque contribuendum modeſtam pecunie ſummam illis ipſis locis, in quibus ejuſmodi ſtudia forent pro preceptore & pueris ſubſtituendis. Item poterunt hi tres preſidentes, cum pueri in grammatica profecerint, & etate creverint, conſtituere alia loca ordinis Bononie, Padue, Peruſii, Senis & Florentie vel alibi, prout eis videbitur expedire, in quibus collocentur ejuſmodi pueri ad alias ſcientias conquirendas, ſeu theologiam ſeu jus canonicum ſeu quid ſimile. Poteſtas autem tam ipſos ſtudentes collocandi, transferendi, ſubrogandi & diſtribuendi, quam etiam cogendi prelatos & loca tali exercitio non apta ad erogandum, & contribuendum locis aliis aptis ſtudentes iſtiuſmodi habentibus, prout proxime de minoribus pueris dictum eſt, penes ipſos tres preſidentes omnimoda erit. Item definierunt, quod ſi quis prelatus, quod abſit, vel recipere vel nutrire preceptorem, & ſtudentes prefatos, vel pecuniam impoſitam, prout ſupra, impendere recuſaverit, ipſe prelatus per tres ipſos preſidentes privari, amoveri atque abjici prorſus poſſit, alio conſequente prelato per eoſdem tres ibidem ſubrogato & conſtituto, qui loco regendo nutriendis, quam preceptori & ſtudentibus aptus eſſe videatur; cujus privationis faciende & novi prelati ſubrogandi atque conſtituendi hi tres preſidentes ſine contradictione omnimodam poteſtatem habebunt.

Subinde vero ad docendum, quod prefatus rev, pater dominus Petrus Boldu abbas antedicti monaſterii ſancte Marie de Carceribus ſit electus pro tertio preſidente juxta ſupraſcriptam expoſitionem & narrationem factam per ipſum rev. dominum Generalem deduxit, exhibuit, & oſtendit inſtrumentum ipſius electionis facte & habite per ipſos dominum Generalem, & domnum Franciſcum Majorem preſidentes antedictos ſcriptum, & in publicam formam redactum manu ſer Andree de Pergula *&c.* notarii & ſcribe rev. domini Generalis ſub anno Domini M. CCCC. LIX. indictione VII. die XX. menſis junii. Poſtremo vero ſimiliter

ter deduxit atque presentavit instrumentum substitutionis facte per prelibatum rev. patrem domnum Franciscum Majorem eremi supradicti in personam rev. patris domni Maphei Gerardo abbatis suprascripti monasterii sancti Michaelis de Murano omnem sibi ejus potestatem concedentis circa executionem suprascriptarum literarum apostolicarum scriptum *&c.* manu suprascripti Andree de Pergula notarii sub anno Domini M. CCCC. LIX. indictione VII. die XX. junii a me Francisco notario infrascripto visa & lecta. Quibus quidem sic, ut premittitur, per prelibatum rev. dominum Generalem diligenter & seriose propositis, narratis & deductis, ac per predictos rev. patres domnum Petrum Boldu, & domnum Mapheum Gerardo abbates & presidentes antedictos sane & benigne intellectis, ac etiam ad invicem mature & diligenter discussis atque examinatis, & super premissis omnibus & singulis sano maturo & diligenti tractatu, & colloquio habitis, tandem prefati rev. dominus Generalis, domnus Petrus Boldu, domnus Mapheus Gerardo abbates & presidentes antescripti sic in unum, ut premissum est, congregati, sane & concorditer pro ordinatione facienda & habenda circa studia literarum in dicto ordine tractaverunt, concluserunt & decreverunt, & statuentes per hanc suam congregationem specialiter & expresse determinaverunt, quod monasterium sancte Marie Montis Crucum, & sancte Marie de Porcilia cum omnibus juribus & pertinentiis suis sint & deputentur in usum studentium deputandorum Padue per ipsos dominos officiales antedictos, quos studentes volunt, ut possint ascendere ad numerum sex & non ultra, & quod victum & vestitum inde habere debeant, & similiter de libris competenter & honeste, prout melius fieri poterit, secundum indigentiam opportunam, & judicium prefati rev. patris domni Petri Boldu abbatis antedicti monasterii sancte Marie a Carceribus; quorum monasteriorum proventus & redditus dicti domini presidentes ministrari & disponi decreverunt in usum antedictum per prelibatum domnum Petrum Boldu abbatem antedictum unum ex presidentibus antedictis; ita quod aliter dicti redditus minime deputentur seu ministrentur, nisi in usum & utilitatem studentium prefatorum, attento quod non intelligunt propter hoc excludi, quin dictorum monasteriorum & bonorum immobilium eorumdem reparatio, & divinus cultus negligatur, seu diminuatur secundum quod prefato rev. patri domno Petro Boldu abbati & presidenti antedicto videbitur expedire; volentes ut de dictis redditibus procuretur apud monasterium Crucum, quod unus monachus resideat, & officiet in dicto loco & gubernet ea, que a prefato domno Petro Boldu abbate antedicto fuerint sibi consignata, cui provideatur de necessariis secundum discretionem, & judicium ipsius domni Petri Boldu *&c.* decernentes insuper quod dictus dominus abbas Carcerum facere debeat domnum Ludovicum de Florentia monachum & studentem ad presens in dicto monasterio de Porcilia procuratorem suum ad exigendum introitus & redditus dicti monasterii de Porcilia tantummodo, & ea omnia faciendum & exequendum, prout in publico procuratorio per ipsum dominum abbatem conficiendo continebitur. Et si contingeret dictum domnum Ludovicum alio se transferre, prefatus dominus abbas Carcerum possit alium quemcumque voluerit in procurationis officium subrogare. Statuentes etiam atque decernentes antedicti domini presidentes, quod beneficium sancti Martini de Opitergio, & sancti Martini de Prata sibi unitum obligetur, & gravetur, & obligatus sit & esse debeat in decem Florenos annuatim pro subsidio studentium predictorum, pro quibus decem ducatis solvendis, ut supra, decreverunt deputari quicquid dictum monasterium habet apud cameram imprestitorum Venetiis nomine sancti Benedicti de Fileto prefato monasterio uniti. Et quod prefatus rev. pater dominus abbas Carcerum commissarius & unus ex presidentibus antedictis exigere annuatim teneatur; & ita ipse rev. pater domnus Petrus Boldu abbas antedictus onus, sic, ut supra, statutum injunctum, & decretum acceptavit pariter & acceptat; & si redditus prefati non sufficerent in usum studentium prefatorum, dictus rev. pater domnus Petrus Boldu *&c.* sponte, libere *&c.* prefatis rev. patri domino generali, & rev. patri domno Mapheo Gerardo abbati presidentibus antedictis obtulit honestate servata providere, & eosdem studentes adjuvare in necessitatibus eorumdem; adjiciens quod in suo monasterio Carcerum, vel ubi supra videbitur opportunum, procurabit & faciet juxta posse non tamen coactus, quod usque ad numerum decem manutenebit & manuteneri faciet pueros studentes in grammatica & ceremoniis ordinis prelibati cum magistro sufficienti suis sumptibus & expensis in quibuscumque necessitatibus opportu-

portunis. Que omnia &c. prefati rev. dominus Generalis, dominus abbas Carcerum, dominus abbas sancti Michaelis de Murano presidentes antedicti concorditer & unanimiter omni meliori modo, via &c. determinaverunt, & pro concluso tractatu & terminato habere voluerunt, jubentes & mandantes per me Franciscum notarium &c. de premissis unum vel plura publicum seu publica confici & tradi intrumentum & instrumenta &c. Actum & datum Padue &c. *ut supra* presentibus venerabilibus & religiosis viris domno Andrea priore monasterii sancti Johannis de Judaica, domno Mauro Florentino monacho monasterii sancti Mathie de Murano, domno Ventura Venancii monacho Camaldulensi, domno Romualdo monacho Camaldulensi, & domno Leonardo Veneto monacho dicti ordinis testibus &c. rogatis.

† Et ego Franciscus Rogatus filius ser Rogati de Rogatis civis & habitator Padue &c. notarius &c. scripsi &c.

LXVI.

Pius II. scribit Petro abbati de Carceribus, ut provideat circa regimen monasterii monialium S. Benedicti de Patavio.

Anno 1459. XXVI. septembris.

Ex apographo in archivo S. Michaelis.

A *Tergo* Dilecto filio Petro abbati monasterii sancte Marie de Carceribus ordinis Camaldulensis.

Pius papa II. Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Per tuas literas informati sumus de diligentia, quam in vim commissionis nostre fecisti in facto electionis nove abbatisse monasterii sancti Benedicti de Padua, teque in Domino commendamus. Quia vero, ut nobis scripsisti, electa in abbatissam dicti monasterii etate jam decrepita, & corporis imbecillitate gravata existit, adeoque verisimiliter cura & administratio ipsius monasterii, quod satis insigne & pluribus monialibus, ut plurimum juvenibus, refertum est, ex ejus regimine defectum pati posset, nos volentes utilitati ejusdem monasterii & statui monialium paterna provisione consulere, de prudentia & discretione tua plurimum confisi tibi tenore presentium committimus & mandamus, ut in his auctoritate nostra provideas, facias & exequaris, prout conscientia tua, quam iterum super hoc oneramus, honori nostro, & sedis apostolice, ac utilitati & bono regimini dicti monasterii convenire dictabit. Quod vero per te decretum fuerit, mandamus inviolabiliter observari. Datum Mantue sub anulo piscatoris die XXVI. septembris M. CCCC. LIX. pontificatus nostri anno secundo.

G. Lollius.

LXVII.

Idem confirmat privilegia concessa a predecessoribus suis toti congregationi Camaldulensi.

Anno 1459. IV. nonas octobris.

Ex editis Privilegiis.

IN Dei nomine, amen. Noverint universi presens publicum transcriptum inspecturi, quod nos Orlandus de Bonarlis de Florentia Dei & apostolice sedis gratia archiepiscopus Florentinus vidimus & in manibus nostris tenuimus, ac notariorum publicorum, testiumque infrascriptorum ad hec specialiter vocatorum & rogatorum presentia diligenter infrascriptas literas apostolicas factas & concessas per sanctissimum patrem & dominum nostrum dominum Pium papam II. sub dat. Mantue anno incarnationis Dominice M. CCCC. LIX. quarto nonas octobris pontificatus sui anno secundo ejusdem domini nostri pape vera bulla plumbea ad filum sirici croceique coloris impendente more Romane curie bullatas, sanas, integras &c. coram nobis per venerabilem virum & honestum religiosum domnum Leonardum Ambrosii de Venetiis monachum Camaldulensem, necnon cancellarium rev. in Christo patris domini domni Mariotti moderni generalis totius ordinis Camaldulensis exhibitas & productas hujusmodi sub tenore.

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Et si Romanorum pontificum, qui in sede Petri quandoque jus pastorale universo orbi summa equitate dixerunt, nulla vetustate minuatur auctoritas, sed potius tractu temporis solidetur; solet nihilominus sedis apostolice gratiosa benignitas, dum piis quarumlibet presertim regulari sub castimonia Domino militantium personarum votis annuere, ac illis, que ab eisdem Romanis pontificibus pro hujusmodi personarum statu provide processisse comperit, uberioris interdum apostolici muniminis vinculum adjicere, ut eo firmius illibata persistant, quo frequentiori suo

fue.

fuerint presidio pro tempore stabilita. Dudum siquidem a felicis recordationis Alexandro IV. & Alexandro V. ac Calisto III. Romanis pontificibus predecessoribus nostris in favorem dilectorum filiorum prioris generalis & universorum conventuum ac monasteriorum, & locorum quorumcumque & personarum ordinis Camaldulensis litere emanarunt tenorum subsequentium. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei dilectis filiis..priori Camaldulensium, ac universis abbatibus, prioribus *&c.* Officii nostri nos admonet *&c. Extat in Appendice Tomi V. horum Annalium, col.* 106. Datum Viterbii per manum magistri Jordani S. R. E. vicecancellarii & notarii X. cal. augusti indictione prima incarnationis Dominice anno M. CC. LVIII. pontificatus veri domni Alexandri pape IIII. anno quarto. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex sedis apostolice provisione *&c.* Datum Pisis x. cal. septembris pontificatus nostri anno primo. M. CCCC. X. *Extat in Appendice T. VI. col.* 675. Sequitur tenor literarum pie memorie Calisti pape III. in forma brevis. CALISTUS papa III. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Tua & ordinis tui erga nos *&c. in hac Appendice col.* 118. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX. maji M. CCCC. LV. pontificatus nostri anno primo. *&c.* Cum autem exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Mariotti moderni prioris & conventus eremi prefati petitio continebat, post concessionem literarum Alexandri IV. predecessoris hujusmodi, sancti Clementis, & sancti Benedicti, ac sancte Marie de Saxo monasteria, & quidquid juris habent in possessionibus, pratis, pascuis vel nemoribus, que emerunt a quondam comitibus de Reginopoli in Arretina; necnon sancti Martini de Tiphio in Castellana; ac in Florentina sancte Marie de Angelis & sancti Felicis in Platea, & extra muros civitatis Florentine sancti Benedicti, & in Lucana etiam sancti Benedicti; & in Vulterrana de Adelmo; & in Æsinensi Eremite, sancti Salvatoris in Podio nuncupatum; & in Ravennate sancti Severi, & sancti Petri in Vincula; & in Britonoriensi sancte Marie de Vincareto, & Cavecollis; & in Sarsinatensi sancti Angeli de Verghereto, & sancti Johannis inter Paras; & extra omnem diocesim sancti Hilarii, & sancte Marie in Balneo; & in Faventina sancti Johannis-baptiste, ac sancti Maglorii, ac de Bagnacavallo etiam sancti Johannis-baptiste; & in Bononiensi prope muros de Angelis, & sancte Marie Camaldulini; & in Foro-liviensi etiam sancte Marie de Camaldulino, & sancti Salvatoris; & in Paduana sancte Marie de Carceribus, & de Crucibus, & sancte Marie de Porciliis cum ecclesia sancti Michaelis, & ecclesia de Orbisio; & in Venetiarum sancti Johannis de Judaica; & in Clugiensi sancti Johannis de Clugia; & in Tarvisina sancti Martini de Opitergio, & ejusdem sancti Martini de Prata; & in Senensi sancte Marie de Rosa, & sancte Marie de Thoma; necnon in Camerinensi sancti Romualdi Vallis de Castro, & sancti Blasii in Fabriano, ac sancti Urbani civitatibus & diocesibus monasteria & prioratus, ac in eadem Faventina hospitale de Castro-caro, & diversa monasteria, prioratus, ecclesie & loca etiam diversorum ordinum & diocesum ad eremum & ordinem Camaldulensem predictos devenerunt, ipsique illa acquisiverunt ac tenuerunt, prout tenent etiam pacifice de presenti. Quare pro parte prioris & conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut literis preinsertis hujusmodi pro illarum subsistentia firmiori denuo apostolice confirmationis robur adjicere, necnon monasteria, prioratus, ecclesias, & loca acquisita hujusmodi cum eorum omnium & singulorum juribus & pertinentiis ad eos legitime spectare & pertinere, ac eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & indulgentiis in preinsertis literis hujusmodi contentis gaudere debere, decernere & declarare, ac alios eis, & eorum statui in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ordo Camaldulensis, qui sedis apostolice prope peculiaris existit, illarum personarum fructuosis operibus, tam presentibus, quam retroactis temporibus grata Deo plantaria reddidit, prioris & conventus in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium literas Alexandri IIII. & Alexandri V. tunc in sua obedientia, de qua partes ille erant, eo tempore nuncupati, ac in forma Brevis Calisti III. predecessorum nostrorum hujusmodi, quatenus & prout in melius observata fuerunt, approbamus & confirmamus, necnon illa cum omnibus & singulis inde secutis perpetuo debere subsistere decernimus robore firmitatis. Ceterum cum in literis Alexandri IIII. predecessoris hujusmodi monasterium sancti Michaelis in Palude & eremus sancti Mathie de Murano in diocesi Tarvisina ponantur, que revera Torcellana hodierno tem-

tempore existunt, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod litere prefate propter hoc nequaquam de subreptione aut vitio notari, seu quomodolibet impugnari possint. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum, prioratuum & aliorum locorum acquisitorum hujusmodi, etiamsi illa alterius ordinis seu ordinum alias fuerint, ac ordinum hujusmodi juramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, confirmationis, constitutionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, declarationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis *&c.* Datum Mantue anno incarnationis Dominice M. CCCC. LIX. quarto nonas octobris pontificatus nostri anno secundo.

L. Dathus.

Post quarum quidem literarum apostolicarum visionem & diligentem inspectionem nos ad prefati honesti religiosi domni Leonardi Ambrosii de Venetiis *&c. ut supra*, instantiam & requisitionem predictas literas apostolicas sumi & exemplari, ac debite collationari fecimus, ne litere hujusmodi propter viarum discrimina & alia multa pericula, que occurrere possent, annullari vel perdi, ac veritas in eis descripta occultari contigerit, subscribi & publicari mandavimus, presensque transumptum *&c.* in omnibus & per omnia cum dictis originalibus literis concordare, & in nullo penitus discrepare reperimus *&c.* Datum & actum Florentie in archiepiscopali nostro palatio Florentino anno Dominice Incarnationis M. CCCC. LX. indictione IX. die vero XV. mensis novembris *&c.* testibus ibidem presentibus venerabilibus viris fratre Augustino Thome de Florentia rectore ecclesie sancte Marie de Vincigliata Fesulane diocesis, presbytero Marco Juliani de Ripa rectore ecclesie sancte Lucie de Magnolis de Florentia & domno Georgio Andree de Florentia abbate sancti Egidii de Campriano Aretine diocesis & dicti ordinis Camaldulensis ad hec vocatis habitis & rogatis & aliis.

† Ego Antonius quondam Dominici Nicolai Dantis de Ughis de Florentia imperiali auctoritate judex ordinarius atque notarius publicus Florentinus, necnon dicti domini archiepiscopi & ejus curie scriba presens exemplum *&c.* coram ipso archiepiscopo scripsi *&c.* una cum infrascriptis notariis ser Philippo, ser Paulo, & ser Johanne de verbo ad verbum cum eisdem literis apostolicis collationatum fideliter auscultavi & ipsum per omnia cum eisdem literis concordare inveni *&c.*

† Ego Philippus quondam Bernardi Mazei de Castro-franco Vallis-arni inferioris districtus Florentie & Lucane diocesis *&c.* notarius *&c.* subscripsi *&c.*

† Ego Paulus olim Laurentii de Benevienis civis Florentinus *&c.* notarius *&c.* subscripsi *&c.*

† Ego Johannes Gherardi de Legri civis notarius publicus Florentinus *&c.* subscripsi. *&c.*

LXVIII.

Idem Pius II. committit recuperationem bonorum abbatiæ Classensis alienatorum.

Anno 1461. VI. kl. decembris.

Ex autographo ejusdem abbatiæ Classensis.

PIus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Pensaurienſi & Firmanensi episcopis, ac dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Ravennatensis in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens poscentium vota equitati & rationi conveniunt, animo nos decet libenti concedere, que ad utilitatem precipue & profectum monasteriorum, eisque presidentium & sub regulari in iis jugiter Altissimo famulantium personarum cedere dinoscuntur, ac votis hujusmodi congruum suffragium impartiri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri abbatis monasterii sancti Apollinaris Classiensis extra muros Ravennates Camaldulensis ordinis petitio continebat, quod licet olim sancti Apollinaris predictum monasterium, & sancti Severi etiam Classense monasterium invicem canonice unita bonis temporalibus per abbatum & conventuum eorumdem sustentatione ac aliis, que eisdem pro tempore incumbebant, oneribus supportandis abundare consueverint, quia tamen quibusdam sinistris eventibus causantibus, ac pro eo quod ipsorum monasteriorum administratores sive commendatarii vel abbates, qui illis prefuerunt pro tempore, monasteriorum eorumdem immobilia bona in emphiteosim perpetuam, vel livellum diversis personis precipue laicalibus diversarum partium sub

ſub certis modo, & forma conceſſerint, monaſteria predicta, que dudum opulentiſſima & famoſa fuere, ad diminutionem maximam devenere. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, idem abbas, qui ad ipſorum monaſteriorum reformationem & reparationem magnopere aſpirat, conventum & monachorum numerum pluribus aliis viris religioſis in dictis monaſteriis augere & inſtaurare, ſtructuras quoque eorumdem monaſteriorum reparare & conſervare, ac alienata bona predicta ad jus & proprietatem eorumdem monaſteriorum pro poſſe reducere intendat, pro parte ejuſdem abbatis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſorum celeriori recuperationi bonorum, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus quotiens emphiteote predicti cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus vel conditionis fuerint, & quacumque eccleſiaſtica vel mundana dignitate prefulgeant, canonem ſive cenſum debitum ſtatutis temporibus non perſolverint cum effectu, etiamſi illum hactenus non ſolviſſent, ſeu bona eis conceſſa hujuſmodi alienaverint, aut abbate dicti monaſterii irrequiſito diſtrahere vel alienare preſumpſerint quoquomodo, bonorum taliter alienatorum, ac eorum, que propter non ſolutum canonem inciderint in commiſſum, per ſe, vel alium ſeu alios corporalem & actualem poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendendi, ac bona recuperanda predicta pro monaſteriis & conventibus antedictis, eorumque neceſſitatibus perpetuo retinendi licentiam concedere, ac alias ſuis eorumdemque monaſteriorum & conventuum indemnitatibus opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, ſi & poſt quam vocatis, qui fuerint evocandi, vobis de ipſorum alienatione bonorum abſque requiſitione abbatis, ſive ſolutionis debiti canonis ceſſatione conſtiterit, voſque propterea ad ipſa monaſteria devoluta eſſe vel in commiſſum incidiſſe auctoritate preſentium declaraveritis, juxta canonicas ſanctiones abbati & ſucceſſoribus prefatis per ſe vel alium, ſeu alias corporalem poſſeſſionem bonorum devolutorum hujuſmodi auctoritate propria libere apprehendendi, necnon ea pro dictis monaſteriis, & conventibus perpetuo retinendi, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate noſtra concedere, ſibique licentiam impartiri curetis. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quis extra ſuam civitatem vel dioceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſue dioceſis ad judicium evocetur; ſeu ne judices a ſede apoſtolica deputati extra civitatem vel dioceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſeu alii vel aliis vices ſuas committere preſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate preſentium non trahatur, & quibuſvis aliis apoſtolicis conſtitutionibus & legibus imperialibus ac ſtatutis municipalibus civitatum & locorum, in quibus bona hujuſmodi conſiſtunt, etiam confirmatione apoſtolica roboratis, & cujuſvis temporis decurſu, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi emphiteotis predictis vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem *&c.*

Datum Rome apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXI. ſexto kalendas decembris pontificatus noſtri anno quarto.

A. de Nepe.

LXIX.

Idem concedit priori generali Camaldulenſi, ut poſſit revocare a monaſteriis & a beneficiis rectores etiam proviſos a ſede apoſtolica.

Anno 1462. XIII. kal. auguſti.

Ex apographo S. Blaſii de Fabriano.

PIus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Paſtoralis officii debitum, quo pro univerſis eccleſiis, monaſteriis & aliis piis locis eccleſiaſticis aſtringimur, mentem noſtram excitat & inducit, ut ad ea libenter intendamus, per que cunctis ſemotis & ſublatis diſpendiis eorum & perſonarum illis preſidentium ſtatui & indemnitatibus opportune conſulatur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Marioti prioris eremi & generalis ordinis Camaldulenſis petitio continebat, quod licet pleraque monaſteria, prioratus & alia beneficia eccleſiaſtica dicti ordinis ab eremo hujuſmodi dependentia vel ipſius manualia,

lia, quorum aliquorum fructus, redditus & proventus ducentos Florenos auri de camera secundum communem estimationem valent, & ipsum valorem ascendunt annuatim, talis nature sint, ut prior dicte eremi pro tempore existens illorum abbates, priores & rectores ad nutum si velit, ad claustrum ejusdem eremi revocare valeat, & consueverit. Tamen dictus Mariotus prior & generalis dubitat propter expectativas & commendas, ac uniones & alias gratias, que de beneficiis ecclesiasticis per sedem apostolicam pro tempore fiunt, ipsorum monasteriorum, prioratuum & beneficiorum naturas alterari posse, seque & illorum possessores, cum ea a dicta sede apostolica impetraverint, non posse pro sue voluntatis libito, cum rationabilis causa subierit, revocare, in ipsius ordinis totalem dissolutionem & collapsum. Quapropter pro parte Marioti prioris & generalis predicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his statui dicte eremi, & commoditati religiosorum ejusdem providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes in premissis salubriter providere, hujusmodi supplicationibus inclinati perpetue irrefragabilis constitutionis edicto auctoritate apostolica & ex certa scientia statuimus, decernimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus tam ipse Mariotus, quam successores sui priores dicte eremi, qui pro tempore fuerint, omnes & singulos tam religiosos, quam clericos seculares, qui quecumque monasteria, prioratus, & alia beneficia ecclesiastica manualia ejusdem eremi, quorum possessores juxta illorum naturam ac dicti ordinis statuta & consuetudines ad nutum revocabiles esse consueverunt pro tempore, etiam a sede apostolica, vel legatis ejusdem titulum vel commendam aut per modum unionis ad vitam, vel perpetuo, seu alias quomodolibet impetraverint, pro ipsorum nutu, ab ipsis monasteriis, prioratibus & aliis beneficiis amovere, & de illis pro ipsius ordinis conservatione & bono auctoritate sua ordinaria plene disponere & ordinare libere & licite valeant & debeant, prout alias de jure seu privilegio aut dicti ordinis statutis ac consuetudinibus facere possunt & consueverunt. Non obstantibus impetrationibus, concessionibus antedictis quibusvis ac etiam indultis apostolicis eisdem impetrantibus concessis vel concedendis, videlicet quod ab ipsis beneficiis amoveri nequeant, que ipsis quoad beneficia prefata dicti ordinis nullum penitus suffragium impartiri, aut presenti statuto, decreto & ordinationi nullatenus derogare valeant, nisi in ipsis impetrationibus de presentibus literis de verbo ad verbum ac eorum data specialis mentio facta fuerit, ceterisque contrariis quibuscumque. Et insuper omnes & singulos processus contra tenorem presentium jam forsitan factos & habitos, & quos fieri vel haberi poterunt, necnon excommunicationum, suspensionum & interdicti aliasque sententias, censuras & penas etiam forsan promulgatas, aut quas promulgari contigerit, necnon totum id & quidquid attentatum forsan & hactenus vel imposterum attentari contigerit, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, nullius existere firmitatis, roboris vel momenti, ac irritos & inanes fore auctoritate predicta decernimus. Nulli ergo &c. statuti, constitutionis, ordinationis & decreti &c. Si quis &c. Datum apud eremum Fonris-vivi Clusine diocesis anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXII. tertio-decimo kalendas augusti pontificatus nostri anno IV.

LXX.

Institutio Elisabeth de Aldovrandinis monialis ordinis Humiliatorum in abbatissam SS. Trinitatis de Faventia.

Anno 1462. XIII. septembris.

Ex archivo ejusdem monasterii SS. Trinitatis.

FRatres Antonius de Ferris prepositus sanctorum Philippi & Jacobi de Sapina Bononie vicarius reverendissimi in Christo patris & domini domini fratris Philippi de Crivellis decretorum doctoris Dei & apostolice sedis gratia dignissimi magistri generalis totius ordinis Humiliatorum dilecte nobis in Christo sorori Helisabeth de Aldovrandinis de Ravenna professe domus sancti Matthei de Arimino ordinis predicti salutem in Domino sempiternam. Attendentes, quod nostris precibus & tuis atque supplicationibus premissis coram magnifica & excellentissima domina domina Johanna de Manfredis dignissima domina Faventie, Imole &c. cujusdam domus & ecclesie sancte Trinitatis, sic vulgariter nuncupate, site & edificate in burgo Faventie, que spectabat & pertinebat ad canonicos Lateranenses; necnon singularissima ipsius gratia dedit & benigniter nobis concessit & ordini nostro antedicto cum omnibus suis

suis juribus & pertinentiis, & habens solemne mandatum in publica forma a predictis canonicis dandi & concedendi monasterium uni religioni, cui sue dominationi placuerit, & de consensu & voluntate reverendissimi domini episcopi Faventini, ut patet per publicum instrumentum superinde confectum & scriptum per ser Anastasium Nicolai Faventie notarium de anno infrascripto die XIII. septembris, & volentes ac optantes salubriter providere regimini & administrationi dicte domus & ecclesie, & augere, attentis donis, meritis & virtutibus, quibus te novimus insignitam, ex officio nostro te sororem Helisabeth predictam harum presentium tenore facimus, constituimus & creamus abbatissam primam dicte domus & ecclesie cum omnibus juribus suis, actionibus & pertinentiis omni meliori modo, via *&c.* investientes te per anulum nostrum, quem sollemniter nostris tenemus manibus, & secundum formam sancte matris ecclesie; dantes & concedentes tibi regimen & administrationem dicte abbatie in spiritualibus & temporalibus. Mandantes omnibus & singulis sororibus presentibus atque venturis, quatenus tibi tamquam vere abbatisse dicti monasterii in omnibus & per omnia reverenter pareant & obediant. Quibus sic peractis allata tibi per nos forma debiti sacramenti jurasti, & juras in manibus nostris ad sancta Dei evangelia, manibus tactis Scripturis, quod domino magistro generali & vicariis suis fidelis & obediens eris, quodque non vendes, nec alienabis bona immobilia & pretiosa dicte abbatie. De fodro domini generalis & dicti ordinis propter paupertatem & omnibus aliis rebus dispensamus. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus ordinis nostri in contrarium facientibus. In quorum fidem & testimonium has nostras presentes literas fecimus & registravimus, nostrique consueti sigilli appensione munivimus.

Datum in Burgo predicto & in domo predicte abbatie anno Domini nostri Jesu Christi M. CCCC. LXII. die XIII. septembris.

LXXI.

Prior generalis instituit Antonium abbatem Canta-gallinæ in priorem S. Mariæ de Rosa Senarum.

Anno 1462. prid. id. decembris.

Ex monasterio Angelorum Florentiæ.

MAriottus sacrosancte Camaldulensis eremi prior & totius ejusdem ordinis generalis venerabili in Christo fratri nostro domno Antonio Matthei decretorum doctori de Castillione Vallis-urcie abbati Cante-galline & commendatario sancti Petri de Monte-liscario nostri Camaldulensis ordinis salutem & sancte caritatis affectum. Cordi nostro jugiter insidet ex injuncto nobis pastoralis servitutis officio, quantum desuper divina favente clementia nobis conceditur, ut loca nostri ordinis nobis & sacre eremo quomodocumque & qualitercumque subjecta, cum propriis fuerint destituta pastoribus, ita reformentur, ut auctore Deo recte dirigantur, & rectius conserventur, quo semper in suis bonis quibuscumque felix suscipiant incrementum. Cum igitur monasterium sive prioratus sancte Marie de la Rosa extra muros Senenses & nostri similiter ordinis vacaverit per renuntiationem liberam nulla vi vel metu cogente, sed sponte & ex certa scientia in manibus nostris factam per domnum Nicolaum de Rimbaldesis de Florentia ultimum atque immediatum priorem monasterii prelibati, quam renuntiationem nos ratam habentes ipsum ad claustrum nostrum revocavimus; & quoniam per nostros predecessores ordinis generales attenta paupertate monasterii de la Rosa prefati, ut facilius numerus conveniens monachorum ibidem vigeret, unita fuerunt, annexa atque incorporata monasterium sancte Marie de Tuoma Aretine vel Pientine diocesis, ac monasterium sancti Georgii de Apibus Senensis diocesis ipsi monasterio de la Rosa: nos considerantes annexionem & unionem prefatam esse ac fuisse juridice atque rationabiliter factam, atque volentes, ut desiderantes monachi prosequi studia literarum, commodius ali & sustentari valeant in prefato monasterio de la Rosa, omni meliori modo, quo possumus, tam auctoritate ordinaria nostra, quam privilegiorum nobis ab apostolica sede indultorum, unionem, incorporationem atque annexionem ipsam gratam ratam & firmam habentes, ad evi-

dentiorem cautelam denuo annectimus, incorporamus, unimus atque aggregamus, itaut non tria monasteria separata, sed unum tantum corpus unitum omnino & firmissime esse censeatur. Quod monasterium sancte Marie de la Rosa cum vacet, ut premittitur, & necesse sit eidem monasterio de priore idoneo providere, qui sciat in temporalibus & spiritualibus preesse utiliter utiliusque prodesse, matura super hoc deliberatione prehabita, ad te domnum Antonium prefatum mentis nostre propositum convertimus, quem bone vite ac fame, literarum petitie, laudabilis conversationis aliarumque virtutum & doctrine insignia conscios nos reddunt eidem monasterio merito prefici posse, decrevimusque illius regendi atque administrandi tibi onus imponere, sperantes eam, quam in te gerimus, fidem circa salutem anime tue ejusdemque, monasterii optimum regimen, illibatam prestante divina gratia custodire. Invocato igitur sanctissime Trinitatis nomine, & perpetue virginis Marie matris ope, cujus glorioso vocabulo prefatum monasterium insignitur *&c.* te priorem & prelatum instituimus dicti monasterii sancte Marie de la Rosa, cujus institutio & destitutio ad sacrosanctam eremum nostram & ad nos ipsos manualiter plenarioque jure spectare dignoscitur, nulla in contrarium memoria penitus existente, eidemque monasterio, quod sine cura est, te preficimus in rectorem, pastorem *&c.* In cujus nostre presentis collationis *&c.* indubitatam fidem has tibi patentes fieri & scribi fecimus *&c.* quarum vigore licentiam plenam concedimus venerabili fratri nostro domno Jacobo abbati Silve-munde, ut te in possessionem sancte Marie de la Rosa inducat *&c.* Data in nostro monasterio Fontis-boni II. idus decembris indictione quinta-decima M. CCCC. LXII. tempore pontificatus Pii pape II. anno V. officii nostri anno X.

Ego domnus Ludovicus prefati rever. patris prioris & generalis cancellarius *&c.*

LXXII.

Pius II. concessit in commendam Josepho abbati Agnaniensi ecclesiam S. Johannis de Petriolo.

Anno 1462. VII. id. februarii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Pius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Joseph abbati monasterii sancte Marie de Agnano Camaldulensis ordinis Arretine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Personam tuam nobis & apostolice sedi devotam paterna benevolentia prosequentes, ea tibi libenter impendimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Hodie siquidem te a sancti Romualdi Vallis-castri de Fabriano, & dilectum filium Michaelem illius abbatem a sancte Marie de Agnano Camaldulensis ordinis Camerinensis & Arretine diocesis monasteriorum, quibus tunc preeratis, regiminibus de fratrum nostrorum consilio ex certis causis amovimus, teque sancte Marie, & dictum Michaelem sancti Romualdi monasteriis predictis prefecimus in abbates, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, dum tu eidem monasterio sancti Romualdi prefuisti, ecclesiam sancti Johannis de castro Petrioli prepposituram nuncupatam Firmane diocesis, quam monasterio sancti Blasii de Fabriano dicto monasterio sancti Romualdi canonice annexo auctoritate apostolica perpetuo uniri & annecti obtinuisti, in suis structuris & edificiis, possessionibusque collapsam a te repertam magnis tuis laboribus & expensis ad bonum statum restitueris, ejusque possessiones ad culturam convenientem redigi feceris, illique propterea valde affectus existas, nos tibi, ut statum tuum decentius tenere valeas, de alicujus subventionis auxilio providere, ac specialem gratiam facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ecclesiam seu preposituram sancti Johannis predictam, quam dum tu in humanis egeris, a sancti Romualdi & sancti Blasii monasteriis predictis, prefati Michaelis abbatis ad hoc expresso accedente consensu, auctoritate apostolica tenore presentium dismembramus, dividimus & separamus, ipsamque ecclesiam sive preposituram, que sine cura est, & cujus fructus, redditus & proventus viginti Florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive per dismembrationem, divisionem & separationem hujusmodi, sive alias quovis modo, aut ex cujuscumque persona, seu per liberam resignationem alicujus de illa extra Romanam curiam, etiam coram notario publico & testibus sponte factam, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque ecclesia sive prepositura sancti Johannis dispositioni apostolice specialiter, vel propter dimembrationem, divisionem & sepa-

separationem hujusmodi generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter jus quesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis tibi per te, quoad vixeris, una cum dicto sancte Marie, cujus fructus, redditus & proventus ducentorum & quinquaginta Florenorum similium secundum extimationem predictam valorem annuum non excedunt, aut alio, cui te imposterum canonice prefici contigerit, monasterio dicti ordinis tenendum, regendum & gubernandum auctoritate apostolica commendamus, ita quod debitis & consuetis dicte ecclesie seu preposíture supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus & proventibus disponere & ordinare libere ac licite valeas, sicuti veri dicte ecclesie seu prepositure rectores seu prepositi, qui fuerunt pro tempore, de illis disponere & ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dicte ecclesie sive prepositure tibi penitus interdicta. Et nihilominus venerabilibus fratribus nostris Racanaten. Auximan. & Senogallien. episcopis per apostolica scripta mandamus, quatinus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios te vel procuratorem tuum nomine tuo in corporalem possessionem ecclesie sive prepositure, jurium & pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes tibi de ipsius ecclesie sive prepositure fructibus, redditibus & proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra apellatione postposita compescendo. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri & aliis apostolicis constitutionibus ac monasterii Sancti Romualdi & ordinis predictorum statutis & consuetudinibus, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales vel speciales dicte sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in dicte ecclesie vel prepositure assecutionem volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, seu si ven. fratri nostro episcopo Firmano & abbati pro tempore & dilectis filiis conventui dicti monasterii sancti Romualdi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter, non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri; & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod ecclesia vel prepositura predicta debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Volumus autem, quod quamprimum commendam hujusmodi per cessum vel decessum tuum, aut alias cessare contigerit, dicta ecclesia sive prepositura ad prefatum monasterium sancti Blasii pristino jure eo ipso redeat, sicut prius, nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo septimo idus februarii pontificatus nostri anno quinto,

L. Dathus. Jo. de Buccabellis.

LXXIII.

Petrus de Tanagliis abbas S. Michaelis in Burgo Pisarum, ut rector hospitalis novi Pisarum, concedit terras ad libellum.

Anno 1464. IX. aprilis.

Ex exemplo olim penes canonicum Abrahamium.

IN eterni Dei nomine, amen. Anno Domini nostri Jesu Christi ab ejus salutifera incarnatione M. CCCC. LXIIII. more Florentie, & M. CCCC. LXV. more Pi-

Pisarum indictione XII, die vero IX. mensis aprilis publice pateat omnibus evidenter, quod ven. in Christo pater domnus Petrus de Tanagliis de Vulterris Dei & apostolice sedis gratia abbas monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, necnon rector, gubernator & administrator hospitalis novi Misericordie sancti Spiritus de Pisis, quod pape Alexandri dicitur, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, cum presentia & consensu, & voluntate fratris Baptiste Dominici de Luca unius fratris dicti hospitalis, qui simul totum capitulum & conventum dicti hospitalis faciunt & representant, cum ad presens in dicto hospitali non sit alius frater conventualis, & ipse idem frater Baptista una cum dicto domno Petro abbate rectore, & gubernatore prefato *&c.* dederunt ad libellum Thomeo olim Andree de Crespina varias petias terre cum confinibus suis *&c.*

Actum Pisis in ecclesia sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Ego Jacobus olim ser Georgii quondam Jacobi de Bonapartis de Sancto-Miniate notarius *&c.* scripsi *&c.*

LXXIV.

Pius II. mandat abbati de Carceribus, ut causam inter moniales S. Christinæ de Tarvisio pro abbatissatu ad examen revocet & decidat.

Anno 1464. XXV. aprilis.

Ex chartulario S. Michaelis de Muriano.

A *Tergo*: Dilecto filio ... abbati monasterii de Carceribus ordinis Camaldulensis Paduane diocesis.

Pius papa II. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Commisimus per alias consimiles literas nostras tibi, & dilecto filio Alexandro de Nievo canonico Vincentino Padue residenti causam electionis inter dilectas in Christo filias Ursam & Blasiam moniales monasterii sancte Christine de Tarvisio ordinis Camaldulensis vertentem, cum plena potestate illam terminandi, prout in ipsis literis plenius continetur. Et quoniam, ut accepimus, quibusdam frivolis & inanibus rationibus, ne forsan tuo generali displiceas, commissionem nostram hujusmodi etiam debite requisitus exequi recusas, ea propter tibi tenore presentium in vim sancte obedientie ac sub excommunicationis pena mandamus, quatenus nulla amplius dilatione receptis presentibus ad executionem dictarum illarum literarum nostrarum simul cum collega tuo juxta illarum tenorem & formam intendas & procedas, ac etiam exequaris. Datum Petreoli Senensis diocesis, sub anulo piscatoris die XXV. mensis aprilis M. CCCC. LXIIII. pontificatus nostri anno VI.

Bulla cerea. L. Dathus.

LXXV.

Restituuntur monasterio S. Mathiæ de Muriano monasteria manualia a priore generali.

Anno 1465. XXVII. julii.

Ex autographo monasterii S. Mathiæ.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadrigentesimo sexagesimo-quinto indictione tertiadecima die vigesimo-septimo mensis julii. Cum monasterium sancti Mathie de Murano ordinis Camaldulensis & Torcellane diocesis habeat plura ac diversa manualia membra in diversis partibus Italie ac diocesibus constituta, que quidem membra ad ipsum monasterium pleno jure spectare dinoscuntur, vigore nonnullorum privilegiorum ab ejusdem subjectione eximere seu removere aut aliquatenus alienare non liceat, bone vero memorie rev. pater dominus domnus Felix de Pavonibus de Venetiis dudum prior supradicti monasterii sancti Mathie de anno Domini M. CCCC. XLI. & die XXVI. aprilis indictione IV. renuntiavit cessit & relaxavit omnem jurisdictionem & potestatem, quam habere pretendebat in manualibus seu beneficiis infrascriptis, in arbitrium relinquens rev. in Christo patris domni Gometii tunc supradicti ordinis generalis, prout in instrumento super inde confecto plenius continetur. Nomina vero beneficiorum sunt ista, videlicet monasterium sancti Johannis-baptiste de Judaica de Venetiis, monasterium sancte Marie de Angelis Bononiensis diocesis, monasterium sancti Johannis-baptiste Clugiensis diocesis, monasterium sancti Johannis-baptiste de Bagna-cavallo, & monasterium sancti Johannis-baptiste de Faventia Faventine diocesis, & monasterium sancte Marie Pensaurensis diocesis, quam quidem renuntiationem cum supradictus domnus Felix prior predictus facere non potuerit in prejudicium monasterii antedicti sancti Ma-

thye,

thye, nisi suo dumtaxat tempore, rev. pater dominus domnus Nicolaus de Tulmetio supradicti quondam domni Felicis immediate in dicto monasterio successor ac prior ipsius monasterii sancti Mathye supradictam renuntiationem ac manualium membrorum cessionem ea, qua decuit, solemnitate de suorum monachorum consensu & auctoritate capitulariter revocavit, atque eamdem renuntiationem rev. in Christo patri domno Marioto ad presens supra dicti Camaldulensis ordinis generali manifestavit atque intimavit, petens, ut in supradictis suis juribus atque jurisdictionibus prefatum monasterium suum restitueretur. Cujus honestis atque rationabilibus votis supradictus rev. dominus generalis annuere volens, eadem monasteria, atque manualia membra cum solemni mandato ejusdem rev. domini generalis sigillo communito restituit. Cujus quidem mandati tenor per omnia sequitur, & est talis, videlicet: frater Mariottus sacrosancte Camaldulensis heremi prior ac totius ejusdem ordinis generalis venerabili in Christo fratri nostro domno Nicolao priori monasterii sancti Mathye diocesis Torcellane & nostri ordinis salutem in Domino sempiternam. Ecclesiasticus plane ordo confunditur, si sua cuilibet jurisdictio non servatur. Cum igitur bone memorie Felix predecessor tuus sub die VI. aprilis indictione IIII. M. CCCC. XLI. quandam renuntiationem fecerit de manualibus monasteriis subjectis monasterio tuo sancti Mathie in manibus bone memorie Gometii generalis predecessoris nostri, tribuens idem prior omnem jurisdictionem instituendi & destituendi manualium prefatorum pro suo tempore generali predicto, tu vero frater prior volens, ut teneris, monasterii tui jurisdictionem conservare, ac diminutas restaurare, a nobis humiliter & devote, ut in tua te, & monasterium tuum jurisdictione & auctoritate restitueremus, nos vero attendentes petitionem tuam legitimam ac rationabilem esse, cupientes monasterium tuum in suis juribus preservare, habita super hoc deliberatione matura, omni meliori modo, via, jure & forma, quibus magis & efficacius possumus, te & monasterium tuum sancti Mathie restituimus, reintegramus, tribuimus atque reponimus in omnem & quamlibet jurisdictionem, atque baliam & jus instituendi, destituendi, visitandi & corrigendi monasteria manualia, & rectores ipsorum tui monasterii sancti Mathie; ita quod efficaciter possis & valeas in ipsis monasteriis manualibus omnem jurisdictionem ordinariam exercere, qua predecessores tui priores monasterii sancti Mathie usi libere sunt, ac exercere consueverunt, irritam & cassam declarantes omnem renuntiationem de dictis manualibus per predecessorem tuum Felicem nostro predecessori Gometio factam vel attentatam, quam presentem restitutionem, reintegrationem, quam facimus, presentibus venerabilibus fratribus nostris domno Johanne abbate Insulano, & domno Antonio Abbate sancti Viriani pro evidentiori hujusmodi nostre voluntatis, in cujus etiam rei fidem & testimonium evidens has patentes literas nostri minoris sigilli impressione munitas fieri fecimus per infrascriptum officii nostri cancellarium consuetum. Datum in nostro monasterio Fontis-boni die XVIII. junii indictione XIII. M. CCCC. LXV. tempore pontificatus sanctissimi domini nostri Pauli pape II. anno primo, officii vero nostri anno XII. Ego domnus Ludovicus abbas sancte Jucunde, prefatique rev. domini generalis cancellarius de mandato subscripsi.

Quam quidem restitutionem dictus rev. pater dominus dompnus Nicolaus de Tulmetio prior dicti monasterii sancti Mathie de Muriano dicti ordinis Camaldulensis volens legi facere in capitulo, convocari & congregari fecit solemniter capitulum dicti sui monasterii & conventus, in quo quidem capitulo interfuerunt ipse dominus domnus Nicolaus prior, domnus Maurus de Florentia, domnus Laurentius de Cataro, domnus Primus de Abbatia, domnus Bernardus de Regojosis, frater Johannes de Albania, & frater Bernardinus Mediolanensis omnes professi sancti Mathye, & habentes vocem in dicto capitulo, & constituentes & representantes, ut dixerunt, totum & integrum dictum capitulum seu majorem & saniorem partem ipsius, quo convocato ad sonum campanelle, ut moris est, legi fecit dictis suis monachis & capitulo, eamdemque lectam ipse dominus prior & capitulum concorditer ea, qua decuit, reverentia acceptaverunt humiliter, & attendens dictus dominus prior sancti Mathye cum dictis suis monachis salubriter supradictis suis manualibus prospicere, & non valens ad presens singula queque visitare, gravioribus dicti sui monasterii curis impeditus. Ea propter rev. in Christo patri domino domno Hieronymo de Grifonibus abbati Burgi sancti sepulcri ejusdem Camaldulensis ordinis presenti & acceptanti vices suas commisit, & presertim

tim in tribus ex suprascriptis suis manualibus, videlicet in monasterio sancte Marie de Angelis de Bononia seu prope Bononiam, & in monasterio sancti Johannis-baptiste de Faventia, & in monasterio sancti Johannis-baptiste de Bagnacavallo Faventine diocesis, dans & concedens sibi in dictis tribus manualibus omnimodam & plenariam auctoritatem, & constituens dictum dominum domnum Hieronymum suum vicarium, sindicum atque procuratorem cum omni auctoritate sua & supradicti sui capituli visitandi, corrigendi & reformandi, & si necesse fuerit atque opportunum duxerit, instituendi & destituendi, & ab ipsis monasteriis, si necesse fuerit, & eidem domno abbati Burgi-sancti-Sepulcri videbitur, pro eorumdem monasteriorum reformatione privandi priores supradictorum trium manualium, & loco illorum alios subrogandi, eosdemque priores ad claustrum revocandi, & omnia & singula faciendi, que idem dominus prior sancti Mathie una cum suis monachis & suo capitulo in supradictis tribus manualibus secundum antiquas consuetudines dicti monasterii sancti Mathie facere potest & valet. Promittens mihi notario infrascripto, ut publice persone presenti, stipulanti & recipienti vice & nomine omnium & singulorum, quorum interest & poterit interesse, se perpetuo habere firmum & ratum quicquid dominus vicarius, sindicus & procurator duxerit in premissis faciendum, sub omnium suorum dictis nominibus ypoteca & obligatione bonorum presentium & futurorum. Et hec omnia fecit omnibus melioribus modo, via, *&c.*

Actum Muriani in loro capitulari suprascripti monasterii sancti Mathye presentibus ven. domno Johanne de Florentia supradicti Camaldulensis ordinis monacho, magistro Christoforo quondam Peregrini de Pergamo *&c.*

Ego Franciscus Bono filius quondam ser Andree de Venetiis publicus imperiali auctoritate notarius suprascriptis omnibus & singulis interfui, eaque rogatus scripsi & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

LXXVI.

Prior S. Mathiæ instituit Rodulphum de Faventia in suum vicarium monasteriorum manualium.

Anno 1466. XVIII. januarii.

Ex archivo ejusdem monasterii S. Mathiæ.

FRater Nicolaus de Thulmetio Dei & apostolice sedis gratia prior eremitarum Sancti Mathie de Muriano Camaldulensis ordinis & Torcellane diocesis venerabili ac nobis dilecto in Christo fratri domno Rodulpho de Faventia priori monasterii sancti Johannis-baptiste de Faventia salutem in domino sempiternam.

Mandata celestia efficaciter gerimus, si nostra cum fratribus nostris onera partiamur. Cum itaque in diversis locis & provinciis monasteria & loca nobis & dicto monasterio sancti Mathie immediate subjecta ratione manualitatis consistere dignoscantur, & frequenter casus occurrat, pro quibus nostra foret opportuna presentia. Nos itaque interdum aliis simul negotiis impediti, & ad loca seu monasteria predicta personaliter accedere non possimus, matura deliberatione prehabita una cum fratribus nostri capituli sollemniter congregatis, in quo quidem capitulo interfuimus nos domnus Nicolaus de Thulmetio prior prefatus, domnus Maurus de Florentia, domnus Johannes de Faventia, domnus Laurentius de Cataro, domnus Bernardus de Venetiis, domnus Blaxius de Florentia & domnus Leonardus de Mediolano, omnes habentes vocem in dicto capitulo, ac constituentes & representantes totum & integrum dictum capitulum, seu majorem vel saniorem partem ipsius, decrevimus vos domnum Rodulfum de Faventia priorem sancti Johannis de Faventia suprascriptum, ad Dei laudem & commodum dicti ordinis assumere, cum quo partiri nostre sollicitudinis onera valeamus, ut congruenter & monasteria, videlicet sancti Johannis-baptiste de Faventia, & sancti Johannis-baptiste de Bagnacavallo Faventine diocesis, sancte Marie de Angelis Bononiensis diocesis, sanctorum Mathie & Catharine Foro-liviensis diocesis, & sancte Marie Pensauriensis diocesis nobis immediate subjecta ratione manualitatis tam in spiritualibus, quam temporalibus salubriter gubernentur, & eorum jura & commoda prospere dirigantur. Attendentes itaque fidem & discretio-

tionem vestram, quibus vos fide digno-rum testimonio percepimus insignitum, secure vos nostri & monasteriorum nostrorum servitiis deputamus, sperantes de vestre discretionis industria nobis & monasteriis nostris honores & commoda provenire, vobisque eterne retributionis gratiam cumulari. Quo circa tenore presentium in & de locis & de monasteriis predictis vos facimus & constituimus nostrum vicarium in temporalibus & spiritualibus tam in capite, quam in membris generalem, exhibentes vobis plenam & liberam facultatem dicta loca & monasteria vel conventus quotiens & quando opus fuerit visitandi, corrigendi & regulariter reformandi, omnes & singulas questiones civiles & criminales, tam de jure, quam de consuetudine ad ecclesiasticum forum nostrum spectantes per vos vel alium, seu alios audiendi, & fine debito terminandi, quantum videlicet ad dicta loca seu monasteria videritis convenire. Et super excessibus priorum, monachorum, conversorum atque laicorum dictorum monasteriorum & locorum sollemniter inquirendi, corrigendi & condemnandi, puniendi, & pena carceris, & omnes alias penas, quas sacri canones permittunt, prout videritis expedire, infligendi, & generaliter omnia alia & singula faciendi, que ad predicta monasteria seu loca predicta nobis immediate subjecta spirituali & temporali jurisdictione spectare noscuntur. Et si ultra premissa mandatum exigant speciale, plenarie valeatis exercere, plenariam & liberam concedentes vobis tenore presentium facultatem. Super quibus omnibus & singulis suprascriptis vobis committimus plenarie vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas. Mandantes etiam universis tam professis quam non, predictis monasteriis subjectis, quatenus vobis plenarie pareant & intendant in quantum ad vestri vicariatus officium pertinere dignoscitur &c. Preterea instrumentum, quod heri fecimus domno Hieronymo abbati Burgi-sancti-sepulcri, ut vice & auctoritate nostra posset visitare, instituere & destituere in tribus de predictis nostris monasteriis, videlicet sancte Marie de Angelis de Bononia, sancti Johannis-baptiste de Faventia, & sancti Johannis-baptiste de Bagnacavallo, ex nunc totaliter cassamus &c. In cujus rei testimonium has nostras patentes literas &c. fieri jussimus &c. anno M. CCCC. LXVI. indictione XIV. die vero sabbati XVIII. mensis januarii pontificatus &c. Pauli II. anno secundo.

Actum & datum in monasterio nostro sancti Mathie de Muriano Torcellane diocesis in loco consueto, ubi congregari solet capitulum dicti monasterii, presentibus ibidem ser Francisco Bono notario quondam ser Andree de confinio sancti Raphaelis, & Antonio quondam magistri Johannis de Burgo-sancti-sepulcri &c. testibus ad premissa convocatis & rogatis.

† Ego Johannes Bartholomeus quondam Johannis Antonii de Gardelinis de Scledo Vincentini districtus habitator Venetiarum &c. notarius & judex ordinarius &c. scripsi &c.

LXXVII.

Idem prior accipit possessionem monasterii S. Johannis-baptistæ de Clodia, & in eo Johannem Contarenum monachum in priorem instituit.

Anno 1466. XIV. julii.

Ex archetypo ejusdem archivi.

FRater Nicolaus Dei & apostolice sedis gratia prior monasterii eremitarum sancti Mathie de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellane diocesis dilecto nobis in Christo fratri domno Johanni Contareno monachò professo dicti ordinis & in sacerdotio constituto, ac per rev. patrem domnum Mariottum generalem nostrum in monasterio sancti Johannis-baptiste extra Clugiam ordinis predicti Clugiensis diocesis olim pro priore instituto salutem in Domino & pium sancte caritatis affectum. Cum prefatum sancti Johannis-baptiste monasterium, & quedam alia monasteria in diversis Italie partibus constituta pleno jure monasterio nostro sancti Mathie de Muriano manualiter sint subjecta, & quorum monasteriorum visitationem, correctionem, reformationem, institutionem & destitutionem pleno jure, ut prefertur, sicut privilegiis prefati monasterii nostri sancti Mathie pro tempore spectare & pertinere dignoscitur & probatur, domnus Felix de Pavonibus de Venetiis prior monasterii sancti Mathie predecessor noster immediatus quibusdam de causis sponte renuntiavit predicta monasteria & omnes jurisdictiones, quas tempore suo in ipsis monasteriis habebat, in manibus reverendissimi domini Gometii totius ordinis nostri generalis. Qua renuntiatione ipse dominus generalis & omnes sui successores in prefatis monasteriis usque ad obitum predicti domni Felicis prioris de prioribus

& re-

& rectoribus providerunt. Nos autem cum ipsi domno Felici priori apostolica auctoritate in regimine prefati monasterii sancti Mathie successerimus, dictum monasterium sancti Mathie in suis pristinis jurisdictionibus restitui humillima supplicatione rogavimus rever. patrem domnum Mariottum totius ordinis nostri generalem, ut prefata monasteria manualia nobis & monasterio nostro restitueret, & ipsum monasterium nostrum in suis pristinis jurisdictionibus restituere dignaretur. At ipse rev. pater generalis justis nostris supplicationibus annuens per patentes literas suo majori sigillo munitas omnia prefata nostra manualia monasteria renuntians nobis & monasterio nostro sancti Mathie restituit cum omnibus jurisdictionibus suis *&c.* Quibus obtentis auctoritate privilegiorum nostrorum decrevimus predictorum monasteriorum nostrorum personaliter tenutam & possessionem capere & obtinere, & in eis auctoritatem & jurisdictionem nostram exercere, & ea tam in capite quam in membris secundum beati Benedicti regulam & statuta Camaldulensis ordinis visitare, & ut priores dictorum monasteriorum sponte monasteria predicta in nostris manibus renuntiarent, & nostra auctoritate in eisdem monasteriis ipsi vel alii denuo instituerentur. In quibus, dum ad prefatum sancti Johannis-baptiste de extra Clugiam monasterium predictis de causis personaliter venissemus, a domno Johanne predicto benigne suscepti, postquam predicti monasterii possessionem adepti fuimus, coram testibus & notario sponte & libere prefatum sancti Johannis-baptiste monasterium seu prioratum in nostris manibus renuntiasti, nobisque ac successoribus nostris canonice intrantibus obedientiam promisisti, teque totum in nostra dispositione commisisti. Cum igitur per predictam renuntiationem prefatum sancti Johannis monasterium ad presens vacare contigerit, ne per diutinam vacationem detrimentum aliquod pateretur, illi de priore idoneo studuimus providere. Quapropter hinc inde multis consideratis, de consensu fratrum nostrorum in te domnum Johannem Contareno prenominatum mentis nostre aciem duximus dirigendam, & de tua circumspecta providentia & religiositate confisi ad id onus subeundum te decrevimus eligendum. Invocato igitur sanctissime Trinitatis nomine ad honorem gloriose genitricis Marie ac sancti Baptiste Johannis, sancti Mathie apostoli, sanctorum confessorum Benedicti & Romualdi & totius celestis curie triumphantis, ac sacrosancte Romane ecclesie, te domnum Johannem Contareno prenominatum in priorem, gubernatorem & administratorem prelibati monasterii sancti Johannis-baptiste de extra Clugiam instituimus & preficimus, tibi curam omnem & administrationem omnium bonorum dicti monasterii tam spiritualium quam temporalium committendo, usque ad nostre dumtaxat beneplacitum voluntatis, extante causa vel non extante. Quapropter onus hujus obedientie & regiminis devote suscipiens, sic te in dicti monasterii regimine & administratione sollicitum & fidelem exhibeas, ut eterne mercedis retributionem a Domino cum electis merito consequaris. Fratribus vero dicti monasterii, monachis & conversis presentibus & futuris ibi pro conventualibus constituendis & constitutis per obedientiam salutarem precipiendo mandamus, quatenus in cunctis secundum Dei precepta & beati Benedicti regulam & Camaldulensis ordinis instituta tibi domno Johanni Contareno priori predicto omnimodam reverentiam & obedientiam exhibeant & impendant. Preterea omnibus & singulis censuariis, pensionariis & affictuariis ad predictum monasterium spectantibus, ut tibi obediant, respondeant & obsequantur, ex certa scientia precipimus & mandamus. In quorum fidem & evidens testimonium has nostras patentes literas nostri majoris & soliti sigilli appensione munitas tibi fecimus, & per manus tradidimus. Datas in capitulo monasterii nostri sancti Mathie de Muriano coram fratribus nostris anno domini M. CCCC. LXVI. die XIV. julii pontificatus sanctissimi domini nostri domini Pauli divina providentia pape II. anno secundo. Nulli committimus, ut te in dicti monasterii possessionem inducat, quia personaliter die VII. julii M. CCCC. LXVI. coram domno Hieremia, domno Bernardino & fratre Paulo converso nostris fratribus tibi eam sollemniter tradidimus.

LXXVIII.

Miracula intercessione S. Romualdi abbatis a Deo patrata his annis.

Anno 1467. & 1468.

Ex codice Mauri Lapi monachi in bibliotheca S. Mathiæ. *pag. 97.*

Hic erunt inferius miracula sanctissimi patris nostri Romualdi noviter facta,

cta, & per dominum nostrum rev. patrem generalem visa & audita præsentialiter in Marchia Anconitana prope Fabrianum ad quinque milliaria vel circa, qui dicitur Valdicastrum, ubi est sua abbatia ac nostra, ut hæredes, ubi semper jacuit corpus ejus per annos CCCC. LXX. *vel circa, ut ipsemet prophetavit vivens illic se moriturum & sepulturum; & numquam permisit ipsam sepulturam tangere, nisi modo. Cur & quare, non est meum investigare. Ista erunt ipsa miracula per notarium supradicti domini generalis scripta, ut videbitis.*

Placuit in his scriptis pauca de multis breviffime referre, quæ noviffime in agro Piceno ad ordinem Camaldulensium pertinentia digna memoria contigere. Et hæc res ipsa gravidioris & grandioris ingenii viro, majorique eloquentia prædito indigere videatur. Non tamen fuit consilium ipsa silentio preterire. Confido enim absque verborum ornatu sese omnibus legendam præstare, facileque se intentis ultro hominum auribus usque patefacere. Cum autem, ut refert beatus Petrus Damianus in sancti Romualdi vita, quam eleganter luculenterque conscripsit, super ejus sanctissimum Romualdi corpus de licentia sedis apostolicæ celeberrimum altare fuisset consecratum, fuissetque corpus illud eminenti in tumulo ex candidissimo lapide instar marmoris optimi sculpto in monasterio Vallis-castri diligentissime reconditum, præsumpserunt nostra hac tempestate, idest XXII. novembris M. CCCC. LXVI. duo Camaldulensis ordinis monachi ipsum sanctissimum Romualdi corpus nescio quo furore vel fervore perciti velocissime detegere, altare dissipare, ac omnibus visendum corpus in lucem prodere. Volavit protinus per universa regionis loca eiusmodi facinoris fama; confluunt undique ad tale spectaculum populi, inter quos senes, juvenes, pueri, innuptæque puellæ miro ardore conciti conveniunt. Non defuit quoque dominus Fabrianensis una cum episcopo Camerino, qui tunc temporis Fabriani se continebat. Quid de ejus loci abbate, ceterisque ejus monachis dicam? qui percepta rei fama in Fabriano cum quiete moram trahebant, confestim advolarunt, ac Missarum sollemniis celebratis devotissime se ad ejus pretiosissimum corpus visendum & adorandum contulerunt. Horum omnium literis conventus & compulsus fuit rev. domnus Mariottus generalis Camaldulensis imbecillis & senio confectus in tanta hyemis inclementia illuc proficisci. Quibus etsi multa domi negotia obstabant, tanta tamen rei dignitate motus, nullo modo parere contempsit. Movit itaque ex suo monasterio Fontis-boni cum suis itineris sociis, & satis magno prælatorum circumstantium numero XI. decembris; compositis prius utcumque in prædicto suo monasterio rebus, admonitaque familia cuncta ad bene beateque vivendum, pervenit tandem miserante Domino XV. decembris, jumentis acrius solito impulsis ad oppidum Fabriani; quo cum appropinquaret obvios habuit quosdam non paucos & prælatos, & monachos, & honorifice oppidum ingressus ad monasterium sancti Blasii cunctis illius loci hominibus tam prælatorum, quam monachorum pompam spectantibus recto itinere profectus est. Biduo ibi commoratus postera die gubernatorem oppidi, necnon dominum Fabrianensem magna prælatorum comitante multitudine de more visitare non distulit. E quibus multis verbis ultro citroque habitis bonam spem circa sua instituta visus est reportare. Visitavit postremo ea ipsa die episcopum Camerinensem, qui cum domnum Bartholomæum auctorem præfatæ detectionis carceri contra ordinis privilegia mancipasset, multaque incommoda intulisset, & inferre ordini minatus fuisset, statim ob adventum & visitationem antedictam, & in amorem & benevolentiam conversus, bona verba dare & respondere non dubitavit, pollicitusque est se suam operam præstaturum, quo & sibi rem gratam faceret, & ordinis honorem & sancti Romualdi famam augeret, quam prius extinguere ac penitus delere non verebatur. Postquam vero ad sanctum Blasium sui ordinis locum fuit inde reversus, contulit se ad eum ex Fabrianensibus vir sane aspectu & sermone gravis ac fide dignus, exposuitque dicto generali adstantibus cunctis, qui tunc secum erant, prælatis unum de multis, quæ continuo dominus noster per sancti Romualdi corpus dignatus est operari, miraculis.

Quod videlicet erat sibi neptis suæ sororis filia, quæ octavum annum agens gravi semper extiterat infirmitate oppressa, & adeo erat suis membris perdita & contracta, ut necesse continuo fuisset, si aliquando se vertere puella volebat, ab aliquibus devehi & deportari. Si quando etiam contingeret ipsam a quocumque tangi vel ad cubiculum deferri, & inde auferri, solebat magnis vocibus præ nimio dolore cuncta replere. Quod tandem animadvertens uxor prædicti viri, divinitus inspirata matri puellæ suadere cœpit, illam posse meritis sancti Romualdi facile libe-

liberari, si devote ejus corpori noviter detecto puella commendaretur, suisque precibus talis gratia exposceretur, fuerit protinus a matre puellæ vota, si merebitur, puella liberari vel sanitati restitui, se ad ejus corpus puellam cum cereo illico advecturam vel adducturam. Quibus exactis statim juvencula diuturno morbo vexata, cœpit paulatim convalescere. Sicque tandem penitus libera est evasa ab infirmitate. Hinc cuncti gratias Deo & sancto Romualdo pro accepto munere continuo impendere non desistunt. Viderunt postea prædictus dominus generalis ceterique prælati puellam ipsam in ecclesia sancti Blasii suis pedibus libere incedentem, cum qua affuerunt parentes & vicini idem omnes attestantes, & Deum puro corde sanctumque Romualdum pro viribus benedicentes.

2. Eodem tempore & loco visitandi gratia perrexit ad prædictum dominum generalem Tiburtius vir quidam sua præsentia atque affabilitate omnibus tum gratus, tum acceptus; qui in præsentia domini generalis, necnon, qui secum erant, prælatorum, cœpit sanctissimi Romualdi meritis miracula quædam, quæ nuper acciderant, ordine narrare. Inter quæ unum memoria dignum hic subnectere non cunctabor. Ajebat enim præfatus Tiburtius quemdam juvenem in sua vicinia murum fabricantem, coramque eo super lignea machina lapidibus & cæmentis plena commorantem fuisse ob detectionem corporis sancti Romualdi, quæ paulo ante quibusdam monachis agentibus evenerat, divinitus impulsum, ut se ad prædictum sancti Romualdi corpus visendum celeriter conferret. Quod cum exequi maxime pergeret, illico machina illa lignea, quæ insistebat, cum omnibus, quæ ibi aderant, rebus ac supellectilibus cœpit ruinam minari, & post omnium ingenti impetu declinare penitusque corruere. Ignorabat juvenis, qui ob timorem conterritus & stupens factus erat, quid a se in tam præcipiti casu esset agendum. Verum venit sibi in mentem sanctum Romualdi corpus noviter detectum, illudque confestim alta voce invocans, opem & auxilium ex intimo implorare pectore non sinebat. Cecidit tamen juvenis una cum reliqua mole, & in tanta lapidum, laterum & lignorum congerie illæsus exiliit, domumque sospes & a periculo liber sine mora pedibus propriis abiit. Petiit deinde concito cursu sanctum Romualdi corpus, cui & munera obtulit & orationes fundere cum lacrymis copiosissime non remisit. Vidimus paulo post prædictum juvenem nomine Bartholomæum, & ex eo cuncta, quæ audieramus, iterum ordine didicimus. Affuit una Antonius quidam attestans omnia, quæ illi acciderant, suis oculis vidisse.

3. Eodem tempore & loco hora serotina etiam quidam dominus Paulus equestris ordinis vir egregius, & ordini apprime benevolus visitationis causa adivit prædictum dominum generalem, cum quo plura verba familiariter habens pervenit tandem ad explanationem cujusdam miraculi in se per sanctum Romualdi corpus paulo ante experti. Quod videlicet se Roma redeuntem magna & acuta febris in itinere corripuerat, adeo quod illum postmodum in Fabriano graviter detinebat, ut de ejus salute medici spem dubiam exhiberent. Accidit autem sancti Romualdi corpus per quosdam monachos detegi, de quo memor factus statuit idem corpus cum muneribus devotissime visitare, si per ejus merita a febre illa liberare dignaretur. Mira Dei clementia, quæ per suos sanctos operari non subterfugit, visus est illico dictus dominus Paulus sibi levior reddi, & a febre magna ex parte convalescere, adeout medicus, qui prius de sua salute anxius erat, sibi diceret vigesimam partem febris vel particulam in suo corpore relictam non fuisse.

4. Postera die statuit reverendissimus dominus generalis una cum ceteris, qui secum erant, prælatis, ad monasterium Vallis-castri pro honore præfati corporis sancti Romualdi quamprimum proficisci. Quo tandem cum pervenisset, cum processione, quæ sibi obviam mille passibus occurrit, exceptus, & de more sollemniter Missam celebrari jussisset, adorato tamen prius devotissime, ut decet, sancti Romualdi corpore, eique dono ulnis contexti serici tribus oblatis. Advenit in ipsa Missæ celebratione mulier unicum filium brachiis devehens, quæ ambabus manibus duos gestans cereos sanctissimo corpori offerre nitebatur. Ea demum visa sibi cuncti protinus cedentes, ut ad locum corporis devenire non cunctaretur, continuo audivimus & etiam vidimus adolescentem ipsum fuisse pro antedicta gravi infirmitate oppressum, & a media sui parte infra deperditum & contractum, fuisseque meritis sancti Romualdi a muliere illa invocati illico liberum ex tali languore evasum. Non potuimus, qui aderamus nos, a lacrymis temperare, & dictum sanctum Romualdum vel Romualdi corpus devotissime non laudare.

5. Agentibus nobis ibi triduum plura variaque miracula ad nostras aures per san-

sanctum Romualdi corpus mirabiliter ostensa pervenere, quæ suo ordine utcumque retexere non prætermittam. Erat cuidam agricolæ nomine Mariotto de Cerreto comitatus Fabriani filiola quædam gravi diutius unius poplitis dolore ac tumore vexata, cui cum nullum profecto solatium aut remedium invenire parentes possent, decreverunt ipsam sancto Romualdi corpori, de cujus detectione facta nuper ab illa mentio fuerat, devotissime commendare, & ad ejus tumulum puellam deferre, si ejus merita tumore & genu dolore puellam liberari concederent. Itaque ab illis, uti constitutum erat, protinus vota precesque funduntur. Quibus completis subito puella de lecto prodiens cepit parentibus hilariter se liberam profiteri ac demonstrare. Parentes vero puellæ congratulantes, ut vota solverent, confestim ad monasterium Vallis-castri devenere, ubi & dictum sanctumque Romualdi corpus adoravere, & rem mirabilem omnibus, uti gesta erat, ordine exposuere.

6. In eodem Fabriani comitatu reperitur quoddam oppidum, vulgo la Castelleta nuncupatum, in quo se mulier continens, cujusdam Guasparini de Serra sancti Quirici filiolum educabat, qui cum a die suæ nativitatis continuo herniam passus fuisset, adeo illi deorsum intestina descendebant, ut ipsi malo nullum unquam potuissent remedium invenire. Verum mulier percepta corporis sancti Romualdi fama protinus ad illud adorandum advolavit, & in terram provoluta suppliciter pro puerulo auxilium implorare non desinebat, devovens si daretur puèro per ejus merita ab infirmitate liberari, se aliquod signum in sui honorem ibidem suspensuram. Fusis hujusmodi mulier precibus plurimum fiduciæ habens domum remeavit, puerulumque offendit ab omni protinus languore evasum.

7. In Fabriano oppido cujusdam Angeli filius unius tibiæ dolore vexabatur. Quandoque autem ita ipsum invadebat dolor, ut de loco ad locum aliquo modo se movere non posset. Didicit tamen juvenis sanctum Romualdi corpus detectum fuisse, ad quod visendum miro concitus ardore licentiam arripiendi itineris a patre impetrare precibus satagebat. Pater vero timens, ne ob tibiæ dolorem illuc adire valeret, ipsum proposito dimovere blandis nitebatur suasionibus. Cui filius non ambigendum arbitror, ut sanctus Romualdus, eo perveniam, opem tribuet. Denique cum bona patris venia filius iter arripiens præ nimio dolore, quem in tibia vehementius, quam unquam sensit irruere, in media via visus est defecisse. Verum cupidus institutum iter peragere juvenis cœpit sancto Romualdo puro corde vota impendere, si liceret sibi, ad ejus corpus celeriter pervenire, se illi unius Bolognini candelam oblaturum. Pactis itaque votis, abiit ille dolor, & juvenis gratiæ compos sanctissimi Romualdi corpus visere & adorare, miraculumque in se expertum omnibus referre omnino non distulit.

8. In comitatu Æsino cuidam agricolæ bovibus ad terras arandas egredienti contigit in ipsa terræ aratione boves fugere & veloci axillo concitos ipsam aratri buttim in ejus alvum inferius impegisse, & eum fodisse & intestina in testes dejecisse, adeo ut paulatim sibi magis ac magis dependere non desisteret. Mœstus itaque reversus agricola domum & in lecto utcumque provolutus, somnum præ dolore suis oculis videre illa in nocte non poterat. Verum dolore contemptpo aulisper dormitans senem videre visus est se excitantem & dicentem: Commenda te glorioso sancti Romualdi corpori nuper in monasterio Vallis-castri detecto, a quo sine dubio sanitatis gratiam recipies. Agricola vero a somno impulsione & verborum sono excitatus, cum diligentius cuncta oculis huc illucque rotantibus perscrutaret, nullum animadvertere valuit. Ceterum senis monita exequens plurimum se sancto Romualdi corpori commendavit. Postmodum autem arctiore illum somno invadente, soporis quietem usque in mane protraxit. Cum vero surgeret, neque illum percussionis aut scissuræ dolorem sentire videretur, tetigit locum, in quem prius digitos tentando immiserat, ipsumque facta vulneris cicatrice compactum, & se ab omni alia infirmitate liberum sancti Romualdi meritis comperiens, protinus exiliit, & rem omnibus, uti gesta erat, ordine retexuit.

9. In oppido Arcarotti quidam Petrus-johannes nomine Johannis filius ita vehementer diuturno crurum dolore cruciabatur, ut nihil omnino aut parum pergere suis pedibus sine adjumenti baculo valeret. Verum audita corporis sancti Romualdi detectione, quod ad suas aures fama vulgante pervenerat, devovit se ad ejus sarcofagum cum muneribus accessurum, si crurum doloribus & hernia, quam etjam patiebatur, suis meritis liberari dignaretur. Fusis itaque hujusmodi votis meruit illico sanitatis gratiam invenire; nam & sospes ab infirmitatibus evasit, & votis satisfacere omnino non distulit.

10. Per eosdem dies ibi nobis commorantibus licuit universæ regionis populos ad eum locum confluere vel confluentes optime conspicere. Conveniebant enim tum ob reverentiam ac devotionem, quam illi gestant corpori sanctissimo, tum ob generalem præfatum, prælatorum ac monachorum cœtum maxime visendum, simul ut præfato domino generali suaderent illi monasterio esse opportune providendum. Munera pro sancti Romualdi corporis honore offerentes, ac quæ pro emenda generalis ac prælatorum gratia ad victum necessaria large & copiose impendentes. Instituit itaque præfatus dominus generalis pro religionis suæ honore, proque sanctissimi Romualdi corporis exaltatione, atque populorum consolatione, ut ibidem regularis observantiæ decus de cetero perpetuoque vigeret; simul ut melius & efficacius id fieri cerneretur, quod ibidem quinque ex sacra Camaldulensi eremo eremitæ convenirent, quos & matura ætas, & vitæ merita commendarent, quique optime regulariter vivendi normam tenentes & observantiæ initium præstarent, & ceteros ibidem viventes ad bene atque regulariter vivendum verbis & exemplis provocarent; amoverunt præterea ex eo loco monachos aliquos licentius & lascivius viventes. Quoniam autem non sine difficultate per solum abbatem in spiritualibus ac temporalibus regi ac gubernari duo illa monasteria possunt; videlicet, quod abbas ipse alterius auxilio indigeret; idcirco de consilio omnium prælatorum, necnon dictorum monachorum abbatis voluntate datus est ipsi abbati pro eo adjutor in temporalibus tamen abbas sanctæ Helenæ, qui & naturam loci, & rerum peritiam habere videretur. Nullo etiam prælatorum prorsus discrepante in eodem loco indictum est generale capitulum de mense junii, & in festo sancti Romualdi proxime futuro sollemniter celebrandum; ad quod conveniendum universis ordinis prælatis tum pro negotiis ordinis tractandis, tum pro honore illius sanctissimi corporis diligenter significatum est; data deinde per prædictum dominum generalem fuit opera, quod corpus illud Romualdi sanctissimi, quod eatenus dilatum fuerat, arctissimis custodiis traditum tegeretur, relicta tamen sibi a superiore parte ferrea crate, per quam inspici corpus eo convenientibus daretur facultas, minime autem tangi vel aliqua ex parte diminui. Decretum postremo est, ut pecuniæ ceteraque munuscula, quæ continuo ad sanctum Romualdi corpus offeruntur, in ligneo stipite aliquo vel tutiori loco recon-derentur. Et quoniam ob quorumdam malignitatem dictarum pecuniarum & munerum numerus convenire non videbantur, constitutum est, ut earum repositorium tribus clavibus concluderetur, quarum primam abbas ob dignitatem, alteram cappellanus, tertiam homines oppidi de Porcarella conservare non obmitterent. Inter cetera missus est abbas Anglariensis ad Urbem pro obtinenda non mediocri indulgentia; de qua scriptum fuit patribus reverendissimis dominis cardinalibus & in curia valde potentibus & religioni Camaldulensi apprime amicis; speratur enim per eam perpetuum ad eum locum fore hominum concursum, monachorum etiam victum non mediocriter fulciri.

11. Reverso domino rev. generali præfato ad sui ordinis monasterium, quod in Fabriano situm esse dignoscitur, crebri per eos dies amicorum conventus ad ipsum fuere, inter quos etiam quidam Baptista Nicolai filius xx. decembris humanissime, summaque cum gratia prædictum dominum generalem visitare perrexit. Habitis autem inter eos plurimis variisque sermonibus, exposuit tandem præfatus Baptista duo de multis sancti Romualdi suffragiis, quorum primum in filiam, alterum in uxorem mirabiliter ostensa meruerat per sancti Romualdi corpus licet indignus impetrare. Ejusmodi igitur primi miraculi seriem ita se habuisse professus est.

10. Nam cum filia, quæ jam octavum annum exegerat, aliquot dies gravi corporis & lateris dolore torqueretur, verebatur præfatus Baptista, ne idem sibi contingeret, quod paulo ante fratri ejusdem doloris causa morte assumpto evenisse animadverterat. Itaque statuit illam sancto Romualdo, cujus corporis detectio sibi divinitus in mentem venerat, devotissime commendare; profectusque est in ecclesiam sancti Blasii, & ante sancti Romualdi simulacrum humiliter prostratus, devovit se ad ejus corpus puellam cum cereo ad puellæ mensuram portaturum, si illis necessitatibus puellam liberare dignaretur. Fusis ejusmodi precibus plurimum fidens domum rediit, & puellam ex conjuge tunc temporis incepisse convalescere didicit. Cum cetera vota perficere credebatur, cognoverunt postmodum puellam penitus sanitati restitutam esse, neque in alias querelas prorupisse ob ejusmodi dolorem.

11. Secundi miraculi tenorem ex ore præfati Baptistæ percepimus, nam cum conjux quartanam febrem jam quatuor menses fuisset experta, quodam die in tale incidit corporis detrimentum ac sensuum declinationem, ut ab omnibus crederetur

deretur illum diem sibi novissimum duxisse. Obstructis enim sibi plangore obtutibus, incensis funalibus crucisque signaculis illi adhibitis, animam sine mora e corpore exhalare timebant. Verum præfatus Baptista prioris gratiæ a sancto Romualdo pro filia susceptæ non immemor statuit iterum tentare clementiam. Profectus itaque in antedictam ecclesiam sancti Blasii & ante prædictum sancti Romualdi simulacrum provolutus conjugem devovit, tumulum cum cereo ad suæ uxoris corporis mensuram deportare, si illam tali languore per ejus merita contingeret liberari. Peractis hujusmodi votis subito domum petens uxorem offendit leviorem ab infirmitate redditam fuisse, postmodum vero cognovit febrem paulatim e suo corpore migrasse, sibique sanitatem esse per sanctum Romualdum optime restitutam.

12. Existentibus nobis in monasterio Vallis-castri in ipsis Missarum sollemniis venerunt agricolæ aliqui cereum puerulum ad sancti Romualdi corpus devote offerentes, exponentesque egregium signum per ejus sancti Romualdi merita in quadam puerpera paulo ante expertum; quod quia videtur memoria dignum, nullo modo præterire silentio volui. Ajebant namque mulierem pariendi difficultate diu cruciatam maturum partum aperire nullo prorsus posse, Medicos autem ejus salutem omnino desperare, ex eo quod puerulum in ventre matris mortuum fuisse suspicabantur. Mulier vero corporis & animi dolore correpta devovit se ad sanctum Romualdi corpus cereum portaturum puerulum, si ejus meritis talibus eximi incommoditatibus mereretur. Mirabilis Deus in Sanctis suis; visa sibi protinus est mulier tota convalescere. Puerum etiam sensit mirabiliter reviviscentem in suum ventris locum illico reverti. Edens paulo post mulier puerum partu una cum dolore levata, & dictum sancti Romualdi corpus sibi adjumentum fuisse testata est.

13. Die XVII. januarii accessit domnus Bernardus de Arretio prior sanctæ Mariæ de Serra Massaccii pro quibusdam suis negotiis componendis ad rev. domnum Mariottum præfatum, qui tunc temporis in castro Socii se continebat, qui inter cetera tria potissimum de sancti Romualdi miraculis nobis adstantibus diligentissime retulit, quemadmodum videlicet ejus frater continuo sanguinis fluxu graviter detentus, meritis sancti Romualdi, cui se plurimum commendavit, meruerat sanitatis gratiam recipere.

14. Et item didicerat ex confessione cujusdam, qui admodum diutius hernii languore gravatus fuerat, per sanctum Romualdum, cui se devotissime commendaverat, a morbo illo liberari obtinuerat.

15. Postremo exposuit præfatus prior, quemadmodum agricolæ cuidam ad excidenda ligna foris egresso contigerat super ejus pectus arborem, quam incidebat, fuisse prolapsam, & alterius arboris stipitem agricolam valde opprimere; & quemadmodum agricola inde se eximeret ignarus, commendavit se Romualdo, a quo protinus a periculo evadens gratiam recipere impetravit. *Finis*.

Hæc & alia miracula fecit sanctus Romualdus, quæ loco & tempore describentur.

Ego Johannes Juliani a Laterino notarius & scriba rev. domni Mariotti generalis præfati prædictis omnibus una interfui, eaque rogatus componere composui.

Et ego domnus Maurus ipsa copiavi ex suo proprio originali &c.

Sequenti anno habuimus alia infrascripta miracula, scilicet anno M.CCCC.LXVIII.

Ex eodem codice pag. 201.

Scripturus sum deinceps quædam sancti Romualdi miracula, quæ domnus Franciscus Hispanus, dum in monasterio Vallis-castri per sex menses observantissime vixit, & sancti Romualdi corpori quotidie devotissime assistebat, ab his, qui experti fuerant, quique varia ob acceptam gratiam offerebant munuscula, propriis auribus audivit, mihique coram & scripto diligentissime reseravit.

1. Guillielmus Jacobi de Vercellis, qui nunc apud Serram sancti Quirici Camerinensis diœcesis vitam ducit, illum dolorem duobus ferme annis fuerat expertus, sed advocato sancti Romualdi præsidio ejus meritis liberatus est.

2. Margarita Marci uxor de Gengha capitis dolorem quatuor annis passa, emisso ad sanctum Romualdum voto, sanitatem recipere meruit.

3. Marcus Matthæi filius ex oppido Genghæ oriundus sinistri brachii dolore ac tumefactione per quindecim dies acriter correptus facto voto incolumis evasit.

4. Catharina Cicuzzi filia de Sancto-Severino in partu semiviva edita, cum jam de ejus vita cuncti desperarent, fuissetque quindecim diebus eo modo maximo cum omnium mœrore educata, implorato demum sancti Romualdi auxilio ejus gratia incolumitati donata est.

5. Johannes ejus frater febris languore vehe-

vehementique per diem vomitu vexatus fusis sancto Romualdo precibus liber redditus est.

6. Principella Angeli filia de Retorso, quæ nunc apud Sanctum-Paulum Æsini comitatus vitam trahit, adeo vermibus cruciabatur, ut ab omnibus sibi quælibet dies putaretur ultima illucere; verum cum commendaretur sancto Romualdo, protinus est valetudini restituta.

7. Paulina Alexii uxor de Porcarella cum præsentibus quatuor mulieribus mortuam puellam pareret, & acri dolore mœsta ipsam sancto Romualdo devoveret, statim meruit vivificentem filiam ejus sanitatem suscipere.

8. Contadina Millardi uxor de Porcarella anno & eo plus capitis dolore percussa facto voto paulo post libera de infirmitate surrexit.

9. Petrus Dominici de Frontale per octo dies adeo capitis dolore laboravit, ut cuncti moriturum existimarent; verum cum nihil alimenti præ languore suscipere valeret, meritis sancti Romualdi confisus illico convaluit.

10. Antonius Johannis de Belvedere Nucerinæ diœcesis cunctis diebus Lunæ per sex annos dolore & fantasiis capitis adeo vehementer cruciatus fuerat, ut vereretur in insaniam proficisci; sed sancti Romualdi gratia superveniente, cui se devotissime commendavit, sanus abscessit.

11. Rosa Beccarini de Porcarella ejus dexteræ digitis curvatis & in rigorem versis per duos annos nec nere, nec quidquam facere ea manu unquam potuit; cum autem vesperi se sancto Romualdo devoveret, postridie de mane dexteræ valitudinem meruit recuperare.

12. Magdalena Cassini uxor de Fabriani oppido per quinque annos capitis dolore percussa sæpe in terram prosternebatur, verum se sancto Romualdo commendans, illico sospitati donata est.

13. Confortina Stephani uxor de Fabriano oculorum langore detenta uno anno parum vel nihil videre potuit; cum vero sancto Romualdo preces devotissime funderet, illico dolor omnis aufugit.

14. Francisca Jacobi uxor de castello Gabillino Æsinæ diœcesis tres dies continuos acri dentium dolore correpta facto voto statim liberata est.

15. Jacobus ejus vir febrem ac dolorem capitis ac stomachi per quatuor continuos dies passus meritis sancti Romualdi, cui se devovit, sublato omni dolore de lecto surgere non distulit.

16. Matthæus Andreæ de Mathelica, nunc cum Roberto comite Retorsii Camerinæ diœcesis moram trahens, renum dolore ita acriter premebatur, ut per seipsum sex diebus numquam moveri sineretur, facto autem voto prorsus omnis dolor abiit.

17. Magdalena Antonii filia de castro Apiri quatuor diebus febre non mediocri gravata emisso voto sanitati illico est restituta.

18. Laurentius ejus frater cum maxima quateretur ægritudine, precesque per octo dies sancto Romualdo direxisset, protinus ejus meritis sanatus est.

19. Bernardus natus de Cola, qui nunc apud Apirum castrum degit, cum laboraret maximis doloribus, febreque non modica & ejulatu, implorato sancti Romualdi auxilio valetudini redditur.

20. Catharina Corbellæ uxor Serram Comitis incolens meritis sancti Romualdi liberari a capitis dolore meruit, quem circiter annos quindecim continuo passa fuerat.

21. Honuphriæ eorum filiæ eodem modo sanari ab armorum dolore contigit, quem per octo menses numquam a se fugare valuerat.

22. Gregorius de Comitis Serra quindecim annis dentium dolore percussus meruit tandem apud sanctum Romualdum sui finem invenire mœroris.

23. Guillardus Antonii eodem loco oriundus cum dextri ilii, sinistrique genu dolore vexaretur, post tres annos meruit sancti Romualdi gratia interveniente incolumis confestim evadere.

24. Salvestrella Anastasii filia de Sancto-severino febre urebatur, & meritis sancti Romualdi liberata fuit.

25. Helena magistri Nicolai uxor uberum dolore meritis sancti Romualdi liberata est.

26. Patrignani Fabrianensis filius cum esset herniosus, incolumis per sanctum Romualdum factus est.

27. Venantii Fabrianensis filia capitis dolore cruciata sancti Romualdi auxilio convaluit.

28. Antonius Petri filius de Fabriano, dum continua febre ureretur, statim post sex menses invocato sancti Romualdi præsidio sanitatem recepit.

29. Mathia Antonii uxor de Ficano assiduam febrem per duos menses passa meritis sancti Romualdi omni malo meruit emundari.

30. Johanni de Bruschinis diu fuit simultas & mortale odium cum Morico & ejus filio, adeo ut pluries ad arma descenderent, facto tandem a memorato Johanne

ne voto meritis sancti Romualdi in pace redacta sunt omnia.

31. Bartholomæus Johannis Tinti visus defectu non mediocriter laborans, implorato sancti Romualdi auxilio liberatus est.

32. Johannes domini Pauli equestris ordinis viri de Fabriano filius vi febrium duobus mensibus non parum laboravit, sed sancti Romualdi gratia interveniente, cui se devovit, pristinum meruit suscipere statum, sicuti & pater ejus antea meruerat.

33. Marianus Bastiani filius de castro sanctæ Mariæ Camerini comitatus pedes suos ad nates miserabile visu recurvos, ipsosque contractos nullo modo per octo menses umquam extendere potuit; postquam vero se sancto Romualdo commendavit, votisque se annexuit, statim rigor omnis abscessit, & officio pedum fungi optime meruit.

34. Antonius Andreæ de Cerreto capitis & dextri brachii dolore implicitus post quinque annos gratia sancti Romualdi intercedente liberatur.

35. Bene Thomæ de Serra sancti Quirici vi febrium duobus diebus & tribus noctibus cruciatus sancti Romualdi præsidio sospitati donatur.

36. Sanctes Philippi filius de Serra Sancti-Quirici sancti Romualdi meritis ab hernia liberatur.

37. Marinus Gabrielis filius de Serra sancti Quirici per octo dies febre cruciatus, fascinationibusque implicitus per sanctum Romualdum sanus evasit.

38. Magdalena Natalis uxor de Ficani oppido variis doloribus correpta meritis sancti Romualdi liberatur.

39. Antonius Corsini de Caraglis, qui Apiri degit, vi febrium octo diebus adustus & venenosis morsibus exagitatus, meritis sancti Romualdi incolumitati redditur.

40. Franciscus Bastiani de Fabriano in iliis gladio confossus, per sanctum Romualdum statim convaluit.

41. Marcuzza Petri uxor de Mathelica capitis & pectoris dolore quinque annis adusta sancto Romualdo cooperante liberari meruit.

42. Bernardina Marci filia de Percichie vi febris post mensem meritis sancti Romualdi liberatur.

43. Catherina Bartholomæi uxor de Belvedere duos annos vel circa capitis dolore cruciata, & per tres menses corporis fragilitatem experta meruit tandem sancto Romualdo cooperante languoris metam contingere.

44. Bartholomæa Ilarii filia de Belvedere capitis & dentium per mensem dolore detenta sancti Romualdi meritis finem meruit suorum recipere laborum.

45. Frater Bartholomæus Guasparis de Fabriano Tibeructii nepos febris mœrorem per quindecim dies passus sancti Romualdi auxilio invocato libertati donatur.

46. Gentilina Guasparis uxor de Buso erat adeo dolore vexata, ut medici suam desperarent salutem, nullumque & congruum scirent adhibere remedium, verum sancto Romualdo post dies quindecim se commendans protinus valitudinem recuperavit.

47. Baldina Pauli filia de oppido Genghæ per quædam loca declivia præceps revoluta, & a cunctis exanimis credita, meritis sancti Romualdi, cui se devote commendavit, illæsa permansit.

48. Bernardinus Bartholi de Comitis Serra per duos annos ilium & femorum dolore correptus sancto Romualdo interveniente languoris convalescentiam recipere meruit.

49. Georgius Johannis de Barbara diœcesis Senogalliæ sinistri cruris dolore cruciatus post unum annum se sancto Romualdo commendans liberatus protinus est.

50. Lisa Cecchi filia de Comitis Serra a dolore capitis intercedente sancto Romualdo liberatur.

51. Mea Floris uxor de Albacina a surditate & gutta per sanctum Romualdum liberata est.

52. Bernardinus ejus filius liber per sanctum Romualdum a puncta evasit.

53. Nicolosa Colæ uxor de Albacina de pavimento prolapsa a pedum languore semianimis relicta statim per sanctum Romualdum sanitati restituitur.

54. Guaspar Jacobi de Roccacontrada per unum diem febris languore & anhelitus maximi emissione gravatus meritis sancti Romualdi statim liberatur.

55. Catharina Quirici uxor de Serra sancti Quirici & ejus filia nomine Marina febre atque morbo laborantes meritis sancti Romualdi liberatæ sunt.

56. Dominus Petrus-Benedictus Johannis de Mathelica presbyter castri Serralti, Johannes Chiodii, Sabbatinus Dominici de Serralto, Sobrinus Boni & Johannes Thomasii penitus & uno ore testati sunt, quod populus & commune dicti Serralti morbo vehementi laborabant, cum autem votis factis se sancto Romualdo commendarent, confestim pestis omnis aufugit, infirmi omnes liberati sunt, & reliqui morbi ultra contingere non sunt ausi.

57.

57. Cypriani Ciani filia de Cingolis infirmitate & crurum doloribus oppressa, adeout per se nullo modo moveri posset, per sanctum Romualdum incolumis redditur.

58. Cleofa Sperandini de Æsio per mensem febre correpta per sanctum Romualdum liberatur.

59. Francisca ejus mater octo diebus febre laborans eodem modo convaluit.

60. Julianus Tarici de Cingolis per diem a febre, tremore & loquelæ amissione invasus sancti Romualdi gratia cum veluti mortuus putaretur, valetudinem recepit.

61. Constantinus Johannis Bartholucii de Ficano per mensem assidua febre & frigida & ferventi vexatus sancti Romualdi præsidio incolumitati restituitur.

62. Margarita Franchini facto sancto Romualdo voto a morbo liberatur.

63. Marietta Johannis de Fabriano emisso voto vi nauseæ liberatur.

64. Mariana Bartholi filia quinque mensibus continua febre vexata per sancti Romualdi corpus integritatem accepit.

65. Bella Antonii uxor de Cingolis manibus contracta facto voto sancti Romualdi auxilio liberatur.

66. Urbana Barnabæ uxor de Cerreto octo dies dextri pedis dolore adusta, ut per se moveri non posset, emisso voto ad sanctum Romualdum libera fit.

67. Dominicus Guasparis filius cum febris morbum & capitis dolorem pateretur emisso voto statim sancti Romualdi meritis sanatus est.

68. Antonella Thomæ uxor de Ficano pluribus doloribus cruciata per sanctum Romualdum omni languore sublato convaluit.

69. Antonius Nicolai filius de Ficano facto voto a puncta liberatur mortifera, & a vi febris, ob quam medici suam desperabant salutem.

70. Cecius Thomæ de Fabriano a mortifera puncta & febre invasus per sanctum Romualdum liberatur.

71. Thomas ejus filius emisso per patrem voto etiam a febre liberatur.

72. Jacobus Francisci de Gualdo duobus mensibus vi febris impulsus, cum ejus frater se votis adstringeret, continuo sancti Romualdi gratia a lecto surrexit incolumis.

73. Evangelista Dionysii uxor de Eugubio pedum teterrima fistula detenta, ut pergere non posset, facto voto sancti Romualdi præsidio liberatur.

74. Johannes-baptista & ejus frater Heliæ filii de Podio-Cupo vi febris laborantes emisso voto per patrem sancto Romualdo cooperante liberati sunt.

75. Johanna Bartholi uxor de Pioraco Camerinæ diœcesis triginta ferme annos caduco morbo vexata meruit tandem sancti Romualdi meritis finem sui recipere laboris.

76. Bernardina Johannis filia crurum dolore percussa, ut ambulare minime posset, implorato sancti Romualdi auxilio libera redditur.

77. Franciscus Sanctis filius de Cingolis etiam a febre convaluit, sancti Romualdi auxilio implorato.

78. Blasius Marini de Cingolis etiam a febre sancti Romualdi meritis liberatur.

79. Bellaflora Antonii de Apiro vi febris & vermibus vexata fusis precibus sancto Romualdo incolumitati donatur.

80. Nicolas Clementis de Apiro a mortifera puncta & febre sancto Romualdo interveniente liberatur.

81. Magister Antonius Romani filius Podium Cupi Æsinæ diœcesis incolens facto sancto Romualdo voto febris mœrore sanatur.

82. Angela Johannis Petri de Retorso defuncto conjuge tam ipsa, quam reliqui de sua domo morbo correpti sunt, & sancto Romualdo intercedente liberati.

83. Victoria Ruberti uxor utrum in utero filium concepisset ambigua, sancti Romualdi gratia, quod prægnans esset, est reddita certior.

84. Albergatinus de Fabriano emisso voto ad sanctum Romualdum iliaca passione liberatur.

85. Dominicus Petri de Ficano facto per patrem voto vi febris sanatur, quam per quindecim dies continuo passus fuerat.

86. Marcus de Apiro in die sancti Romualdi cum esset in carceribus vinculis ferreis compeditus, vovens se beatissimo Romualdo, confestim die præfata ruptis ferreis vinculis reseratis januis illæsus evasit, vinculaque secum attulisset, ni timor ei, ne caperetur, obstitisset. Altera autem vice jam ferme elapso anno morbus quidam sibi apparuit in gutture; cum vero se sancto Romualdo commendavit, protinus liberatus est.

87. Constantinus Marcellini de Fabriano cum biennio ulcere laboraret, nullumque inveniret medicum, qui auderet vulneri mederi, tandem apparuit ei Romualdus beatissimus, qui ait: Facias ulcus incidi. Et cum nullus vellet illius curam suscipere, invento denique uno cirusico incisum est, unde statim aqua prosiliit, & liberatus est.

88. Johannes Thomasi de villa Serrani districtus Sancti-Severini habebat filium

Mel-

Melchiorem nomine , qui biduo neque bibit, neque manducavit . Cum autem Romualdi nomen invocavit, illico omni languore levatus est.

89. Antoniuccia de castro Sancti-Angeli diu capitis dolore detenta per sanctum Romualdum liberata est.

90. Lucas Severini de villa Vallis districtus Fabriani habens filium nomine Marcum febrium & dentium dolore infirmum, invocavit sanctum Romualdum, & incolumitati redditus est.

91. Angelus de Fabriano habens filium tres annos natum jam in gutture morbo languentem, per sanctum Romualdum statim meruit ipsum suscipere incolumem.

92. Johanna de Apiro habebat filiam jam morientem, & facto voto liberata est filia.

93. Georgio Johannis-pauli biennis filius est, quem in oculo scorpio momordit, facto autem voto languor omnis de oculo abiit.

94. Antonia Michaelis habebat filium in gutture jam peste tumidum, facto voto ad sanctum Romualdum sanitati filius ejus restitutus est.

95. Petrus Antonii habebat filium biennem, qui per scalam cecidit, facto voto ad sanctum Romualdum illæsus puer evasit.

96. Maffia de castello Plani patiebatur dolorem oculorum, & facto voto liberata est.

97. Pastuitia puncta mortifera læsa confestim per sanctum Romualdum sanata est.

98. Christophorus puer corporeo invasus morbo illico sancti Romualdi gratia liberatur.

99. Mathia mulier per viginti-quinque annos matricino dolore confecta, tandem meruit per sanctum Romualdum liberari.

100. Bellaflora capitis dolore laborans sancti Romualdi auxilio implorato sospes erigitur.

101. Magdalena biennio febre detenta confestim per sanctum Romualdum convaluit.

102. Agnesina adolescentula pectoris dolore cruciata sancti Romualdi gratia valetudinem recuperavit.

103. Flora pectoris dolore laborans sancti Romualdi præsidio convalescentiam recipere meruit.

104. Bartholomæa mulier patiebatur in uberibus, & confestim per sanctum Romualdum liberata est.

105. Matthæa laborabat in partu, & sancto Romualdo interveniente partu levata est.

106. Rosa lac in ubere non habebat, sed invocato sancto Romualdo restitutum est lac.

107. Petruccius quidam nomine de curia sancti Donati districtus Fabriani habens bovem non manducantem, adeo quod de vita ejus de cetero non sperabatur, invocavit sancti Romualdi nomen, & confestim convaluit bos.

108. Maria filia Elisabeth de Serra sancti Quirici habens filiam nomine Mariam tumido brachio laborantem, se sancto Romualdo votis adstrinxit, & tumor omnis est de brachio expulsus.

109. Benedictus Baptistæ de Cerreto habebat nepotem morbo caduco laborantem, facto autem ad sanctum Romualdum voto libertati nepos redditus est.

110. Domina Sibillia Johannis uxor de Domo habens quemdam suum nepotem, qui casu misit manum in ferventem caldarii aquam, ut ferme combureretur, genibus flexis oravit sanctum Romualdum, & se votis annexuit, ut si puer liberaretur, offerret ad ejus tumulum manum ceream, illico autem emisso voto omni malo puer emundatus est.

LXXIX.

Paulus II. scribit episcopo Paduano & abbati de Carceribus, ut ecclesiam S. Mariæ Athestis concedant fratribus Prædicatoribus domus de Este.

Anno 1469. III. nonas julii.

Ex apographo in archivo S. Michaelis de Muriano.

PAulus episcopus servus servorum Dei ven. fratri nostro.. episcopo Paduano, & dilecto filio .. abbati monasterii sancte Marie de Carceribus Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus, quam dilecti filii universitates & homines Vallanconi, & Brisige, ac Palugane, & Hospitalis villarum Paduane diocesis ad nos & Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut eorum preces presertim, per quas cum animarum salute divini cultus augmentum succedere, & religiosorum commoditati consuli valeat, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Sane pro parte universitatum & hominum predictorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi zelo devotionis accensi, quamdam ecclesiam in honorem sancte Marie in loco dicto Athestis nuncupato dicte diocesis propriis sumptibus & labo-

laboribus de novo a fundamentis conſtruxerunt & edificarunt; quam quidem eccleſiam priori & fratribus domus de Eſte ordinis fratrum Predicatorum dicte dioceſis, ut per eos in illa divina officia debite celebrentur, concedi, & dicte domui applicari ſumme deſiderant. Quare pro parte univerſitatum & hominum predictorum aſſerentium dictam eccleſiam nullos vel paucos certos redditus habere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſam eccleſiam priori & fratribus predictis per eos tenendam & gubernandam concedi, dicteque domui applicari mandare, ac alias ſuper his opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi eſt ita, & ad hoc univerſitatum & hominum predictorum aſſenſus acceſſerit, eamdem eccleſiam cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis priori & fratribus dicte domus preſentibus & futuris per eos perpetuo tenendam & gubernandam, abſque tamen alicujus prejudicio, auctoritate noſtra concedatis, illamque dicte domui, itaut illius membrum ſit, perpetuo applicetis, & approprietis, ac priori & fratribus predictis, ut ipſam eccleſiam, ſi eis per vos vigore preſentium concedatur, dicteque domui applicetur, ut prefertur, recipere & perpetuo tenere & gubernare, illamque cum aliquibus officinis ampliare & augmentare libere & licite valeant, eadem auctoritate licentiam largiamini, jure parochialis eccleſie & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus literis felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predeceſſoris noſtri prohibentis, ne fratres ordinum Mendicantium in aliqua civitate, villa vel caſtro, aut alio loco quocumque ad inhabitandum domos vel loca quecumque de novo recipere, vel hactenus recepta mutare preſumant, abſque ſedis apoſtolice licentia ſpeciali faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, aliiſque inſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Rome apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXVIIII. tertio nonas julii pontificatus noſtri anno V.

B. Capotius.

LXXX.

Michael abbas Vallis-caſtri molitur aggregare ſuum monaſterium congregationi S. Juſtinæ de Padua.

Anno 1470. III. junii.

Ex libro B. p. 68. archivi S. Petri de Peruſio.

IN Dei nomine, amen. Anno domini M. CCCC. LXX. indictione III. tempore Pauli pape II. die III. junii actum Peruſii in domibus habitationis eximii utriuſque juris doctoris domini Balionis Ugolini de nobilibus de Monte-ubiano de Peruſio ſitis in porta ſancti Petri parochie ſancti Iſidori, preſentibus Bartholomeo Antonelli chalzolario porte ſancti Petri de Peruſio, & Baldo Stefani de caſtro Abadiccole comitatus Peruſii porte ſancti Petri teſtibus ad infraſcripta vocatis, habitis, rogatis.

Egregii viri ſer Johannes ſer Guaſparis & Baptiſta Nicolai de Fabriano, ut procuratores rev. patris domni Michaelis abbatis monaſterii ſancti Romualdi Vallis-caſtri & ſancti Blaxii de Fabriano, habentes ad infraſcripta plenum & ſufficiens mandatum manu ſer Guaſparis Stelluti de Fabriano, ſcripto preſenti milleſimo, & die XXVI. menſis aprilis ad omnia infraſcripta peragenda, prout patere vidi & legi, cujus quidem mandati tenor talis eſt; videlicet.

In Dei nomine, amen. Sub anno Domini M. CCCC. LXX. indictione III. tempore domini Pauli divina providentia pape II. die XXVI. menſis aprilis, actum in terra Fabriani in domo ipſius domini Auguſtini, que domus ſita eſt in dicta terra Fabriani juxta Venantium Nicolai Antonii de Fabriano, & vias publicas a duobus lateribus, & alia latera, preſentibus eximio legum doctore domino Auguſtino de Savinis, & nobili artium & medicine doctore Martino de Stellutiis de Fabriano, & domino Lariano Guiglielmi teſtibus habitis & vocatis. Reverend. pater domnus Michael abbas monaſterii ſancti Romaldi Vallis-caſtri & ſancti Blaxii de Fabriano invicem unitorum, cupiens ſummopere, quod hec duo monaſteria invicem unita de regulari vita & obſervantia reformentur, & uniantur una cum membris ſuis, que nunc poſſident, & alia membra, que erant dictorum monaſteriorum, & fuerunt jam preciſa & ſeparata tam per apoſtolicam ſedem, quam per epiſcopos, redeant ad eorum capita, a quibus fuerunt preciſa. Que qui-

quidem membra sunt in pluribus diocesibus, videlicet Camerina, Nucerina, Perusina, Spoletina, Firmana, Rachanatensi, Auximana & Senogalliensi, quorum nomina habentur hic pro expressis, omni meliori modo, & forma, quibus melius potest, constituit suos procuratores in solidum ser Johannem ser Guasparis, & Baptistam Nicolai de Fabriano cum potestate substituendi unum vel duos in curia Romana ad reassignanda dicta monasteria, & si opus fuerit in manibus sanctissimi patris domini Pauli pape II. & ad acceptandam supplicationem signatam per summum pontificem hac dumtaxat conditione, quod prefata duo monasteria una cum membris suis unitis & precisis, & cum omnibus juribus & pertinentiis suis uniantur & incorporentur ordini sancte Justine cum omnibus clausulis opportunis in dicta unione fienda, & quod tam abbas, quam monachi dictorum monasteriorum, qui nunc sunt, possint & debeant eumdem ordinem sancte Justine profiteri, & habitum regularem ejusdem ordinis assumere & gestare, & ibi perpetuo remanere juxta ritum & consuetudinem ordinis sancte Justine antedicte; alioquin si dicta unio non fieret, non intelligatur resignationem locum habere.

Et ego Gaspar Stellutii Andree de Fabriano publicus imperiali auctoritate notarius predictis omnibus & singulis interfui, & ea rogatus scribere scripsi & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

Qui quidem ser Johannes & Baptista procuratores predicti volentes alios loco ipsorum vigore contentorum in presenti eorum mandato substituere, idcirco omni meliori modo, via, jure & forma, quibus melius potuerunt, loco ipsorum & cujuslibet eorum substituerunt rev. patres domnum Justinum . . . . de Feltro priorem sancti Petri in Glassiate de Mediolano, necnon presidentem monachorum observantie ordinis sancti Benedicti unionis sancte Justine de Padua, & domnum Severinum de Bitonto abbatem sancte Justine de Padua absentes tamquam presentes, & utrumque ipsorum in solidum, & quod per unum ipsorum inceptum fuerit, per alium possit & valeat mediari, finiri & terminari. Ita quod occupantis conditio potior non existat, quibus dederit & concesserit omnem eorum auctoritatem & arbitrium contentum in dictorum eorum mandato, tamen ipso semper firmo remanente; rogantes me notarium infrascriptum, ut de predictis publicum conficiam instrumentum.

Et Ego Lucas &c. Augustini Luce &c. not. &c.

LXXXI.

Delegat Sixtus IV. abbatem S. Michaelis Pisarum, ut examinet conventionem initam inter abbatem S. Pauli & quosdam laicos.

Anno 1471. XVII. februarii.

Ex apographo olim penes canonicum Abrahamium.

SIxtus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. abbati monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, & Bartholomeo Benedicti de Lambardis canonico Pisano salutem & apostolicam benedictionem. Ad ea, per que ecclesiarum & monasteriorum quorumlibet indemnitati & utilitati consulitur, libenter intendimus, & ea propterea processisse comperimus, ut debito mancipentur effectui, nostre sollicitudinis partes, cum a nobis petitur, efficaciter interponimus. Dudum siquidem a felicis recordationis Paulo papa II. predecessore nostro emanarunt litere tenoris subsequentis. PAULUS episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus judiciis sit rectitudo justitie & conscientie puritas observanda, id multo magis in commissionibus alienationum rerum ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de Christi patrimonio & dispensatione pauperum, non de proprio cujusque peculio agitur aut tractatur. Quapropter oportet, ut in examinandis hujusmodi alienationum causis, que a sede apostolica in forma, si in evidentem utilitatem cedant, oneratis ecclesiasticorum judicum conscientiis delegantur, nihil favor usurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio premii justitiam conscientiamque subvertat. Monemus igitur & sub interminatione divini judicii omnibus commissariis & delegatis hujusmodi districte precipimus, ut caute & diligenter attendant causas in literis apostolicis per supplicantes expressas, illasque sollicite examinent atque discutiant, testes & probationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum pre oculis habentes, omni timore aut favore deposito ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in lesionem aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant. Si quis autem commissarius aut delegatus conscientie sue prodigus in gravamen aut detrimentum ecclesie per gratiam, vel timorem alienationi consenserit, aut decretum vel authoritatem interposuerit,

inferior quidem episcopo sententiam excommunicationis incurrat, episcopus vero aut superior ab executione officii per annum noverit se suspensum, ad extimationem detrimenti ecclesie illati nihilominus condemnando, sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a quo nonnisi per summum pontificem poterit liberari; is vero, qui dolo vel fraude, aut scienter in detrimentum ecclesiarum alienationem fieri procuraverit, aut alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurrat, a qua nonnisi per Romanum pontificem possit absolvi; ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus, quandocumque de premissis constiterit, condemnandus. Volumus autem, quod delegati & commissarii predicti de penis constitutionis nostre specifice moneantur, & in quibuscumque literis commissionum hujusmodi hoc statutum nostrum inseratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre monitionis, preceptionis & voluntatis infringere *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXV. quinto idus maji pontificatus nostri anno primo. Et deinde sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Miniatis abbatis monasterii sancti Pauli ad Ripam Arni ordinis Vallis-umbrose, ac Gerardi & Francisci, necnon Johannis Sani Gerardi fratrum laicorum Pisanorum petitio continebat, orta dudum inter Miniatem abbatem, & prefatum Sani Gerardi dictorum fratrum genitorem, suo & filiorum suorum predictorum nominibus agentem super quatuor petiis terrarum in dictis partibus consistentium & ad monasterium predictum legitime spectantium & pertinentium, dudum antea per predecessores dicti Miniatis abbatis ipsius monasterii abbates, qui fuerunt pro tempore, eidem Sano pro se filiisque suis predictis sub certo tunc expresso annuo censu sive canone locatis materia questionis, tandem Minias abbas licentia super hoc a dilecto filio Francisco abbate monasterii Vallis-umbrose generali ministro dicti ordinis habita, ac Sanus & ejus filii prefati cupientes evitare litium anfractus super dictis petiis terrarum, & eorum juribus, in certos arbitros & arbitratores alias ad hoc idoneos de jure tantum compromiserunt, qui quidem arbitri seu arbitratores provide attendentes, quod prefatus Sanus per industriam & diligentiam filiorum suorum hujusmodi dictas petias terrarum plurimum melioraverat, & quod alias & illis omnibus due libre cere pro annuo censu tantummodo percipi consueverant, hodie vero tredecim libre monete Florentine percipiebantur annuatim, quod prefatus Minias abbas tres ex dictis quatuor petiis terrarum Gerardo & Francisco ac Johanni fratribus predictis ad eorum & cujuslibet ipsorum ac filiorum ex eis tam procreatorum, quam procreandorum vitam sub certo annuo censu sive canone ibi expresso locare, necnon quamdam aliam petiam terre in dictis partibus consistentem, & similiter ad monasterium sancti Pauli predictum spectantem eisdem Gerardo & Francisco ac Johanni vendere & alienare pro pretio convenienti & honesto deberet & teneretur, dummodo pretium ipsum apud idoneam & sufficientem personam in emptionem aliorum bonorum immobilium pro dicto monasterio sancti Pauli magis utilium deponeretur, & in premissis omnibus apostolice sedis auctoritas interveniret per suum laudum, quod tam a Miniate abbate, quam a Sano & filiis ejus prefatis hinc inde receptum & emologatum extitit, pronuntiarunt, prout in laudo seu certis instrumentis publicis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, premissa omnia cedant in evidentem utilitatem dicti monasterii sancti Pauli, pro parte tam Miniatis abbatis, quam fratrum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut laudo hujusmodi, ac omnibus & singulis in eo contentis id concernentibus pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere, ac alias ipsis & eorum cuilibet ac dicti monasterii sancti Pauli statui salubriter consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam notitiam non habemus, situm, valorem & qualitates dictarum petiarum terrarum per eorum vera vocabula & confines, necnon laudi & aliorum premissorum tenores presentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos conjunctim, servatis forma & tenore literarum Pauli predecessoris hujusmodi procedentes, si vocatis dicto Sano & aliis, qui fuerint evocandi, de premissis, & quod locatio & venditio de petiis terrarum hujusmodi facienda in evidentem dicti monasterii sancti Pauli cedant utilitatem, vobis legitime constiterit, & ad id dilectorum filiorum conventus ipsius monasterii sancti Pauli expressus accedat assensus, laudum ipsum cum suppletione

om-

omnium & singulorum defectuum, si qui forsan intervenerint in eodem, auctoritate nostra confirmare & approbare, & nihilominus pro potiori premissorum cautela eidem Miniati abbati, quod tres ad vitam premissorum fratrum & eorum filiorum procreatorum, & ex legitimis matrimoniis procreandorum in emphiteosim vel alias locare, & quartam petiam terrarum hujusmodi dictis fratribus pro pretio convenienti & honesto vendere & alienare in evidentem utilitatem dicti monasterii sancti Pauli libere & finite possit & valeat, dicta auctoritate nostra licentiam elargiri curetis. Non obstantibus constitutionibus *&c.* Volumus autem, quod pretium ex venditione quarte petie terre hujusmodi proveniens penes aliquem mercatorem idoneum fide & facultate sufficientem in emptionem aliorum bonorum immobilium & dicto monasterio sancti Pauli magis utilium, ut prefertur, & non in alios usus convertendum deponatur. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXI. decimo-septimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

LXXXII.

Sixtus IV. confirmat monasterio S. Petri de Luco ecclesias S. Georgii & S. Nicolai de Luco.

Ex archivo Luci I. n. 36.

Anno 1473. pridie kalendas Maji.

SIxtus episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati monasterii sancti Felicis Florentie salutem & apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis pastoralis officii debito personas religionis voto & omnipotentis Dei obsequio perpetuo dedicatas, quantum cum Deo possumus, preservamus a noxiis, & eorum necessitatibus libenter occurrimus opportunis. Sane pro parte in Christo filiarum dilectarum abbatisse & conventus sancti Petri de Luco Camaldulensis ordinis Florentine diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipse a tanto tempore, de cujus initio memoria hominum non exsistit, sancti Georgii & sancti Nicolai Luci & diocesis predicte parochiales ecclesias tamquam eidem monasterio, cui propinque existunt, unitas & annexas & incorporatas possederunt, illis in divinis deservire faciendo, & earum onera perferendo, ac fructus, redditus, & proventus percipiendo, & in suos & monasterii hujusmodi usus & utilitatem convertendo, quia de aliqua earumdem ecclesiarum unione, annexione & incorporatione ob temporis diuturnitatem aliter docere nequeant, & dubitent ab improbis exquirentibus lites super eisdem ecclesiis molestari tempore procedenti (sicut de facto molestate sunt) & futuro. Quare pro parte abbatisse & conventus predictorum asserentium, quod monasterium octuaginta & ecclesie predicte viginti-quatuor Florenorum auri de camera fructus, redditus & proventus secundum communem estimationem valorem annuum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandos improbos motus, easdem ecclesias prefato monasterio perpetuo unire, annectere & incorporare, & alias eis & dicto monasterio in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, ac veros & ultimos dictarum ecclesiarum vacationum modos presentes pro expressis habere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si & postquam vocatis, quorum interest, de premissis tibi legitime constiterit, ecclesias predictas quomodocumque vacent, cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio auctoritate nostra perpetuo unias, annectas, incorpores, ita quod liceat eisdem abbatisse & conventui per se vel alium seu alios ecclesiarum, jurium que & pertinentiarum predictarum corporalem possessionem auctoritate propria libere apprehendere, & illarum fructus, redditus & proventus in suos & dicti monasterii usus & utilitatem convertere, & perpetuo retinere, diocesani loci vel alicujus alterius licentia super hoc minime requisita, non obstantibus constitutionibus *&c.*

Datum Rome apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio pridie kalendas maii pontificatus nostri anno secundo.

LXXXIII.

LXXXIII.

Nicolaus Tronus dux Venetiarum committit, ut monachi Montis-crucum & B. Antonii Peregrini de Padua habere queant saltarios contra molestantes eorumdem bona.

Anno 1473. XXIII. julii.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano. Capſ. XXX. 10.

NIcolaus Tronus Dei gratia dux Venetiarum &c. Nobilibus & ſapientibus viris Hieronymo Lauredano de ſuo mandato poteſtati, & Leonardo Contareno capitaneo Padue & ſucceſſoribus ſuis fidelibus dilectis ſalutem & dilectionis affectum. Venerabiles fratres monaſterii ſancte Marie Montiſ-crucis & monaſterii ſancti Antonii Peregrini nobis exponi fecerunt, quod in certis eorum poſſeſſionibus & prediis multa damna inferuntur, & hoc evenit, quia prohibentibus certis ſtatutis iſtius noſtre civitatis non poſſunt denuntiare inferentes damna dictis ſuis poſſeſſionibus, & propterea implorarunt, ut eis ſubvenire velimus. Nos, qui non intendimus alicui injuriam fieri, licet ſint fratres, & juriſdictioni ſpirituali ſuppoſiti; attamen volumus, quod preſerventur ab injuriis, ſicuti ceteri omnes, propterea non obſtantibus aliquibus ſtatutis ſive ordinibus in contrarium diſponentibus, ſumus contenti & volumus, quod ipſi fratres eligere poſſint ex ſuis colonis & maſſariis ſaltarios, ſive denuntiatores damnorum, qui denuntiare poſſint communia ſive alios damnificatores prediorum & poſſeſſionum ſuarum, ſicut juſtum & honeſtum eſſe judicamus, ut tollatur materia illis, qui damnum inferre ſoliti ſunt. Datum in noſtro Ducali palatio die XXIII. julii indictione VI. M. CCCC. LXXIII.

LXXXIV.

Mariottus prior generalis unit monaſterio S. Michaelis de Muriano alterum S. Michaelis de Lemmo in Hiſtria.

Anno 1473.

Ex archivo S. Mathiæ de Muriano.

FRater Mariottus ſacroſancte eremi Camaldulenſis prior ac totius ordinis ejuſdem generalis ven. in Chriſto fratri noſtro domno Petro quondam domini Hermolai de Donatis de Venetiis abbati monaſterii ſancti Michaelis de Muriano noſtri Camaldulenſis ordinis ſalutem in Domino & pium ſancte caritatis effectum. Grata devotionis obſequia, que fraternitas tua nobis & ſacre noſtre Camaldulenſi eremo hactenus impendit, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtit, necnon laudabilia probitatis & virtutum tuarum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum igitur monaſterium ſancti Michaelis de Lemmo noſtri antedicti Camaldulenſis ordinis vacaverit, & continuo vacet per mortem ven. viri domni Petri abbatis Claſſenſis ultimi & immediati abbatis ſeu commendatarii dicti monaſterii, qui extra Romanam curiam diem ſuum clauſit extremum, & fuerimus pro parte tue fraternitatis inſtantiſſime requiſiti, ut dictum monaſterium ſancti Michaelis de Lemmo predicti, ſicut premittitur vel alio modo vacans in ſubſidium & ſubventionem dicti tui monaſterii & monachorum, capituli & conventus ejuſdem auctoritate noſtra eidem monaſterio tuo ſancti Michaelis de Muriano predicto perpetuo unire, adnectere & incorporare dignaremur. Cupientes itaque pia fraternitatis tue vota, quantum in nobis eſt, adimplere, & dicto tuo monaſterio juxta poſſe ſubvenire, ipſumque de bono in melius augere & conſervare, premiſſorum tuorum meritorum ac virtutum intuitu, ut prefertur, inclinati, invocato nomine ſanctiſſime & individue Trinitatis, & ſancti Michaelis archangeli, ſub cujus venerando vocabulo dicta monaſteria ſunt inſignita, necnon beatiſſimorum confeſſorum Benedicti & Romualdi, ad laudem quoque & honorem ſacroſancte Romane eccleſie & totius noſtri ordinis, omni meliori modo, via &c. dictum monaſterium ſancti Michaelis de Lemmo predictum noſtri ordinis, cujus inſtitutio, deſtitutio & alia quelibet reformatio ſeu diſpoſitio ad dictam ſacram eremum noſtram, & ad nos manualiter & pleno jure ſpectare & pertinere dignoſcitur, &c. nulla in contrarium memoria penitus exiſtente, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis dicto tuo monaſterio ſancti Michaelis de Muriano &c. auctoritate noſtra nobis per quecumque privilegia dicte noſtre Camaldulenſi eremo conceſſa & attributa, in perpetuum unimus, adnectimus & incorporamus, ita quod liceat

ceat ex nunc tibi ipsius monasterii sancti Michaelis de Lemmo predicto, juriumque & pertinentiarum ipsius per te vel alium seu alios corporalem auctoritate propria possessionem libere & sine alterius requisitione capere & apprehendere, &c. ipsiusque monasterii juriumque & pertinentiarum ejus fructus, redditus & proventus, introitus ac dicti monasterii tui sancti Michaelis de Muriano &c. usus & utilitatem convertere & perpetuo retinere, nostra nostrorumque successorum & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. In quorum &c. fidem &c. Datum in monasterio nostro Fontis-boni de Camaldulo sub anno Domini M. CCCC. LXXIII. XX. octobris indictione VI. &c.

Ego Laurentius olim Matthei Franceschini de Paglierajo notarius publicus Florentinus &c. scriba dicti rev. domini generalis &c. scripsi &c.

LXXXV.

Constitutiones Mariotti prioris generalis editæ in capitulo generali Fontis-boni.

Anno 1474.

Ex eodem tabulario S. Mathiæ.

INcipiunt Constitutiones facte in generali capitulo in monasterio Fontis-boni tempore domni Mariotti generalis anno Domini M. CCCC. LXXIIII. indictione VII. die vero XXIIII. mensis aprilis.

In Christi nomine, amen. Anno ab ejusdem salutifera incarnatione millesimo quadringentesimo septuagesimo-quarto indictione VII. tempore sanctissimi in Christo patris & domini domini Sixti divina providentia pape IIII. & die vigesimo-quarto mensis aprilis, presentibus religiosis viris domno Petro de Cà Delphino, domno Jacobo Francigena ambobus monachis monasterii sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis, & domno Christophoro Nanis de Partina monacho dicti ordinis testibus ad hec vocatis, habitis & rogatis. Omnibus innotescat, quod convocato & rogato generali capitulo Camaldulensis ordinis in ecclesia monasterii Fontis-boni ejusdem Camald. ordinis &c. ut moris est, Missarum sollemniis celebratis, invocataque Spiritus-sancti gratia, & verbo Dei per modum sermocinationis proposito in generali capitulo, rev. in Christo pater & dominus domnus Mariottus prior sacre Camaldulensis eremi & totius ejusdem ordinis generalis post monitionem & mandatum, quod si qui essent excommunicati, suspensi vel interdicti &c. exirent, volens ad electionem definitorum procedere, vocavit juxta se ven. viros domnum Silvestrum de Arretio Majorem prefate eremi & eremitam, & domnum Laurentium de Stia santese & eremitam dicte eremi, & dum supradicta electio tractaretur, habito prius inter dictos prelatos maturo colloquio, cum sollemni deliberatione omnes supradicti prelati ut supra vocati & congregati unanimiter surgentes viva voce & nemine discrepante concorditer & unanimes commiserunt voces suas in supradictum dominum priorem & generalem, dantes, concedentes & committentes in eum vices suas ad predictam electionem dictorum definitorum faciendam. Quia domnus prior generalis predictus predictam commissionem humiliter acceptavit; post quam immediate & incontinenti post predictam existens in principali loco chori & sedis dicte ecclesie, visa dicta commissione in eum facta surrexit de supradicto loco suo, Spiritus-sancti gratia primitus invocata, vocavit, elegit & nominavit publice & alta voce in definitores & pro definitoribus presentis generalis capituli ordinis Camald. venerabiles viros, videlicet in partes Lombardie dominum Petrum Donatum abbatem sancti Michaelis de Muriano, domnum Nicolaum priorem sancti Mathie de Muriano predicto, & in partibus Thuscie domnum Bartholomeum abbatem de Rota, & domnum Philippum priorem sancte Margarite a Borsellis, & statim prefatus dominus prior & generalis predictus pronunciavit & declaravit supradictos per eumdem ut supra electos esse definitores presentis capituli generalis una cum domno Silvestro de Arretio majore eremi Camald. & eremita, & domno Laurentio de Stia santese & eremita dite sacre eremi, quibus secundum constitutiones ordinis tamquam predictis eremitis incumbit generali capitulo definitionis officium, cum omnimoda auctoritate definiendi, constituendi, corrigendi, ordinandi super personis & monasteriis supradictis, quam idem dominus prior cum toto capitulo generali eis dare & committere poterat, & quam habere debent de jure, & consuetudine secundum constitutiones ordinis antedicti, & quam predecessores dictorum definitorum generalium capitulorum retroactis temporibus soliti sunt habere, & statim predicti quatuor abbates & priores, ut supra electi, de loco, ubi erant, surgentes ante sedem primam & locum pri-

primum chori dicte ecclesie, in qua prefatus dominus prior & generalis stabat, se collocantes, injunctum eis per supradictum dominum priorem & generalem officium supradictum sponte & humiliter acceptaverunt, quos electos prefatus dominus prior & generalis ante se stare fecit, & ad osculum pacis recepit & admisit, & a dextris & sinistris juxta & ante se stare fecit. Eodem die loco & testibus suprascriptis domnus Petrus Donatus abbas monasterii sancti Michaelis de Muriano, domnus Nicolaus prior monasterii sancti Mathie de Muriano predicto, domnus Bartholomeus abbas de Rota, domnus Philippus prior sancte Margarite de Borsellis, domnus Silvester de Arretio Major & eremita sacre Camaldulensis eremi, & domnus Laurentius de Stia santese & eremita ejusdem eremi definitores supradicti generalis capituli una cum rev. in Christo patre & domino domno Mariotto priore prefate eremi & totius ejusdem ordinis generali post electionem judicum prefati capituli generalis inter alias constitutiones, ordinationes & reformationes per eosdem factas *&c.* infrascriptas reformationes & provisiones fecerunt & condiderunt, quarum quidem tenor talis est:

Dominus & rev. pater generalis una cum definitoribus constituerunt & ordinaverunt, quod propter reformationem ordinis Camaldulensis a summo pontifice supplicetur, ut monasterium sancte Marie de Angelis & monasterium sancti Benedicti de Florentia, ac monasterium Vallis-castri uniantur, ita quod sacra eremus omnium caput esse cognoscatur.

Item fiat unio monasteriorum sancte Marie de Carceribus, sancti Michaelis de Muriano, & sancti Mathie de Muriano, hoc videlicet modo, ut cedente vel decedente aliquo horum prelatorum, qui eligendus est, eligatur per monachos & per dominum generalem confirmetur, & sit per triennium in prelatura & non amplius; hoc autem scribatur summo pontifici favore & patrocinio illustrissimi dominii Venetorum.

Tum ordinatum est, ut ad incitamentum virtutis & ad eruditionem monachorum provideatur, ut omni via & forma detur monachis habilitas studendi, rev. autem dominus generalis humanitate sua pollicitus est omni conatu suo apud Camaldulum tenere octo adolescentes, qui in grammatica erudiantur, promittitque hoc se facturum propriis sumptibus. Idipsum etiam promisit rev. dominus abbas Burgi-sancti-Sepulcri, tenere videlicet quatuor adolescentes, qui similiter in grammatica erudiantur, & hoc promisit se facturum propriis sumptibus. Idem promiserunt dominus abbas sancti Michaelis, & dominus prior sancti Mathie, videlicet quilibet de per se tenere quatuor monachos, qui similiter in grammatica erudiantur. Ad hoc etiam faciendum abbas Carcerum exhortabitur. Hec ita ordinantur, ut si aliquod beneficium aut reservatum, aut non reservatum, sicut constitutum est in capitulo de Pisis, & confirmatum per privilegium sanctissimi Calixti pape III. cedente vel decedente prelato vacaverit, ex illius proventibus ac redditibus his studentibus omnino succurratur, itaut tantum bonum omni favore fulciatur & adjuvetur. De aliis vero studiis majoribus provideatur aut de communi marsupio ordinis, aut de fructibus alicujus beneficii vacaturi.

Item, quod constitutio de non accedendo ad Romanam curiam sine licentia domini generalis penitus observetur, & si quis accedere presumpserit, omnibus prelatis in virtute sancte obedientie precipitur, ut hujusmodi transgressorem nullo pacto in monasterio suo suscipere possint, neque aliquod ei favoris, cibi & potus impendere; quod si prelati contrafecerint, intelligantur excommunicati.

Item, quia cognitum est aliquos monachos immiscere se medicinalibus exercitiis, idcirco omnino prohibetur, ne id penitus attemptare presumant; quod si presumpserint, a suis prelatis gravissime puniantur.

Item omnibus prelatis extra sua beneficia existentibus precipitur in virtute sancte obedientie, ut ad sua beneficia regrediantur, & hoc infra mensem, secundum tamen exigentiam necessitatis & arbitrium rev. domini generalis.

Item quod abbatisse sive priorisse nostri ordinis cedentes vel decedentes de cetero non possint assumi vel institui in dignitatem abbatialem vel prioratum, nisi per triennium ad plus.

Item, quod monachi possint transferri de monasterio ad monasterium, nec etiam expelli a suis prelatis absque voluntate rev. domini generalis, non obstante licentia alicujus vicarii, & si accesserint ad aliquod monasterium sine licentia domini generalis, ponantur in carcerem, nec inde exeant, nisi jussu domini generalis.

Item quod monachi, qui in observantia professi fuerint, seu ad observantiam venerint, non possint transire ad

laxio-

laxiorem vel largiorem vitam sine licentia capituli generalis.

Item quod monachi, qui non dicunt vel nesciunt dicere officium, non possint promoveri ad ordines sacros seu ad aliquam dignitatem, nisi sufficienter didicerint. Ad hoc autem exequendum, oneramus conscientias prelatorum. Prelati vero, qui non dicunt officium, vel nesciunt, suspendantur ab officio ad arbitrium domini generalis, teneanturque habere cucullam & breviarium; quod si infra annum non fecerint, intelligantur ab officio suspensi.

Item monachi fugitivi & qui degunt extra ordinem, nec infra mensem redierint ad monasteria sua, puniantur secundum quod in constitutionibus continetur.

Item ordinatum ac statutum est, ut prelati & monachi studeant ferre honestam tonsuram, qui si aliter fecerint, a vicariis, qui per provincias ordinati sunt, penitus cogantur, addita penitentia carceris per triduum in pane & aqua. Idem autem de habitu dicimus & de caligis clausis, nec penitus ab ullo ferantur. Quod si quis eas ferre presumpserit, a prelato suo gravissime puniatur, & si eum in manus vicarii incidere contigerit, taliter puniatur, ut ceteri metum habeant.

Item quod qui sine habitu degunt aut dormiunt, a prelato suo in gravi culpa ponantur.

Item quod prelati tenentes monachos ad salarium, si eos infirmari contigerit, teneantur omnes impendere necessarias expensas, nec illas in salario computare, cum illud pro vestimentis ab ordine sit institutum.

Et quia sunt nonnulli prelati nostri ordinis, qui se offerunt procurare, ut monasteria, que sunt in commenda, recuperentur, datur eis licentia, ut hoc omni studio ac conatu suo faciant expensis & suis & amicorum, quod se facturos polliciti fuere.

Item quod provideatur in Romana curia, scribaturque rev. protectori, ut rev. dominatio sua provideat, & proponat nobis aliquem virum idoneum secundum voluntatem rev. dominationis sue.

Capitulum fieri futurum ordinatum est in monasterio Vallis-castri post triennium in die sanctissimi Romualdi. Provisores vero futuri capituli ultra alpes & citra alpes erunt domnus Petrus abbas sancti Michaelis de Muriano, & domnus Bartholomeus abbas sancti Petri de Rota. Visitatores futuri capituli citra alpes abbas sancti Frigdiani de Pisis & abbas sancte Jucunde, & visitent bis in anno, secundum quod ordinaverit dominus generalis. Visitatores ultra alpes erunt domnus Bonaventura prior Montis-crucum, & domnus Jacobus monachus sancti Michaelis de Muriano. Consiliarii domini generalis citra alpes erunt dominus abbas sancti Michaelis de Arretio, & abbas sancti Petri de Rota; ultra alpes vero dominus abbas Vallis-castri, & domnus Romualdus prior sancte Marie de Angelis de prope Bononiam. Camerarius socius ordinis domnus Michael-angelus abbas sancti Martini de Tiphio.

Item supplicetur rev. domino cardinali pro obtinendo privilegio, videlicet, ut dominus generalis habeat auctoritatem absolvendi quemlibet prelatum & monachum ab omni excommunicatione & irregularitate, & etiam possit subdelegare aliquem prelatum, ut eadem auctoritate in suis provinciis fungatur.

Item quod per totum ordinem celebretur sollemnitate plenissima officium Transfigurationis; sequenti vero die post festum sancti Donati fiat officium sancti Sixti. Item quod per totum ordinem celebretur octava Visitationis beate Marie ad Elisabeth.

Item definierunt, constituerunt & ordinaverunt, quod monasterium sancti Mathie de Muriano Torcellane diocesis de cetero & in futurum solvat annuatim & singulo anno pro collecta domini generalis Camaldulensis pro se & omnibus suis manualibus in totum ducatos quinque, videlicet v. & non ultra neque ad aliquam solutionem pro dictis suis manualibus, neque pro se, nisi ut dictum est, cogi & gravari possit.

LXXXVI.

Sixtus IV. ad instantiam reip. Venetæ concedit, ut in monasteriis S. Michaelis & S. Mathiæ de Muriano, & de Carceribus abbates sint triennales, & ex his peculiaris congregatio efformetur.

Anno 1474. nonis decembris.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

Sixtus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In suprema militantis ecclesie specula constitutus Romanus pontifex circa ecclesiarum & monasteriorum omnium sue cure commissorum, ac personarum in illis Altissimo famulantium quietem, & ut in ipsis monasteriis divinus cultus augeatur, il-

illaque in ſpiritualibus & temporalibus feliciter gubernentur, prout ex debito ſpiritualis officii ſibi commiſſi incumbit, diligenter proſpicit & intendit, ac ipſarum perſonarum neceſſitatibus ſalubriter providet, prout monaſteriorum & perſonarum hujuſmodi qualitas exigit, & id in Domino proſpicit ſalubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ſancte Marie Carcerum & ſancti Michaelis, ac per priorem ſoliti gubernari ſancti Mathie de Murano Camaldulenſis ordinis Torcellane dioceſis monaſteriorum abbates & prior, qui pro tempore fuerunt, ipſorum monaſteriorum occurrente vacatione perpetuo, ſeu ad vitam eligi & confirmari conſueverunt, quo fit, ut aliquando propter incuriam & negligentiam ipſorum abbatum & prioris, dicta monaſteria, ut decens eſſet, non gubernantur, in ipſorum & conventuum eorumdem non modicum prejudicium, & divini cultus diminutionem. Verum ſi abbates ſancte Marie, & ſancti Michaelis, & prior ſancti Mathie monaſteriorum predictorum, & cujuslibet illorum, illius vel illorum, vacatione occurrente de cetero per ejus conventum vel conventus intervenientibus aliis duobus abbatibus, ſeu abbate, & priore ſuperſtitibus, ſimplicem vocem tantum pro quolibet habentibus aliorum duorum monaſteriorum de triennio in triennium eligerentur, & per illud tempus dumtaxat monaſterio vel monaſteriis, tunc vacanti vel vacantibus preeſſent, profecto monaſteria ipſa decentius in ſpiritualibus & temporalibus gubernarentur, & in eis divinus cultus ſuſciperet incrementum, Quare pro parte ducis & dominii predictorum, qui, ut aſſerunt, ad monaſteria & ordinem hujuſmodi magnum gerunt devotionis affectum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut perpetuo ſtatuere & ordinare, quod de cetero cedentibus, vel decedentibus ſimul, vel ſucceſſive ipſorum monaſteriorum modernis abbatibus & priore, aut aliquo ipſorum conventus, monaſterii, vel monaſteriorum vacantis vel vacantium, tunc vocatis aliis duobus abbatibus ſeu abbate & priore ſuperſtitibus, qui ſimplicem vocem pro quolibet tantum habeant; abbates, ſeu abbatem & priorem cujuslibet ipſorum monaſteriorum de triennio in triennium duraturos dumtaxat, & non ultra, niſi denuo fuerint electi ſeu confirmati, eligere debeant, & teneantur; ipſique abbates, ſeu abbas & prior ſic electi, dicto durante triennio, prefatis monaſteriis abſque aliqua confirmatione apoſtolica vel ordinaria auctoritate facienda preeſſe, illaque in ſpiritualibus, & temporalibus gubernare poſſint, aliaque in premiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum divinum ubique vigere & augeri noſtris potiſſime temporibus ſummopere affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica tenore preſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero cedentibus vel decedentibus ſimul vel ſucceſſive dictorum monaſteriorum modernis abbatibus ſeu abbate & priore ſuperſtitibus aut aliquo ipſorum conventus monaſterii ſeu monaſteriorum vacantis vel vacantium, tum vocatis aliis duobus abbatibus, ſeu abbate & priore ſuperſtitibus, qui ſimplicem vocem tantum habeant, abbates, ſeu abbatem & priorem dictorum monaſteriorum ac cujuslibet ipſorum de triennio in triennium duraturos dumtaxat & non ultra, niſi de novo fuerint electi ſeu confirmati, ut prefertur, eligere debeant, & teneantur; ipſique ſic electi abbates, ſeu abbas & prior dicto durante triennio prefatis monaſteriis abſque aliqua confirmatione apoſtolica vel ordinaria auctoritate facienda preeſſe, illaque in ſpiritualibus & temporalibus gubernare poſſint, decernentes omnes & ſingulas alias electiones, & confirmationes, proviſiones, ſeu alias diſpoſitiones de dictis monaſteriis apoſtolica vel ordinaria auctoritate forſan faciendas, nec non totum id & quicquid in contrarium attentari contigerit, irrita & inania, nulliuſque exiſtant roboris vel momenti. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus monaſteriorum & ordinis predictorum juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis. Quibus omnibus etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio de verbo ad verbum habenda foret, hac vice dumtaxat eis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod abbates, ſeu abbas & prior ipſorum monaſteriorum, qui pro tempore fuerint, de mediis fructibus ipſorum monaſteriorum, ſeu annata in camera apoſtolica debitis, ſingulis quindecim annis eidem camere apoſtolice, aut collectori fructuum & proventuum eidem camere debitorum, in partibus illis pro tempore deputato, perpetuo ſatisfaciant. Alioquin preſentes litere nullius exiſtant roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum

num

num liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo septuagesimo-quarto nonis decembris pontificatus nostri anno quarto.

„ Ex transumpto per Jacobum cancel-
„ larium Maphei Girardi Venetiarum pa-
„ triarche exemplato anno M. CCCC.
LXXV.

LXXXVII.

Sixtus IV. excommunicat detentores bonorum monasterii Vallis-castri.

Anno 1475. IV. kal. decemb.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

SIxtus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri.. episcopo Bituntino salutem & apostolicam benedictionem. Exposuerunt nobis dilecti filii Julianus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis, qui monasterium Vallis-castri Camaldulensis ordinis Camerinensis diocesis ex concessione & dispensatione sedis apostolice obtinet in commendam, & conventus ejusdem monasterii, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, primitias *&c.* domos, vineas *&c.* casas, casulas *&c.* instrumenta publica *&c.* & nonnulla alia mobilia & immobilia bona ad dictum monasterium etiam ratione sancti Blasii & sancti Urbani ordinis & diocesis eorumdem monasteriorum ipsius monasterii Vallis-castri canonice unitorum legitime spectantia, temere & malitiose occultare & occulte detinere presumunt, non curantes ea cardinali & conventui predictis exhibere in animarum suarum periculum, ipsorumque cardinalis & conventus ac monasteriorum non modicum prejudicium, super quo iidem cardinalis & conventus dicte sedis remedium implorarunt. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes hujusmodi occultos detentores decimarum *&c.* ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te, vel alium seu alios moneas, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, & prefatis cardinali & conventui a se debita restituant & revelent ac de ipsis plenam & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, & eam facias ubi & quando expedire videris usque ad satisfactionem condignam sollemniter publicari. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXV. quarto kalendas decembris pontificatus nostri anno quinto.

LXXXVIII.

Idem unit peculiari bulla congregationi S. Michaelis abbatiam Classensem.

Anno 1475. XIII. kal. januarii.

Ex eodem archivo S. Michaelis.

SIxtus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Injunctum nobis a Domino apostolice servitutis officium tunc digne peragimus, dum ecclesiis & monasteriis quibuslibet, ut in spiritualibus & temporalibus votivis perfruantur eventibus, & in ipsis animarum propagata salute uberius fervor devotionis accrescat, apostolicos favores efficaciter impertimur. Sane sancti Apollinaris & sancti Severi extra muros Ravenne Camaldulensis ordinis monasteriis invicem unitis, ex eo quod venerabilis frater noster Philippus episcopus Portuensis major penitentiarius noster, qui monasteria ipsa ex concessione & dispensatione apostolica in commendam obtinebat, commende hujusmodi in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, adhuc eo, quo, dum eidem Philippo episcopo commendata fuerant, vacabant, modo vacantibus; nos qui dudum ex certis causis tunc expressis rationabilibus per alias nostras literas statuimus & ordinavimus, quod cedentibus vel decedente sancte Marie de Carceribus, & sancti Michaelis, ac per priorem soliti gubernari sancti Mathie de Muriano dicti ordinis Paduane & Torcellane diocesum monasteriorum abbatibus & priore, conventus monasterii per cessum vel decessum hujusmodi vacantis abbatem seu priorem ibidem eligerent de triennio in triennium, vocatis abbatibus aliorum duorum monasteriorum, seu abbate & priore superstitibus, qui ele-

electioni hujusmodi interesse & in illa unicam dumtaxat vocem pro quolibet eorumdem abbatum & prioris habere deberent, ipseque sic in abbatem vel priorem vacantis monasterii hujusmodi electus durante hujusmodi triennio absque alia confirmatione apostolica vel ordinaria auctoritate desuper obtinenda monasteria, in cujus abbatem vel priorem electus foret, preesse, & illius curam, regimen & administrationem in spiritualibus & temporalibus gerere & exercere valeret: cupientes prospero & felici regimini eorumdem unitorum monasteriorum opportune consulere, ac verum ultime vacationis ipsorum unitorum monasteriorum modum, etiamsi ex illis generalis reservatio resultet, presentibus pro expresso haberi volentes, habita super his cum aliis fratribus nostris S. R. E. cardinalibus diligenti & matura deliberatione, de fratrum eorumdem consilio & assensu statutum & ordinationem predictam ad prefata invicem unita monasteria, in presentiarum non solum abbate, sed etiam conventu carentia de cetero perpetuis futuris temporibus per triennalem abbatem hac prima vice per dilectos filios abbatem & conventum dicti monasterii sancti Michaelis ponendum & deputandum, & primo triennio finito, singulis trienniis viventibus modernis perpetuis sancte Marie & sancti Michaelis abbatibus, & sancti Mathie monasteriorum priore per conventum ipsorum unitorum monasteriorum, ac pro tempore existentem perpetuum vel triennalem abbatem dicti monasterii sancti Michaelis, qui unam vocem dumtaxat in hoc habet, & quamprimum predicta sancte Marie & sancti Mathie monasteria, seu aliquod eorum, cedentibus vel decedentibus illorum modernis abbate & priore, per abbatem & priorem triennalem juxta aliarum literarum predictarum continentiam atque formam regi ceperint, & per hujusmodi ipsorum sancte Marie abbatem, & sancti Mathie monasteriorum predictorum priorem triennales, quorum quilibet in hoc unicam vocem habeant, eligendum & assumendum regi debeant, ipseque sic positus & deputatus & electus, ut prefertur, electionis hujusmodi sibi presentato decreto, sine alia confirmatione eo ipso apostolica auctoritate confirmatus censeatur, ac curam, regimen & administrationem eorumdem sancti Apollinaris & sancti Severi monasteriorum possit & debeat libere exercere. Quodque eisdem modernis sancte Marie & sancti Michaelis, ac sancti Mathie monasteriorum perpetuis abbatibus & priore simul aut successive cedentibus vel decedentibus abbas triennalis dictorum sancti Apollinaris & sancti Severi unitorum monasteriorum, qui pro tempore erit, in electione abbatum sancte Marie & sancti Michaelis, ac prioris sancti Mathie monasteriorum predictorum, & cujuslibet eorum ad triennium pro tempore facienda perpetuis futuris temporibus, totiens quotiens electionem hujusmodi fieri contigerit, vocari, & una cum conventu monasterii, de cujus abbatis seu prioris electione agetur, & aliorum monasteriorum predictorum abbatibus seu abbate & priore in electione ipsa intervenire, & unicam dumtaxat vocem habere debeat, firma spe fiduciaque conceptis, quod ipsa sic unita monasteria per triennalem abbatem, qui pro tempore erit assumptus, ut prefertur, dirigente Altissimo gressus suos, regetur utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXV. tertio-decimo kalendas januarii pontificatus nostri anno V.

LXXXIX.

Statuta communis Fabrianensis circa translationem corporis S. Romualdi.

Anno 1477. 1480. 1481.

Ex tabulario ejusdem communis.

Die IV. martii in consilio Credentie. Rev. dominus Agathensis commendatarius abbatie Vallis-castri in animo habet mittere observantiam in monasterio sancti Blasii, & quod eo deferatur corpus sancti Romualdi suis sumptibus, vellet propterea, mitteretur orator Romam, qui ista peteret. Super qua propositione dominus Petrus Loysius legum doctor clarissimus & comes prestantissimus de Benignis consuluit gratias agendo predicto commendatario, & agatur, quod petit ad votum. *Ex libro* XXV. *Reformationum fol.* 198. 199.

Die III. junii 1477. Angelus domini Benigni, qui orator communitatis iverat ad Urbem, rediit (causa dicti corporis sancti Romualdi). *Ibidem fol.* 207.

Die XXIII. decembris 1480. in consilio Credentie. Cum nuper ad notitiam pervenerit magnificis dominis prioribus, quod de proximis diebus fuit ablatum & fura-

furatum ac remotum corpus gloriosissimi sancti Romualdi in loco suo proprio de dicta abbatia Vallis-castri, & portatum per aliquot monachos malignos dicti monasterii & abbatie cum aliis paramentis & argentis, & rebus dicte abbatie, & sit relatum Esium per rev. patrem episcopum Esinum & communitatem dicti loci; & cum repetitum sit corpus & res, & recusant velle restituere, de modo & ordine dando pro ipso corpore & rebus rehabendis provideatur quam celeriter fieri potest, cum in causa magna importantia requiritur, super qua spectabilis civis Angelus domini Benigni inter alios consuluit. *Ex lib.* XXVI. *Reformationum fol.* 134. 135.

Die XXVI. januarii 1481. in consilio Credentie. Litere oratorum Venantii Vincentii & Petri de Augustinis missorum ad rev. cardinalem legatum precipue pro recuperando corpore sancti Romualdi. *Ex lib.* XXVI. *Reformationum fol.* 143.

Die I. februarii 1481. in consilio Credentie. Cum oratores & alii multi de Fabriano Esii permanerent recuperandi causa corpus sancti Romualdi, illius civitatis homines ingrati animi vitium adversus nostros demonstraverunt in restituendo dictum corpus, excepto quodam domino Johanne de Bossis Esino, qui in nostros multa contulit beneficia, qua propter talis rei in remunerationem hunc in potestatem proximum hujus terre Fabrianenses elegerunt, & illos ab omnibus officiis in hoc loco etiam actualiter exercentes, perpetuo removerunt, ac eorum acceptationes nullas declaraverunt. *Ex lib.* XXVI. *Reformationum fol.* 145.

Die predicta VII. februarii 1481. Prefati magnifici domini priores & spectabiles regulatores in unum congregati existentes in saleta palatii vacantes, intendentes circa remissionem factam per consilium predictum pro locando & manutenendo & custodiendo corpus gloriosi sancti Romualdi cum diligenti cautela in loco tuto ad hoc, ut non interveniat, ut dictum extitit in preteritum, super hoc habito maturo colloquio & deliberatione unanimiter & concorditer elegerunt, deputaverunt & nominaverunt infrascriptos cives, qui habeant curare & diligentiam adhibere circa dictam locationem & manutentionem dicti gloriosi corporis, committentes dictis civibus & auctoritatem & potestatem concedentes circa predicta, & ab eisdem dependentia providendi & ordinandi & expendendi, prout ipsis & cuilibet ipsorum melius cognoverint & videbitur, nomina quorum omnia sunt infrascripta. Bartholomeus domini Benigni, Corradus ser Raynaldi, Mattheus Pilandre, Johannes Johannini cives electi pro custodiendo & locando, & preservando corpus gloriosum sancti Romualdi. *Ex lib.* XXVI. *Reformationum fol.* 146.

Die V. martii 1481. in consilio Credentie. Et primo rev. dominus legatus scribit communitati Fabriani, quod corpus sancti Romualdi reportetur ad abbatiam Vallis-castri in suo tumulo. Secundo scribit spectabilis orator Angelus domini Benigni destinatus Romam ad sanctissimum dominum nostrum & rev. cardinales pro obtinendo gratiam de glorioso corpore sancti Romualdi permaneri in Fabriano. Cumque nondum valuit obtinere gratiam, sed bene sperari, & data est intentio gratiam concedere, super quibus consuluit Bartholomeus domini Benigni civis spectabilis. *Ibidem fol.* 156. 157.

Die X. martii 1481. *&c.* Magnifici domini priores regulatores & capitanei *&c.* decreverunt mittendos esse oratores ad sanctissimum dominum nostrum, & rev. patrem generalem Camaldulensem, & unanimiter & concorditer elegerunt in oratores infrascriptos cives, nomina quorum egregius jurisperitus vir dominus Jacobus de Tinctis, & spectabilis vir Bartholomeus domini Benigni. *Ex lib.* XXVI. *Reformationum fol.* 159.

Die... junii prefati magnifici domini priores, spectabiles regulatores & quatuor deputati, videlicet Bartholomeus domini Benigni, Mattheus Benedicti, Corradus ser Raynaldi & Johannes Johannini cum assistentia patris Juliani abbatis Vallis-castri vacantes circa locationem & venerationem corporis gloriosi sancti Romualdi, habita inter eos matura deliberatione & colloquio de loco honorifico & decenti ad dictam gloriosam reliquiam, unanimiter & concorditer deliberaverunt, ordinaverunt & decreverunt, quod in ecclesia sancti Blasii ad altare magnum fiat capella construenda pro conservatione dicti gloriosi corporis. *ibid. fol.* 176.

Die XVIII. junii 1481. Magnifici domini priores & spectabiles regulatores vacantes circa remissionem factam per consilium Credentie circa venerationem, locationem & preservationem corporis gloriosi sancti Romualdi decreverunt & ordinaverunt ad hoc, ut in futurum continuo de bono in melius veneretur, & cum devotione sollemni augmentetur devotio, quod omnes oblationes, res & bona, que in devotionem dicti sancti in-

troi-

troibunt quoquo modo vel causa venient, debeant pervenire in manibus illorum quatuor deputatorum Bartholomei, Matthei, Corradi & Johannis, & non ad alias manus, nisi solum in manibus ipsorum quatuor, ut ille tamen oblationes & introitus expendantur & convertantur in edificio & opere fiendo pro capella in venerationem dicti corporis. *Ibid. fol.* 177.

XC.

Sixtus IV. dissolvit a monasterio S. Mercurialis de Foro-livio alterum S. Johannis-evangelistæ de eadem urbe.

Anno 1484. XVI. kl. junii.

Ex chartulario abbatiæ S. Mercurialis.

SIxtus episcopus servus servorum Dei ven. fratri . . episcopo Glandatensi & dilectis filiis . . cantori ecclesie Yporegiensis, ac vicario ven. fratris nostri episcopi Foro-liviensis in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia pietatis ac virtutum merita, super quibus dilectus filius Michael Jacobi de Verona monachus monasterii Carceris Camaldulensis ordinis Paduane diocesis apud nos fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Michaelis petitio continebat, quod olim prioratu sancti Johannis-evangeliste Foro-liviensis dicti ordinis per liberam resignationem dilecti filii Johannis de Bartholinis de Foro-livio illius tunc prioris, de illo, quem tunc obtinebat, in manibus dilecti filii Urbani Malumbre tunc dilecti filii Petri Delphini prioris eremi Camaldulensis Arretine diocesis & dicti ordinis generalis in spiritualibus vicarii generalis extra Romanam curiam sponte factam, & per eumdem vicarium habentem ad hoc, ut asserebat, ab eodem Petro Delphino priore eremi & generali ordinis predictorum, cum ad priorem eremi generalem ordinis predictorum pro tempore existentem resignationis dicti prioratus receptio & admissio, ac illius, dum pro tempore vacat, collatio, provisio & omnimoda dispositio de antiqua & approbata, ac hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, specialem per ejusdem Petri literas facultatem illius vigore extra eamdem curiam ordinaria auctoritate admissam vacante, idem vicarius illum sic vacantem prefato Michaeli ordinaria auctoritate contulit, ac providit etiam de eodem, ipseque Michael collationis & provisionis earumdem vigore possessionem dicti prioratus extitit assecutus, illumque aliquandiu tenuit & possedit, licet noviter ab eodem de facto amotus fuerit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, pro eo quod nos dudum ante resignationem predictam prioratum ipsum dispositioni nostre specialiter reservavimus, ac decrevimus quascumque provisiones & dispositiones, quas de illo pro tempore fieri, & quidquid secus scienter vel ignoranter contigerit attentari, nullius existere roboris vel momenti. Et deinde pro parte dilecti filii Nicolai tunc abbatis monasterii sancti Mercurialis Foro-liviensis ordinis Vallis-umbrose nobis exposito, quod pro tutela & conservatione & commoditate certe arcis civitatis nostre Foro-liviensis certe domus in dicta civitate consistentes, & ad dictum monastrium legitime pertinentes, valoris quingentorum Florenorum auri de camera, admodum necessarie fore noscerentur, ipseque domus dicto monasterio sancti Mercurialis fuerunt ablate non sine illius gravi prejudicio, & quod si prioratus predictus eidem monasterio sancti Mercurialis ad recompensam dictarum domorum perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc jamdictus Nicolaus, quam alii abbates pro tempore & conventus dicti monasterii sancti Mercurialis se commodius substentare valerent, nos tunc in dicto prioratu ordinem Camaldulensem, necnon dependentiam, si qua erat, suppressimus, & penitus extinximus, illumque sic suppressum & extinctum monasterio prefato sancti Mercurialis cum omnibus juribus & pertinentiis suis perpetuo univimus, anneximus & incorporavimus, ac ex certis aliis causis dictus Michael dubitet collationem & provisiones predictas juribus non subsistere; & dilectus filius Raphael sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis camerarius noster, qui monasterium predictum sancti Mercurialis ex concessione & dispensatione apostolica obtinet in commendam, provide considerans, quod dictus prioratus pro tutela prelibate arcis in suis structuris & edificiis plura incommoda pertulit, & quod quinque domus dicti monasterii sancti Mercurialis, que dirupte fuisse asseruntur in dictis literis, erant quedam domuncule emphyteotice dicti monasterii sancti Mercurialis, ex quibus monasterium ipsum sancti Mercurialis modicum censum ratione proprietatis earum per-

percipiebat, & propterea, preterquamquod proprietatem earum, dictum monasterium non pertulit exinde maximum damnum, fuitque illa tunc in hujusmodi emphyteosim obtinentibus pro utili dominio earum extructuris aliqualis satisfactio impensa, de qua contenti fuerunt, & dissolutionis, unionis, annexionis & incorporationis predictarum de dicto prioratu factarum eidem monasterio sancti Mercurialis expresse concesserit, & ut accepimus, dictus prioratus, cujus unionem, adnexionem & incorporationem predictam auctoritate apostolica presentium tenore dissolvimus, illum a prefato monasterio sancti Mercurialis separantes, & in pristinum ac eum statum, in quo erat ante unionem, adnexionem & incorporationem predictas, quomodolibet reponentes, restituentes & reintegrantes, adhuc, ut prefertur, vacare noscatur. Nos dicto Michaeli premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsum Michaelem absolventes *&c.* discretioni vestre mandamus, prioratum ipsum ipsi conferre curetis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXXIV. sexto decimo Kalendas junii.

L. de Theramo.

XCI.

Idem confirmat priorem Angelorum Florentiæ usque ad cujusdam litis definitionem.

Anno 1486. XVIII. julii.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

INnocentius papa VIII... priori sancte Marie Angelorum de Florentia. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Accepimus, quod cum ex commissione nostra monasterium beate Marie Angelorum Florentin. ordinis Camaldulensis, amoto inde quodam Leonardo Bruno illius olim priore, ac aliis ipsius monachis & personis, qui prefati monasterii bona dissipaverant, & merito ejici debuerant, tam in capite quam in membris reformatum fuisset, & ad debitam regularem dicti ordinis observantiam redactum esset, tuque in dicti monasterii annalem priorem juxta ejusdem monasterii consuetudinem & statuta institutus & ordinatus fuisses, dictus Leonardus causam appellationis, quam ab amotione de eo a regimine & administratione dicti monasterii facta interposuisse pretendebat, dilecto filio abbati monasterii sancta Trinitatis in Alpibus Vallis-umbrose ordinis per Breve nostrum committi obtinuit, quam indecisam coram illo pendentem ad nos postmodum advocavimus, & ven. fratri episcopo Nucerino unius ex nostri sacri palatii auditoribus locumtenenti resumendam, ulteriusque una cum omnibus & singulis suis incidentiis, dependentiis & connexis, ac toto negocio principaliter audiendi, cognoscendi & terminandi commisimus: quodque idem episcopus commissionis nostre hujusmodi vigore abbati ac Leonardo prefatis, ne aliquid attentare vel innovare presumerent per suas literas inhibuit. Idemque abbas spreta penitus hujusmodi inhibitione ad sententie promulgationem in causa eadem contra te & dilectum filium generalem priorem dicti ordinis Camaldulensis temere attentando processit, a qua cum pro parte tua ac generalis prioris predicti ad nos appellatum fuisset, nos posterioris appellationis hujusmodi, ac nullitatis, & attentatorum causas eidem episcopo, ne cause continentia divideretur, etiam audiendas & terminandas commisissemus, dictus Leonardus post appellationem posteriorem prefatam, te ac ven. priorem prefatum ab eodem monasterio Angelorum violenter & armata manu ejecerit, sive ejici fecit & procuravit, etiam temere attentando: & quoniam lites & cause hujusmodi adhuc in nostro sacro palatio coram eodem episcopo pendent indecise, & tu in dicti monasterii Angelorum priorem ad annum dumtaxat, ut prefertur, institutus fuisti, dubitari posset, an ex eo, quod, sicut premittitur, ab eodem monasterio violenter ejectus & spoliatus fuisti, annus tui prioratus cucurrisse censeatur. Ne autem lites & cause hujusmodi legitimo careant defensore, vel ex lapsu anni hujusmodi quidquid in prejudicium alterius partium innovari vel machinari possit, tenore presentium motu proprio & ex certa nostra scientia, accedente ad id etiam prefati generalis prioris consensu, decernimus, declaramus, statuimus & ordinamus, quod donec lites & cause hujusmodi tractate & ventilate sunt, tractabunturque & ventilabuntur, sive indecise pendebunt in futurum, sopiteque penitus fuerint, annus tui prioratus officii monasterii Angelorum prefati nullatenus cucurrisse censeatur, neque currere debeat; quinimmo tu ejusdem monasterii Angelorum verus & indubitatus prior, sicut hucusque fuisti, tamdiu sis, censearis, reputeris & perseveres,

donec

donec lites, cause & questiones hujusmodi debitum finem acceperint, & penitus terminate ac sopite fuerint, & tempus, quo lites, cause & questiones hujusmodi pependerunt & duraverunt, pendebuntque & durabunt in futurum, ex anno tui prioritus hujusmodi deducatur, nisi aliud in futurum per generalem priorem prefatum, in cujus arbitrio hec reponimus, fuerit ordinatum. Decernentes irritum & inane &c. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. julii M. CCCC. LXXXVI. pontificatus nostri anno secundo.

Hier. Baldanus.

XCII.

Innocentius VIII. confirmat & extendit bullam Sixti IV. circa erectionem congregationis S. Michaelis de Muriano Venetiarum.

Anno 1487. XIII. kal. aprilis.

Ex Historia Camald. Augustini Fortunii, par. II. pag. 166.

INnocentius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis ecclesie presidentes pro monasteriorum & aliorum religiosorum locorum quorumlibet statu salubriter dirigendo, prout ex debito injuncti pastoralis tenemur officii, sollicite considerationis intuitum extendimus, & ad ea, per que monasteriorum & locorum eorumdem indemnitati consulitur, libenter interponimus sollicitudinis nostre partes, prout catholicorum principum vota exposcunt, & id in Domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordationis Sixto pape IV. predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum ducis & dominii Venetorum exposito, quod sancte Marie Carcerum & sancti Michaelis, ac per priorem soliti gubernari sancti Mathie de Murano Camaldulensis ordinis Paduane & Torcellane diocesis monasteriorum abbates & prior, qui pro tempore fuerant, ipsorum monasteriorum occurrente vacatione, perpetuo seu ad vitam eligi & confirmari consueverant, quo fiebat, ut aliquando, propter incuriam & negligentiam ipsorum abbatum & prioris, dicta monasteria, ut decens non erat, gubernarentur, in ipsorum & conventuum eorumdem non modicum prejudicium, ac divini cultus diminutionem. Verum si abbates sancte Marie & sancti Michaelis, ac prior sancti Mathie monasteriorum predictorum, eorum cujuslibet occurrente vacatione, ex tunc de cetero per ejus conventum seu conventus, intervenientibus aliis duobus abbatibus, seu abbate & priore superstitibus, simplicem vocem tantum pro quolibet aliorum duorum monasteriorum habentibus, de triennio in triennium eligerentur, & per illud tempus monasterio vel monasteriis tunc vacanti vel vacantibus preessent, profecto monasteria ipsa decentius in spiritualibus & temporalibus gubernarentur, ac in eis divinus cultus susciperet incrementum, idem Sixtus predecessor ducis & dominii predictorum in ea parte supplicationibus inclinatus auctoritate apostolica per quasdam literas perpetuo statuit & ordinavit, quod ex tunc de cetero cedentibus vel decedentibus simul vel successive dictorum monasteriorum tunc abbatibus seu abbate & priore aut aliquo ipsorum conventus monasterii seu monasteriorum vacantis seu vacantium, tunc vocatis aliis duobus abbatibus seu abbate & priore superstitibus, qui simplicem vocem tantum habent, abbates seu abbatem & priorem dictorum monasteriorum ac cujuslibet ipsorum de triennio in triennium duraturos dumtaxat & non ultra, nisi de novo forent electi, seu confirmati, ut prefertur, eligere deberent & tenerentur, ipsique sic electi abbates, seu abbas & prior, dicto durante triennio, monasteriis prefatis absque aliqua confirmatione apostolica vel ordinaria auctoritate facienda, preesse, illaque in spiritualibus & temporalibus gubernare possent, decernens omnes & singulas alias electiones, confirmationes, provisiones seu alias dispositiones de dictis monasteriis apostolica vel ordinaria auctoritate forsan faciendas, necnon totum id & quidquid in contrarium attentari contigerit, irrita & inania nullius roboris existere vel momenti, ac voluit, quod abbates seu abbas & prior ipsorum monasteriorum, qui pro tempore forent, de mediis fructibus ipsorum monasteriorum ratam seu annatam in camera apostolica debitis singulis quindecim annis eidem camere aut collectori fructuum & proventuum eidem camere debito in partibus illis pro tempore deputato perpetuo satisfacerent, alioquin statutum & ordinatio hujusmodi nullius existerent roboris vel momenti; & deinde antequam statutum & ordinatio hujusmodi quoad monasteria predicta effectum sortita, ac abbates ac prior illorum modo premisso electi fuissent, monasterio sancti Apollinaris

naris in Classe extra muros Ravennates dicti ordinis certo modo vacante, idem predecessor monasterium predictum sancti Apollinaris sic vacans cum annexis, juribusque & pertinentiis suis eidem congregationi juxta illius statuta, ritus & laudabiles mores tenendum, regendum & gubernandum per alias suas literas perpetuo univit, annexuit, incorporavit & applicavit, prout in singulis literis predictis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tam dilecti filii nobilis viri Augustini Barbarico ducis Venetorum & predictorum dominii, quam dilectorum filiorum abbatis sancti Michaelis & prioris sancti Mathie monasteriorum eorumdem, & universorum monachorum congregationis ejusdem petitio continebat, in sancti Michaelis & sancti Mathie monasteriis predictis, postquam per triennales abbatem & priorem, ut prefertur, recta & gubernata fuerunt, observantia regularis viguerit, ac in illis divinus cultus non modicum suscepit incrementum; & si triennium hujusmodi ad annum dumtaxat reduceretur ac statueretur & ordinaretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus capitulum generale in aliquo dicte congregationis monasterio, quod capitulum congregationis sancti Michaelis de Muriano nuncuparetur, celebraretur; & quod ad hujusmodi capitulum prelatus cujuslibet monasterii dicte congregationis una cum duobus monachis in sacris ordinibus constitutis, a conventu ejusdem monasterii capitulariter electis, & ubi tantum sex monachi forent, cum uno dumtaxat, venire tenerentur; & illi haberentur pro electis, in quos concurrerent plures voces partium, comparatione minorum, & si plures forent pares in vocibus, preferretur, qui superiorem & digniorem locum teneret in conventu. Et cum dicta congregatio ad numerum sex monasteriorum inclusive pervenisset, tunc unus monachus dumtaxat eligeretur, qui ad capitulum hujusmodi cum prelato veniret; qui quidem prelati & monachi haberent singuli tantum simplicem vocem in predicto capitulo, si inibi adessent, ex hoc profecto spes esset, quod in dies congregatio predicta, gratia assistente divina, cum religionis propagatione & animarum salute ac divini cultus augmento susciperet incrementum, & exinde sperati fructus provenirent. Pro parte eorumdem ducis, abbatis, prioris & monachorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro votiva dicte congregationis directione premissa omnia & singula, ac alia infrascripta statuere & ordinare, aliasque circa illa opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui statum monasteriorum & religiosorum locorum omnium in melius dirigi, ac divinum cultum vigere & augeri nostris potissime temporibus supremis desideramus affectibus, & quibus per authenticas literas dilecti filii Petri Delphini prioris eremi Camaldulensis Arretine diocesis & dicti ordinis generalis extitit facta fides, quod ejusdem Petri ad hoc expressus accedit assensus, ad omnipotentis Dei laudem & gloriam, & dicti ordinis, quem pre ceteris in visceribus gerimus caritatis, exaltationem, ac Christi-fidelium consolationem, hujusmodi inclinati supplicationibus auctoritate apostolica & ex certa nostra scientia tenore presentium statuimus, decernimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus abbates & priores monasteriorum predictorum & aliorum, qui pro tempore eidem congregationi unientur, annectentur & incorporabuntur, non perpetui vel triennales, sed dumtaxat annales existant, & singulis annis novi abbates & priores modo premisso eligantur, quique capitulum generale infra duos menses post presentationem presentium eisdem abbati & priori factam, in aliquo dicte congregationis monasterio, & deinde singulis annis loco & tempore per capitulum hujusmodi, quod congregationis sancti Michaelis de Muriano Torcellane diocesis nuncupetur; & ad illud prelatus cujuslibet monasterii dicte congregationis una cum duobus monachis in sacris ordinibus constitutis a conventu monasterii sui capitulariter electis, & ubi tantum sex monachi forent, cum uno dumtaxat venire teneantur, & illi pro electis habeantur, in quos concurrerint plures voces partium comparatione minorum; & si plures fuerint pares in vocibus, preferatur ille, qui superiorem & digniorem locum tenet in conventu. Et cum dicta congregatio ad numerum sex monasteriorum inclusive pervenerit, tunc unus monachus dumtaxat eligatur, qui ad capitulum hujusmodi veniat cum prelato, qui quidem prelati & monachi, si ibi presentes fuerint, tantum simplicem vocem habeant singuli in capitulo, neque absentes aliis vocem suam committere possint. Et quod in primo capitulo celebrando abbas dicti monasterii sancti Michaelis modernus, vel qui tunc fuerit, presideat ac absolvat omnes alios abbates, priores, prelatos & administratores dicte congregationis a suis dignitatibus, pre

prelaturis & adminiſtrationibus, & deinde ſeipſum pari modo a prelatura & adminiſtratione dicti monaſterii ſancti Michaelis abſolutum denuntiet. Quod ſi non fecerit, tam ipſe, quam alii congregationis hujuſmodi abbates, prelati & adminiſtratores preſentes & abſentes, nihilominus cenſeantur eo ipſo a prelaturis & adminiſtrationibus hujuſmodi penitus amoti, abſoluti & illis privati, exceptis dumtaxat modernis dictorum monaſteriorum ſancti Apollinaris in Claſſe, & de Carceribus abbatibus, qui ſuper hoc ſpeciali ſedis apoſtolice privilegio potiuntur. In aliis vero capitulis celebrandis vicarius dicte congregationis tunc exiſtens & in ejus abſentia ſenior viſitator preſens omnia premiſſa faciat. Quibus peractis antiquior capituli uſque ad publicationem definitorum dumtaxat locum teneat ſuperiorem in conventu, & omnia ſi qua per prelatum illius fieri ſolita faciat. Quodque a toto capitulo dicte congregationis ſeptem, videlicet tres ex his, qui eo anno prelati extiterunt vel ſunt, reliqui vero quatuor ex monachis, qui fuerint in capitulo in definitores, & illorum unus in ejuſdem capituli preſidentem eligantur. Qui ſi tot prelati ibi non fuerint, tunc per predictos congregatos eligantur unus vel plures ex monachis dicte congregationis uſque ad numerum ſeptem, ac preſidens & definitores predicti plenam, liberam & omnimodam facultatem & auctoritatem habeant eligendi & preficiendi abbates, priores, prelatos & adminiſtratores quoſcumque in monaſteriis, eccleſiis & locis quibuſcumque congregationis hujuſmodi ad annum dumtaxat duraturos. Poſſintque etiam eligere viſitatores anni ſequentis, necnon ſcrutatores de his, qui fuerint in capitulo vel extra, ac eligere & conſtituere unum ſcribam ex definitoribus vel aliis, qui in dicto capitulo fuerint, cujus ſcripturis & actis in judicio & extra, & alibi ubilibet fides indubia adhibeatur, dummodo ſigillo capituli predictorum fuerint roborata. Ac ſtatuere & ordinare quicquid ſecundum Deum & eorum conſcientiam dicte congregationi viderint expedire, dummodo quod ſtatuerint, licitum & honeſtum exiſtat. Que ſtatuta & ordinationes ab omnibus prelatis & monachis dicte congregationis non ſecus obſerventur, quam ſi eſſent per ſedem apoſtolicam ordinata, & ex tunc per ſedem eamdem cenſeantur confirmata abſque alia ſedis ejuſdem confirmatione ſpeciali. Poſſintque etiam & debeant dicti preſidens & capitulum dicte congregationis unum vicarium ex prelatis electis eligere, qui vicarius congregationis ejuſdem appelletur, cujus officium duret per annum, confirmetur per priorem generalem eremi Camaldulenſis & Arretine dioceſis ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, ſtatimque poſt ejus electionem valeat adminiſtrare, dummodo infra menſem confirmationem eamdem petierit, quod ſi eam infra terminum predictum petere neglexerit ſive diſtulerit, electio de eo facta hujuſmodi nullius ſit roboris vel momenti. Qui ſi non fuerit ab eodem infra terminum quindecim dierum confirmatus, poſtquam humiliter & devote fuerit requiſitus, ex tunc abſque aliqua confirmatione officium ſuum exercere valeat; & ſi idem ſequenti anno vel in antea electus fuerit, nulla ulterius indigeat confirmatione. Quodque idem vicarius in tota hujuſmodi congregatione eamdem habeat poteſtatem, quam dictus generalis prior habet in toto ordine predicto & perſonis illius, excepta poteſtate inſtituendi & deſtituendi prelatos, niſi cum modificatione infraſcripta, videlicet, quod infra annum dictus vicarius una cum viſitatoribus illius anni poſſint amovere, privare & mutare, deſtituere & inſtituere quoſcumque prelatos & adminiſtratores congregationis hujuſmodi a prelaturis & adminiſtrationibus ſuis, cauſis emergentibus id expoſcentibus, de quibus eis videbitur. Cujus cauſe examinatio & deciſio eorum conſcientie penitus relinquatur pro bono & utilitate dicte congregationis, & alios loco eorum ſurrogare & preficere uſque ad capitulum proxime celebrandum, & id etiam facere valeat, ſi contigerit aliquem prelatorum interim decedere, & ſi dictus vicarius infra annum decederet, dicti anni viſitatores una cum duobus prelatis propinquioribus illi monaſterio, cui vicarius ille prefuerat, poſſint eligere unum alium vicarium uſque ad capitulum proximum dumtaxat duraturum abſque alia confirmationem. Quodque monachi & converſi dicte congregationis vel eorum aliquis, non poſſint abſque licentia capituli, vel vicarii & viſitatorum predictorum pro tempore exiſtentium ad alia monaſteria ſive loca, in quibus non vigeat dicti ordinis obſervantia regularis, etiam pretextu quarumcumque literarum apoſtolicarum, de preſentibus ſpecialem & expreſſam, de verbo ad verbum mentionem non facientium, tranſire. Et quia moderni abbates ſancti Apollinaris & de Carceribus monaſteriorum predictorum per ſpeciale privilegium eorum vita durante amoveri non poſſunt, volumus, ac ſenten-

tentia & auctoritate predictis decernimus, quod eis simul vel successive cedentibus, vel decedentibus, aut dictis sancti Apollinaris & de Carceribus monasteriis per cessum vel decessum, aut aliis quibusvis modis etiam apud sedem predictam vacantibus, etiam triennium predictum ad annum modo & forma premissis eo ipso reductum sit & esse censeatur. Et sancti Apollinaris & de Carceribus monasteria predicta cum omnibus juribus, pertinentiis & annexis suis ad ipsam congregationem in omnibus & per omnia plenarie eo ipso revertantur, applicentur, & illi penitus se conforment. Quodque presidens cum definitoribus in capitulo, vel vicarius cum visitatoribus predictis tunc infra annum eisdem sancti Apollinaris & de Carceribus monasteriis de abbatibus annualibus monasterio premisso valeant providere, possintque moderni dictorum monasteriorum sancti Apollinaris in Classe & de Carceribus abbates, quamdiu vitam duxerint in humanis, ad capitulum accedere, & in eo simplicem vocem habere. Decernentes irritum & inane *&c.* Non obstantibus *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, decreti & voluntatis infringere *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXXVIII. tertio-decimo Kalendas aprilis pontificatus nostri anno quarto.

XCIII.

Idem Innocentius instituit in monasterio Vangaticiensi abbatem commendatarium Ambrosium Bernardum.

Anno 1487. III. nonas augusti.

Ex autographo in archivo Vangaticiensi.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro Ambrosio Bernardo clerico Venetiarum notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Romani pontificis providentia circumspecta singulis ecclesiis & monasteriis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur presidio, prospicit diligenter, ac personis ecclesiasticis presertim sibi ac apostolice sedis gratia devotionis obsequiis impendentibus, ut in suis opportunitatibus competens suscipiant relevamen, libenter, prout decens est, de subventionis auxilio providet opportuno. Sane monasterio beate Marie de Vangadicia Camaldulensis ordinis Adriensis diocesis, quod dilectus filius magister Leonellus de Trottis clericus Ferrariensis notarius noster ex concessione & dispensatione apostolice sedis in commendam nuper obtinebat, cessante commenda hujusmodi, ex eo quod ipse Leonellus illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, adhuc eo quo ultimo dum eidem Leonello commendatum extitit, vacaverat, modo vacante, nos verum & ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo generalis reservatio resultet, presentibus pro expresso habentes, & tam eidem monasterio de gubernatore utili & idoneo, per quem circumspecte regi, & salubriter dirigi valeat, quam etiam tibi, ut te decentius substentari valeas, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, monasterium predictum sic vacans tibi per te, quoad vixeris, tenendum, regendum & gubernandum de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate commendamus, curam, regimen & administrationem dicti monasterii tibi tam in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos monasterium ipsum per tue circumspectionis industriam & studium fructuosum dextera Domini tibi assistente propitia regetur utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod propter hujusmodi commendam, solitus monachorum & ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, & quod tu debitis & consuetis monasterii predicti ac dilectorum filiorum conventus ejusdem supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus & proventibus disponere & ordinare libere ac licite valeas, sicut ipsius monasterii abbates, qui fuerunt pro tempore, de eis disponere & ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam, regimen & administrationem hujusmodi per te, vel alium seu alios sic geras sollicite, fideliter & prudenter, quod dictum monasterium gubernatori provido & fructuoso gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium nostram & dicte sedis benedictionem & gratiam consequi merearis. Volumus autem, quod tu antequam regimini & administrationi hujus-

hujusmodi te immisceas, solitum juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, prestes juramentum in manibus venerabilium fratrum nostrorum patriarche Venetiarum & episcopi Tarvisini; quibus & cuilibet eorum per alias literas nostras commisimus, quod ipsi vel alter eorum a te hujusmodi recipiant seu recipiat juramentum. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quadrigentesimo octuagesimo-septimo tertio nonas augusti pontificatus nostri anno tertio.

Innocentius &c. Venerabili fratri.. episcopo Adriensi salutem & apostolicam benedictionem. Hodie monasterium beate Marie Vangadicie Camaldulensis ordinis Adriensis diocesis tunc certo modo, quem pro expresso haberi volumus, abbatis regimine destitutum dilecto filio magistro Ambrosio Bernardo clerico Venetiarum notario nostro, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum & gubernandum de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate commendamus, curam, regimen & administrationem dicti monasterii sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum igitur, ut idem Ambrosius Bernardus in commissa sibi cura predicti monasterii, quod tibi ordinario jure subesse dinoscitur, facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente, & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eumdem Ambrosium Bernardum & commissum sibi monasterium predictum habens pro nostra & sedis apostolice reverentia propensius commendatos, in ampliandis & conservandis juribus suis sic eum tui favoris presidio prosequaris, quod idem Ambrosius Bernardus in commisso sibi ejusdem monasterii regimine se possit utiliter exercere, tuque divinam misericordiam, ac nostram ac dicte sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome &c. *ut supra*.

Innocentius &c. Dilecto filio magistro Ambrosio Bernardo clerico Venetiarum notario nostro salutem & apostolicam benedictionem. Apostolice sedis indefessa clementia ad ea libenter intendit, per que personarum ecclesiasticarum statui valeat salubriter provideri. Cum itaque nos hodie monasterium beate Marie de Vangadicia Camaldulensis ordinis Adriensis diocesis ad presens certo modo, quem pro expresso haberi volumus, abbatis regimine destitutum tibi per te, donec vixeris, tenendum, regendum, & gubernandum de fratrum nostrorum consilio commendare intendamus, nos ne commenda hujusmodi, si aliquibus sententiis, censuris, & penis ecclesiasticis ligatus existis, possit invalida reputari, volentes te a quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus vel irretitus existis, quoad hoc duntaxat, ut commenda hujusmodi ac singule litere apostolice desuper conficiende suum consequantur effectum, auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus, & absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus &c. Datum Rome &c. *ut supra*.

XCIV.

Monasteria de Carceribus & Montis-crucum eximuntur ab Innocentio VIII. a visitationibus quorumcumque, etiam legatorum a latere, preterquam a visitatoribus Camaldulensibus.

Anno 1487. XIV. Kal. decemb.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. abbati & conventui monasterii Carcerum, &.. priori prioratus Montis-crucum Camaldulensis ordinis Paduane diocesis & eorumdem monasterii & prioratus conventibus salutem & apostolicam benedictionem. Sacre religionis sinceritas, sub qua mundanis abjectis illecebris devotum & sedulum exhibetis Domino famulatum, non indigne promeretur, ut ea vobis & monasterio vestro favorabiliter concedamus, per que in illo quietius degere valeatis, ac iis, que in judicio provide facta sunt, ut firmius illibata perdurent, apostolici adjicimus muniminis firmamentum. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet sedes apostolica quieti omnium religiosorum Camaldulensis ordinis providere volens, eremum Camaldulensem Arretine diocesis, & omnia monasteria & membra dicti ordinis, & illorum abbates, priores, conventus, monachos & personas sub beatorum Petri & Pauli, ac ejusdem sedis protectione susceperit, & ab ordinariorum locorum ac aliorum omnium potestate, jurisdictione, visi-

visitatione & correctione prorsus exemerit, & totaliter liberaverit, itaut nullam possent in eos superioritatem quomodolibet exercere, quia tamen nonnumquam contingit, quod prior generalis ipsius ordinis importunitate querentium, aut sui facilitate vel alias plerumque variis respectibus inductus locorum ordinariis, & aliis quam dicti ordinis monachis & personis vices suas committit, & ipsi ordinarii ac alie persone pretextu commissionum hujusmodi monasterium Carcerum & prioratum Montis crucum vestrum, vos & alias personas eorumdem monasterii & prioratus visitare, & in eos jurisdictionem ac superioritatem nomine dicti generalis prioris exercere nituntur, vos exemptionis hujusmodi per indirectum frustramini effectu, & similiter dum aliqui dicte sedis nuntii, presertim cum potestate legati de latere asserentes se in exemptione predicta non includi, in vos & monasterium, & prioratum vestrum, & illius personas superioritatem exercere velle affirmant. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut exemptionem hujusmodi, prout vos & monasterium ac prioratum vestrum predictum concernit, ad prefatos nuntios extendere & ampliare, ac vobis quod ab alio, quam ipso generali priore dicti ordinis, aut deputato in capitulis dicti ordinis visitatore, qui ipsius ordinis monachus existat, vel a dicta sede nominatim deputato ibidem visitatore visitari nullatenus possitis per quoscumque alios, etiam quibus idem generalis prior vices suas commisisset, & dicti ordinis monachi non forent, ullatenus ad visitandum vos admittere, vel illorum ac nuntiorum hujusmodi mandatis obtemperare teneamini, concedere, ac venerabili fratri nostro moderno ac pro tempore existenti episcopo Paduano, & quibusvis aliis personis ordinem predictum non professis, ne pretextu cujusvis auctoritatis & potestatis eis pro tempore concesse per generalem priorem prefatum nunc & pro tempore existentem, necnon nuntiis prefatis, ne in vos & monasterium & prioratum vestrum, illorumque monachos & personas pro tempore existentes, membra & bona hujusmodi aliquam superioritatem exercere. Et eidem generali priori ne per se vel alium vobis & monasterio & prioratui vestro predictis aliqua alia onera, quam contributionis in solutione unius uncie auri camere apostolice pro exemptione predicta anno quolibet debite & ex causa necessaria ordini incumbentia indicere, imponere, aut a vobis exigere directe vel indirecte quoquam modo presumat inhibere. Ac rite latam per bone memorie Gerardum episcopum Paduanum in causa quadam, que coram eo inter tunc abbatem & vos conventum monasterii Carcerum, & dilectos filios collegium presbyterorum ecclesie beate Marie loci Montagnane dicte diocesis super decimis fructuum excrescentium in novalibus loci predicti pro vobis & contra dictum collegium sententiam, cui collegium prefatum appellationi pro eorum parte ab ea interposita renunciando acquieverint, confirmare & approbare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ad ea, per que quorumlibet presertim regularem vitam ducentium personarum statui & animi tranquillitati, ut Altissimo quietius famulari valeant, providetur, libenter intendimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, exemptionem hujusmodi, prout vos & monasterium ac prioratum vestrum predicta concernit, ad prefatos nuntios auctoritate apostolica presentium tenore extendimus & ampliamus, ac vobis, quod generali priore & visitatore, ut prefertur, deputato predictis dumtaxat exceptis, per quoscumque alios, etiam quibus generalis prior vices suas hactenus commisisset, & dicti ordinis monachi non essent, etiamsi episcopali vel alia quavis dignitate & auctoritate fungerentur, visitari nullatenus possitis, nec vos quibus idem generalis prior vices suas hactenus commisisset, & pro tempore committeret, qui dicti monachi non essent, admittere, vel illorum ac nuntiorum hujusmodi mandatis obtemperare nullatenus teneamini, dicta auctoritate concedimus, ac prefato & pro tempore existenti episcopo Paduano, & quibusvis aliis personis ordinem ipsum non professis, ne pretextu cujusvis auctoritatis ac potestatis pro tempore concesse vel attribute per generalem priorem prefatum, ac nuntiis prefatis, ne in vos & monasterium ac prioratum vestrum predicta, illorumque monachos & personas pro tempore existentes, aut membra & bona predicta superioritatem aliquam exercere, necnon eidem generali priori, ne per se vel alium vobis & monasterio vestro aliqua alia onera quam contributionis in solutione dicte uncie auri eidem camere, ut prefertur, debite, vel pro onerum eidem ordini pro tempore incumbentium ex causa necessaria supportatione indicere vel imponere, seu a vobis & dicto monasterio directe vel indirecte exigere quoquomodo presumant, eadem auctoritate districtius inhibemus, irritumque ex nunc decernimus

& ina-

& inane quicquid per eos contra inhibitionem nostram hujusmodi contigerit attentari. Necnon sententiam predictam, prout rite lata est, dicta auctoritate confirmamus & approbamus. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXXVII. quarto-decimo kalendas decembris pontificatus nostri anno III.

B. de Visdominis.
B. de Rizonibus. Jo. Nilis.
N. Bufalinus.

XCV.

Dux & Senatus Venetus scribunt oratoribus suis, ut obtineant a summo pontifice unionem monasterii de Astino congregationi S. Michaelis de Muriano.

Anno 1487. XXXI. decembris.

Ex veteri exemplo archivi S. Mathiæ.

AUgustinus Barbadico Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & sapientibus viris Sebastiano Baduario & Bernardo Bembo doctori, equitibus, oratoribus nostris in curia, fidelibus dilectis salutem & dilectionis affectum. Cupiens rev. dominus abbas monasterii sancti Sepulcri de Astino extra muros civitatis nostre Bergomi, monasterium ipsum ad observantem & exemplarem vitam redigere, contentavit cedere abbatiam ipsam & illius jura venerabilibus abbati, priori & monachis congregationis sancti Michaelis de Muriano: verum cum hujuscemodi cessio & concordium initum cedat in maximam laudem summi Dei nostri, augmentum divini cultus, & ingentem consolationem totius illius fidelissimi nostri populi Bergomensis, volumus, & cum Senatu nostro vobis imperamus, ut prestita occasione nostris verbis suppliceris Beatitudini Pontificie, dignetur gratam habere ac confirmare rem suprascriptam. Quod ex omnibus antedictis respectibus habituri sumus ut quam gratissimum.

Altre volte ve fo scrito per lettere del consejo de pregai, che dovesti usar ogni diligentia cum la santità del nostro Signor, che la abbatia de san Sepolcro de Astin, che è a presso de Bergamo, fosse unita cum la congregation de san Michael de Muran. Unde ne haveti scrito quanto ve ha resposto sopra de zo la santità del nostro Signor, rechiedando da noi risposta. Per tanto ve respondemo, che nostra firma intention è, che tegnadi muodo, e che usadi ogni diligentia e cum la santità del nostro Signor, e cum el consistorio di signori cardinali, che le letere de pregai habano suo effetto, perochè questo monestier è in luogo molto suspecto, unde volemo, che in esso li sia religiosi da ben e de le nostre terre, quali sona questi de san Michel, e per questo non se sminuisse la sedia apostolica, pèrchè haverà la sua annata de tempo in tempo, e oltra de questo nostra intention è de favorizar more nostro le religion & i monasterj de le nostre terre, che non vada in perdida, ma che crescano e vadano de ben in meglio; e questa credemo esser la via. Unde fate, quanto ve scrivemo.

XCVI.

Episcopus Parentinus instituitur abbas S. Michaelis de Lemmo a legato apostolico.

Anno 1488. XXI. julii.

Ex archivo S. Mathiæ lib. H. pag. 6.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem M. CCCC. LXXXVIII. indictione VI. Coram ven. & circumspecto viro domino Martino de Andronicis cancellario Parentino personaliter constitutus ven. dominus Mattheus de Ramis canonicus Parentinus tamquam procurator & procuratorio nomine rev. in Christo patris & domini domini Johannis-antonii Pavari episcopi Parentini, prout de sue procurationis mandato mihi notario infrascripto ostendit legitimis documentis quasdam literas provisionis abbatie sancti Michaelis de Lemo Parentine diocesis a rev. in Christo patre & domino domino Nicolao Franco episcopo Tarvisino legato apostolico cum potestate cardinalis legati a latere per universum dominium Venetorum in personam ejusdem rev. episcopi Parentini ob mortem domni Johannis de Claris ultimi abbatis & possessoris abbatie predicte, ejusque pendenti sigillo munitas eidem domino vicario legitime presentavit, quarum tenor ob ejus prolixitatem omitto, petiitque nomine quo supra per prefatum dominum Martinum induci debere in & ad corporalem, realem & actualem possessionem ipsius ecclesie & abbatie cum omnibus juribus &c. Qui quidem dominus Martinus tamquam obedientie filius eisdem literis receptis ea reverentia, qua decebat, eisdemque obedire

dire desiderans eumdem dominum Mattheum procuratorem &c. in &c. actualem possessionem dicte ecclesie & abbatie cum decantatione & solemnitatibus in talibus fieri solitis & consuetis induxit &c. recepto ab eodem primitus juramento de conservandis privilegiis & statutis, & non alienandis, super quibus omnibus & singulis ego infrascriptus notarius hoc presens publicum instrumentum confeci vocatus, rogatus & requisitus.

Acta autem fuerunt in prelibata ecclesia sancti Michaelis de Lemo presentibus domino Zacharia de Barbana beneficiato in ecclesia castri sancti Laurentii, & presbytero Justo beneficiato in ecclesia Ursarie ac aliis die XXI. mensis julii millesimo suprascripto.

Ego presbyter Johannes canonicus ecclesie sancti Martini castri sancti Laurentii publicus imperialis notarius &c. scripsi &c.

XCVII.

Alexander VI. copiam facit abbati S. Michaelis Pisarum recipiendi ad professionem moniales diœcesis Pisanæ.

Anno 1493. XI. julii.

Ex tabulario ejusdem monasterii S. Michaelis.

ALexander papa VI. Dilecto filio . . abbati monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum Camaldulensis ordinis. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti, quod tu ven. fratris nostri Juliani episcopi Ostiensis cardinalis sancti Petri ad Vincula commendatarii monasteriorum sancti Pauli ad ripam Arni & sancti Savini Vallis-umbrose & Camaldulensis ordinis Pisane diocesis vicarius in eisdem monasteriis existis, quodque juxta monasterium predictum sancti Pauli est aliud monasterium ejusdem ordinis, in quo moniales degunt sub cura abbatis pro tempore prefati monasterii sancti Pauli vivere consuete, que donec ei vicariatus hujusmodi officio illic fungeris, cupiunt professionem, per moniales dicti monasterii & Vallis-umbrose emitti solitam, in tuis manibus emittere, supplicari propterea nobis curasti, ut ipsarum monialium desiderio in hoc dignaremur annuere, presertim cum Pisanus archiepiscopus loci ordinarius ibidem non resideat: nos hujusmodi supplicationibus inclinati, & de tua probitate confidentes tibi, ut quarumcumque virginum & mulierum dictum ordinem Vallis-umbrose in dicto seu aliis monasteriis etiam sub regula sancti Benedicti viventium in civitate seu diocesi Pisana profiteri volentium, de consensu tamen & sine prejudicio eorum, ad quos pertinet, aut vestem aut velum, ut moris est, exhibendi ac benedicendi licentiam & facultatem apostolica auctoritate concedimus pariter & indulgemus, constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die XI. julii M. CCCC. LXXXXIII. pontificatus nostri anno I.

Jo. Crothon.

XCVIII.

Idem concedit in commendam Dominico cardinali Grimano abbatiam de Carceribus.

Anno 1494. Kalendis aprilis.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

ALexander papa VI. dilecto filio nostro Dominico sancti Nicolai inter imagines diacono cardinali. Dilecte fili noster salutem & apostolicam benedictionem. Dum exquisitam tue circumspectionis industriam diligenter attendimus, & paterna meditatione pensamus, quod in Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum, quin potius debitum reputamus, ut eam tibi reperias in exhibitione gratiarum munificam, & in tuis opportunitatibus liberalem. Hinc est, quod nos, qui dudum post factam per nos in crastinum assumptionis nostre ad summi pontificatus apicem revocationem omnium specialium reservationum, preter quam earum, super quibus litere apostolice per cancellariam apostolicam expediri consueverant, nonnullas ex specialibus reservationibus etiam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus per felicis recordationis Innocentium papam VIII. concessas revalidaveramus & restitueramus, illasque & alias speciales reservationes aliis & etiam iisdem cardinalibus concesseramus, habitaque super iis cum eisdem cardinalibus matura deliberatione, & de illorum consilio ex certis causis die XV. kalend. aprilis pontificatus nostri anno primo omnes

& sin.

& singulas alias, quam super quibus per cancellariam predictam litere predicte expediri consueverant, speciales reservationes de quibusvis etiam patriarchalibus, metropolitanis & aliis cathedralibus ecclesiis ac monasteriis & beneficiis ecclesiasticis cum cura & sine cura secularibus & ordinum quorumcumque regularibus cum provisionibus seu commendis, aut de providendo seu commendando mandatis, & in eventum revocationum restitutionibus, repositionibus & novis concessionibus, ac declarationibus ac attestationibus, aliisque inde secutis per dictum Innocentium predecessorem & nos in favorem quorumcumque & quibuscumque, etiam dictis cardinalibus, ac etiam imperatoris, regum & aliorum principum consideratione, & ea quibusvis etiam urgentissimis causis concessas & factas, quoad ea, in quibus non erant sortite effectum, revocavimus, dictamque revocationem, quamvis publicata non foret, ex dicta die locum sibi vendicare voluimus in omnibus & per omnia, per inde ac si publicata fuisset, & quas de cetero a nobis emanare contingeret, speciales reservationes hujusmodi pro nullis & infectis haberi decrevimus, & postmodum attendentes, quod post factam per nos specialium reservationum hujusmodi, ut prefertur, revocationem, alique ex ipsis specialibus reservationibus tam per nos, quam per dictum Innocentium predecessorem etiam dictis cardinalibus concessis, etiam motu proprio & ex certa scientia per nos revalidate, restitute, reintegrate & de novo concesse fuerant, & ex certis causis etiam tunc expressis revocationem, voluntatem & decretum ultimo facta hujusmodi cum irritantis appositione decreti innovavimus, illaque adversus postea in favorem etiam eorumdem cardinalium revalidatas, restitutas, repositas, & de novo etiam ipsis cardinalibus cum quibusvis etiam derogatoriis clausulis concessas speciales reservationes de novo edimus. Declarantes & decernentes quascumque clausulas etiam derogatoriarum derogatorias & fortiores in eisdem reservationibus, & inde secutis contentas, qualescumque essent quibusvis personis etiam dictis cardinalibus nullatenus suffragari posse, quominus in eisdem innovatione & nova editione comprehenderentur. Attendentes, quod tu, qui cardinalatus honore presulges, facultatibus potissime ecclesiasticis, quibus juxta cardinalatus hujusmodi sublimitatem, statum tuum tenere valeas, nec affluis, ac jam tibi, ut expensarum onera, que te propterea jugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas, & ne tanti culminis honorem rerum temporalium carentia obnubilet, de alicujus subventionis auxilio, quam monasterio beate Marie ad Carceres Camaldulensis ordinis Paduane diocesis, cui dilectus filius Petrus illius abbas preest, quamprimum illud per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem dicti Petri, jam, ut accepimus, senio confecti vacare contigerit, de gubernatore utili & idoneo, per quem circumspecte regi & salubriter dirigi valeat, providere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed nostra mera liberalitate, & ex certa nostra scientia monasterium ipsum quamprimum per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem dicti Petri etiam apud sedem apostolicam vacare contigerit, commendatum tibi cum omnibus juribus & pertinentiis suis nostre & sedis predicte dispositioni specialiter & expresse reservamus, illudque cum vacaverit, etiamsi forsan actu nunc quovismodo & ex cujuscumque persona vacet, & ex quavis causa illius provisio & dispositio ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, & de illo, dum pro tempore vacat, valeat seu debeat consisto ialiter provideri, illiusque fructus, redditus & proventus cujuscumque taxe seu annui valoris fuerint ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc tibi per te, quoad vixeris, etiam nostra cum sancti Nicolai inter imagines, que denominatio tui cardinalatus existit, ac quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus & prebendis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura & sine cura secularibus, & ordinum quorumcumque regularibus, que in titulum vel commendam obtines & imposterum obtinebis, ac pensionibus annuis, quas super quibusvis fructibus, redditibus & proventibus ecclesiasticis tibi assignatis percipis & percipies, tenendum, regendum & gubernandum, ita quod liceat tibi debitis & consuetis supportatis oneribus ipsius monasterii & dilectorum filiorum conventus ejusdem, de residuis illius redditibus, fructibus & proventibus disponere & ordinare, prout dicti monasterii abbates, qui fuerunt pro tempore, de illis disponere & ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta, motu & scientia predictis commen-

mendamus & commendatum esse decernimus & declaramus, districtius inhibentes conventui prefato, ne dicti monasterii occurrente vacatione ad electionem vel postulationem cujusque in illius abbatem, & venerabili fratri nostro episcopo Paduano, ne ad hujusmodi confirmationem, aut postulationis admissionem, seu de abbate illi provisionem, etiam pretextu cujuscumque facultatis eis desuper concesse & concedende procedere, necnon quibusvis etiam S. R. E. cardinalibus, quibus speciales reservationes ad dictum monasterium in eventum illius vacationis, ut prefertur, per nos etiam motu & scientia similibus concesse sunt, & quibusvis aliis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, preeminentie vel conditionis fuerint, etiam simili cardinalatus honore fulgentibus, similes vel dissimiles, speciales vel generales reservationes, aut alias quascumque gratias expectativas etiam efficaciores, uniones, annexiones, incorporationes perpetuas vel temporales, seu in perpetuum vel ad certum tempus vivendi mandata, necnon nominandi vel nominatis vel aliis conferendi seu commendandi facultates & indulta sub quibuscumque verborum formis & expressionibus, & clausulis etiam intuitu seu consideratione quorumvis etiam prelatorum & dominorum temporalium quacumque etiam imperiali, regali, ducali, patriarchali, archiepiscopali, episcopali aut quavis alia auctoritate, dignitate seu preminentia ecclesiastica vel mundana, aut etiam cardinalatus honore fulgentium, etiam de quibus, quorumque dignitatibus, auctoritatibus, honoribus & preeminentiis specialis, specifica & expressa mentio habenda foret, aut alia quavis etiam majori ex causa, etiam in recompensam laborum pro sede predicta aut fide catholica impensorum, seu jurium cessorum vel ablatorum, etiam motu & scientia consimilibus concessa & concedenda ad dictum monasterium etiam nominatim & specifice se extendentes habentibus & imposterum habituris etiam in datarum literarum prioribus & diligentioribus in processibus, ac quibuscumque antelationum prerogativis utentibus & gaudentibus, etiamsi familiares nostri continui commensales concessis & concedendis comprehensorum, per eos seu de mandato nostro forsan hactenus facta, vel imposterum prima vel alia descriptione descripti, aut Romane curie officiales quevis beneficia in eadem curia etiam actu exercentes, vel alii cujuscumque status, gradus vel preeminentie quavis ecclesiastica etiam cardinalatus vel mundana dignitate, nobilitate & auctoritate prefulgentes sint vel fuerint, ne illorum pretextu dictum monasterium acceptare, aut illud sibi commendare, vel se illi in abbatem prefici facere, aut cuicumque mense archiepiscopali aut episcopali, vel abbatiali, aut capitulari vel alias quommodolibet uniri, seu ad illud se postulari facere, necnon quibuscumque legatis & nuntiis dicte sedis, etiam cum potestate legati de latere, aut quavis alia, etiam ad hoc specifica attributa facultate destinatis vel destinandis, ne de illo pretextu quarumcumque facultatum seu literarum apostolicarum eis super hoc per nos vel dictam sedem pro tempore concessarum disponere vel se intromittere quoquomodo presumant. Ac decernentes te predictis etiam ejusdem S. R. E. cardinalibus aut quibusvis aliis quavis exceptione & replicatione, ac quibuscumque antelationum prerogativis semotis in ejusdem monasterii assecutione preferri debere, necnon ex nunc omnes & singulas provisiones, commendas, electiones, acceptationes, uniones *&c.* quas etiam per nos & sedem predictam, vel alterius, quam tui favorem de dicto monasterio fieri, necnon totum id & quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti. Quocirca motu & scientia similibus eisdem conventui, ut tibi obedientiam & reverentiam congruentes, necnon dilectis filiis vassallis & aliis subditis dicti monasterii, ut consueta servitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententias sive penas, quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus *&c.* Proviso, quod in dicto monasterio solitus monachorum & ministrorum numerus nullatenus negligatur, & illud alias in spiritualibus non ledatur, & in temporalibus detrimenta non substineat, sed illius ac conventus predictorum congrua supportentur onera antedicta. Nulli ergo *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice M. CCCC. LXXXXIIII. kalendis aprilis pontificatus nostri anno secundo.

A. de Bellapanibus.

ALEXANDER papa VI. dilecto filio nostro Dominico sancti Nicolai inter imagines diacono cardinali. Dilecte fili noster salutem & apostolicam benedictionem. Cupien-

pientes, ut statum tuum juxta cardinalatus dignitatem decentius tenere valeres, tibi motu proprio & ex certa nostra scientia monasterium beate Marie ad Carceres Camaldulensis ordinis Paduane diocesis quamprimum per cessum vel decessum, aut aliam dimissionem dilecti filii Petri illius abbatis vacaret, nostre & sedis apostolice dispensationi specialiter reservavimus, illudque cum vacaret, ex tunc tibi per te, quoad viveres, tenendum, regendum & gubernandum commendavimus, ac commendatum esse decrevimus, districtius inhibendo inter cetera dilectis filiis conventui dicti monasterii, ne occurrente illius vacatione ad electionem vel postulationem cujusque procedere, ac quibusvis personis etiam S. R. E. cardinalibus, quibus forsan similes speciales vel generales reservationes & gratie expectative ad dictum monasterium se extendentes concesse erant, nec illud acceptare aut commendari se facere presumerent, easdem speciales reservationes & gratias expectativas, ac uniones annexiones & incorporationes de dicto monasterio perpetuo vel ad tempus, ac alias quascumque concessiones etiam motu & scientia similibus factas & concessas ea vice suspendimus, & te in assecutione dicti monasterii quibusvis personis, etiam ejusdem S. R. E. cardinalibus omnino anteferri voluimus & decrevimus, prout in eisdem nostris desuper confectis literis, quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut nobis innotuit tam felicis recordationis Sixtus IIII. quam Innocentius VIII. Romani pontifices predecessores nostri per eorum literas conventui prefato concesserint, quod occurrente dicti monasterii vacatione abbatem seu priorem triennalem seu annualem sibi eligant per eorum literas alias sub certis modo & forma, ac ex certis causis in illis expressis concesserint, & forsan ab aliquibus dubitari posset conventum prefatum vigore literarum predecessorum predictorum ad electionem abbatis seu prioris triennalis vel annualis procedere posse, inhibitione nostra predicta non obstante, ex quo tu contra intentionem nostram effectu nostrarum literarum predictarum tibi concessarum frustratus remaneres. Nos igitur cupientes, ut optatum fructum literarum nostrarum predictarum consequaris, motu proprio & scientia similibus volumus, decernimus & declaramus, tibique concedimus, quod literis Sixti & Innocentii predecessorum hujusmodi, quibus etiam tenore presentium derogamus, nequaquam obstantibus nostre litere predicte cum inhibitionis, suspensionis & decreti, & aliis clausulis, necnon antelationibus & declarationibus quibuscumque in illis contentis in suis vigore & firmitate valeant, & tibi suffragentur quoad hoc, ut tu dictum monasterium cum vacaverit, illorum vigore assequi possis, & debeas, alias juxta earumdem literarum nostrarum tenorem & formam in omnibus & per omnia, perinde ac si predecessorum predictorum litere, quas ex quacumque causa etiam observationis regularis discipline in eodem monasterio per eosdem predecessores, & alias uniones, annexiones & incorporationes de dicto monasterio monasterio sancti Michaelis de Muriano prope Venetias dicti ordinis per eumdem Sixtum predecessorem ut asseritur, factas concesse fuerint, quo ad hoc suspendimus, revocamus & annullamus, ac pro nullis & infectis & non concessis haberi volumus, ac si ab eisdem predecessoribus nullatenus emanassent. Sicque per quoscumque auditores & judices, etiam S. R. E. cardinales tam in Romana curia, quam extra eam pro tempore deputatos in favorem & validitatem literarum predictarum tibi concessarum in quibuscumque causis pro tempore motis sententiari, judicari vel definiri volumus & mandamus, sublata aliter judicandi & interpretandi facultate. Non obstantibus constitutionibus *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die IV. junii M. CCCC. LXXXXIIII. pontificatus nostri anno secundo L. Podacatarus.

XCIX.

Idem confirmat monasterio Vangaticiensi privilegia a suis prædecessoribus concessa.

Anno 1495. III. nonas martii.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe. LIII. 14.

ALexander episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, quo sumus universis ecclesiis & monasteriis obligati, nos inducit, ut ea, que pro ecclesiarum & monasteriorum predictorum & personarum in illis sub religionis jugo in Domino famulantium, quiete & prospero statu per sedem apostolicam dispositione provida concessa, & postmodum sedis ejusdem

dem auctoritate comprobata reperiuntur, cum a nobis petitur, etiam nostro munimine roboremus, ut illa firmius persistant, que fuerunt prefate sedis auctoritate sepius communita. Dudum siquidem a felicis recordationis Calixto papa III. predecessore nostro litere, in quibus alie litere pie memorie Celestini pape III. similiter predecessoris nostri inserte fuerunt, emanarunt tenoris subsequentis: Calixtus episcopus servus servorum Dei *&c.* Regimini universalis ecclesie *&c.* Dudum siquidem felicis recordationis Celestinus papa III. predecessor noster nonnullas libertates, exemptiones & protectiones olim monasterio sancte Marie de Vangadicia Camaldulensis ordinis Adriensis diocesis super possessionibus, jurisdictionibus, rebus, bonis, ecclesiis & monasteriis, ac aliis membris ejusdem per felicis recordationis Silvestrum, Calixtum, Innocentium & Alexandrum Romanos pontifices etiam predecessores nostros concessas approbavit, ratificavit & confirmavit, illasque perpetuis futuris temporibus ab omnibus inviolabiliter observari & custodiri voluit & mandavit, prout in literis ejusdem Celestini, quas in cancellaria apostolica diligenter inspici, ac signis & characteribus & subscriptionibus omissis presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur. Quare dilectus in Christo filius Ludovicus tituli sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis camerarius noster & prefati monasterii commendatarius perpetuus nobis humiliter supplicavit, ut libertates, exemptiones, ac omnia alia & singula in dictis literis contenta pro ipsorum subsistentia firmiori etiam nostro munimine roborare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati libertates, exemptiones, & omnia & singula in literis Celestini predecessoris hujusmodi contenta harum serie ratificamus & approbamus, illa omnia perpetuum robur, vim & efficaciam obtinere decernimus per presentes. Tenor vero literarum predictarum talis est. Celestinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Alico abbati monasterii sancte Marie Vangadicie ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Apostolica sedes *&c.* Datum Laterani per manum Cencii sancte Lucie in Orthea diaconi cardinalis domini pape camerarii VI. kal. julii indictione XIV. incarnationis Dominice anno M. C. XCVI. pontificatus vero domini Celestini pape III. anno VI. *Extat per extensum edita in tomo IV. horum Annalium ad col. 202. Appendicis*. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ratificationis, approbationis & decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LV. tertio nonas junii pontificatus nostri anno primo. Quare pro parte dilecti filii magistri Ambrosii Bernardi clerici Venetiarum, qui monasterium predictum sancte Marie de la Vangadicia ex concessione apostolica obtinet in commendam, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem literis, ac omnibus & singulis in eis contentis pro eorum subsistentia firmiori robur nostre approbationis adjicere, aliisque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eumdem Ambrosium a quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati literas predictas, ac omnia & singula in eis contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus, & robur perpetue firmitatis obtinere debere decernimus. Non obstantibus *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis & constitutionis infringere *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XCV. tertio nonas martii pontificatus nostri anno III.

C.

Idem Petro Boldu abbati de Carceribus concedit redditus prioratuum S. Salvatoris & S. Andreæ de Curte-roduli.

Anno 1495. XIX. kal. septembris.

Ex chartario S. Michaelis de Muriano.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Boldu monacho nuper abbati monasterii beate Marie de Carceribus sedi apostolice immediate subjecti Camaldulensis ordinis Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus *&c.* Cum itaque hodie tu regimini & administrationi monasterii beate Marie de Carceri-

bus sedi apostolice immediate subjecti Camaldulensis ordinis Paduane diocesis, cui tunc preeras, in manibus nostris sponte & libere cesseris, nosque &c. cessionem ipsam tunc admittentes monasterio predicto per cessionem hujusmodi vacanti & antea dispositioni & ordinationi apostolice reservato, de persona dilecti filii Dominici illius abbatis nobis & fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio apostolica duximus auctoritate providendum, preficiendo eum illi in abbatem, prout in nostris literis inde confectis plenius continetur. Nos volentes tibi, ne propterea nimium dispendium patiaris, de alicujus subventionis auxilio providere, premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, teque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis &c. absolventes &c. motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate omnes & singulos fructus, redditus & proventus sancti Salvari & sancti Andree de Curte-roduli prioratuum ordinis & diocesis predictorum, qui, ut accepimus, quingentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, eidem monasterio perpetuo annexorum, per te, quoad vixeris, vel procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum propria auctoritate percipiendos, colligendos, & levandos, ac in tuos usus convertendos, prefati Dominici ad hoc expresso accedente consensu, loco pensionis annue auctoritate prefata tenore presentium reservamus, concedimus & assignamus &c. Non obstantibus constitutionibus &c. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXXXV. decimo-nono kalendas septembris pontificatus nostri anno tertio.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei dilectis filiis . . priori prioratus Montis-crucum & . . archipresbytero beate Marie de Montagnana Paduane diocesis, ac Francisco de la Sega canonico Paduane ecclesie salutem & apostolicam benedictionem. Hodie cum dilectus filius Petrus Boldu monachus nuper abbas monasterii beate Marie de Carceribus sedi apostolice immediate subjecti Camaldulensis ordinis Paduane diocesis regimini & administrationi illius, cui tunc preerat, in manibus nostris sponte & libere cessisset, nosque cessionem ipsam tunc admittentes monasterio predicto per cessionem hujusmodi vacanti, & antea dispositioni & ordinationi apostolice reservato, de persona dilecti filii Dominici illius abbatis nobis & fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apostolica duximus auctoritate providendum, preficiendo eum illi in abbatem. Nos omnes singulos fructus, redditus & proventus sancti Salvarii & sancti Andree de Curte-roduli prioratuum ordinis & diocesis predictorum dicto monasterio perpetuo unitorum, per eum, quoad viveret, vel procuratorem suum legitimum propria auctoritate percipiendos, colligendos & levandos, ac in suos usus convertendos loco pensionis annue, prefati Dominici ad id expresse accedente consensu, per alias nostras literas motu proprio reservavimus, concessimus & assignavimus, prout in posterioribus literis predictis plenius continetur. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta motu simili mandamus, quatinus vos vel duo, vel unus vestrum, si & postquam dicte posteriores litere vobis presentate fuerint, per vos, vel alium, seu alios faciatis auctoritate nostra Petrum vel pro eo procuratorem predictum fructuum, & reddituum & proventuum predictorum perceptione juxta reservationis concessionis & assignationis predictarum tenorem pacifice frui & gaudere, non permittentes eum per dictum Dominicum & successores suos ipsius monasterii abbates seu commendatarios pro tempore existentes seu quoscumque alios desuper indebite molestari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus omnibus, que in dictis posterioribus literis volumus non obstare; seu si Dominico & successoribus prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab ea sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. LXXXXV. decimo-nono kalendas septembris pontificatus nostri anno III.

CI.

Idem Alexander VI. eligit Bernardinum Gadolum Brixiensem in priorem S. Mariæ de Angelis Florentiæ.

Anno 1498. XIII. kal. martii.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati sancti Felicis in platea Florentie Camaldulensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnes prioratus, ceteraque beneficia ecclesiastica secularia & quorumvis ordinum regularia cum cura & sine cura apud sedem predictam tunc vacantia & in antea vacatura, collationi & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum prioratum monasterii per priorem soliti gubernari sancte Marie de Angelis Florentine Camaldulensis ordinis per liberam resignationem dilecti filii Guidonis Laurentii Antonii nuper ipsius monasterii prioris illo, quem tunc obtinebat, per dilectum filium nostrum Franciscum sancti Eustachii diaconum cardinalem procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam, & per nos admissam, apud sedem eamdem vacaverit, & vacet ad presens, nullusque de illo preter nos hac vice disponere poterit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Nos dilectum filium Bernardinum Johannis Gadolum monachum monasterii sancti Michaelis de Murano Venetiarum dicti ordinis apud nos de religionis zelo, vite ac morum honestate, aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis &c. sententiis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, ac omnia & singula beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, que dictus Bernardinus etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet & expectat, & in quibus & ad que jus sibi quodlibet competit, quecumque, quotcumque & qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum & proventuum veros annuos valores, ac hujusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eumdem Bernardinum ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, prioratum predictum, qui conventualis est, & a prioratu eremi Camaldulensis dicti ordinis Aretine diocesis dependet, cujusque, & illi annexorum fructus, redditus & proventus octingentorum Florenorum auri de camera secundum communem estimationem, valorem annuum, ut dictus Bernardinus asserit, non excedunt, sive premisso, sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona, seu per similem dicti Guidonis vel cujusvis alterius resignationem de illo in Romana curia vel extra etiam coram notario publico aut testibus sponte factam &c. cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Bernardino per eum ad triennium dumtaxat & non ultra, juxta ritus & mores dicti ordinis tenendum, regendum & gubernandum, ita quod elapso triennio hujusmodi idem prioratus sancte Marie eo ipso vacet, auctoritate nostra conferas & assignes, inducens per te, vel alium, seu alios eumdem Bernardinum, recepto prius ab eo nostro & Romane ecclesie nomine fidelitatis debite juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, solito juramento, vel procuratorem suum ejus nomine, in corporalem possessionem prioratus sancte Marie, ut est moris, admitti, ipsumque Bernardinum quamprimum ejusdem prioratus sancte Marie possessionem vigore presentium pacificam assecutus fuerit, de dicto monasterio sancti Michaelis, cujus, ut prefertur, monachus, & ut etiam asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, ad prioratum eremi hujusmodi dicta auctoritate transferas, faciasque eum inibi in monachum & in fratrem, & sincera in Domino caritate tractari, sibique de prioratus sancte Marie & annexorum hujusmodi fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi: contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XCVIII. tertio-decimo kalendas martii pontificatus nostri anno VI.

L. de Sinibaldis.

CII.

CII.

Transactio inter priores SS. Trinitatis, & S. Antonini prope Faventiam pro ædificanda ecclesia SS. Trinitatis.

Anno 1498. XVI. novembris.

Ex archivo parthenonis SS. Trinitatis de Faventia.

IN Christi nomine, amen. Anno a nativitate ejusdem saluberrima M. CCCC. LXXXXVIII. indictione I. tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Alexandri divina providentia pape VI. die vero XVI. mensis novembris. Constituti personaliter venerabiles & circumspecti viri dominus Feragutus Pini de Marchettis verus & legitimus rector parochialis ecclesie sancti Antonini Burgensis civitatis Faventine principalis ex una, & domnus Benedictus quondam Ugolini de Mustulis ordinis Camaldulensis & prior ecclesie sancte Trinitatis de Burgo Faventie principalis ex altera de & super lite & causa coram reverendissimo domino episcopo Faventino ejusque vicario inter partes predictas occasione edificii & constructionis ecclesie sancte Trinitatis nuncupate site in burgis predictis, ac in parochia prelibate ecclesie, utrum contra & preter voluntatem rectoris liceat ecclesiam vel capellam in jurisdictione & parochia ipsius edificare indecisa pendente, prefati dominus Feragutus & frater Benedictus cupientes litium anfractus evitare, ac aliis, quos dicte litis gratia subituri forent, parcere laboribus & expensis, intervenientibus super his nonnullorum earumdem partium & magne auctoritatis communium amicorum tractatibus, primitus tamen & ante omnia auctoritate, consensu & beneplacito clarissimi juris pontificii doctoris artiumque magistri, ejusdemque reverendissimi episcopi Faventini vicarii generalis domini Martini Scacchii presentis, autorizantis & suffragantis, gratis, sponte & non coacte, nec in aliquo circumventi, sed ex eorum, ut asseruerunt, spontanea liberaque voluntate omnibus melioribus modo, via, jure & forma, quibus melius, tutius & efficacius de jure potuerunt & debuerunt, convenerunt, tractaverunt, amicabiliterque concordarunt modo & forma infrascriptis. In primis namque dominus Feragutus rector predictus dedit & concessit per se & suos in dicta ecclesia successores prefato fratri Benedicto presenti, ac pro se suisque in prefata ecclesia sancte Trinitatis successoribus stipulandi & recipiendi omnimodam licentiam, ac plenam potestatem & arbitrium edificandi dictam ecclesiam sancte Trinitatis, eamque ad exitum perducendi & fine debito terminandi, in eaque Missas & alia divina mysteria celebrandi & celebrare faciendi; non possit tamen, neque liceat sibi quoquo pacto confessiones parochianorum ipsius ecclesie sancti Antonini, aut ipsis, aut cuique ipsorum eucharistiam ministrare, aut alia ecclesiastica sacramenta porrigere sine expressa licentia ab ipso domino Feraguto rectore predicto seu ejus successoribus petita & obtenta, nec liceat oblationes per se vel interpositam personam vel ejus successores in dicta ecclesia sancte Trinitatis in festivitatibus Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, in festo Epiphanie, in festo Resurrectionis Domini nostri, ac Pentecostes & in festo Omnium-sanctorum, nec Missas in predictis festivitatibus celebrare ante celebrationem Misse parochialis presbyteri sancti Antonini seu ejus vices gerentis, quare sic actum inter partes extitit per partium sollemne scriptum inter eas expressum. Insuper prefatus frater Benedictus per se & suos in dicta ecclesia successores promisit dicto domino Feraguto rectori predicto presenti, & pro se suisque heredibus, & in dicta ecclesia successoribus stipulanti singulo anno in festo sancti Antonini in signum subjectionis, & ut auctoritas & jurisdictio dicte ecclesie sancti Antonini conservetur, dare par celostiorum cere ponderis semilibre, videlicet unciarum sex. Que omnia & singula contenta, deducta & narrata prefati dominus Feragutus & frater Benedictus per se eorumque successores singula singulis congrue referendo promiserunt vicissim, solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus, perpetuo firma & rata habere, eaque adimplere & inviolabiliter observare ac contra non facere vel venire per se vel alium seu alios aliquo jure, ratione vel causa, ingenio vel arte, directe vel indirecte *&c.* Actum Faventie in cathedrali ecclesia sancti Petri in medio ipsius templi presentibus ser Francisco Gasperii de Contolis *&c.*

Ego Silvester Rondaninus civis Faventinus publica, apostolica ac imperiali auctoritate notarius *&c.* scripsi & publicavi *&c.*

CIII.

CIII.

Alexander VI. instituit Marianum monachum in priorem S. Martini de Cellole.

Anno 1498. XIII. kal. decembris.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Senensis in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur & congruum, &c. Dudum siquidem omnes prioratus ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura secularia & ordinum quorumcumque regularia apud sedem predictam tunc vacantia & inantea vacatura collationi & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et deinde prioratu sancti Martini de Cellole Camaldulensis ordinis Senensis diocesis, quem quondam Antonius Benedicti ipsius prioratus prior, dum viveret, obtinebat, per obitum ejusdem Antonii, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos illum sic vacantem, & antea dispositioni apostolice reservatum dilecto filio nostro Francisco sancti Eustachii diacono cardinali per eum, quoad viveret, tenendum, regendum & & gubernandum, sub data videlicet pridie Kalendas octobris pontificatus nostri anno VII. concessimus commendari. Cum autem hodie dictus Franciscus cardinalis concessioni commende hujusmodi literis apostolicis super ea non confectis in manibus nostris sponte & libere cesserit, nosque cessionem ipsam duxerimus admittendam, dictusque prioratus adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, nos dilectum filium Marianum ser Foccii monachum prioratus sancti Petri & Benedicti de eremo ad Vivum dicti ordinis Pientine diocesis, qui, ut asserit, alias professor fratrum servorum beate Marie ordinis sancti Augustini existens ad dictum ordinem Camaldulensem apostolica auctoritate translatus fuit, apud nos de religionis zelo, vite & morum honestate, aliisque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi volentes, a quibuscumque excommunicationis &c. sententiis &c. absolventes & absolutum fore censentes, discretioni tue per apostolira scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eumdem Marianum ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, prioratum predictum, qui conventualis est, & a monasterio sancti Petri de Rotis dicti ordinis Aretine diocesis dependet, cuique cura imminet animarum, & cujus fructus, redditus & proventus viginti Florenorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Marianus etiam asserit, non excedunt, &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Mariano auctoritate nostra conferas & assignes, inducens per te, seu alium, vel alios eumdem Marianum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem prioratus juriumque & pertinentiarum predictorum, & defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens Marianum vel pro eo procuratorem predictum ad prioratum hujusmodi, ut est moris, admitti, ipsum quoque Marianum quamprimum fuerit vigore presentium possessionem pacificam dicti prioratus assecutus, de dicto prioratu sanctorum Petri & Benedicti, cujus monachus, &, ut etiam asserit, ordinem ipsum expresse professus existit, ad prefatum monasterium sancti Petri dicta auctoritate nostra, ipsumque inibi recipi facies in monachum & in fratrem, ac sincera in Domino caritate tractari, sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi. Contradictores &c. Non obstantibus &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. CCCC. XCVIII. tertio-decimo kalendas decembris pontificatus nostri anno VII.

CIV.

Idem concedit Petro de Accoltis pensiones super aliquot Beneficia congregationis Camaldulensis.

Anno 1500. pridie Kl. martii.

Ex eodem tabulario S. Romualdi.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro Petro de Accoltis capellano nostro & causarum palatii apostolici auditori salutem & apostolicam benedictionem. Grata devotionis ob-

obsequia, que nobis & apostolice sedi hactenus impendisti, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, necnon literarum scientia, vite & morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus personam tuam, etiam fide dignorum testimoniis percepimus, nos inducunt, ut illa tibi favorabiliter concedamus, que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque hodie tu beate Marie de Trivio, & sancti Martini de Tiphio monasteriorum Camaldulensis ordinis Civitatis-Castelli & Sarsinatis diocesis, que tunc ex concessione & dispensatione apostolica in commendam obtinebas, commende hujusmodi in manibus nostris sponte & libere cesseris, nosque cessionem predictam admittentes, ac verum & ultimum dictorum monasteriorum vacationis modum pro expresso habentes, monasterium beate Marie predictum monasterio sancti Felicis in Platea Florentine dicti ordinis, cui dilectus filius Basilius illius abbas presidebat, auctoritate apostolica univerimus, annexuerimus & incorporaverimus, ac monasterio sancti Martini predicto de persona dilecti filii Petri illius moderni abbatis providerimus, ipsumque Petrum illi in abbatem prefecerimus, curam & administrationem dicti monasterii sancti Martini sibi in spiritualibus, & temporalibus tibi plenarie committendo. Nos tibi, cui etiam hodie silvam abjetum dicti monasterii beate Marie per te, vel alium, seu alios, quoad viveres, possidendam & usufructuandum, ita quod liceret tibi etiam omnes abietes & ligna illius, prout tibi videretur, & placeret, incidere & incidi facere, ac per prefatum Petrum & suos successores dicti monasterii sancti Martini abbates, seu generalem pro tempore dicti ordinis, aut quosvis alios dictum monasterium sancti Martini quavis auctoritate in titulum vel commendam obtinentes, ne abietes & ligna hujusmodi incideres, ut prefertur, seu incidi faceres, impediri aut molestari nequires; ipsique Petrus & successores, ac generales & quivis alii de abietibus & lignis predictis interim te impedire minime possent, necnon viginti-trium super sancti Felicis per Basilium, ac viginti super sancti Martini predictorum perpetuum predictos, ac triginta super sancti Johannis de Saxo Arretine per Ugolinum, necnon tresdecim Florenorum auri de camera pensiones annuas ab omnibus impositionibus & oneribus ordinariis & extraordinariis quacumque auctoritate etiam apostolica imponendis liberas super sancti Bartholomei de Anglario Arretine diocesis monasteriorum dicti ordinis fructibus, redditibus & proventibus per Christophorum, dilectos filios monasteriorum hujusmodi respective tam temporales, quam perpetuos abbates & successores suos, illa in titulum vel commendam pro tempore obtinentes, tibi, quoad viveres, aut quousque medio dictorum abbatum vel alicujus eorum seu per ipsos de beneficiis ecclesiasticis secularibus vel regularibus, quorum fructus libere, & importatis ad valorem centum Florenorum similium ascenderent annuatim, tibi provisum foret, singulis annis per manus prefati Petri & successorum suorum abbatum seu commendatariorum dicti monasterii sancti Martini integre persolvendas reservavimus, constituimus & assignavimus, ne ex cessione hujusmodi nimium dispendium patiaris, de majoris subventionis auxilio providere, premissorumque obsequiorum, ac meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis *&c.* pensionem annuam quatuordecim Florenorum super monasterio sancti Angeli de Vergareto ordinis & Sarsinatis diocesis predictorum fructibus & proventibus, qui quinquaginta Florenorum valorem annuum non excedunt, per dilectum filium Sanctum modernum, cujus ad hoc per dilectum filium magistrum Bernardum de Accoltis scriptorem & familiarem nostrum ejus procuratorem ad hoc constitutum expressus accedit consensus, & ejusdem Sancti successores tam perpetuos, quam temporales abbates dictum monasterium sancti Angeli in titulum vel commendam pro tempore obtinentes, tibi, quoad vixeris, pro una in beati Johannis Baptiste, & alia medietatibus pensionis quatuordecim Florenorum hujusmodi in domini nostri Jesu Christi nativitatis festivitatibus *&c.* singulis annis integre persolvendam, auctoritate apostolica tenore presentium reservamus, constituimus *&c.* Quocirca ven-fratri nostro archiepiscopo Ragusii, & dilectis filiis Petro Couldrano canonico ecclesie Aquensis, ac vicareo etiam ven. fratris nostri episcopi Sarsinatis *&c.* mandamus harum literarum executionem. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo CCCC. XCIX. pridie kalendas martii pontificatus nostri anno VIII.

A. Volaterranus.
D. de Comitibus.

CV.

CV.

Alexander VI. confirmat omnia privilegia abbatiæ Montis-Christi ejusque ecclesiis concessa.

Anno 1500. kalend. decembris.

Ex chartario S. Michaelis in Burgo Pisarum.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventui monasterii sancti Salvatoris Montis-christi Camaldulensis ordinis Massane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que in presentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri protectione suscipimus, atque nostra, omnesque libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus, sive per privilegia vel alia indulta vobis & monasterio vestra concessa, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, & aliis Christifidelibus vobis & eidem monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem decimas, oblationes, census, fructus, redditus, proventus, domos, possessiones, agros, campos, prata, pascua, nemora, silvas, casalia, jura, jurisdictiones & alia bona ad monasterium predictum spectantia, necnon sancti Pauli de Giuncheto, & abbatiam nuncupatam de Croseftaglie, sancte Marie de Canovaria, Sancti Stephani de Venaco, sancti Zenonis & sancti Benedicti de Ilaria, sancte Marie de Corsis & sancti Mamiliani monasteria, & sancti Angeli de Cuppa, sancte Marie de Scala, sancti Elie, sancti Gregorii, sancti Andree de insula Asinaria, sancte Marie Magdalene de flumine Savo, sancti Mamiliani de Sumassi, sancte Julie de Tavaria, sancti Nicolai de Moriciano, sancti Thome de Grisino, sancti Benedicti de Marisaglio, sancti Peregrini, sancti Pauli de Conto, sancti Thome de Gai, sancti Mamiliani de Taglio, sancti Benedicti de Ilaria, sancti Pancratii, sancte Barbare, sancti Concordii prope Pisas, sancti Mamiliani, & nonnullarum aliarum ecclesiarum Turritane, Calaritane, Maranensis, Aleriensis, Acciensis, Massanensis & Pisane civitatum & diocesum, que eidem monasterio unita, annexa & incorporata fore asseritis, cum omnibus earum pertinentiis, ac insulam Asinariam, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre susceptionis, confirmationis & communitionis infringere &c. Si quis &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quinquagesimo kalendis decembris pontificatus nostri anno nono.

CVI.

Camaldulensi congregationi subjicitur prioratus S. Mariae de Pace Castribononiensis.

Anno 1501. XVI. maii.

Ex autographo abbatiæ Classensis.

IN Christi nomine amen. Noverint universi hoc presens publicum instrumentum visuri, lecturi & audituri, quod anno nativitatis ejusdem millesimo CCCCCI. indictione IV. tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Alexandri divina providentia pape VI. die XVI. mensis maii. Reverendus in Christo pater, & eximius artium & decretorum doctor dominus Martinus de Scardanis civis & canonicus Faventinus reverendi in Christo patris & domini domini Baptiste de Canonicis de Bononia etiam decretorum doctoris Dei & apostolice sedis gratia episcopi Faventini in spiritualibus & temporalibus vicarius generalis venerabili & religioso domno Hieronymo de Novatiis priori Camaldulini de Verona ordinis Camaldulensis ac procuratori generali rev. in Christo patris & domini domni Petri Delfini sacre Camaldulensis eremi prioris, ac totius dicti ordinis generalis, ac nomine procuratorio instanti, recipien. & acceptanti, de sui vicariatus officii ordinaria auctoritate, ac speciali, ut asseruit, sibi ab eodem rev. domino episcopo, commissione & mandato desuper factis, de presentia, licentia, voluntate & consen-

ſu venerabilis religioſi domni Chriſtophori monachi dicti ordinis rectoris abbatie ſive beneficii eccleſiaſtici ſancte Marie a Pace territorii Caſtri-bononienſis Faventine dioceſis preſentis, volentis & conſentientis, infraſcriptis omnibus & ſingulis, ac etiam omnia & ſingula approbantis expreſſa, & alias omnibus melioribus modis, via, jure & forma, quibus magis & melius potuit & debuit, ac poteſt & debet, eccleſiam predictam ſancte Marie a Pace dicte Faventine dioceſis, quam idem Chriſtophorus monachus in titulum obtinet, cum omnibus ſuis bonis mobilibus & immobilibus, juribus & pertinentiis univerſis dicto domno Hieronymo procuratore predicto canònice inſtante, recipiente & acceptante dicto Camaldulenſi ordini perpetuo univit, annexuit & incorporavit, itaut de cetero & in perpetuum futuris temporibus proviſio de rectoribus & gubernatoribus ad ipſam eccleſiam, cum expedierit, fienda, que ad prefatum rev. dominum generalem dicti ordinis & ſucceſſores ſuos, qui fuerint pro tempore, pleno jure ſpectet & pertineat, & de ipſa diſponere poſſint & valeant tamquam de re propria ſpectante ad predictum ordinem, ea tamen lege, pacto & conditione poſitis, ut idem domnus Chriſtophorus rector, & qui pro tempore rectores erunt, teneantur & debeant ſolvere & dare prefato in rev. in Chriſto patri & domino epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis pro tempore exiſtentibus omni anno ſolitum cenſum medietatis libre cere nove, videlicet uncias ſex cere nove, prout ipſe procurator eo nomine promiſit & convenit, & ad hoc ſe obligavit dicto domino vicario recipienti & acceptanti licentiam & facultatem omnimodam auctoritate ſua aggrediendi & apprehendendi realem, actualem & corporalem poſſeſſionem dicte abbatie, ejus bonorum & jurium predictorum, quotieſcumque & quandocumque ſibi procuratori videbitur & placebit omnibus melioribus modis &c. Actum Faventie in ſtudio dicti domini vicarii in domibus parochialis eccleſie ſancti Emiliani juxta hortum dicte eccleſie, preſentibus domino Andrea Franciſci Spagnoli de Mutiliana rectore eccleſie ſancte Marie de Ortignaria Faventine dioceſis & Antonio Gaſparis &c.

Ego Franciſcus quondam Simonis de Scardanis notarius rogatus &c. ſcripſi &c.

CVII.

Homines Caſtri-bononienſis cedunt Camaldulenſibus prioratum S. Mariæ de Pace.

Anno 1501. XXIII. junii.

Ex archivo abbatiæ Claſſenſis.

IN Chriſti nomine, amen. Reperitur in rogationibus & protocollis olim bone memorie egregii viri ſer Gualterii quondam Galeatii de Gualteriis de Caſtro-bologneſio notarii publici defuncti inſtrumentum infraſcripti tenoris in quadam vacchetta rogationum ipſius ad folia centum ſeptuaginta-ſex, videlicet: Milleſimo quingenteſimo-primo indictione IV. tempore pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Alexandri divina providentia pape ſexti die vigeſimo-tertio menſis junii. Maſſarius generalis, conſilium & homines Caſtri-bologneſii congregati in camera Conſilii &c. propter ſingularem amorem, reverentiam & devotionem, quam habent ad ordinem & religionem Camaldulenſem & ſacram eremum, iidem dederunt & conceſſerunt dicto loco eremi & generali ordinis ejuſdem omne & totum jus, quod habent in preſentando & nominando rectorem in loco, vel eccleſia ac oratorio ſancte Marie de la Pace ſita in territorio dicti caſtri ſub dioceſi Faventina; ita quod de cetero perpetuis futuris temporibus voluerunt & conſenſerunt, ac volunt & conſentiunt, quod vacante dicta eccleſia & loci rectore generalis ordinis predicti habeat etiam plenum jus inſtituendi libere unum monachum ordinis predicti in rectorem, priorem & adminiſtratorem eccleſie predicte & bonorum ejus, dantes, cedentes & renuntiantes &c. pro ſe &c. predicto domino generali & eremo, & domno Chriſtophoro procuratori ad preſens inſtituto in loco predicto & me notario infraſcripto &c. omne & totum ſuum jus predictum, & rogantes me notarium &c. Actum in Caſtro-bologneſio in camera conſilii dicti caſtri juxta vias publicas a tribus & alios confines, preſentibus ibidem Beſariono filio Jacobi Jeminiani, & ſer Carolo Donati ambobus de dicto caſtro teſtibus ad predicta vocatis, rogatis & habitis.

Ego Gualterius de Gualteriis notarius publicus dicti caſtri rogatus &c. ſcripſi.

Et ego Johannes-baptiſta quondam providi-

vidi viri Petri de Gottarellis de dicto Castro bolognesio &c. notarius &c. retroscriptum instrumentum &c. exemplavi &c. anno M. D. XXXVII. indictione X. die vero X. septembris &c.

CVIII.

Literæ Julii II. pro bonis monasterii SS. Trinitatis de Faventia.

Anno 1503. VII. idus martii.

Ex archivo SS. Trinitatis de Faventia.

JUlius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis.. preposito ecclesie Faventine &.. vicario ven. fratris episcopi Faventini in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Benedictus modernus rector ecclesie sancte Trinitatis Faventine diocesis, quod prior & conventus monasterii per priorem soliti gubernari sancti Jacobi ordinis Servorum dicte diocesis super septem tornaturiis terre vineate seu aliis immobilibus bonis in dicta diocesi, & loco dicto Pozalti consistentibus, mobilibusque bonis & rebus aliis ad eum, ratione dicte ecclesie, quam obtinet, & alias legitime spectantibus, minuantur eidem, ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod factum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. D. III. septimo idus martii pontificatus nostri anno primo.

CIX.

Julius II. unit congregationi S. Michaelis de Muriano monasterium S. Viti prope Vicetiam.

Anno 1505. id. februarii.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

JUlius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper, meritis quamquam insufficientibus, apostolice servitutis officio ad ea libenter intendimus, per que ecclesiis & locis religiosis singulis, presertim regularis observantie, ac personis, in illis sub sancte religionis jugo Altissimo famulantibus, ut in suis necessitatibus congruum suscipiant relevamen, per nostre provisionis auxilium valeat salubriter provideri. Dudum siquidem omnes prioratus ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum prioratus sancti Viti extra muros Vincentinos Camaldulensis ordinis per liberam resignationem dilecti filii Vincentii Novelli de Catharo nuper ipsius prioratus prioris de illo, quem tunc obtinebat, per dilectum filium Africanum de Severolis dictum Faventinum procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam & per nos admissam apud sedem eamdem vacaverit & vacet ad presens, nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vicarii & visitatorum congregationis sancti Michaelis de Murano dicti ordinis petitio continebat, illius ordinis monasteria & prioratus per abbates & priores annuales respective gubernantur, & ex hujusmodi gubernatione annuali in monasteriis & prioratibus ejusdem regularis observantia dicti ordinis viguerit & vigeat, & divinus cultus susceperit incrementum, & propterea idem Vincentius prioratum ipsum ressignavit affectans, ut idem prioratus eidem congregationi uniatur & incorporetur, & in eo regularis observantia hujusmodi vigere habeat, & divinus cultus inibi augeatur, pro parte eorumdem vicarii & visitatorum afferentium dicti prioratus fructus, redditus & proventus centum quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum predictum eidem congregationi perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum estimationem predictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & sem-

per commiſſio in unionibus fieret ad partes, vocatis, quorum intereſſet, eoſdem vicarium & viſitatores a quibuſcumque excommunicationibus &c. ſententiis &c. abſolventes &c. prioratum prediſtum, qui conventualis non eſt &c. cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, eidem congregationi per eos juxta eorum laudabiles ritus & mores ac regularia inſtituta dicti ordinis tenendum, regendum & gubernandum auctoritate apoſtolica tenore preſentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat vicario & viſitatoribus prefatis per ſe, vel alium ſeu alios corporalem dicti prioratus juriumque & pertinentiarum predictorum poſſeſſionem propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, ac illum per priorem annualem per eos ibidem pro tempore deputandum regere & gubernare, illiuſque fructus, redditus & proventus in ſuos & congregationis & prioratus hujuſmodi uſus & utilitatem convertere, dioceſani loci vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus &c. Proviſo quod propter unionem, annexionem & incorporationem predictas dictus prioratus debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in eo, ſi qua illi immineat, nullatenus negligatur, ſed ejus congrue ſupportentur onera conſueta. Nos enim prout eſt, irritum decernimus & inane, &c. Datum Rome apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominice milleſimo quingenteſimo-quinto id. februarii pontificatus noſtri anno III.

CX.

Epiſcopus Faventinus concedit indulgentiam confratribus ſocietatis SS. Sebaſtiani & Rocchi in eccleſia SS. Trinitatis Faventiæ.

Anno 1505. XXVI. februarii.

Ex archivo parthenonis SS. Trinitatis de Faventia.

BAptiſta de Canonicis de Bononia decretorum doctor, ac Dei & apoſtolice ſedis gratia epiſcopus Faventinus univerſis & ſingulis Chriſti-fidelibus preſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Immenſa Dei omnipotentis miſeratio homini, quem ad ſuam creavit imaginem, primi lapſu parentis ſuorumque labe criminum deformata, innumera preſtitit beneficia, & adminicula plurima preparavit, quibus delictorum vincula diſrumpere, veniamque promereri, & creatori ſuo reconciliari poſſet; inter que ſunt fundata oratoria, confraternitateſque ac ſocietates fidelium, quibus ſub ſuavi contemplationis jugo veneratur Altiſſimus, cultus augetur divinus, animarumque ſalus Deo propitio finaliter unuſquiſque conſequitur. Cum itaque, ſicut accepimus, homines Burgi civitatis Faventie noſtre dioceſis Domino annuente ob merita ſanctorum tam inclyti martyris ſancti Sebaſtiani, quam devoti confeſſoris ſancti Rocchi proximis diebus evaſerint periculum dire peſtis, promiſerintque ob hoc in honorem & laudem Dei & prefatorum ſanctorum Sebaſtiani & Rochi erigere unam confratriam & ſeu ſocietatem in eccleſia, ſub vocabulo ſanctiſſime Trinitatis in dicto Burgo, in qua die noctuque propoſuerunt laudare nomen Domini, & alia ibidem virtutis opera exercere: Nos ſuum pium in hac parte propoſitum in Domino commendantes, & mirifice cupientes, ut in dicta eccleſia cultus divinus continue vigeat & augeatur, ac in ea, uti ſperamus, Chriſti-fideles fructus in Domino facere poſſint ſalutares, tenore preſentium illis annuimus; ut autem & libentius noverint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus ſecularibus & regularibus vere penitentibus & confeſſis, qui dictam confratriam & ſocietatem ingreſſi fuerint, quique dictam eccleſiam ſanctiſſime Trinitatis prima Dominica cujuſcumque menſis devote viſitaverint, ac in feſtivitatibus dictorum ſanctorum Sebaſtiani & Rocchi a primis veſperis uſque ad ſecundas in laudem Dei omnipotentis & dictorum Sanctorum ad dictam eccleſiam oraturi acceſſerint, ac de donis a Domino ſibi collatis ibidem manus porrexerint adjutrices, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis in Domino relaxamus perpetuis temporibus duraturam. In quorum fidem & teſtimonium has preſentes literas noſtras fieri & regiſtrari fecimus per notarium curie noſtre infraſcriptum, noſtrique ſigilli impreſſione vel appenſione muniri.

Datum Bononie in domibus ſanctorum Naboris & Felicis noſtre reſidentie die XXVI. februarii M. D. V. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Julii divina providentia pape II. anno ſecundo.

CXI.

Unio prioratus S. Pauli de Cæsena abbatiæ Classensi.

Anno 1506. XVII. kal. januarii.

Ex autographo archivi Classensis.

JUlius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis ecclesie &c. Cum itaque prioratus sancti Pauli Cesenatensis Camaldulensis ordinis, quem dilectus filius magister Bartholomeus Cupinus clericus Brittonoriensis notarius & familiaris noster ex concessione & dispensatione apostolica in commendam nuper obtinebat, commenda hujusmodi ex eo quod dictus Bartholomeus illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante, modo vacare noscatur, & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Samuelis abbatis monasterii sancti Apollinaris, alias sancte Marie in Classe dicti ordinis Ravennatensis diocesis, ac modernorum vicarii & definitorum congregationis sancti Michaelis de Muriano dicti ordinis petitio continebat, si dictus prioratus eidem monasterio perpetuo uniretur &c. divinus cultus in dicto prioratu susciperet incrementum, illiusque bona non solum conservarentur, sed etiam augerentur, necnon commoditatibus vicarii, & definitorum ac aliarum personarum congregationis hujusmodi, qui propterea in dicto prioratu recipi possent, provideretur, pro parte eorumdem Samuelis abbatis ac vicarii & definitorum asserentium dicti prioratus fructus, redditus & proventus octuaginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum predictum eidem monasterio perpetuo unire annectere & incorporare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, &c. ipsos Samuelem abbatem, vicarium & definitores &c. absolventes &c. prioratum predictum, qui conventualis non est, & a prioratu sancte Marie de Vincareto dicti ordinis Brittonoriensis diocesis dependet, quovis modo &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio apostolica auctoritate perpetuo unimus, &c. ita quod liceat eidem Samueli abbati, ac vicario & definitoribus per se vel alium seu alios corporalem predicti prioratus possessionem propria auctoritate apprehendere, illiusque fructus &c. in suos ac monasterii & prioratus predicti hujusmodi usus & utilitatem convertere, diocesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice M. D. V. decimo-septimo kalendas januarii pontificatus nostri anno tertio.

Johannes de Lermo.

CXII.

Julius II. confirmat congregationi S. Michaelis monasterium de Carceribus.

Anno 1507. III. nonas febr.

Ex exemplo monasterii S. Michaelis.

JUlius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper apostolice servitutis officio ad ea libenter intendimus, per que monasteriis quibuslibet, ut illa in spiritualibus & temporalibus felicibus proficiant augmentis, valeat provideri, & in hiis, prout expedire conspicimus, ejusdem pastoralis officii partes favorabiliter impartimur. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Sixto pape IIII. predecessori nostro pro parte tunc ducis & dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum exposito, quod sancte Marie Carcerum & sancti Michaelis, ac per priorem soliti gubernari sancti Mathie de Muriano Camaldulensis ordinis Paduane & Torcellane diocesis monasteriorum abbates & prior, qui pro tempore fuerunt, ipsorum monasteriorum occurrente vacatione perpetuo seu ad vitam eligi & confirmari consueverunt, quo fiebat, ut aliquando propter incuriam & negligentiam ipsorum abbatum & prioris, dicta monasteria, ut decens erat, non gubernarentur, in ipsorum monasteriorum & conventuum eorumdem non modicum prejudicium, ac divini cultus diminutionem. Verum si abbates sancte Marie & sancti Michaelis, & prior sancti Mathie monasteriorum predictorum, eorum cujuslibet occurrente vacatione ex tunc de cetero per ejus conventum seu conventus intervenientibus aliis duobus abbatibus seu abbate, & priore superstitibus, simplicem vocem tantum pro quolibet aliorum duorum monasteriorum habentibus, de

de triennio in triennium eligerentur, & per illud tempus dumtaxat monasterio, vel monasteriis tunc vacanti vel vacantibus preessent, profecto monasteria ipsa decentius in spiritualibus & temporalibus gubernarentur, ac in eis divinus cultus susciperet incrementum. Idem Sixtus predecessor ducis & dominii predictorum in ea parte supplicationibus inclinatus auctoritate apostolica per quasdam cum irritantis appositione decreti perpetuo statuerat, & ordinaverat, quod ex tunc de cetero cedentibus vel decedentibus simul vel successive dictorum monasteriorum tunc abbatibus, seu abbate vel priore, aut aliquo ipsorum conventus monasterii seu monasteriorum vacantis seu vacantium, tunc vocatis aliis duobus abbatibus, seu abbate & priore superstitibus, qui simplicem tantum vocem haberent, abbates seu abbatem & priorem dictorum monasteriorum, & cujuslibet ipsorum de triennio in triennium duraturos dumtaxat & non ultra, nisi denuo forent electi, seu confirmati, ut prefertur, eligere deberent & tenerentur, ipsique sic electi abbates seu abbas, & prior dicto durante triennio monasteriis prefatis absque aliqua confirmatione apostolica vel ordinaria auctoritate desuper facienda preessent. Decernendo omnes & singulas alias electiones, confirmationes, provisiones seu alias dispositiones de dictis monasteriis apostolica vel ordinaria auctoritate forsan faciendas, necnon totum id & quidquid in contrarium attentari contingeret, irrita & inania, nulliusque roboris existere vel momenti. Ac voluerat, quod abbates, seu abbas & prior ipsorum monasteriorum, qui pro tempore forent, de mediis fructibus ipsorum monasteriorum seu annata in camera apostolica debitis singulis quindecim annis eidem camere aut collectori fructuum & proventuum eidem camere debitorum in partibus illis pro tempore deputato perpetuo satisfacerent: alioquin statutum & ordinatio hujusmodi nullius existerent roboris vel momenti. Pie memorie Innocentio pape VIII. etiam predecessori nostro pro parte tam tunc ducis & dominii predictorum, quam tunc abbatis sancti Michaelis & prioris sancti Mathie monasteriorum eorumdem & universorum monachorum congregationis de Muriano inter alia etiam exposito, quod in sancti Michaelis & sancti Mathie monasteriis predictis, postquam per triennales abbatem & priorem, ut prefertur, recta & gubernata fuerant, observantia regularis viguerat, ac in illis divinus cultus non modicum suscepe-rat incrementum, & si triennium hujusmodi ad unum annum dumtaxat reduceretur, ex hoc profecto spes esset, quod in dies congregatio predicta, gratia assistente divina, cum religionis propagatione & animarum salute, ac divini cultus augumento susciperet incrementum, & exinde sperati fructus provenirent. Dictus Innocentius predecessor eorumdem ducis, dominii, abbatis, prioris & monachorum supplicationibus inclinatus auctoritate apostolica & ex certa scientia per suas literas statuit, decrevit & ordinavit, quod ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus abbates & priores monasteriorum predictorum & aliorum, que pro tempore eidem congregationi unirentur, adnecterentur & incorporarentur, non perpetui vel triennales, sed dumtaxat annales, existerent, & singulis annis novi abbates & priores modo premisso eligerentur. Et quia sancti Apollinaris in Classe extra muros Ravennates dicti ordinis eidem congregationi juxta illius ritus & mores tenendi & gubernandi uniti, ac predicti de Carceribus monasteriorum abbates per speciale privilegium eorum vita durante, tunc ammoveri non poterant, voluit ac scientia & auctoritate apostolica predictis decrevit, quod eis simul vel successive cedentibus vel decedentibus, aut dictis sancti Apollinaris & de Carceribus monasteriis per cessum vel decessum, aut aliis quibusvis modis, etiam apud sanctam sedem apostolicam vacantibus, etiam triennium predictum ad annum modo & forma premissis eo ipso reductum esset & esse censeretur, & sancti Apollinaris & de Carceribus monasteria predicta cum omnibus juribus, pertinentiis & annexis suis ad ipsam congregationem in omnibus & per omnia plenarie eo ipso reverterentur, applicarentur, & illi penitus se conformarent, quodque presidens cum definitoribus in capitulo, vel vicarius cum visitatoribus dicte congregationis tunc infra annum eisdem sancti Apollinaris & de Carceribus monasteriis de abbatibus annalibus modo premisso valerent providere, prout in singulis literis predictis plenius continetur. Et deinde sicut exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum modernorum vicarii generalis, presidentis & definitorum dicte congregationis petitio continebat, postquam prefato monasterio de Carceribus tunc ex eo, quod quondam Petrus Boldu tunc ipsius monasterii de Carceribus abbas regimini & administrationi illius, cui tunc in humanis agens preerat, in manibus recolende memorie

Ale.

Alexandri pape VI. similiter predecessoris nostri sponte & libere cesserat. Idem Alexander predecessor omnes & singulas speciales & generales reservationes, uniones, annexiones, incorporationes & applicationes de dicto monasterio de Carceribus per eum & sedem predictam in favorem quarumcumque personarum, etiam cardinalatus honore fungentium, ac aliorum monasteriorum & congregationum sub quibusvis verborum formis & clausulis factas vel concessas, earumque omnium vim & effectum motu proprio & ex certa scientia ea vice dumtaxat suspendendo, & in vacationem dicti monasterii de Carceribus ex hujusmodi cessione effectum sortiri non posse, nec debere, decernendo, cessionem ipsam duxit admittendam, vacanti, de persona Dominici etiam Boldu monachi dicti ordinis eidem monasterio de Carceribus, ut prefertur, vacanti apostolica auctoritate provisum, ipseque Dominicus illi in abbatem prefectus fuerat, ac provisionis & prefectionis predictorum vigore possessionem vel quasi regiminis & administrationis, ac bonorum dicti monasterii de Carceribus seu majoris partis eorum assecutus fuerat, orta inter eumdem Dominicum Boldu & dilectum filium nostrum Dominicum tituli sancti Marci presbyterum tunc sancti Nicolai inter imagines diaconum cardinalem super regimine & administratione monasterii de Carceribus hujusmodi, cui tunc, ut prefertur, vacanti Dominicus Boldu de persona sua auctoritate apostolica predicta provisum, seque illi in abbatem prefectum ac earumdem provisionis & prefectionis vigore possessionem vel quasi regiminis & administrationis, ac bonorum monasterii de Carceribus hujusmodi assecutum fuisse, ac dictum Dominicum cardinalem provisioni & prefectioni predictis contra justitiam se opposuisse & tunc opponere, impedivisseque & impedire, ac fecisse & facere, quominus provisio & prefectio predicte suum debitum consecute fuissent & consequerentur effectum; & ipse Dominicus Boldu monasterium predictum de Carceribus posset pacifice, & in spiritualibus & temporalibus regere & gubernare, Dominicus cardinalis vero prefatus monasterium predictum de Carceribus, ut prefertur, vacans sibi per eum, quoad viveret, tenendum, regendum & gubernandum dicta auctoritate apostolica commendatum fuisse, & illud ad se de jure spectare asserebat, materia questionis dictus Alexander predecessor causa hujusmodi non obstante, quod ad Romanam curiam legitime devoluta, & ad eam de juris necessitate tractanda & finienda non esset, ven. fratri nostro Petro episcopo Anconitano locum unius ex auditoribus causarum palatii apostolici de mandato nostro tenenti, tunc ipsius Alexandri predecessoris capellano, & causarum dicti palatii auditori ad instantiam dicti Dominici Boldu audiendam commisit, & fine debito terminandam, ipseque Petrus episcopus tunc auditor in causa hujusmodi procedens definitivam, per quam monasterium predictum eidem Dominico cardinali adjudicavit, & super illo dicto Dominico Boldu perpetuum silentium imposuit, cum fructuum & expensarum condemnatione sententiam promulgavit. A qua cum pro parte dicti Dominici Boldu fuisset ad sedem eamdem appellatum, dictus Alexander predecessor causam appellationis hujusmodi ven. fratri nostro Mattheo episcopo Nucerensi etiam locum unius ex auditoribus dicti palatii de mandato nostro tunc ipsius Alexandri predecessoris tenenti audiendam commisit & fine debito terminandam, & dictus Mattheus episcopus & locumtenens in causa appellationis hujusmodi etiam procedens definitivam, per quam sententiam per dictum Petrum episcopum tunc auditorem latam confirmavit, sententiam promulgavit. A qua quidem sententia pro parte dicti Dominici Boldu ad sedem predictam appellato idem Alexander predecessor causam posterioris appellationis hujusmodi ven. fratri nostro Antonio archiepiscopo Sipontino, tunc episcopo Civitatis-castelli, & locum unius ex prefati auditoribus de simili mandato nostro tunc ipsius Alexandri predecessoris tenenti audiendam commisit, & fine debito terminandam. Et postquam ipse Antonius archiepiscopus & locum tenens in causa posterioris appellationis hujusmodi ad nonnullos actus citra tamen conclusionem processerat, cum Dominicus Boldu & tunc vicarius generalis ac definitores congregationis predictorum statuti, ordinationis, voluntatis, applicationis, decreti & literarum Innocentii predecessoris hujusmodi vigore unum ex monachis congregationis & ordinis predictorum in abbatem annualem dicti monasterii de Carceribus, utpote ex dimissione dicti Dominici Boldu tunc possessoris vacantis & eidem congregationi applicati elegissent, ipseque sic electus possessionem vel quasi regiminis & administrationis ac bonorum monasterii de Carceribus hujusmodi seu majoris partis eorum electionis & literarum predictarum vigore apprehendisset, prefatus predecessor

for causam, quam vicarius generalis, definitores & congregationis prefati contra Dominicum cardinalem & Dominicum Boldu prefatos, omnesque alias sua interesse putantes super monasterio de Carceribus ac illius regimine & administratione ac applicatione prefatis movere intendebant, non obstante, quod causa hujusmodi ad dictam curiam legitime devoluta, & apud eam de juris necessitate tractanda & finienda non esset, eidem Antonio archiepiscopo & locum tenenti audiendam commisit & fine debito terminandam, & postquam idem Antonius archiepiscopus & locum tenens in causa ipsa sibi ad instantiam dictorum vicarii generalis & definitorum commissa ad nonnullos actus citra tamen conclusionem processerat in causa posterioris appellationis hujusmodi inter Dominicum cardinalem & Dominicum Boldu prefatos procedens definitivam, per quam sententiam per prefatum Mattheum episcopum & locum tenentem latam predictam confirmavit, sententiam promulgavit, ac literas executoriales desuper in forma solita decrevit, & dictus Dominicus cardinalis asserens congregationem predictam eum impedire, quominus possessionem vel quasi regiminis & administrationis dicti monasterii de Carceribus ac bonorum ejus assequi posset, literas executoriales predictas eisdem vicario generali & definitoribus intimavit, ac eos, necnon singulares personas ipsius congregationis ob illarum non paritiones excommunicari, & excommunicatos declarari obtinuit. Cum autem lite hujusmodi adhuc inter Dominicum cardinalem & congregationem prefatam coram dicto Antonio archiepiscopo & locum tenente indecisa pendente, prefatus Dominicus cardinalis ad evitandum ulterius litigiorum anfractus, parcendumque laboribus & expensis, ac pro implemento certe honeste concordie inter eum & vicarium generalem ac definitores & congregationem predictos, interventu nonnullorum proborum virorum, & presertim dilecti filii nostri Francisci tituli sancte Susanne presbyteri cardinalis & dicti ordinis protectoris inite, necnon ut statutum & ordinatio, voluntas, applicatio & decretum, necnon litere Innocentii predecessoris hujusmodi, ac omni juri sibi in regimine & administratione prefatis vel ad illa quomodolibet competenti hodie in manibus nostris sponte & libere cesserit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam: & sicut eadem petitio subjungebat, ipsi vicarius generalis & definitores dubitent etiam in futurum propter premissa & alias supradicto monasterio de Carceribus, ac illius applicatione eidem congregationi, necnon regimine & administratione per abbatem annalem molestari posse, nos vicario generali & definitoribus & congregationi predictis asserentibus se & singulares personas congregationis hujusmodi ab eisdem censuris in predictis literis executorialibus contentis de consensu dicti Dominici cardinalis absolutos fuisse, ne predictarum literarum frustrentur effectu, ac ne super regimine & administratione dicti monasterii de Carceribus per abbatem annalem molestentur, providere volentes, ac vicarium generalem, definitores & congregationem prefatos, ac congregationis hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac monasterii de Carceribus predicti fructuum, redditum & proventuum, qui ad tricentos quinquaginta ducatos auri in libris camere predicte taxati reperiuntur, verum annuum valorem secundum communem extimationem; necnon statum cause hujusmodi presentibus pro expressis habentes, causamque ipsam ad nos advocantes, & litem hujusmodi penitus extinguentes, vicarii, definitorum & congregationis predictorum in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium decernimus, quod litere Innocentii predecessoris hujusmodi, & inde secuta quecumque a datis presentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eidem congregationi suffragentur, etiam ad hoc ut monasterium predictum de Carceribus eidem congregationi perpetuo unitum & applicatum existat, ac congregatio prefata illud per abbatem annualem juxta statutum, ordinationem, voluntatem & decretum ac applicationem, necnon literas Innocentii predecessoris hujusmodi & alias ejusdem congregationis statuta, ritus, laudabiles consuetudines in spiritualibus & temporalibus regere & gubernare valeant. Non obstantibus *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre voluntatis, absolutionis, advocationis, extinctionis & decreti infringere *&c.* Datum Bononie anno incarnationis Dominice M. D. VI. tertio nonas februarii pontificatus nostri anno quarto.

CXIII.

CXIII.

Idem unit monasterio S. Johannis-baptistæ de Faventia prioratum de Vincareto.

Anno 1506. v. id febr.

Ex archivo Classensis abbatiæ.

JUlius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Apostolice sollicitudinis studium humeris nostris divina dispositione commissum circa ea continue versatur, per que nostre provisionis ministerio ecclesiarum omnium statui & decori, necnon personarum ecclesiasticarum presertim regularium in illis Altissimo famulantium commodo & utilitati valeat salubriter provideri. Dudum siquidem omnes prioratus ceteraque beneficia ecclesiastica apud sedem apostolicam tunc vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum prioratus sancte Marie de Vincareto ordinis Camaldulensis Britonoriensis diocesis per liberam resignationem dilecti filii Marci Talentini de Bagnacavallo nuper ipsius prioratus prioris, de illo, quem tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam & per nos admissam apud sedem predictam vacaverit & vacet ad presens, nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis: & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris & conventus prioratus sancti Johannis-baptiste dicti ordinis congregationis sancti Michaelis de Muriano Faventine petitio continebat, edificia dicti prioratus sancte Marie pro majori parte collapsa sunt, illiusque bona a nonnullis personis detinentur indebite occupata, ac ipsius fructus, redditus & proventus adeo tenues & exiles existant, quod prefatus Marcus illum nuper obtinens non solum ex eis se commode sustentare, sed etiam edificia restaurare & bona predicta recuperare non valebat. Et si ipse prioratus sancte Marie eidem prioratui sancti Johannis perpetuo annecteretur & incorporaretur, profecto prior ejusdem prioratus sancti Johannis pro tempore existens edificia collapsa restauraret & bona detenta hujusmodi recuperaret &c. Quare pro parte eorumdem prioris & conventus afferentium fructus, redditus & proventus dicti prioratus sancte Marie octuaginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum sancte Marie predictum eidem prioratui sancti Johannis perpetuo unire, annectere & incorporare, ac alias in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum &c. hujusmodi supplicationibus inclinati prioratum sancte Marie predictum, qui conventualis non est, & a prioratu eremi Camaldulensis Arretine diocesis dependet &c. cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, eidem prioratui sancti Johannis auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat moderno & pro tempore existenti priori & conventui ipsius prioratus sancti Johannis per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem prioratus sancte Marie, juriumque, & pertinentiarum predictorum, etiam propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in suos & sancte Marie & sancti Johannis predictorum hujusmodi usus & utilitatem convertere, diocesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Bononie anno incarnationis Dominice M. D. VI. quinto idus februarii pontificatus nostri anno IV.

CXIV.

Canonici basilicæ Lateranensis de Urbe concedunt ecclesiam SS. Trinitatis de Faventia monialibus Camaldulensibus.

Anno 1506. XXI. martii.

Ex tabulario monasterii SS. Trinitatis.

CApitulum & canonici sacrosancte Lateranensis ecclesie ad perpetuam rei memoriam. Inter universa divine majestati accepta opera fundare cenobia & religiosa loca, in quibus prudentes virgines acceptis lampadibus se preparent obviam ire sponso Jesu-Christo, ac gratum & debitum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes, piis devotarum personarum desideriis, per que cenobia & loca pia fundari debeant, libenter annuimus, ac eorum preces favorabiliter exaudimus. Cum itaque ecclesia sancte Trinitatis Burgi Faventini, que olim mona-

nasterium monialium ordinis Humiliatorum fuerat, & postmodum monialibus destitutum, ac inibi dignitate abbatissali & ordine hujusmodi omnino suppressis per monachos ordinis Camaldulensis teneri & regi consuevit, per liberam resignationem dilecti in Christo nobis domni Benedicti Faventini ejusdem Camaldulensis ordinis monachi predicte ecclesie rectoris de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, & per nos, quibus ecclesia hujusmodi ex eo, quod in nostro Lateranensi solo fundata extitit, immediate subesse dignoscatur, admissam vacaverit & vacet ad presens: & sicut exhibita nobis per prefatum domnum Benedictum petitio continebat, si inibi & prope dictam ecclesiam denuo monasterium sub invocatione ejusdem sancte Trinitatis erigeretur & institueretur, & in eo ordo monialium ordinis Camaldulensis predicti introduceretur & plantaretur, & illud pro dicti ordinis monialibus perpetuis usu & habitatione, & ecclesiam predictam pro earum & dicti erecti monasterii ecclesia similiter in perpetuum concederetur, ac quod moniales hujusmodi unam ex eis in abbatissam annualem seu triennalem, prout eis magis expediens esse videbitur, que a generali dicti ordini pro tempore existente confirmationem obtinere, ac sub cura, visitatione & correctione predicti generalis esse, & moniales, que in dicto monasterio ingredientur pro tempore, in manibus ejusdem generalis professionem emittere, & quod ecclesie Lateranensi & nobis in recognitionem superioratus dicte ecclesie & edificiorum dicti monasterii libram unam piperis & unam libram cere annis singulis in resurrectionis Domini nostri Jesu-christi festivitate, & singulo quinto-decimo anno pro renovatione concessionis hujusmodi ducatos duos auri solvere, ac visitatorem Lateranensem quoad ecclesiam & edificia predicta benigna hospitalitate recipere, ac insignia Lateranensia in eisdem ecclesia & monasterio manutenere teneantur & debeant, statueretur & ordinaretur: & quod in eventu destitutionis monasterii hujusmodi generali predicto ad dictum monasterium monialibus destitutum jus presentandi quemvis monachum ordinis Camaldulensis per nos in eodem instituendum reservaretur, profecto ibidem divinus cultus cum animarum quamplurimo beneficio augeretur. Quare a nobis per prefatum domnum Benedictum petitum extitit, ut sibi premissis opportune providere de benignitate nostra dignaremur. Nos qui in locis presertim ecclesiasticis nobis & ecclesie Lateranensi immediate subjectis divini cultus augmentum vigere intensis desideramus affectibus, petitioni hujusmodi annuentes una cum rev. in Christo patre & domino Georgio episcopo Sarsinensi rev. in Christo patris & domini domini Johannis sancte Marie in Aquiro diaconi cardinalis de Columna nuncupati archipresbyteri Lateranensis vicario in loco nostro capitulari solito congregati, in loco dicte ecclesie denuo unum monasterium sub invocatione dicte sancte Trinitatis auctoritate nobis ad hoc a sede apostolica specialiter concessa erigimus & instituimus, & in eo ordinem monialium ordinis Camaldulensis instituimus & plantamus, & illud pro dicti ordinis monialibus perpetuo usu & habitatione, & ecclesiam predictam pro earum & dicti monasterii erecti ecclesia in perpetuum concedimus & assignamus, ac ad moniales hujusmodi unam ex eis in abbatissam annualem seu triennalem, prout eis magis expediens videbitur, que a generali dicti ordinis confirmationem obtinere, ac sub cura, visitatione ac correctione ejusdem generalis esse, & moniales, que in dicto monasterio pro tempore ingredientur, in manibus generalis hujusmodi professionem emittere; ac quod ecclesie Lateranensi & nobis in recognitionem superioritatis dicte ecclesie & edificiorum ejusdem monasterii unam libram piperis & unam libram cere annis singulis in resurrectionis Domini nostri Jesu-christi festivitate, ac singulo quinto-decimo anno pro renovatione concessionis hujusmodi ducatos duos auri solvere, & visitatorem Lateranensem quoad ecclesiam & edificia predicta benigna hospitalitate recipere, ac insignia Lateranensia in eisdem ecclesia & monasterio manutenere teneantur & debeant, statuimus & ordinamus, & in eventu destitutionis monasterii hujusmodi, generali ad dictum monasterium nobis, sic monialibus destitutum, jus presentandi quemcumque monachum dicti ordinis Camaldulensis in eodem instituendum perpetuo reservamus per presentes. Et insuper, ut eo liberius devotionis causa ad ecclesiam & monasterium hujusmodi Christi-fideles confluant, & pro eorumdem edificiis, structuris & aliis operibus & ornamentis ecclesiasticis manus porrigant adjutrices, quo ex hoc dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, omnibus & singulis Christi-fidelibus utriusque sexus ecclesiam hujusmodi devote visitantibus, & pro ejusdem edificiis &c. manus porrigentibus adjutrices, de omnipotentis Dei miseri-

misericordia ex Honorii III. Alexandri II. Anastasii IV. Alexandri III. Innocentii III. Gregorii VIII. Innocentii IV. Sixti IV. aliorumque Romanorum pontificum indultis eidem ecclesie Lateranensi & ejusdem singulis membris gratiose concessis decem annos & totidem quadragenarum de injunctis eis penitentiis in Domino relaxari, necnon eosdem ab eodem nostro Salvatore, in cujus nomine ecclesia Lateranensis principaliter fuit constructa, & sub beati Johannis vocabulo insignita, juxta subsidii quantitatem & devotionis affectum, suorum remissionem peccatorum & animarum ipsarum salutem jure consequi, dictasque indulgentias in omnibus Domini nostri Jesu-christi & beate Marie virginis & sanctorum apostolorum festivitatibus, ac in die sancte Trinitatis & dedicationis dicte ecclesie quadruplicari significamus etiam per presentes. In quorum *&c.* fidem *&c.* Datum Laterani anno Nativitatis Dominice M. D. VI. die XXI. mensis martii pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Julii divina providentia pape II. anno III.

Julianus Cencius canonicus & camerarius Lateranensis.

Berardinus Capella canonicus & camerarius Lateranensis.

CXV.

Testamentum Pauli monachi, olim Hieronymi Suriani medicinæ doctoris.

Anno 1506. XXVI. junii.

Ex archivo S. Mathiæ de Muriano.

IN nomine Dei eterni, amen. Anno ab incarnatione ejusdem Domini nostri Jesu-Christi M. D. VI. mensis junii die XXVI. indictione IX. Muriani. Cum vite sue terminum unusquisque prorsus ignoret, & nihil certius sit morte, incertaque hora mortis; idcirco frater Paulus monasterii sancti Mathie de Muriano ordinis Camaldulensis nondum professus, vocatus ad seculum Hieronymus filius quondam spectabilis & eximii artium & medicine doctoris domini magistri Jacobi Suriano de Arimino sanus per gratiam omnipotentis Dei mente, intellectu pariter & corpore, volens professionem, quam de proximo sum facturus in dicto monasterio sancti Mathie de Muriano, de meis bonis disponere & ordinare, ad me vocavi & venire feci Bernardum de Thomasiis Venetiarum notarium infrascriptum, ipsumque rogavi, ut hoc meum ultimum scriberet testamentum, illudque post professionem meam compleret & roboraret cum clausulis & additionibus necessariis secundum statum, leges & ordines Venetiarum. Et in primis animam meam do Altissimo creatori suo, ejusque gloriosissime matri Marie & toti curie celesti recommendo. Item instituo & esse volo meum fidelem commissarium & hujus mei ultimi testamenti executorem spectabilem & eximium artium & medicine doctorem dominum magistrum Johannem Suriano fratrem meum dilectum, ut secundum quod inferius ordinavero, dari atque fieri jussero, sic ipse post professionem meam adimplere teneatur. Et deficiente ipso, volo quod instituere possit ejus loco unum vel plures alios commissarios, qui sibi videbuntur. Item dimitto monasterio predicto sancti Mathie de Muriano in vita mea tantum usufructum possessionis de Sarzano partim in territorio de Arimino situate, & partim pro minori parte in territorio sancti Archangeli, partim in dicto territorio Arimini in capella sancte Marie de Uziano, & partim in territorio dicto la Vignaca in territorio sancti Archangeli in capella sancte Marie in Cerreto, quam de presenti tenent ad affictum Johannes & Mattheus de Musone fratres, & Johannes quondam Martini de Thomasinis, & Thomas ejus filius omnes de sancto Hermete, ut patet in instrumento ser Bertolini de Domeneginis de Cenestrello notarii publici facto Arimini anno M. D. V. a nativitate Domini die XXIX. januarii, cum onere solvendi onera & gravedines *&c.* quos usufructus percipere debeat monasterium predictum de anno M. D. VII. & sic consequenter durante vita prefati domini testatoris. Quos introitus monasterium predictum sive gubernatores ejusdem exponere debeant & teneantur in fabrica pro dicto monasterio sive ecclesia, & non aliter. Et si hoc non fecerint, quod dicti fructus pleno jure devolvantur & deveniant in commissariam meam. Post vero mortem meam volo & ordino, quod si dilectus frater Johannes Surianus filius quondam prefati spectabilis domini Jacobi patris mei supervixerit, habeat & habere debeat in vita sua tantum staria XXIV. ad mensuram Venetam frumenti statim consignanda Arimini per dictum dominum fratrem meum dominum Johannem vel ejus procuratores, qui scilicet exponantur in fabrica ut supra, & si non exposuerint, revertantur in dictam com-

commissariam meam: Item dimitto monasterio predicto sancti Mathie volumina ducenta continentia Rasis, cum operibus Isaach in medicina ex illis ducentis viginti, que habere debeo a ser Bernardino Benalio de Bergomo impressore, ut patet ejus chyrographo celebrato primo die septembris M. D. III. Item dimitto alia triginta volumina eidem monasterio ex voluminibus triginta-septem dicti Rasis, que scilicet habere debeo a prefato ser Bernardino, ut patet alio chyrographo &c. que ambo chyrographa consignata fuerunt per dictum dominum testatorem venerabili priori monasterii predicti &c. Item dimitto domine Eugenie relicte prefati spectabilis domini Jacobi Suriano matri mee ducatos tres in anno in vita sua tantum, quos sibi volo dari per suprascriptum dominum Johannem fratrem meum vel ejus commissarios. Item dimitto suprascripto monasterio &c. omnes libros, res & bona per me portata ad dictum monasterium in introitu meo descripta in libro a magistro monasterii predicti ad chartas xv. in partitis viginti-duabus superioribus. Item dimitto monasterio predicto omnia volumina librorum contenta & descripta in quodam libretto cartarum decem manu dicti domini testatoris, que volumina sunt numero ducenta viginti-sex ligata in diversis facultatibus & formis. Residuum vero omnium bonorum meorum mobilium & stabilium &c. dimitto supramemorato spectabili domino Johanni Suriano fratri & commissario meo. Declaro tamen, quod si dictum monasterium sancti Mathie de Muriano ullo unquam tempore me vivente vel suprascripto domino fratre Jacobo, obtineretur in commendam vel ejus prioratus usurparetur, ita quod de anno in annum vel de tempore in tempus non fieret ejus prior per congregationem, quod absit, volo quod legata per me ipsi monasterio facta irrita & nulla penitus sint, & habeantur & deveniant in commissariam meam. Preterea plenissimam virtutem atque potestatem do, tribuo, &c. commissario meo post professionem meam hanc commissariam intromittendi &c. item petendi &c.

† Signum magistri fratris Pauli, qui hec fieri rogavit.

Ego Bernardus de Thomasiis Venetus notarius complevi & roboravi.

CXVI.

Julius II. unit monasterio S. Mariæ Magdalenæ Senarum alterum S. Mamiliani.

Anno 1507. v. kal. junii.

Ex autographo monast. S. Mariæ Magdalenæ n. 98.

JUlius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. archiepiscopo Senen. salutem & apostolicam benedictionem. Sedis apostolice providentia circumspecta circa monasteriorum, & aliorum regularium locorum ac personarum in illis divinis obsequiis emancipatarum directionem & commoda libenter intendens, nonnunquam illorum status pro divini cultus augmento & earumdem personarum animarum salutem alterat & immutat, aliasque desuper ordinat & disponit, prout locorum, rerum & temporum qualitate pensata id in Domino conspicit salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum prioris & capitanei communis Senarum exhibita nobis nuper petitio continebat, quod licet monasterium sancti Mamiliani extra muros Senen. ordinis sancti Benedicti pro illius abbatisse & conventus sustentatione, & aliis oneribus eis incumbentibus perferendis in primeva ejus fundatione sufficientibus redditibus dotatum fuerit, tamen ob minus honestam vitam dilectarum in Christo filiarum moderne illius abbatisse & conventus, aliosque sinistros eventus bona, & possessiones ipsius monasterii adeo deteriorata & in parte deperdita & occupata fuerunt, quod ex illorum redditibus vix hodie prefata abbatissa & conventus vivere possunt. Et si ecclesia dicti monasterii, que parochialis existit, cum ipsius monasterii domibus, & edificiis ac decimis per ejus parochianos hactenus solvi solitis, ac tantum de bonis immobilibus dicti monasterii, quantum tu ab eo dimembrandum, & ipsi ecclesie pro illius rectoris, qui Missas ibi celebrare, & dictorum parochianorum animarum curam exercere teneretur, sustentatione applicandum duceres, ita quod de cetero ecclesia ipsa ad tuam & pro tempore existentis archiepiscopi Senensis collationem libere spectet, ab ipso monasterio separaretur & segregaretur, & in eodem monasterio ordo predictus & abbatissalis dignitas supprimeretur & extingueretur, ac reliqua omnia illius bona monasterio monialium sancte Marie Magdalene

dalene & ordinis sancti Augustini a dicto monasterio sancti Mamiliani non longe distanti, in quo quinquaginta moniales vel circiter ex nobilioribus dictorum communis cum odore bone fame, & sub humilitatis spiritu assiduum Christo earum sponso exhibent famulatum, applicarentur, & appropriarentur in perpetuum, ipsiusque monasterii sancti Mamiliani abbatissa & moniales ab eo, & ordine sancti Benedicti ad monasterium sancte Marie Magdalene & ordinem sancti Augustini hujusmodi transferrentur, ex hoc profecto abbatissa & moniales monasterii sancti Mamiliani in melius reformarentur, ac in monasterio sancte Marie Magdalene hujusmodi augeretur divinus cultus, ipseque abbatissa & moniales, que propter illius fructuum tenuitatem commode sustentari nequeunt, recuperatis dictis locis perditis & occupatis, commodius de cetero vivere valerent, idque in spiritualem eorumdem communem cederet consolationem. Quare pro parte prioris & capitanei predictorum asserentium fructus, redditus & proventus dicti monasterii sancti Mamiliani triginta-quatuor ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, & in eo septem dumtaxat moniales existere, que clausuram inibi juxta regularia sui ordinis instituta minime observant, sed pudicitie laxatis habenis vite penitus inserviunt seculari, formidandumque esse, ne in deteriora labantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesiam dicti monasterii sancti Mamiliani cum domibus & edificiis, ac decimis & bonis & pro dicti rectoris sustentatione applicandis hujusmodi ab ipso monasterio sancti Mamiliani separari & segregari, & in eodem monasterio sancti Mamiliani ordinem & dignitatem predictos supprimi & extingui, & reliqua omnia ejus bona eidem monasterio sancte Marie Magdalene applicari & appropriari, ipsiusque monasterii sancti Mamiliani abbatissam & moniales ab eo & ordine sancti Benedicti ad monasterium sancte Marie Magdalene & ordinem sancti Augustini hujusmodi transferri mandare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem priorem & capitaneum, & eorum alterum a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac dicti monasterii sancte Marie Magdalene fructuum, reddituum & proventuum veros annuos valores presentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis abbatissa & monialibus prefatis, & si tuus ad hoc expressus accedat assensus, ecclesiam dicti monasterii sancti Mamiliani, cum ipsius monasterii sancti Mamiliani domibus, & edificiis ac decimis per ejus parochianos hactenus solvi solitis, ac tantum de bonis immobilibus ejusdem monasterii sancti Mamiliani, quantum tu ab eo dimembrandum ac dicte ecclesie pro illius rectore, qui Missas inibi celebrare, & curam animarum dictorum parochianorum exercere teneatur, applicandum duxeris, ita quod ex tunc de cetero ecclesia ipsa ad tuam, & pro tempore existentis archiepiscopi Senensis collationem libere spectet, ab eodem monasterio sancti Mamiliani separare & segregare, & in ipso monasterio sancti Mamiliani ordinem sancti Benedicti & abbatissalem dignitatem predictos supprimere & extinguere, & reliqua omnia illius bona, reservata tamen prius per te ex illorum fructibus, redditibus, proventibus congrua portione pro abbatissa & monialibus, que in dicto monasterio sancti Mamiliani hodie sunt, eidem monasterio sancte Marie Magdalene applicare & appropriare, dictasque abbatissam & moniales monasterii sancti Mamiliani de illo & ordine sancti Benedicti ad monasterium sancte Marie Magdalene corporalem possessionem dictorum reliquorum bonorum per te, vel per alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in solutionem annui census tibi & successoribus tuis archiepiscopis Senensibus, qui pro tempore fuerint, solvi soliti, ad cujus solutionem ipsam abbatissam & conventum monasterii sancte Marie Magdalene volumus omnino teneri, in suosque & eorum monasterii usus, utilitatemque convertere, tua aut cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & monasterii sancti Mamiliani & ordinis sancti Benedicti predictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis apostolicis monasterio sancti Mamilian & ordini sancti Benedicti hujusmodi concessis, quibus

bus etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, & si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo-septimo quinto kl. junii pontificatus nostri anno quarto.

Jo. Philippus. Jo. de Radicibus.

CXVII.

Julius II. adnectit parthenoni S. Agathæ de Florentia ecclesias S. Hilarii de Pitignuolo, & S. Christinæ de Pancoli.

Anno 1507. kalendis octobris.

Ex autographo S. Agathæ de Florentia n. 98.

JUlius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii debitum, quo ecclesiarum omnium regimini disponente Domino presidemus, mentem nostram excitat & inducit, ut ad ea, per que monasteriorum & aliorum piorum locorum ac personarum presertim feminei sexus in illis sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium commodo & utilitati consulitur operosis studiis favorabiliter intendamus. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum sancti Ilarii de Pitignuolo & sancte Christine de Pancoli parochiales alias ecclesie invicem perpetuo unite Florentine diocesis per liberam resignationem dilecti filii Michaelis Matthei de Cermis nuper ipsarum ecclesiarum rectoris, de illis, quas tunc obtinebat, per dilectum filium Blasium de Acarisii clericum Florentinum procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factam, & per nos admissam, apud sedem predictam vacaverint & vacent ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, exhibita nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum moderne abbatisse & conventus monasterii monialium sancte Agathe Florentin. ordinis sancti Benedicti petitio continebat, si dicte ecclesie eidem monasterio, cujus fructus, redditus & proventus adeo tenues & exiles existunt, quod ad sustentationem religiosarum & aliarum personarum in ipso monasterio pro tempore residentium, ac alia onera eidem monasterio incumbentia perferenda non sufficiunt, perpetuo unirentur, annecterentur & incorporarentur, ex hoc profecto necessitatibus monasterii & abbatisse & conventus predictorum plurimum consuleretur. Quare pro parte earumdem abbatisse & conventus asserentium ipsarum ecclesiarum fructus, redditus & proventus decem & octo Florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesias predictas prefato monasterio perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum &c. hujusmodi supplicationibus inclinati ecclesias predictas sive premisso, sive alio quovis modo &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem monasterio auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat eisdem abbatisse & conventui corporalem possessionem ecclesiarum, juriumque & pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus & proventus in suos ac monasterii & ecclesiarum hujusmodi usus & utilitatem convertere, ac eisdem ecclesiis per aliquem idoneum presbyterum secularem vel cujusvis ordinis regularem ad nutum abbatisse pro tempore existentis, & conventus ipsius monasterii amovibilem in divinis deserviri, & illarum parochianorum animarum curam exerceri facere, diocesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo septimo kl. octobris pontificatus nostri anno quarto.

CXVIII.

CXVIII.

Franciscus card. legatus concedit indulgentiam visitantibus ecclesiam S. Luciæ de Septem-fontibus in festo ejusdem S. Luciæ Camaldulensis.

Anno 1508. VI. id. novemb.

Ex originali in archivo S. Christinæ de Bononia L. 37.

FRanciscus miseratione divina tituli sancte Cecilie S. R. E. presbyter cardinalis Papiensis in civitate Bononie, exarchatu Ravenne & tota provincia Romandiole apostolice sedis legatus de latere in spiritualibus & temporalibus generalis universis & singulis Christi-fidelibus presentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Splendor paterne glorie, qua sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementia ipsius majestatis operantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia seu monasterium sancte Christine de Fundatia Bononiensis ordinis Camaldulensis, necnon ecclesia sancte Lucie de Stiffunto Bononiensis diocesis eidem monasterio perpetuo unita in suis structuris & edificiis debite reparentur, conserventur & manuteneantur, ac libris, calicibus, luminaribus & aliis ornamentis ecclesiasticis pro divino cultu magis decenter muniantur, & a Christi-fidelibus jugiter venerentur, congruis quoque frequententur honoribus, & ut Christi-fideles eo libentius causa devotionis confluant ad easdem, & ad reparationem, conservationem, manutentionem, munitionem hujusmodi promptius manus porrigant adjutrices, quo ex hoc dono celestis gratie conspexerint se refectos, pro parte dilectarum nobis in Christo abbatisse & monialium dicti monasterii sancte Christine Bononiensis ordinis Camaldulensis porrectis nobis humilibus supplicationibus inclinati, omnibus & singulis Christi-fidelibus prefatis vere penitentibus & confessis utriusque sexus, qui dictam sancte Christine in ejusdem Sancte, & Dominice Palmarum, ac prefatam sancte Lucie ecclesias in ejusdem sancte Lucie festivitatum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim, & ad premissa manus porrexerint adjutrices, pro singulis diebus festivitatum earumdem, quibus id fecerint, trecentos dies de injunctis eis penitentiis auctoritate apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, de omnipotentis Dei misericordia tenore presentium misericorditer in Domino relaxamus, presentibus ad viginti-quinque annos a die date presentium inchoandas duraturis. In quorum fidem presentes literas fieri fecimus, sigillique nostri jussimus appensione muniri. Datum Bononie anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo. octavo sexto idus novembris pontificatus domini Julii pape secundi anno quinto.

Pan. Salandus.

CXIX.

Charta circa corpora B. Antonii Peregrini, & B. Compagni prioris Porciliensis.

Anno 1510. XXVII. februarii.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

IN Christi nomine amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo quingentesimo decimo indictione tertia-decima die vigesimo-septimo februarii Padue in parlatorio monasterii dominarum monialium sancti Petri Padue, ubi de presenti habitant infrascripte domine moniales sancti Antonii-pelegrini seu sancte Marie de Porcilia extra muros Padue ob demolitionem sui monasterii propter adventum inimicorum circa civitatem Padue, presentibus ven. domino presb. Hieronymo rectore parochialis ecclesie sancti Cantiani Padue & ibidem in &c. & domino presb. Marco-antonio capellano dominarum monialium sancti Petri Padue, & ibidem his testibus ad hec habitis, adhibitis & specialiter ad infrascripta rogatis, ubi convocato, & ut moris est, campanelle sonitu congregato capitulo ven. & religiosarum dominarum monialium beati Antonii-pelegrini Padue seu sancte Marie de Porcilia, in quo interfuerunt ven. & religiosa domina soror Christina de Padua honorabilis abbatissa, domina soror Elisabeth de Padua priorissa, soror Magdalena de Padua, soror Cecilia de Padua, soror Placita de Padua, soror Lucia de Padua, soror Laura de Padua, soror Candida de Venetiis, soror Seraffina de Venetiis, soror Agnesina de Padua, soror Justina de Feltro, soror Maria de Padua, soror Hieronyma de Padua, soror Thadea de Padua, soror

ror Philippa de Padua, soror Benedicta de la Marcha, soror Polonia de Este, soror Petronilla de Padua, soror Eufrasia de Padua & soror Bricita de Padua, omnes professe & vocem habentes in dicto capitulo & conventu, ac representantes totum & integrum capitulum, cum sint ultra duas partes, habito respectu ad tres partes prefatarum dictarum monialium vocem habentium in dicto capitulo, prout ipse dixerunt. Quo quidem capitulo prefata domina abbatissa & moniales capitulariter, ut supra, congregate dixerunt & declaraverunt reverendo domno Ambrosio de Mediolano abbati benemerito monasterii & conventus dominorum fratrum sancti Michaelis de Muriano de Venetiis, cui unitum & incorporatum fuit & est monasterium dominorum fratrum beati Antonii-pelegrini seu sancte Marie de Porcilia extra & prope muros Padue presenti & acceptanti nomine dicti sui monasterii, corpus beati Antonii-pelegrini, quod erat in archa conditum penes dicta duo monasteria extra & prope muros Porcilie Padue & commune inter dicta duo monasteria, fuit & est collocatum ad requisitionem prefatorum monasteriorum in ecclesia dominarum monialium sancti Petri Padue, ubi de presenti prefate domine moniales beati Antonii-pelegrini resident & habitant ob ruinam & demolitionem dictorum duorum monasteriorum ob adventum exercitus inimicorum circum circa civitatem Padue, & quod semper apud dicta duo monasteria fuerunt due claves arce corporis prefati beati Antonii-pelegrini, videlicet una apud prefatos dominos fratres, & altera apud ipsas dominas moniales, & inter dicta duo monasteria equaliter oblationes semper fuerunt divise in duas partes & dividentur, prout in preteritum factum fuit, donec aliter provisum fuerit. Preterea prefate domine moniales capitulariter, ut supra, congregate declaraverunt ipsi domino abbati dicto nomine corpus don Compagni, quod erat in ecclesia dictorum dominorum fratrum beati Antonii-pelegrini ante ruinam predictam, de presenti esse collocatum in ecclesia predicta sancti Petri Padue, super quibus omnibus & singulis ego Antonius de Conchellis rogatus fui publicum conficere documentum ad futurorum memoriam.

Ego Antonius de Conchellis quondam egregii viri domini Francisci civis & habitatoris Padue &c. publicus imperiali auctoritate notarius premissis omnibus interfui & rogatus ea bona fide scripsi, & in hanc presentem formam redegi signo & nomine meis solitis in fidem appositis.

CXX.

Julius II. unit congregationi S. Michaelis prioratum S. Salvatoris de Foro-livio.

Anno 1510. VII. kal. septemb.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

JUlius servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto &c. Cum itaque prioratus sancti Salvatoris Foro-liviensis Camaldulensis ordinis, quem dilectus filius Cyprianus de Numais clericus familiaris noster continuus commensalis ex concessione & dispositione apostolica in commenda nuper obtinebat, commenda hujusmodi ex eo, quod dictus Cyprianus illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc eo, quod ante commendam eamdem vacabat, modo vacare noscatur ad presens, & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum vicarii & visitatorum congregationis sancti Michaelis de Muriano dicti ordinis Torcellane diocesis petitio continebat, si dictus prioratus congregationi hujusmodi juxta illius ritus & mores per priorem annualem tenendus, regendus & gubernandus perpetuo uniretur, adnecteretur & incorporaretur, ex hoc dictus prioratus non solum in temporlaibus, sed etiam in spiritualibus continue susciperet incrementum, & alia divina officia frequentius in eo celebrarentur, quod a multis annis retroactis celebrata fuerunt, litibusque & discordiis ac damnis, que pluries occurrente vacatione dicti prioratus evenerunt, aliis a sede apostolica, aliis vero ab ordinariis collatoribus ejusdem illum impetrantibus, & postea non solum sua, sed etiam dicti prioratus bona & fructus in litibus prosequendis consum ...... & dissipantibus, ne de cetero evenirent ...... & divini cultus augeatur, pro parte ..... & visitatorum asserentium dicti prioratus redditus & proventus octuaginta ducatorum auri de camera juxta communem estimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum predictum eidem congregationi per eos juxta ritus & mores congregationis hujus-

jusmodi, & priorem annualem tenendum, regendum & gubernandum perpetuo unire, anneƈtere & incorporare alias quam in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos qui dudum *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati prioratum prediƈtum *&c.* cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem congregationi *&c.* unimus *&c.* non obstantibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Rome apud sanƈtum Petrum anno incarnationis Dominice M. D. X. septimo kalendas septembris pontificatus nostri anno VII.

CXXI.

Gabriel card. Legatus confirmat privilegia monasterii S. Salvatoris Montis acuti in ecclesias & castra eidem monasterio subjeƈta.

Anno 1511. IV. aprilis.

Ex chartulario ejusdem monasterii.

GAbriel miseratione divina tituli sanƈte Praxedis sacrosanƈte Romane ecclesie presbyter cardinalis Perusie Umbrieque sedis apostolice de latere legatus. Decet ecclesias, eorumque ministros & vaxallos frui spiritualibus immunitatibus & privilegiis, ut que dicata sunt Deo, a secularibus distinguantur, & cure esse debet Romane ecclesie legatis & gubernatoribus privilegia, immunitatesque & subditorum suorum laudabiles consuetudines non solum confirmare, verum etiam ampliare & augere, illa potissimum, que a predecessoribus matura consideratione confirmata & approbata extiterunt, & denuo inducere, si ad subditorum commodum tendere dignoscuntur. Cum igitur constet venerabile monasterium sanƈti Salvatoris de Monte-acuto ordinis sanƈti Benediƈti Perusine diocesis, & nobis ex dispensatione apostolica canonice diu commendatum nonnulla castra & seu oppida ac villas ad idem monasterium speƈtantes, quorum homines & incolas ex decretis summorum pontificum & aliis immunitatibus, necnon ex antiqua & laudabili consuetudine a capitaneis comitatus Perusie pro tempore, eorumque vicariis, aliisque civitatis & comitatus prediƈti officialibus immunes & exempti fuere, necnon capitaneos, vicarios & officiales prediƈtos in castris, oppidis & villis ipsis eorumque hominibus & incolis nullum jus habuisse tam in jus dicendo, quam etiam ad eorum tribunalia homines & incolas memoratos evocandi, cum tantum venerabilibus abbatibus & seu commendatariis venerabilis monasterii prediƈti, ac officialibus per ipsos abbates & commendatarios successivis temporibus deputandos subjiciantur; fueritque propterea provisum per rev. in Christo patrem & dominum dominum L.. de Ruvere XII. apostolorum S. R. E. presbyterum cardinalem Agennensem, nostrum in legatione prediƈta precessorem & per suas literas mandatum consulto, prudenter & juste capitaneo comitatus Perusie porte sanƈti Angeli pro tempore existenti, ceterisque officialibus quocumque nomine censeantur, ut deinceps non audeant contra diƈtos vasallos, homines & habitatores memoratorum castrorum & villarum quoquomodo se intromittere, nec eos coram se evocari facere, nec a jurisdiƈtione propriorum vicariorum & officialium divertere. Nos igitur, qui provincie prefate curam gerimus, commoditati omnium ecclesiarum in ea existentium, & presertim ven. monasterii prediƈti consulere volentes, tenore presentium auƈtoritate legationis nostre omnia & singula ejusdem monasterii sanƈti Salvatoris de Monte-acuto privilegia, indulta, immunitates, consuetudines, & decreta ad commodum & utilitatem hominum, castrorum, oppidorum & villarum ejusdem confirmantes & approbantes, mandamus universis & singulis prenominatis officialibus, qui sunt & pro tempore erunt, sub pena excommunicationis late sententie, & alia arbitrio nostro imponenda & successorum nostrorum, quatenus indulta, privilegia, immunitates, decreta & consuetudines prediƈtas futuris temporibus inviolabiliter observent, illisque in nullo contrafaciant, & de prediƈtis hominibus se non intromittant, neque in jus vocent, ac a jurisdiƈtione eorum vicariorum & seu officialium eos non amoveant, neque amoveri patiantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem presentes nostras fieri, & per secretarium nostrum subscribi, sigillique nostri jussimus appensione muniri. Datum Perusii IIII. aprilis M. D. XI. pontificatus domini nostri domini Julii pape II. anno VIII.

Johannes-baptista Status.

CXXII.

Julius II. confirmat abbatiæ Classensi ejus privilegia & jura.

Anno 1512. id. aprilis.

Ex authentico ejusdem abbatiæ.

JUlius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventibus sancti Apollinaris in Classe & sancti Severi extra muros Ravennates invicem unitorum monasteriorum Camaldulensis ordinis congregationis sancti Michaelis de Murano salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est &c. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri protectione suscipimus, atque nostra, omnesque libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus, sive per privilegia vel alia indulta vobis & monasteriis vestris concessa, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, ac aliis Christi-fidelibus vobis & eisdem monasteriis rationabiliter indultis, specialiter autem pinetum Classis in diocesi Ravennatensi consistens cum valle Candiani, & ipsum Candianum cum illius piscaria & dicte vallis reparatione & custodie deputatione, ac aquis, aqueductibus, venationibus, aucupationibus, piscationibus, pascuis, & banditis pascuorum, pinetis, juribus etiam incidendi ligna in dicto Pineto, & illa ex eo exportandi, jurisdictionibus, regaliis, & omnibus aliis adjacentibus & pertinentiis in territorio Ravennatensi consistentibus, necnon census, agros, fructus, campos, domos, molendina, vineas, loca aliaque nemora, silvas, piscarias, jura, jurisdictiones, & alia bona mobilia & immobilia ad monasteria predicta spectantia, sicuti ea juste & pacifice possidetis, vobis & per vos eisdem monasteriis vestris auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo duodecimo idibus aprilis pontificatus nostri anno nono. M. Casa-nova

CXXIII.

Petrus Delphinus prior generalis unit prioratui S. Mariæ de Monte-calvario ecclesiam S. Mariæ de Fontana Castri-cari.

Anno 1513. XII. aprilis.

Ex archivo S. Salvatoris Foro-livii.

FRater Petrus Delphinus sacre eremi Camaldulensis prior, totiusque ejusdem ordinis generalis ven. in Christo fratri domno Sancti de Solarolo priori sancte Marie de Monte-calvario Foro-liviensis diocesis nostri ordinis Camaldulensis salutem & pium sancte caritatis affectum. Regimini universi nostri ordinis quamquam immerito presidentes curis pulsamur assiduis, ut monasteria, prioratus & loca quecumque prefati nostri ordinis, & illa presertim, que periculo & incommodo alicui exposita videntur, talibus provideantur, reparentur & fulciantur adjumentis, ut loca ipsa Deo auxiliante salubriter gubernentur, & eodem auctore continuum suscipiant incrementum. Cum igitur ecclesia seu prioratus sancte Marie de Fontana de Castro-caro Foro-liviensis diocesis nostri ordinis Camaldulensis & ad nostram sacram eremum manualiter ac pleno jure pertinens, que in presentiarum per privationem & abrogationem certis ac rationabilibus causis factam de domino Hieronymo Muccio olim ultimo & immediato dicte ecclesie rectore seu priore per nos & venerabiles fratres nostros definitores capituli nostri generalis novissime celebrati in monasterio Angelorum de Florentia, cum consensu & auctoritate rev. patris domni Johannis-baptiste de Sacchettis de Florentia abbatis abbatie Florentine ejusdem capituli presidentis & commissarii apostolici, prout latius de dicta privatione constat in actis dicti capituli rogatis & scriptis manu ser Bastiani de Firenzuola civis & publici notarii Florentini, vacaverit & vacet, & que est sine cura, adeoque tenuis redditus & proventus, quod rector dicte ecclesie ibidem permanere & de fructibus & proventibus dicte ecclesie substentari non possit, propatereaque ob dicti rectoris absentiam de facili in gravius aliquod incommodum & periculum incidere posset. Cumque si dicte ecclesie sancte Marie de Monte-calvario prope Castrum-carum uniatur, annectatur & incorporetur, verosimiliter sperari potest per devotionem, que habetur ab omnibus

bus convicinis & contiguis populis dicte ecclesie sancte Marie de Monte-calvario, & fratribus & monachis nostri ordinis ibidem habitantibus, dicte ecclesie sancte Marie de Fontana & ejusdem prioratus conservatio certior quam alio quocumque modo. Et propterea volentes una cum dictis ven. fratribus nostris definitoribus capituli generalis prelibati & presidente memorato, conservationi & saluti dicti prioratus sancte Marie de Fontana, quantum cum Deo possumus, consulere, & salubriter providere, eamdem ecclesiam & prioratum dicte ecclesie de Monte-calvario ex causis supradictis & aliis nimium animum nostrum merito moventibus, uniendum, annectendum & incorporandum duximus: cum hoc tamen salvo & reservato, quod durante vita dicti domni Hieronymi olim prioris prefati, & donec naturaliter vixerit, debeantur sibi abs te domno Sancte priore prefato & a tuis in dicta ecclesia successoribus de fructibus & proventibus dicti prioratus sancte Marie de Fontana Floreni duodecim aurei largi singulis annis eidem domno Hieronymo solvendi ejus vita durante, & non ultra ab se vel dictis suis in futurum successoribus, obtenta prius pro se, suisque sumptibus licentia & dispensatione a summo pontifice super hujusmodi pensione; quam ad laudem Dei ejusque beatissime matris semper virginis Marie, sub cujus specioso vocabulo dicta ecclesia nuncupatur, necnon ad incrementum & optimum statum dicti prioratus omni meliori, quo possumus vel debemus, modo tenore presentium cum consensu & auctoritate dictorum ven. fratrum *&c.* supra dictam ecclesiam seu prioratum sancte Marie de Fontana Foro-liviensis diocesis dicte ecclesie sancte Marie de Monte-calvario prope Castrum-carum unimus, annectimus & incorporamus *&c.* Verum quoniam ad capiendam dicte ecclesie & prioratus, ut supra, unitorum tenutam & corporalem possessionem non possumus nos ipsi aliis occupationibus impediti personaliter interesse, tibi tenore presentium concedimus, quatenus per te ipsum priorem vel procuratorem dicte ecclesie tenutam & corporalem possessionem coram notario & testibus capias & apprehendas. Contradictores quomodolibet & rebelles per censuram ecclesiasticam & alia opportuna remedia compescendo, invocato ad hec, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. In quorum *&c.* fidem *&c.* Datum Florentie in nostro monasterio Angelorum nostri ordinis sub anno Dominice nativitatis M. D. XIII. die vero XII. aprilis dicti anni, officii nostri XXXIII. pontificatus tempore sanctissimi in Christo patris domini domini Leonis pape X. anno primo.

Ego Lazarus Miniatensis notarius & scriba prefati rev. domini generalis de mandato.

CXXIV.

Bulla Leonis X. *confirmantis & privilegia dilargientis congregationi S. Michaelis de Muriano.*

Anno 1513. IV. nonas julii.

Ex libro privilegiorum Camaldul. pag. 17.

LEo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Etsi a summo rerum omnium conditore, cujus inscrutabili providentia cuncta reguntur, dispensatores in domo Domini, meritis licet insufficientibus juxta ministerii pastoralis officium quibuslibet personis regularem vitam professis teneamur assistere, illorum tamen profectibus animarum propensioribus nos licet auxiliis intendere & eorum quieti, ut in sancta vocatione absque impedimenti alicujus dispendio permanere, ac vota sua Altissimo exsolvere valeant: nilque ipsos ab oratione & contemplatione retrahat, aut eorum piam intentionem intercipiat, nihilque virtuosis operibus turbationis cujusvis prebeat quomodolibet incentivi, paterna caritate prospicere, ac remediis congruentibus providere, qui diffluentis & fallacis seculi pessundatis deliciis, vite integritate prepollent, & laudabilibus actibus continuo inherentes spem suam in altissimis, ubi bona sunt gaudia, collocarunt, ac ea, que per predecessores nostros, & canonice etiam seculares principes in favorem personarum sub regulari observantia Altissimo famulantium concessa, & pro salubri monasteriorum & locorum ac congregationum directione statuta & ordinata fuisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, ac alias nostri pastoralis officii partes favorabiliter impartimur, prout id in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane accepimus, quod quamplura privilegia & indulta tam per Romanos pontifices predecessores nostros, quam imperatores & reges Romanorum & alios seculares principes eremo & sancti Michaelis de Murano & aliis Camaldulen-

dulensis ordinis monasteriis & locis, ac congregationi de Murano concessa fuerunt, ac quod nuper dilecti filii Petrus Delfini prior prioratus eremi dicti ordinis Aretine diocesis ac ejusdem ordinis generalis & ejusdem eremi eremite ac moderni abbates monasteriorum & priores prioratuum ac alie persone dicti ordinis in capitulo generali in civitate Florentina de mandato nostro congregato, velut zelatores divini cultus, pro prospero & felici regimine dicti ordinis in spiritualibus & temporalibus nonnulla statuta & ordinationes erectionem nove congregationis eremi & sancti Michaelis de Murano nuncupate, ac institutionem decem & septem locorum principalium monasteriorum & prioratuum, & illis aliorum unionem ac omnium reformationem & ad observantiam reductionem, ac Generalis temporalis electionem, ac normam & modum eremitarum ac aliorum tam sub regulari observantia, quam vita conventuali vitam ducere volentium concernentia, salvo sedis apostolice beneplacito, ediderunt laudabilia & honesta, ac sacris canonibus non contraria. Quorum tenorem illis maturius & diligentius examinatis, ac resecatis quibusdam superfluis ac in meliorem formam redactis de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus. Nos cupientes privilegia per predecessores nostros ac reges, & imperatores prefatos, ut prefertur, concessa ac statuta; & ordinationes ac congregationis eremi institutionem, & ex ea ac congregatione de Murano unius nove congregationis erectionem, que eremi & sancti Michaelis congregatio nuncupetur, ac monasteriorum & prioratuum ac aliorum beneficiorum, aliis decem & septem principalioribus locis unionem, annexionem & incorporationem eo firmius persistere, quo sedis predicte protectione & auctoritate communita fuerint, ac prout expediri arbitramur salubriter expedire volentes: nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, & idem observari voluimus in confirmationibus unionum jam factarum: quique religiosarum personarum gesta eo potiori favore prosequimur, quo speramus, quod exinde sacre religionis vigor accrescat, eaque plurimum in Domino commendantes, ipsorumque generalis & eremitarum, ac abbatum, priorum, & capituli statum prosperum & tranquillum paterno zelantes affectu, eos & eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentinm dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes; ac fructuum, reddituum, proventuum monasteriorum & prioratuum, quorum verus annuus valor non exprimitur, presentibus pro expresso habentes: motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia ac potestatis plenitudine, privilegia, & indulta prefatis eremo & congregationi de Murano ac aliis dicti ordinis monasteriis & locis, tam per pontifices prefatos, & quatenus sint honesta & sacris canonibus non contraria, quam per imperatores ac reges & principes prefatos concessa; necnon statuta & ordinationes in dicto capitulo generali edita, & ut prefertur, reformata auctoritate apostolica tenore presentium approbamus & confirmamus, eaque perpetue firmitatis robur obtinere & inviolabiliter observari debere decernimus. Supplemusque omnes & singulos defectus tam juris, quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et potiori pro cautela volumus, ut quicquid dubii in dictis & in hoc etjam nostro privilegio seu in aliquo eorum pro tempore emerserit; id data verborum ambiguitate & jurisperitorum interpretatione in favorem dicte congregationis de novo erecte & locorum particularium ejusdem interpretari debeat, & cujusvis particularis monasterii dicte congregationis etiam de novo erecte. Privilegia & omnia etiam, que in toto hoc privilegio continentur, universe huic congregationi de novo erecte, & omnibus & singulis particularibus ejusdem congregationis de novo erecte monasteriis, ac omnibus dicti ordinis monialibus & monialium locis sint communia & ad illa extendantur. Et insuper etiam ultra privilegia eidem eremo & sancti Michaelis, ut prefertur, de novo erecte congregationi concessa, hac perpetua atque irrefragabili constitutione motu, scientia & potestate similibus sancimus, quod omnes & singuli dicte erecte congregationis monachi ordinem ipsum professi presentes & futuri, quamvis in diversis monasteriis sive locis pro tempore maneant, unum tamen corpus & una congregatio eremi & sancti Michaelis nuncupata existant. Ipsaque congregatio ab apostolica sede merito approbata ab universis Christi-fidelibus in reverentia & devo-

devotione habeatur. Et dicte congregationis capitulum generale, sive in eo voces pro tempore habentes pro felici dicte congregationis successu, statuta, constitutiones, ordinationes, ac omnia & singula, que in spiritualibus & temporalibus ipsius congregationis & ejus regularis discipline statum, observantiam, indemnitatem, & circa divini officii directionem & ordinationem absque tamen ipsius regule, in substantia vel effectu, variatione, interpretationem vel declarationem quoquo modo concernere poterunt, auctoritate predicta instituendi, ordinandi, interpretandi & declarandi, ac ea, que sic instituta, ordinata, interpretata vel declarata fuerint, in toto vel in parte, prout rerum vel temporum qualitas exegerit, tollendi, alterandi & in melius commutandi plenam & liberam in omnibus habeant facultatem. Quibus institutis, ordinationibus, declarationibus & correctionibus singuli de congregatione de novo erecta hujusmodi, cujuscumque dignitatis, status, gradus seu conditionis existant, efficaciter parere omnino teneantur; ita tamen quod ad peccatum, nisi contrafiat ex contemptu, aliquem non obligent. Et quoties prelatus aliquis monasterium, cui prefuerit, reformare, & ad ipsius de novo erecte congregationis observantiam reducere decreverit, reformationem ipsam juxta instituta, decreta, & ordinationes congregationis ejusdem, prout convenientius poterit, exequatur; & ejus acta, conventiones & modi eo ipso, quo de consensu dicte congregationis, seu ad id deputatorum in formam publicam redacta fuerint, apostolico sint robore communita. Universi vero ejusdem congregationis de novo erecte prelati sub prefati generalis ordinis & alii monachi ac conversi & commissi sub prelatorum, in quorum monasteriis aut aliis locis ipsi monachi, conversi & commissi morantur, obedientiis vivant, & eas illis humiliter prestent. Et nulli prelatorum vel monachorum predictorum ab institutis, ordinationibus, correctionibus & mandatis capituli, sive generalis ordinis aut aliorum prelatorum congregationis hujusmodi ad quemcumque etiam ad nos & sedem predictam de speciali indulto summi pontificis liceat appellare, appellationesque desuper pro tempore interposite & inde secuta irrita habeantur. Et cum contra aliquem prelatum vel monachum de novo erecte congregationis hujusmodi civiliter aut criminaliter agi contigerit, secundum consuetudines & statuta predicta (juris communis apicibus, dilationibus, terminis, & litium anfractibus omissis) procedi debeat. Et ipsius de novo erecte congregationis prelati suos monachos, qui licentiam a sede prefata habere dixerint, se ad aliud quodcumque monasterium sive locum transferendi, obtentu literarum apostolicarum transferri non sinant, nisi in ipsis literis specificata & expressa de congregatione & nostra ordinatione hujusmodi mentio fiat, eique sufficienter derogetur. Ac tunc si infra tres menses id non compleverint, contra eos tamquam contra apostatas agi possit; nisi in ipsis literis apostolicis expressum fuerit tempus, infra quod se debebant ad hujusmodi monasteria sive loca transtulisse, eoque casu non prius contra eos agi liceat, quam dicta tempora sint elapsa: ac congregationis hujusmodi prelati quarumcumque literarum apostolicarum pretextu, nisi in illis presentibus specialiter & expresse derogetur ad recipiendum monachos, qui alias ab eorum propriis monasteriis absque suorum superiorum licentia contumaciter recesserunt, a quoquam nequeant quomodolibet coarctari. Illi vero ex eisdem monachis, quos de prioratibus, in quibus fuerunt, aut monasteriis sive locis ad alia dicte congregationis monasteria sive loca juxta dicti capituli ordinationem transferri contigerit, aut alias pro conventualibus quomodolibet ex tunc ab ipsis prioribus, monasteriis atque locis realiter absoluti extiterint, aliorum monasteriorum locorumque, quamdiu ibi steterint, monachi & suppositi reputentur & pro conventualibus inibi habeantur, ac si in illis professionem suam emisissent. Ac omnia monasteria & loca predicta, & eorum prelati atque persone quibuscumque eis a dicta sede vel alias qualitercumque concessis, ac de jure, seu consuetudine debitis, juribus, preeminentiis ac dignitatibus inconcusse gaudeant & utantur, dummodo illa premissis & aliis dicte congregationis institutis & ordinationibus non obsistant. Nec propterea ex monasteriis ipsis unum alteri censeatur esse subjectum, sed eis in sua pristina libertate manentibus ea vicissitudinibus, adminiculo copulata sub felici dicte de novo erecte congregationis regimine sibi uniformi regularis observantie gressu invicem suffragentur. Monasteria autem & prioratus, que nunc sancti Michaelis sunt & pro tempore erunt, etiam unita, eremi & sancti Michaelis congregationi de novo erecte hujusmodi per prelatos dumtaxat ejusdem congregationis regantur & gubernentur & quoties illa ubicum-

cumque etiam apud ſedem predictam & qualitercumque vacare contigerit, etiamſi ſpeciales vel generales de illorum proviſionibus ſeu diſpoſitionibus per dictam ſedem reſervationes facte fuerint, generale capitulum, ſi tunc celebretur, alioquin dicti ordinis generalis pro tempore exiſtens, una cum majori parte viſitatorum cum per ipſam de novo erectam congregationem & ad id deputatos, illos, ex ejuſdem de novo erecte congregationis monachis preſentibus & futuris etiam. Defectum natalium ex quibuſvis perſonis patientes, quos ad id idoneos fore crediderint, in prelatos tunc vacantium monaſteriorum & prioratuum hujumodi, alias ſecundum conſuetudines, ordinationes & ſtatuta predicta eligere ſeu nominare, & ad eorum nutum & beneplacitum taliter electos ſeu nominatos a regimine & adminiſtratione dictorum monaſteriorum & prioratuum, quibus tunc prefuerunt, & que tunc propterea vacare cenſeantur, abſolvere & amovere. Prelati ſic electi ſeu nominati abſque alicujus dicte ſedis vel alterius proviſionis vel diſpenſationis adminiculo, etiam preter hoc, quod eis munus benedictionis impendatur, ipſis monaſteriis & prioratibus, atque ſic electi vel nominati fuerint, preeſſe, ac illa in ſpiritualibus ac temporalibus regere & gubernare, ac omnes actus ibidem exercere, & inſignia deferre, ac ſi munus hujuſmodi ſuſcepiſſent. Et ſi contingat prelatos dicte de novo erecte congregationis a monaſteriis & prioratibus, atque ut premittitur electi ſeu nominati fuerint, aliqua legitima cauſa abeſſe, idque pro dictorum congregationis & monachorum, ac illorum preſentium & futurorum monaſteriorum ac prioratuum conſervatione & ſtatu proſpero & felici, quod abſente prelato, ne monaſterium ſibi commiſſum ex ejus abſentia damna ſuſtineat, alius, qui monaſterium ſeu prioratum ipſum regat & gubernet, durante abſentia deputetur, utile videatur & expediat; quod quoties id contigerit, capitulum ſeu generalis cum deputatis hujuſmodi, alias juxta eorum conſuetudines & ſtatuta curam, regimen & adminiſtrationem ipſius monaſterii ſeu prioratus, prelati ſui preſentia carentis, in ſpiritualibus & temporalibus, dicta abſentia durante, alteri committere libere & licite poſſint. Et quod aliquid ex dictis monaſteriis vel prioratibus, aut aliis dicte de novo erecte congregationis locis, per quaſcumque literas apoſtolicas, etiam motu ſimili, & cum reſervationibus ac quibuſcumque derogatoriis, per quas effectus preſentium quomodolibet impediri vel differri poſſit, clauſulis, conceſſas hactenus & impoſterum concedendas, per aliquem ex dicte de novo erecte congregationis vel extra eam cujuſcumque gradus, ordinis ſeu conditionis ſit, etiamſi cardinalatus honore aut pontificali, vel alia quavis auctoritate prefulgeat, in titulum, aut commendam ſeu adminiſtrationem vel alias obtineri, ſeu ſuper alicujus illorum fructibus, redditibus & proventibus aliqua penſio reſervari, concedi & aſſignari vel jus ſibi deſuper acquiri, vel aliquis contra preſentium tenorem quovis queſito colore quempiam de dicta de novo erecta congregatione ſuper aliquo ex dictis monaſteriis, prioratibus & locis ratione tituli, ſeu commende, vel adminiſtrationis ac penſionis hujuſmodi impetere ſeu moleſtare valeat. Quodque deinceps nulla ex beneficiis eccleſiaſticis cum cura vel ſine cura ad collationem, proviſionem, preſentationem, electionem ſeu quamvis aliam diſpoſitionem abbatum vel priorum, ac conventuum, monaſteriorum & aliorum locorum dicte de novo erecte congregationis communiter vel diviſim pro tempore pertinentibus, etiam qualitercumque beneficia ipſa & ubicumque preter quam apud ſedem predictam vacare contigerit, dummodo diſpoſitioni apoſtolice generaliter reſervata non fuerint, ſub gratiis, expectativis, aut proviſionibus ſeu aliis diſpoſitionibus dicte ſedis, facultatibus ſeu indultis de conferendis beneficiis eccleſiaſticis vacantibus vel vacaturis, quibuſvis perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, & quaviſetiam pontificali dignitate prefulgeant ab eadem ſede quomodolibet conceſſis & in antea concedendis quomodolibet, cadant ſeu comprehendantur, ſed ipſorum beneficiorum collatio, proviſio, preſentatio, electio & diſpoſitio illorum occurrente vacatione premiſſis non obſtantibus, ad abbates & priores ac conventus prefatos libere & abſque aliquo prefate ſedis preventionis impedimento pertineant & ſpectent, ac de beneficiis ipſis nullus alius, quam abbates ſeu priores & conventus predicti quorumcumque facultatum & indultorum ſibi a ſede vel legatis prefatis qualitercumque & ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu ſimili conceſſorum & concedendorum vigore vel pretextu diſponere valeat quoquo modo. Ac omnes & ſingule gratie, expectative & acceptationes, proviſiones, diſpoſitiones, collationes & litere ſedis ac illius lega-

legatorum hujusmodi, facultatesque & indulta super collationibus beneficiorum ecclesiasticorum vacantium seu vacaturorum quibusvis, ut prefertur, qualificatis personis & cum predictis clausulis pro tempore concessa, processusque desuper habiti pro tempore etiam excommunicationis suspensionis & interdicti, aliasque ecclesiasticas sententias, censuras & penas in se continentes, quod beneficia ad collationem, provisionem, presentationem, electionem aut aliam dispositionem abbatum & priorum ac conventuum predictorum respective spectantia hujusmodi, ac totum id & quidquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, omni prorsus careat firmitate. Nec quisquam personas, que de jure communi religionem ingredi non prohibentur, e seculo fugientes, & ad dictam de novo erectam congregationem venire affectantes, verberibus aut violentiis quibuslibet impedire vel prohibere, aut a monasteriis vel locis congregationis ejusdem presentibus vel futuris divertere. Aut super hoc illis vel eas recipientibus injuriam vel molestiam aliquam irrogare presumat; contrafacientes vero presentium notitiam habentes, vel qui eas ignoraverint, & postquam ad eorum notitiam devenerint, a premissis injuriis & violentiis non destiterint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, a qua preterquam in mortis articulo constituti, nisi a sede prefata absolutionis beneficium nequeant obtinere. Ac nulle ecclesiastice vel seculares persone quacumque auctoritate vel dignitate predite aliquem ex prelatis vel monachis congregationis predicte obsequiorum vel servitiorum propriorum vel monasteriorum suorum pretextu, etiamsi absque licentia suorum superiorum ad eas divertere, vel alia quavis causa etiam arctioris vite, ordinis vel observantie a dicta de novo erecta congregatione educere vel sponte venientes recipere & penes se retinere audeant, etiam auctoritate literarum apostolicarum, in quibus de hujusmodi prelato vel monacho, & congregatione nominatim expressa mentio non fiat, absque consensu capituli seu generalis vel majoris partis visitatorum de novo erecte congregationis hujusmodi pro tempore existentium. Quod si recipientes prefati intra tres dies, postquam eis presentes innotuerint, prelatum seu monachum extra ipsam de novo erectam congregationem existentem hujusmodi eidem de novo erecte congregationi non restituerint cum effectu, vel a se realiter non abjecerint, excommunicationis sententia innodati existant eo ipso, a qua nisi in mortis articulo aut a sede predicta absolvi non possint. Generalis autem ordinis, ac abbates & priores de novo erecte congregationis hujusmodi pro tempore existentes seu ab eis deputati possint omnes & singulos ejusdem de novo erecte congregationis monachos ab illa vagos & fugitivos, aut suis superioribus non obedientes & rebelles, & qui habita licentia conditionem eis impositam non impleverint, aut lapso licentie termino ad proprium monasterium non redierint, vel alia loca seu monasteria absque speciali apostolico privilegio presentibus deroganti, aut superiorum suorum licentia se transtulerint, vel aliquarum personarum quacumque dignitate etiam cardinalatus honore fungentium servitiis in Romana curia vel extra eam se addixerint, vel ab eis literas familiaritatis aut capellanatus obtinuerint, capere & in carceribus detinere, aut per censuram ecclesiasticam, & alia juris remedia appellatione remota, etiam invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ad solitam & debitam reverentiam compellere. Et ut dicte de novo erecte congregationis monachi divinis beneplacitis quietius & liberius insistant, eosdem dicti ordinis generalem ac de novo erectam congregationem, & illius abbates & visitatores, & alios prelatos & monachos, conversos, commissos, novitios, personas & capellanos, etiam curas habentes animarum, necnon familiares & servitores eorum nunc & pro tempore existentes, ac ipsius de novo erecte congregationis monasteria, prioratus & loca, etiam que imposterum eidem de novo erecte congregationi quandocumque uniri vel incorporari, seu subjici, vel alias quomodolibet aggregari contigerit, omniaque & singula dictorum monasteriorum, prioratuum & locorum presentium & futurorum ecclesias, capellas, etiamsi ipsis cura immineat animarum, oratoria, manualia, membra, castra, fortalicia, edificia, villas, grangias, vineas, oliveta, hortos, silvas, nemora, prata, pascua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, jura, jurisdictiones, predia, possessiones & bona quecumque, que in presenti sunt & in futurum erunt dicte de novo erecte congregationis; & que omnia & singula per eorum vocabula, fines, valores, qualitates & quantitates hic habere volumus pro sufficienter expressis, a quorumcumque legatorum etiam de latere, & subdelegatorum, necnon nuncio-

rum

rum dicte sedis ac vicariorum, rectorum & quorumvis officialium Romane ecclesie, necnon patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, electorum, administratorum, & aliorum quorumcumque judicum ordinariorum quavis auctoritate & potestate fungentium, ditione, auctoritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione & correctione, ita quod in dictam de novo erectam congregationem vel ejus singulares personas seu benefactores occasione beneficiorum eisdem collatorum ab eis, aut quia subditi eorum cum eisdem monachis conversentur, seu ab ipsis recipiant absolutionis & eucharistie sacramentum; nec non in monasteria, prioratus, loca & personas in eis degentes ratione delicti, excessus seu contractus aut rei, de qua agitur, ubicumque iniatur contractus, committatur delictum, aut res ipsa consistat, excommunicationis, suspensionis & interdicti, aut alias quasvis sententias, nisi de speciali sedis predicte commissione quomodolibet directe vel indirecte proferre seu promulgare non possint, prorsus eximimus & totaliter liberamus. Eaque omnia & eorum quodlibet in jus & proprietatem beati Petri & sedis ejusdem, & sub eorum & nostra protectione suscipimus, ac nobis & dicte Romane ecclesie annuum censum unius uncie auri per eamdem de novo erectam congregationem in festo beatorum Petri & Pauli apostolorum annis singulis camere apostolice persolvendum in signum perpetue libertatis & exemptionis assignamus; quod si legati, subdelegati, ordinarii seu alie persone predicte contra exemptionem & liberationem vestras hujusmodi quidquam attentare quoquo modo presumpserint, ac requisiti vigore presentium per ipsius de novo erecte congregationis prelatos vel monachos infra tres dies a die requisitionis hujusmodi non destiterint, excommunicationis sententie ipso facto noverint se subjectos, & nihilominus quod aliter actum fuerit, eo ipso sit irritum & inane, nulliusque roboris vel momenti. Volumus insuper quod dicte de novo erecte congregationis prelati vel monachi literas apostolicas super administranda justitia, executione facienda, visitatione exercenda, aut aliquovis negocio peragendo, ad eos pro tempore impetratas vel directas acceptare & in illis contenta exequi, & juramentum de calumnia vel veritate dicenda subire, aut testimonium perhibere, seu extra suas civitatem & diocesim trahi & ad quevis concilia generalia, provincialia vel synodalia, aut congregationes, quovis nomine censeantur, ecclesiasticarum vel laicarum personarum cujuscumque dignitatis aut status existant, etiam apostolica auctoritate indicta, preterquam ad ipsius de novo erecte congregationis capitulum celebrandum, aut alias juxta eorum ordinationes ire vel mittere, aut processionibus publicis vel funeralibus interesse inviti minime teneantur. Seu quod in eorum locis Misse vel alia divina officia celebrentur, ordines conferantur, vel agitentur cause civiles vel criminales, processiones convocentur, aut synodus, conventus seu quevis congregationes tam ecclesiasticarum, quam laicarum personarum fiant, sive quod hujusmodi de novo erecte congregationis loca ad usum hospitum, habitationem, detentionem & incarcerationem ecclesiasticarum & laicarum personarum deputentur, astringi seu compelli nullo modo possint. Testimonia vero prelatorum, monachorum, conversorum, commissorum & novitiorum dicte congregationis in causis ipsorum civilibus & criminalibus, in judicio & extra legitima seu juridica sint. Nulli quoque reges, principes, barones, milites, nobiles, laici, communitates, universitates, magistratus, rectores & officiales civitatum, terrarum, castrorum & diocesum diversarum monasteriis, prioratibus, locis, capellis, ecclesiis, manualibus, grangiis, castris, possessionibus & bonis, necnon prelatis & monachis ipsius congregationis gabellas, taleas, datia, collectas, etiam pro pontium refectionibus, aut viarum reparationibus, aliave onera seu gravamina inferre, indicere & imponere, aut indicta & imposita exigere sub excommunicationis ac maledictionis eterne penis, quas nisi presentium habita notitia prorsus destiterint, ipso facto incurrant, audeant vel presumant. Nec aliquod ex dicte de novo erecte congregationis monasteriis, prioratibus, grangiis, membris, manualibus & locis predictis ad dandum seu solvendum aliquam canonicam portionem seu decimam, aut quid aliud, quod eorum loco solvi consueverit archiepiscopis, episcopis, capitulis, parochianis, collegiis, universitatibus, communitatibus, fabricis & aliis quibuscumque personis de jure vel consuetudine, aut statutis vel privilegiis quibuscumque, aut ex quacumque causa hactenus ab eis forsan debita, seu que deberi pretenderetur quomodolibet in futurum. Etiam de relictis, legatis & donatis tam in ultimis voluntatibus, quam etiam inter vivos seu alias quacumque occasione concessis & concedendis quomodolibet teneantur. Ipsaque

que monasteria, prioratus, loca manualia, grangie, possessiones & bona, ac prelati, monachi & persone de novo erecte congregationis ejusdem ab omni impositione, exactione, collecta, decima, caritativo subsidio, aut alio quocumque reali aut personali, vel mixto onere, vel gravamine quovis nomine censeantur, per nos aut successores nostros Romanos pontifices pro tempore existentes indictis. Necnon ab omnibus censibus, redditibus & solutionibus ratione visitationis aut subjectionis quocumque jure quibuscumque ordinariis, capitulis, congregationibus, universitatibus, aut aliis quibusvis personis, hactenus debitis, que nos eidem congregationi de apostolice potestatis plenitudine gratiose remittimus, & in futurum debendis, illorumque solutione prestationeque sint, esseque debeant libera penitus & exempta atque immunia, ita quod ad illorum prestationem vel solutionem per quoscumque & quarumvis etiam literarum apostolicarum vigore cogi aut alias desuper inquietari nequeant. Nullusque ab eisdem de quibuscumque possessionibus ubilibet constitutis, que in presenti sunt vel in futurum erunt, monasteriorum, prioratuum & bonorum de novo erecte congregationis hujusmodi, que illius prelati, monachi vel persone colunt seu coli faciunt, & in futurum colent seu coli facient, ex hortis, virgultis, piscationibus, vel de nutrimentis animalium primitias, decimas, quartesia, aut quocumque nomine nuncupata, alia jura exigere vel extorquere presumat, nec ipsi illa cuiquam solvere sint astricti, & quod de novo erecte congregationis hujusmodi monasteria & loca, hereditates, legata & fidecommissa per medias personas monachorum, aut alias qualitercumque ad ea delata bona mobilia & immobilia in quibuscumque civitatibus & locis quovis titulo acquirere. Ipsique monachi & persone illa pro se eorumque monasteriis petere & exigere possint, undecumque vel qualitercumque eis debeant, & que petendi & exigendi, si in seculo remansissent, jus haberent. Et contra de novo erecte congtegationis hujusmodi monasteria, loca, personas & bona, tam in preteritis, quam futuris aliqua non currat prescriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum. Cupientes insuper, ut de novo erecte congregationis hujusmodi persone, sublatis obstaculis quibuscumque, sedulum ac devotum Domino exhibeant famulatum, motu & scientia similibus statuimus & ordinamus; Quod si contingat civitates, terras vel loca, in quibus monasteria sive loca de novo erecte congregationis hujusmodi consistant, ecclesiastico supponi interdicto, ipsius de novo erecte congregationis prelati, monachi, conversi, commissi, novitii, & capellani, necnon laici intra septa ipsorum monasteriorum seu locorum pro tempore habitantes a prefate de novo erecte congregationis monachis ad id deputatis januis clausis, interdictis exclusis, & submissa voce Missas & alia divina officia audire & ecclesiastica sacramenta suscipere, ipsique monachi sic deputati illa celebrare & ministrare. Et quod ejusdem de novo erecte congregationis monachi presentes & futuri, omnes etiam sacros ordines, ad quos per eorum superiores presentati fuerint, a quocumque maluerint catholico antistite gratiam & communionem dicte sedis habente recipere, & hujusmodi antistitem in hujusmodi congregationis monasteriis & locis dumtaxat annotare; ipse antistes monachos dicte de novo erecte congregationis a suis superioribus sibi pro tempore presentatos apostolica auctoritate absque aliqua licentia & contradictione diocesani, & absque eo quod alias illi propterea prejudicium generetur, nulla examinatione premissa, statutis tamen a jure temporibus, ordinare, Missas inibi celebrare, ecclesias, altaria & vasa consecrare, vestes benedicere, & alia pontificalia exercere. Necnon quod generalis ordinis, & abbates, priores & prelati de novo erecte congregationis hujusmodi pro tempore existentes in omnibus casibus, in quibus de jure communi prelatis & monachis dicte de novo erecte congregationis auctoritas sive licentia, seu dispensatio ordinariorum, si ab eis exempti non essent, foret necessaria, cum eis auctoritate predicta dispensare, eisque licentiam & auctoritatem concedere. Ac personas volentes eidem de novo erecte congregationi sociari, etiamsi religionem, locum vel ordinem alium quemcumque arctiorem ingredi vovissent, tali voto non obstante, ad probationem professionemque recipere, & eos dicta auctoritate ab ipso voto absolvere, & cum ipsis, dummodo in tali religione vel ordine, quem vovissent, professionem non emiserint, & ante professionem emissam, ab ipsa de novo erecta congregatione non recedant. Super omnibus votis, religionis voto dumtaxat excepto, dispensare, ac omnibus quocumque excommunicationis vinculo innodatis de novo erectam congregationem hujusmodi Altissimo famulaturis ingredi volentibus, injunctis eis juxta eorum facultates restitutione & peniten-

tia salutari tamquam uni ex monachis de novo erecte congregationis hujusmodi absolutionis beneficium impendere, eosque etiam ad probationem recipere, ita tamen quod si inde ante professionis emissionem discesserint, in eamdem ipso facto reincidant. Et cum sepe contingat, quod ob singularem devotionem, quod nonnulle persone ad monachos hujusmodi de novo erecte congregationis prelatis sive monachis a suis superioribus ad audiendum hujusmodi personarum confessiones deputatis, quod personas ipsas accedentes audire, ac persone ipse eis absque alia superiorum suorum licentia confiteri; necnon dictis prelatis sive monachis confessiones hujusmodi audientibus dictos confitentes, penitentia & satisfactione previis, quoties opus fuerit, ab omnibus & singulis peccatis dicte sedi non reservatis, & a quibuscumque suspensionum, excommunicationum & interdicti sententiis, aliisque ecclesiasticis censuris & penis, quas a jure vel ab homine latis incurrisse quomodolibet constiterit, absolvere; & vota per eos pro tempore emissa in omnibus & singulis casibus, locorum ordinariis, etiam per synodales seu provinciales constitutiones reservatis in alia pietatis opera commutare, & desuper cum eisdem voventibus dispensare, exceptis tamen censuris, penis, votis & casibus, super quibus esset sedes prefata merito consulenda; ipsisque confitentibus ac aliis omnibus, qui ad prefatos monachos ob hujusmodi devotionem recurrent, eucharistie sacramentum ministrare libere possint. Necnon prelatis, monachis, & personis congregationis hujusmodi quocumque nomine censeantur, ne propter participationem etiam in divinis cum excommunicatis, suspensis & interdictis a jure, vel statutis ordinariorum aliquam excommunicationis, censure aut peccati maculam incurrant, nisi ipsi excommunicati essent specialiter denunciati. Ac quod illi ex prefatis monachis, qui adeo monasteriorum suorum officiis occupati, ut in choro interesse, ac divinum officium vix sine labore & tedio dicere, ac ipsa eis ratione officiorum hujusmodi incumbentia caritatis opera implere nequeant, & qui ad divinum officium hujusmodi dicendum adeo vel non docti, vel minus experti pro tempore existunt, dummodo in sacris non sint ordinibus constituti, licet professionem emiserint, tamen ad persolvendum totum integrum officium divinum minime teneantur, sed eorum prelati, habita suppositorum suorum consideratione (ultra officium beate Marie virginis, ad quod obligati remaneant) juxta dispensationem eis traditam, si eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum injungant, quod cum animi alacritate valeat adimpleri. Preterea omnibus Christi-fidelibus, exceptis excommunicatis aut interdictis, vel publicis usurariis, ut in locis & monasteriis de novo erecte congregationis hujusmodi presentibus & futuris suam possint eligere sepulturam, salvo tamen jure illarum ecclesiarum, a quibus ipsorum decedentium corpora assumuntur. Necnon generali ordinis, & abbatibus, prioribus vel prelatis, aut aliis per congregationem de novo erectam hujusmodi ad id pro tempore deputatis in unionibus, annexionibus, incorporationibus, ac reformationibus seu receptionibus monasteriorum, prioratuum vel aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pro ipsa de novo erecta congregatione faciendis cum prelatis & personis monasteria seu beneficia hujusmodi per eos obtenta in congregationis hujusmodi, seu alicujus illius particularis monasterii commodum dimittere volentibus, conventiones & pacta, que illicita, & quando apostolica confirmatione carerent, expresse prohibita censerentur, inire, ac monasteria, prioratus & alia beneficia quecumque conventionibus & pactis hujusmodi intervenientibus acquisierunt, retinere, ipsaque conventiones & pacta observare, absque eo quod aliquam Simonie labem incurrant, libere & licite valeant. Et quandocumque per aliquem aut plures actus contra ea aut ipsorum aliquod a quocumque cujuscumque dignitatis, conditionis, gradus seu status fuerit, ex negligentia vel ignorantia presentium, quibus hec conceduntur, aut alia quavis causa scienter vel ignoranter attentari vel pro tempore observari contingat, nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis & privilegiis hujusmodi prejudicium generetur, sed ea omnia & singula in suis robore & firmitate permaneant. Ac quod deinceps per quascumque revocatorias seu alias apostolicas concessiones vel literas sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, aut clausulis derogatoriis, etiamsi ille motu & scientia similibus emanaverint, nulla ex predictis concessis, & que eidem de novo erecte congregationi pro tempore concedentur, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, indultis, privilegiis & concessionibus quomodolibet revocari, cassari & annullari censeantur, seu revocari, cassari & annullari, seu ipsis vel ipsorum seu quibusvis in eis contentis par-

particulis aut clausulis derogari valeat, nisi in derogatoriis, vel aliis literis seu cassationibus hujusmodi illa vel ille ex literis, que revocari, aut cassari vel annullari viderentur, aut cui vel quibus derogari appareret, eorumque totus tenor de verbo ad verbum integre insereretur, & de omnibus & singulis congregationis hujusmodi monasteriis nominatim & specifica mentio fiat. Ac in eisdem revocatoriis, cassatoriis vel aliis literis manifeste & expresse appareat, quod Romanus pontifex hujusmodi privilegiis, indultis, literis, de quibus tunc actum fuerit, voluerit specialiter derogare, vel illa revocare, cassare seu annullare; ac tunc demum urgens, sufficiens & rationabilis, propter quam derogatio, revocatio, cassatio, & annullatio ipsa mentio fieri debeat, causa exprimatur, alias derogationes, revocationes, cassationes, irritationes & annullationes quascumque, si quas, aliter, quam ut prefertur, a quocumque etiam Romano pontifice fieri contigerit, ac quecumque exinde secuta nullius sint roboris vel momenti, ipsis concessis literis, privilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus & libertatibus in suo pristino, plenario & integro robore duraturis. Et quod per quascumque revocationes, cassationes seu annullationes quarumcumque unionum, annexionum, incorporationum, & appropriationum de quibusvis monasteriis, prioratibus, ecclesiis sive locis ecclesiasticis per nos aut successores nostros Romanos pontifices, aut eorum aliquem in genere vel in specie sub quibusvis verborum formis vel expressionibus de cetero forsan faciendis, nullum dicte de novo erecte congregationi super unionibus, incorporationibus, appropriationibus & innovationibus quorumcumque monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum aut aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, ac per infrascriptas constitutiones factarum unionum confirmationibus per nos & sedem predictam eidem de novo erecte congregationi vel in ejus favorem faciendis prejudicium inferatur. Sed ille omnes etiam post revocationes, cassationes & annullationes predictas in suo robore inconcusse persistant in omnibus & per omnia, ac si quoad eas & ipsarum singulas aliqua revocatio, annullatio vel cassatio nullatenus emanassent. Nisi dum & quando ipse super unionibus & illarum confirmationibus, concessionibus, vel appropriationibus seu donationibus confecte litere in revocationum, cassationum & annullationum literis, constitutionibus & ordinationibus hujusmodi de verbo ad verbum insererentur, ac in eis specialis, expressa & individua de ipsis monasteriis & locis, ac congregatione mentio fieret, necnon irritum & inane totum & quicquid in contrarium quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Necnon ut generali & abbatibus, prioribus, monachis, conversis, commissis & novitiis presentibus & futuris congregationis de novo erecte hujusmodi & eorum devotio peramplius propagetur, & eorum animarum saluti uberius consulatur, ut confessores idonei, quos de suorum voluntate superiorum, aut ipsi superiores pro libito elegerint, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, plenam semel tantum in mortis articulo remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia & devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate prefata concedere valeant. Sic tamen quod ipsi confessores de his, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, illam congregationis hujusmodi personis, prout ad illas pertinuerit, per se vel alium faciendam, injungant, quam illi facere, prout potuerint, omnino teneantur. Quodque si ex eisdem personis clerici quamprimum concessione absolutionis hujusmodi gaudere voluerint, septem psalmos penitentiales cum litaniis & orationibus consuetis; conversi vero & commissi, aut qui prefatos psalmos dicere commode non potuerint, quinquagies orationem Dominicam & toties salutationem angelicam singulis hebdomadis recitare, idque legitimo cessante impedimento, per annum integrum, etiamsi totidem plus minusve ex alia quavis causa eos dixisse, & dicere oportere contingeret, prosequi & complere teneantur. Occurrente vero impedimento predicto & postea cessante, quamprimum poterunt, commode impositionem hujusmodi reficiant & adimpleant. Necnon quod diebus, quibus nonnulle Urbis ecclesie pro stationibus consequendis a Christi-fidelibus visitari solent, quinque altaria ecclesie monasterii seu alterius loci congregationis hujusmodi, ubi singulos ex eis moram trahere contigerit, aut pauciora, si tot ibi non fuerint, devote visitando, semelque psalmum incipientem: Miserere mei Deus, apud quodlibet altare pro felici statu ejusdem sancte Romane ecclesie dicendo, easdem indulgentias & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si ipsas

Urbis ecclesias tunc personaliter visitarent. Si vero aliqui ex personis congregationis de novo erecte hujusmodi pro ipsius congregationis negotiis aut aliis legitimis causis extra propria monasteria moram traxerint, ubicumque commodius poterunt, totidem altaria in quacumque ecclesia dicto psalmo apud quodlibet ex dictis altaribus recitando, ut premittitur, visitaverint; etsi conversi sive commissi forsan dictum psalmum dicere nescientes fuerint, ter orationem Dominicam & totidem salutationem Angelicam apud quolibet altare hujusmodi recitando eamdem etiam indulgentiam consequantur. Quodque hujusmodi de novo erecte congregationis sacerdotes in itinere constituti aut alia causa subsistente ante diem & usque ad Nonam inclusive Missam celebrare; quodque duo ex eremitis prefatis singulo triennio terram & alia loca sancta, ac sanctum Jacobum in Compostella, ac beatorum Petri & Pauli limina de consensu capituli eremi absque alia dicte sedis licentia visitare; ac singuli familiares monasteriorum, prioratuum & aliorum locorum congregationis de novo erecte hujusmodi etiam laici in illius ecclesiis peccata sua confiteri & eucharistie sacramentum, cujusvis licentia minime requisita, recipere, & tempore interdicti ordinaria auctoritate appositi clausis janius, ac excommunicatis & interdictis exclusis divina officia audire libere & licite valeant, auctoritate & tenore premissis de specialis dono gratie concedimus pariter & indulgemus. Volumus autem, quod universe & singule persone, quibus cause auctoritate literarum apostolicarum delegari possint, dum & quotiens pro parte generalis & abbatum, priorum & conventuum ac monachorum congregationis de novo erecte hujusmodi, vel alicujus eorum fuerint legitime requisiti, ad executionem quarumcumque literarum dicte sedis conservatoriarum nuncupatarum sancti Michaelis & de novo erecte congregationi hujusmodi, vel ejus monasteriis, prioratibus, membris, abbatibus, prioribus & conventibus contra illis inferentes molestias, injurias, gravamina atque damna concessarum hactenus & imposterum concedendarum perpetuis futuris temporibus procedant per se vel alios, alias juxta earumdem conservatoriarum literarum continentiam atque formam in omnibus & per omnia, perinde ac si conservatorie litere eis a principio directe, eisque ut quamvis alias conservatores esse non possent, illas exequerentur expresse mandatum, & super hoc concessa facultas fuisset. Quocirca dilectis filiis sancte Marie Florentine, & sancti Georgii-majoris Venetiarum, ac sancti Juliani de Arimino monasteriorum abbatibus, necnon subdecano ecclesie Florentine per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel tres, aut duo vel unus eorum per se, vel alium seu alios presentes literas, ac omnia & singula in eis contenta, ubi & quando expedierit, ac quotiescumque pro parte generalis, visitatorum, abbatum, eremitarum, priorum & aliarum personarum congregationis de novo erecte hujusmodi fuerint super hoc requisiti sollemniter publicantes, ipsisque generali, visitatoribus, abbatibus, eremitis, prioribus & personis in premissis efficacis defensionis presidio assistentes faciant eos presentibus literis, & in eis contentis privilegiis pacifice gaudere, non permittentes eos super illis seu alias contra presentium literarum tenorem per quoscumque quomodolibet indebite impediri seu etiam molestari; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus priori voluntate nostra predicta, & natalium defectu, & Pictaviensis concilii, & pie memorie Innocentii IV. contra exemptos edita, que incipit: *Volentes*, & Martini V, necnon Bonifacii VIII, Romanorum pontificum predecessorum nostrorum, & aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum, prioratuum & aliorum regularium locorum, etiam sancti Michaelis, & de novo erecte congregationi hujusmodi unitorum, & illorum ac predicti, & quorum ipsa unita monasteria, prioratus & loca extiterint ordinum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis apostolicis, quibusvis communitatibus, universitatibus, collegiis, ecclesiis, monasteriis, ordinibus & aliis locis, capitulis, conventibus & personis, etiam motu & scientia similibus, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque decretis concessis hactenus & imposterum concedendis, quibus omnibus etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio, seu quevis alia expressio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat eisdem motu & scientia, ac potestate

ftate fpecialiter & expreffe derogamus, contrariis quibufcumque &c. Aut fi aliqui fuper provifionibus fibi faciendis de prioratibus & unitis, vel aliis beneficiis ecclefiafticis in illis partibus fpeciales vel generales dicte fedis vel legatorum ejus literas impetrarint, etiamfi per eas ad inhibitionem, refervationem & decretum, vel alias quomodolibet fit proceffum, quas quidem literas ac proceffus habitos per eafdem, & inde fecuta quecumque ad monafteria, prioratus & alia beneficia unita hujufmodi, volumus non extendi; fed nullum per hoc eis quoad executionem prioratuum vel beneficiorum aliorum prejudicium generari & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis apoftolicis generalibus vel fpecialibus quorumcumque tenorum exiftunt, per que prefentibus non expreffa vel totaliter non inferta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda fit in noftris literis mentio fpecialis. Seu fi aliquibus communiter vel divifim ab eadem fit fede indultum, quod interdici, fufpendi vel excommnnicari non poffint per literas apoftolicas non facientes plenam & expreffam de verbo ad verbum de indulto hujufmodi mentionem. Volumus autem, quod prioratus & alia beneficia unita hujufmodi debitis propterea non fraudentur obfequiis, & animarum cura in eis, fi qua illis immineat, nullatenus negligatur, & in monafteriis unitis hujufmodi divinus cultus & folitus monachornm & miniftrorum numerus nnllatenus minuatur, fed illorum & dilectorum filiorum illorum conventuum, fi conventus habeant, & prioratuum ac beneficiorum unitorum predictorum congrue fupportentur onera confueta; & infuper ex nunc irritum decernimus & inane, fi fecus fuper his a quoquam quavis auctoritate fcienter vel ignoranter contigerit attentari. [Tenor vero ftatutorum & ordinationum predictorum talis eft. Imprimis tam apoftolica auctoritate nobis in hac parte commiffa, quam totius capituli noftri poteftate ordinamus, ftatuimus & deliberamus, quod Camaldulenfis eremi fit una congregatio, que loca omnia tam eremitarum, quam obfervantium & conventualium ad ipfam pertinentium complectatur, voceturque congregatio facre eremi Camaldulenfis. Deinde ex hac congregatione & alia ejufdem ordinis fancti Michaelis de Murano fiat unum corpus, & una nova erigatur congregatio, in qua univerfa noftre religionis loca eremitarum, obfervantium, conventualium & monialium comprehendantur, que facre eremi Camaldulenfis, & fancti Michaelis de Murano congregatio nuncupetur. In ea vero particularius infrafcripta principaliora loca cum inferioribus fibi annectendis & uniendis hoc ordine contineri intelligantur. Sacra Camaldulenfis eremus Arretinenfis diocefis dicti ordinis cum fuis annexis, cui perpetuo unimus hofpitale fancti Frigdiani de Pifis, dictum fancti Martini, cujus quinquaginta; ac prioratum fancti Sabini de Chio prope Caftellionem Arretinenfem, cujus etiam quinquaginta; necnon monafterium fancti Andree de Puteo, cujus viginti; ac prioratum Scandalonis Florentinenfis diocefis, cujus quatuordecim; & monafterium Infule cum fuis annexis Imolenfis feu alterius diocefis, cujus centum; ac monafterium de Tiphio in val de Caprefe, cujus quinquaginta; ac prioratum de Cortona, cujus viginti-quinque; & prioratum Agne Fefulanenfis diocefis, cujus decem; ac prioratum de Pratale Fefulanenfis diocefis, cujus fex, ac prioratum de Planetulo cujus fexaginta, ac prioratum de Valliala, cujus duodecim. Monafterium fancti Michaelis de Murano Torcellanenfis diocefis cum fuis annexis, cui unimus prioratum fancti Martini de Opitergio five de Uderzo, cujus centum, & monafterium fancte Marie de Lemo in Iftria, cujus viginti-quinque, & prioratum Camaldulini de Verona, cujus feptuaginta. Prioratum fancti Mathie de Murano apud Venetias cum fuis annexis, cui unimus prioratum fancti Viti de Vincentia, qui nunc in congregatione eft, fi ita patribus congregationis in futuro capitulo videbitur, ac prioratum Montis-crucum in agro Patavino, cujus octuaginta; & prioratum fancte Marie de Orbigi Paduanenfis diocefis, cujus viginti-quinque, ac prioratum fancti Benedicti de Filetto Tarvifinenfis feu Cenetenfis diocefis, cujus viginti-quinque. Ac monafterium fancte Marie de Carceribus cum fuis manualibus & annexis. Et monafterium fancti Apollinaris de Claffe cum fuis manualibus & annexis. Ac prioratum fancti Salvatoris de Foro-livio cum fuis annexis, cui unimus prioratum fancte Marie de Scardavilla, cujus quinquaginta; & prioratum fancti Petri de Cefena, cujus feptuaginta; ac prioratum Montis-calvarii, una cum prioratu fancte Marie de Fontana, ambo de Caftro-caro uniti, quorum viginti; & prioratum de Prodano in agro Cefenate, cujus viginti. Et prioratum fancti Johannis-baptifte de Faventia

tia cum suis annexis, cui unimus prioratum sancti Johannis-baptiste de Bagnacavallo, cujus centum; & prioratum sancti Johannis-evangeliste de Ricoo, cujus quindecim; ac prioratum sancti Damiani de Bononia, cujus sexaginta. Ac monasterium sancti Romualdi de val de Castro cum suis manualibus & annexis, cui unimus prioratum de Podio-cupo, cujus quadraginta, & prioratum sancti Georgii, cujus duodecim; ac prioratum de le Perelle, cujus decem, ac eremum dictam la Quadrigaria, cujus quatuor. Et prioratum sancte Marie de Angelis Florentie cum omnibus suis annexis, cui unimus prioratum sancte Agathe de Valdechiano in Monte-sancti-Sabini una cum prioratu sancti Christophori & sancte Lucie prope Montem-sancti-Sabini illi unito, quorum triginta; & prioratum de Muchio Vulterranensis diocesis, cujus quadraginta; & prioratum sancti Viriani Aretinensis diocesis, cujus sexaginta. Et prioratum sancti Benedicti extra muros Florentie cum suis annexis, cui unimus monasterium sancte Jucunde Lucanensis diocesis, cujus octuaginta; & monasterium de Cintoria dicte diocesis, cujus quinquaginta; & prioratum Urticarie Fesulanensis diocesis, cujus triginta; & prioratum sancti Cypriani Vulterranensis diocesis, cujus viginti-quinque, ac monasterium de Castagneto Pisanensis diocesis, cujus tresdecim; & monasterium de Monte-muro Florentinensis vel Fesulanensis diocesis, cujus viginti-quinque; ac monasterium de Deciano Arretinensis vel Sarsinatensis diocesis, cujus octuaginta. Et monasterium sancti Felicis in Platea Florentinensis cum suis annexis, cui unimus monasterium montis Cornarii prope Balneum sancte Marie, cujus octuaginta. Et monasterium de la Rosa Senensis diocesis cum suis annexis, cui unimus eremum dictam al Vivo, una cum sibi annexo prioratu de l' Arco & aliis sibi annexis Senensis diocesis, cujus centum-quinquaginta. Ac monasterium sancti Michaelis de Arretio cum suis annexis, cui unimus monasterium sancti Clementis Arretii, cujus octuaginta; ac prioratum sancti Laurentini prope Arretium, cujus viginti-quinque. Ac monasterium sancte Marie de Balneo cum omnibus suis manualibus & annexis, cui unimus prioratum sancti Silvestri, qui etiam unus de manualibus ejus existit, cujus quadraginta. Et monasterium sancti Severi de Perusio cum prioratu sancte Trinitatis illi annexo & eorum annexis; quibus unimus prioratum sancti Antonii de Tuderto, cujus viginti-quinque, ac prioratum sancti Angeli dictum de Massaccio, cujus centum. Et monasterium sancti Hippolyti de Faventia cum suis annexis & manualibus, cui unimus ecclesias sancti Andree, & sancti Laurentii ejusdem monasterii manuales, cujus octuaginta; ac prioratum dictum de Ferracciano Foro-livienfis diocesis, cujus centum; ac prioratum sancte Marie Camaldulini prope Foro-livium, cujus triginta; ac locum sancti Mauri de Solarolo Faventinensis diocesis, cujus quinquaginta. Et monasterium de Monte-christo in insula prope Sardiniam cum suis annexis; cui unimus monasterium sancte Trinitatis in Sardinia; ecclesiam sancti Petri in Scano, sancti Nicolai de Trulla, sancte Marie & sancte Eugenie in Samanar, sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari, sancte Marie & sancti Johannis in Altasar, sancte Marie in Contra, sancti Johannis & Simonis in Salvener, sancti Pauli in Controli, sancti Petri in Olim, eremitorium in Elba insula, locus in Capoliveri, & omnia alia nostri ordinis loca, que in Corsica, Sardinia, Plumbino & aliis circumjacentibus terris reperirentur, quorum insimul fructus, redditus & proventus quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt. Que omnia supradicta loca, si quovis modo vacant, alioquin per cessum vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem abbatum, priorum & aliorum quorumvis ea obtinentium unita, annexa & incorporata perpetuo sint & esse censeantur, & in nova hac eremi congregatione nostra ordine, quo supra dictum est, intelligantur. Et hec quidem principaliora decem & septem loca tamquam magis idonea, in quibus juxta monasticam disciplinam regularis vita constitui & observari valeat, eligimus, instituimus & deputamus, quibus alia minora loca, ut particulariter supra expressum est, ea ratione annexuimus, ut cum monachis simul pluribus alimenta suppeditare abunde valeant per socialem vitam atque cenobiticam institutionem perfectius custodiatur observantie rigor. Quoniam vero & de monialium nostri ordinis locis, quibus omnia hujusmodi de novo erecte congregationis privilegia communia esse debent, ratio habenda est, cum nonnulla ex eis intolerabili, ut accepimus, paupertate premantur, statuimus & definimus, ut sacra eremus cum primum prioratum Planetuli juxta premissam dispositionem possederit, annuam triginta floreno-

renorum pensionem monialibus monasterii sancti Benedicti de Arretio persolvat; cum prioratum Cortone, viginti florenorum monialibus monasterii sancti Johannis-evangeliste de Prato-veteri; cum vero prioratus Angelorum de Florentia prioratum sancti Viriani acquisierit, annuam similiter triginta florenorum pensione monialibus nostri ordinis de Boldrone persolvat. Quando iterum monasterium sancti Hippolyti de Faventia locum sancti Mauri de Solarolo possederit, pensionem annuam xxv. florenorum monialibus monasterii sancte Trinitatis de Faventia persolvat. Quas quidem pensiones perpetuis futuris temporibus de anno in annum prefatis monialibus persolvi, & nulla ratione, neque a capitulis nostri ordinis, neque a presenti aut futuris generalibus, aut aliis quibuslibet impediri posse statuimus. Item statuimus & ordinamus nullum de cetero nostri ordinis beneficium, neque ex principalioribus, neque ex unitis supranominatis aut uniendis posse cuiquam vel in ipso ordine nostro vel extra existenti ad vitam conferri, neque a moderno, neque a successoribus suis generalibus, neque ab eremitis, neque ab abbatibus & prioribus nostri ordinis sub pena excommunicationis late sententie his, qui beneficium aliquod conferre voluerint, & ut quod nemo, qui Camaldulensis ordinis sit, beneficium aliquod sive dignitatem ad vitam suscipere valeat. Sed in superius prenominatis locis principalioribus per cessum vel decessum eorum, qui loca ipsa nunc tenent, annuales priores vel abbates aut rectores instituantur, vitaque regularis & observantia custodiatur; minora vero in vacationis quandocumque eventum majoribus, ordine supra expresso unita sint, ut prefertur, hoc declarato, ut in illis pari ratione nemo possit, nisi annualem administrationem habere, hac tamen lege, quod loca quecumque sic applicari contigerit, debitis sibi non fraudentur obsequiis, sed per prelatos monasteriorum vel locorum, quibus applicata fuerint & annexa, onera consueta & officia impleantur. Obligenturque prelati antedicti, qui perpetui sunt, de fructibus hujusmodi annexorum visitatoribus per observantes & eremitas deputatis reddere rationem. De quibus quidem fructibus ac proventibus illud disponi debeat, quod per definitores capituli observantium fuerit ordinatum. Ex nunc sedis apostolice beneplacito premisso decernentes, ut quicquid super collatione beneficiorum & locorum ordinis nostri aliter a quocumque fuerit attentatum, sive scienter, sive per ignorantiam, nullius roboris vel momenti esse censeantur. Item statuimus & ordinamus, quod prelati ordinis nostri perpetui sive in hac congregatione, sive extra ipsam fuerint, titulo, regimini & administrationi locorum, que tenent ad hoc, ut dicte congregationi uniantur & effectualiter aggregentur, in manibus generalis & capituli eremitarum cedere valeant, & hi potestatem habeant admittendi cessionem ac loca ipsa congregationi effectu ipso adjungenda; & nihilominus generalis ipse & eremitarum capitulum, qui sic viventes cedere voluerint, in eorumdem locorum abbates aut priores secundum loci qualitatem per annum preficere possint, qui quidem annus toto tempore vite ejus, qui sic prefectus fuerit, durare intelligatur. Quod & in aliis pariter observari decernimus, qui beneficia aliqua vel loca ordinis nostri, qui nunc in commenda sunt, in titulum habere procuraverit, scilicet titulo atque administrationi locorum, que sic habuerint in favorem congregationis in predictorum manibus cedentes per eosdem in priores aut abbates eorumdem locorum per annum prefici possint, qui annus, donec vita illi superit, non finiatur. Nullum autem alium nostri ordinis quoquo modo ad aliquod beneficium aut dignitatem ad vitam, aut ad annum tota vita duraturum prefici posse volumus. Item statuimus & ordinamus, ut monasteria, & beneficia ac loca omnia & singula nostri ordinis Camaldulensis, que modo extra hanc congregationem, sive in ordine sint, sive extra ordinem, per quoscumque cujuscumque dignitatis fuerint in titulum vel commendam obtenta cum primum per cessum vel decessum illa obtinentium vacaverint, aut illorum commende cessaverint, ad ordinem nostrum effectualiter revertantur, & congregationi de novo erecte hujusmodi pleno jure & cum effectu aggregentur.

De generali ordinis & de priore eremi ac eorum electione. Locorum autem omnium, qui nunc in nostro ordine sunt, aut in futurum erunt, sive in hac congregatione impresentiarum sunt, sive illi imposterum aggregabuntur, sive etiam extra congregationem sint, totius scilicet Camaldulensis religionis caput generalis censeatur, de anno in annum, prout inferius dicetur, eligendus. Eremi autem prior propter loci illius dignitatem, post generalem super omnes alios ordinis nostri abbates & priores semper locum habeat. Modus autem nominandi ac eligendi

gendi ordinis nostri generalem talis sit. Ut eligatur & deputetur solum de numero observantium seu cenobitarum, sive eremitarum, & non conventualium, fiatque ejus electio de anno in annum in capitulo observantium secundum eumdem modum & formam, que servari consuevit in electione vicarii dicte congregationis sancti Michaelis de Murano. Ipseque generalis sic electus possit, ubi opus fuerit, ordinem universum visitare, & annuas collectas habere debeat a locis, que illas exsolvere tenentur & consueverunt. Sacre autem eremi prior per cessum vel decessum venerabilis religiosi Petri Delfini impresentiarum prioris & generalis nominetur & eligatur dumtaxat de numero observantium cenobitarum aut eremitarum, sitque non perpetuus aut ad vitam, sed temporalis, & ejus electio fiat secundum modum & formam, qua eliguntur aut eligentur ceteri omnes abbates & priores locorum, qui nunc in dicta congregatione de Murano sunt aut in futurum erunt. Ipseque sacre eremi prior pro tempore sui officii in eremo commoretur, vitamque totaliter ducat eremiticam non secus ac ceteri omnes eremite, quos non minus exemplo, quam doctrina instruere debet. Hoc enim in regula beati Benedicti prioris officium esse legimus. Quoniam vero in obitu aut cessione ejusdem Petri Delfini moderni prioris eremi & ordinis generalis, non statim coadunari capitulum poterit, ordinamus & definimus, ut eo cedente vel decedente usque ad immediate post futurum capitulum, ille qui pro tempore congregationis sancti Michaelis vicarius esse reperiretur, suppleat vices generalis. Prior autem eremi pro illa dumtaxat vice a capitulo eremi statim eligatur, duraturus usque ad proximum futurum capitulum observantium, in quo postea de anno in annum eligetur, ut prefertur. Item ordinamus & definimus, ut qui post cessum aut decessum moderni generalis, pro tempore generalis eligetur, debeat sibi eligere & deputare vicarios pro meliori totius ordinis regimine & gubernatione, unum quidem super omnes conventuales universalem vicarium, qui super observantes cenobitas & eremitas, & super moniales nullum jus habere possit, eligaturque de anno in annum ab ipso ordinis generali cum consensu eremitarum, & cum consilio aliquorum ordinis nostri prelatorum de numero solum conventualium prelatorum, qui & usque ad triennium confirmari & infra annum revocari ad nutum generalis & capituli eremitarum possit; cui secundum quod eisdem generali & capitulo eremitarum visum fuerit, de competenti salario provideatur, ut munus suum implere commode valeat. Pro regimine autem observantium cenobitarum & eremitarum ac monialium unum aut plures vicarios universales aut particulares, quando & quoties opportunum censebit, ipse solus generalis eligere & confirmare, ac revocare possit. Neminem tamen nisi de numero prelatorum observantium nostri ordinis possit in vicarium super observantes aut moniales eligere. Pro meliori autem hujus congregationis & totius ordinis regimine, confirmatione & augmento volumus in religione nostra duo capitula celebrari, unum quidem de anno in annum, in quo solum conveniant observantes cenobite & eremite, itaut prior eremi, sicut alii observantium prelati, cum uno socio ad eum accedat, in quo per novem definitores, quorum major pars de numero prelatorum sit, eo modo deputandi & eligendi, quo in capitulis congregationis Casinensis, alias sancte Justine eliguntur. Prior eremi & ceteri omnes observantium locorum abbates & priores, & totius insuper ordinis generalis eligantur, & cetera omnia tractentur & definiantur, que ad regimen tam spirituale, quam temporale observantium, tam cenobitarum, quam eremitarum atque monialium pertinere videbuntur. Alterum vero capitulum, quandiu in nostro ordine conventuales esse contigerit, generale totius religionis fieri volumus, quando, quoties, & ubi generali ordinis in capitulo eremitarum visum fuerit, in quo conveniant omnes, qui in generalibus nostri ordinis capitulis vocem habere consueverunt, & per sex definitores, quorum duo sint eremite, sive sacerdotes, sive non, a capitulo eremi eligendi, duo de numero observantium, & duo de numero conventualium ab omnibus vocem in eodem capitulo habentibus deputandi, una cum presidente, qui semper sit ordinis generalis, aut loco ejus eremi prior, ea tractentur & definiantur, que ad totius ordinis reformationem, incrementum atque utilitatem opportuna existimabuntur. Illud quoque sedis apostolice confirmatione obtenta definimus, ut quoties nostri ordinis qualecumque capitulum celebrabitur, possint ejusdem capituli definitores eligere unum nostri ordinis professum idoneum & fidelem loco notarii, qui ejusdem capituli acta scribere, ac in debitas & opportunas formas redigere valeat, cujus quidem scriptis tam in Roma-

Romana curia, quam alibi, in judicio & extra plena fides adhibeatur, ac si per publicum & authenticum notarium scripta & stipulata essent. Item statuimus & ordinamus, ut nullus de numero observantium monachorum, conversorum aut eremitarum possit ad vitam conventualem transire sub inobedientie pena, qua ligentur non solum transeuntes, sed etiam recipientes, qui etiam beneficiorum suorum privationis penam incurrant; conventuales vero ad arctiorem vitam observantie transire posse volumus; quinimmo eorum singulos pro animarum suarum salute, religionisque nostre reformatione hortamur, atque admonemus hoc facere: volumusque ut conventualibus sic ad meliorem conversationem transire volentibus locus in observantia denegari sub eadem pena non possit, nisi post tertiam probationem, ut in beati Benedicti regula scriptum est; sed per observantium monasteria secundum beneplacitum visitatorum & definitorum observantium deputentur. Item ut observantium, potiusquam conventualium in nostro ordine numerus augeatur, & omnes ad nostram religionem accedere volentes, in loco observantie habitum religionis suscipiant & professionem emittant, innovamus antiquam nostri ordinis constitutionem, ut nullus conventualium prelatorum, qui perpetui sunt, possit alicui habitum nostre religionis exhibere, & contrafaciens penam privationis beneficiorum suorum eo ipso incurrat. Item definimus & mandamus, ut omnes tam prelati, quam monachi de observantia, exceptis eremitis, quorum vita arctior & locus austerior est, debeant in victu & vestitu, tonsura, divini officii & Missarum celebratione & aliis omnibus moribus & ceremoniis, tam extra, quam intra monasterium, eumdem modum & normam sine ulla penitus diversitate habere & observare. Item omnes & singulas licentias nostri ordinis monachis aut conversis concessas extra claustrum & extra ordinem commorandi revocamus. Et eisdem cum licentia aut sine extra ordinem commorantibus sub pena gravissime culpe mandamus, ut infra terminum trium mensium a precepto sibi facto debeant se coram generali, aut vicario, aut visitatoribus presentare, qui eisdem de congrua mansione in ordine nostro providere debeant; teneanturque prelati monachos seu conversos hujusmodi ad eos per generalem vicarium, aut visitatores directos benigne recipere, & humaniter tractare, nisi legitimam habuerint excusationem. Item in virtute sancte obedientie mandamus, ut nullus omnino nostri ordinis sine omnium definitorum capituli & sedis apostolice licentia literas familiaritatis alicujus cardinalis seu prelati impetrare possit; ac literis desuper per eos hactenus impetratis sub pena privationis beneficiorum suorum & inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda renunciare habeant. Neque extra loca religionis seu in aliarum religionum aut secularium locis permanere presumant, neque possint beneficia, ecclesias aut loca alia ad regimen aut ad affictum, aut alio modo sine eadem licentia & sub eadem pena suscipere; neque etiam possint super his generalis aut capitulum eremi, neque alius quoquomodo dispensare. Item definimus & statuimus, ut omnes nostri ordinis beneficia obtinentes in dicto beneficio, aut per se aut per alium, qui nostri ordinis sit, resideat, & debito modo Deo altissimo deserviat, aut deservire faciat. Et quicumque sine expressa omnium definitorum licentia hanc institutionem non observaverit, beneficio suo de facto privatus intelligatur. Et loco, cui secundum superiorem dispositionem uniri debet, pro unito & annexo habeatur. Item definimus & mandamus sub eadem pena, ut singula dicti ordinis beneficia, quibus cura imminet animarum, quorum singulorum fructus & proventus ad summam viginti-quinque florenorum auri ascendant, obtinentes continue die noctuque ante sacratissimum Christi corpus accensam lampadem tenere debeant. Statuimus insuper & definimus, ut tam eremite, quam cenobite, qui nunc in observantia sunt, aut in futurum erunt, infra terminum quinque proxime futurorum annorum debeant omnem curam animarum a locis eorum tam principalioribus, quam annexis amovere, aut illis omnino cedendo, aut illas per seculares presbyteros exercendo. Quo termino transacto illi, quibus hoc onus incumbit, si ordinationem hanc non impleverint, gravissimam inobedientie culpam incurrisse censeantur, ac locum, a quo cura animarum amota non fuerit, debere & posse secundum generalis & capituli eremi dispositionem ab eo, cui unitus erat, separari, & alio uniri volumus; ac sub dicte sedis beneplacito volumus, ut plebes & populi, quorum curam loca nostri ordinis habere consueverant, secundum dispositionem eorumdem locorum prelatorum contente sint a secularibus presbyteris curari & gubernari. Item quoniam multi nostri ordinis probatissimi viri proxime preteritis

ritis annis vita functi ſunt, noſterque propterea ordo aliquo indigere auxilio videatur, ſub ſedis apoſtolice beneplacito volumus, ut per decem annos proxime futuros poſſint quolibet anno quinque alterius cujuſcumque religionis etiam Mendicantium atque Cartuſienſium, quos capituli noſtri definitores elegerint, habitum noſtre religionis in quibuſcumque obſervantie locis recipere. His vero ſic ad noſtrum ordinem accedentibus, & Camaldulenſium religionem profitentibus, cupimus de apoſtolice benignitatis largitate merita laborum religionis duplicari, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concedi, illas inſuper eaſdem indulgentias eadem benignitate conſequi optamus, quas ſi ſancta Jeruſalem loca, beatorum apoſtolorum in Urbe limina & ſancti Jacobi in Galicia eccleſiam viſitando conſequerentur. Item ſtatuimus & definimus, ut ſingula noſtri ordinis loca, ubi cenobitica obſervantia cuſtoditur, cujus fructus ſummam ſexcentorum Florenorum tranſcendant, debeant preceptores conducere ac tenere, qui juniores monachos linguas & doctrinas, & maxime ſanctarum Scripturarum diſciplinam doceant, ſi ea loca ſtudentibus apta & idonea a definitoribus judicabuntur; que autem non id fecerint, ſecundum eorumdem definitorum arbitrium illis, qui fecerint, aliquid perſolvere teneantur, & graviſſime inſuper ab eiſdem puniantur. Item ſtatuimus & ordinamus, quod nulle mulieres monaſteria tam virorum, quam monialium dicti ordinis ſub pena excommunicationis ingredi poſſint, ſine expreſſa generalis dicti ordinis licentia. Item ſtatuimus & definimus, quod a preſenti anno incipiendo ſemel ad minus in anno omnia noſtri ordinis monialium monaſteria per viſitatores obſervantium viſitentur, a nullo vero alio, niſi a generali poſſint viſitari ſine omnium definitorum licentia. Teneantur vero obſervantium definitorum & viſitatores eadem monaſteria regere & gubernare, & inter cetera nullam monialem in eis permittere, ut proprii quicquam habeat. Ut eremitice vite rigor per cenobitarum ſocietatem non minuatur, ſtatuimus & definimus, ut ordinis generalis aut prior eremi non poſſit, neque propria, neque alicujus capituli auctoritate, antiquas eremi conſtitutiones ſecundum conſuetudines, que in preſentiarum obſervantur, moderatas relaxare, aut per laxiorem vivendi modum immutare ſine totius capituli eremi conſenſu, & qui tam laudabilem vitam ullo modo immutare attentaverint, Dei & ſancti patris noſtri Romualdi indignationem timeant. Capitulum autem eremi & impreſentiarum & futuris temporibus eſſe & intelligi volumus, ipſe eremi prior & omnes, qui poſt profeſſionem ſuam in noſtro ordine per ſex continuos menſes in ipſa eremo vitam duxerint eremiticam, & a reliquis eremitis digni eorum conſortio fuerint judicati, ſive fuerint in ſacerdotio conſtituti, ſive non. Item definimus & ſtatuimus, ut poſt obitum vel ceſſionem moderni prioris generalis omnes tam in ſpiritualibus, quam temporalibus miniſtri officiales, camerarii, diſpenſatores in eremo, Fonte-bono, aliiſque locis eremo annexis atque ſubjectis ſingulis annis pro die ſancti Romualdi de novo eligantur, & cum graviſſimo onere conſcientie illius, qui ſine tali conſenſu eligere attentaverit; vivente autem & non cedente prefato Petro, qui nunc eremi prior & generalis eſt, volumus predicti omnes tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus miniſtri & officiales in eremo, Fonte-bono, Camaldulo-Florentino, aliiſque locis quibuſcumque eremo annexis & ſubjectis eligantur ab ipſo Petro priore & generali cum conſilio tamen eremitarum, aliter autem nequaquam. Item ordinamus & definimus, ut eos qui aut impreſentiarum, aut in futurum non bone converſationis & fame in Fonte-bono, Camaldulo-Florentino aliiſque omnibus locis eremo annexis atque ſubjectis a duabus partibus ex tribus capituli ipſius eremi exiſtimabuntur, & tales eſſe declarabuntur, ſtatim ab illis locis removeantur, prout in dies per eremitas nominabuntur; ad quod ſi opus fuerit, liceat etiam brachii ſecularis auxilium implorare. Item ſtatuimus & definimus, ut poſt obitum aut ceſſionem moderni prioris eremi & generalis capitulum dicte eremi in temporali & in ſpirituali regimine eremi, Fontis-boni & aliorum locorum eremo annexorum & ſubjectorum eamdem auctoritatem habeant, quam noſtri ordinis capitulorum quorumcumque definitores habent aut habituri ſunt. Et quidquid per eremi capitulum in eremo & locis predictis circa modum vivendi, induendi, fabricandi, divinum officium ordinandi, & circa morum & ceremoniarum obſervationes terminatum fuerit, majus etiam robur habeat, quam ſi fuiſſet per definitores cujuſcumque capituli conſtitutum. Item volumus, ut ſicut clauſis eremitis, ita apertis etiam tam monachis, quam converſis & ſacerdotibus, ſi ita capitulo eremi viſum fuerit, liceat barbam deferre, ita tamen ut ſa-

cer-

cerdotes eas circa os tondere teneantur. Item decernimus ac ſtatuimus, ut poſt obitum vel ceſſionem hujus, qui nunc eremi prior & generalis eſt, nemo in eremo, neque prior, neque major, neque ſacriſta, neque alius eremita, monachus aut converſus, dum effectualiter in eremo commoratur, poſſit ſub aliquo colore habere ſeu tenere, mutuo dare aut recipere aliquam pecunie etiam minimam quantitatem; niſi forte camerarii Fontis-boni coadjutor, ſocius aut miniſter ſit; ſed tam eleemoſyne, que pro dicendis Miſſis eremo offeruntur, quam ſingula alia prioratus eremi temporalia bona per Fontis-boni camerarium ejuſque coadjutorem & miniſtros tractentur atque adminiſtrentur; & hec quidem conſtitutio tamdiu variari non poſſit, quamdiu omnibus capituli eremi vocibus aliter viſum non fuerit. Item definimus ac ſtatuimus, ut per eremi priorem una cum eremitis & impreſentiarum & in futuris temporibus ſuper adminiſtrationem bonorum temporalium eremi duo noſtri ordinis deputentur, unus camerarius, qui in Fontebono commoretur, alius autem ipſius camerarii coadjutor, qui ex his etiam eſſe poſſit, qui in eremo commorantur, qui ſexies in anno, ſemel ſcilicet quibuslibet duobus menſibus exactam ſuarum adminiſtrationum rationem reddere teneantur illis ſive ſeculares, ſive religioſi, aut unus aut plures ſint, quos prior eremi & eremite ad hoc elegerint; miniſtros vero, & unum & plures, & laicos & religioſos habere iſti poſſint, nemine tamen ſine capituli eremi conſenſu. Item ſtatuimus & ſancimus, quod per eremitas deputentur, aut ab eadem ſede deputari impetrentur unus aut plures, qui rationes eorum, qui bona eremi adminiſtraverunt, videant, & pleniſſima ſedis apoſtolice auctoritate, cum brachii ſecularis auxilii imploratione, poteſtatem habeant cogendi eos ad reddendam rationem adminiſtrationum ſuarum, & ad reſtituendum quicquid per eos reſtituendum fore judicaverint; poſſintque etiam eadem auctoritate omnes, qui bona eremi minus legitime poſſident, ad ea reſtituendum cogere. At cum eis de fructibus eorumdem bonorum, & de ſumma pro illis expoſita, prout juris fuerit componere. Item antiquiorem conſtitutionem confirmantes ordinamus, ut quam citius fieri poterit, eremum circumquaque eo modo, quo eremitis opportunum videbitur, claudatur, unum ſolum aditum & ingreſſum aut duos ad ſummum dimittendo, ubi abundanter pauperibus & peregrinis eleemoſyne elargiantur. Item pro majori fratrum eremitarum quiete volumus & definimus, ut prior eremi, qui poſt obitum aut ceſſionem ejus, qui impreſentiarum prior eſt, in eremo habitaverit, pro hoſpitibus, qui ad eremum acceſſerint, manſionem ſeu cellulam conſtruere faciat, ſic a cellulis eremitarum diviſam, ut eremite quantum minus fieri poſſit, ab hoſpitibus moleſtentur; que tamen loco & forma, qua capitulo eremitarum viſum fuerit, conſtruatur. Item ordinamus & definimus, ut quicumque aut devotionis gratia, aut alia quacumque de cauſa ad eremum acceſſerint, ſive ſeculares viri, ſive religioſi fuerint, neque in choro, neque in cellulis, neque alibi, niſi in prima eccleſie parte & in loco hoſpitibus deputato ſine prioris licentia non admittantur. Item ſtatuimus & ordinamus, ut eremite, monachi ac converſi, ipſeque eremi prior, quoties legitima cauſa intentione redeundi de eremo exierint, teneantur etiam tempore, quo extra eremum permanſerint, in jejuniis & abſtinentiis eamdem formam ſervare, que in eremo cuſtoditur, exceptis nonnumquam recreationis, aut non bone valetudinis, aut itineris defatigatione, aut alterius laboris cauſis, in quibus extra eremum commorantes cum prioris licentia non teneantur hoc cuſtodire. Item volumus, quod eremite clauſuram eremi exire non valeant diebus & horis, quibus ſervatur ſilentium, ſine prioris eremi licentia. Nec liceat alicui eremitarum, aut monachorum vel converſorum ultra ſex aut ſeptem milliaria procul ab eremo diſcedere, aut extra eremum vel etiam hoſpitium Fontis-boni permanere ſine eadem licentia. Item volumus & definimus, ut nullus omnino monachus vel converſus, qui in eremo commoretur, poſſit ultra hoſpitium Fontis-boni aut equivalentem diſtantiam ab eremo ſolus recedere; ſed pro quacumque etiam adminiſtratione & neceſſitate ultra eam diſtantiam bini ire debeant, neque poſſit ſuper hoc ullo jure, niſi per omnes capituli voces diſpenſari. Item ordinamus & definimus, ut quoties aliquis ſeu laicus, ſeu religioſus, aut noſtri aut alterius ordinis fieri eremita, ſive per ſe, ſive per nuntium aut literas petierit, neque eremi prior, neneque aliquis eremitarum ſub magna proprie conſcientie aggravatione audeat ſuo conſenſu illi determinate reſpondere, ſed ad capitulum eremi omnia referantur hujuſmodi; ſine cujus capituli licentia ſub eadem pena nemo ad eremiticam vitam admittatur, aut ab ea expellatur. Item or-

ordinamus, ut nullus monachus aut conversus ex eremitarum numero possit, neque a generali ordinis, neque a priore eremi, neque a quibuscumque nostri ordinis capituli definitoribus aut visitatoribus invitus de eremo extrahi aut inde moveri, aut ad aliquem ejusdem ordinis locum transferri, nisi cum consilio pariter & assensu capituli ipsius eremi, sed inviolabiliter observetur Martini pape V. privilegium hoc idem statuens. Item volumus, ut fratres ex Mendicantibus ordinibus ad vitam eremiticam in nostro ordine transeuntes, nonobstante juris contraria dispositione, possint vocem in capitulo, officia & prelaturas in eremo habere, non autem alibi, in ordine nostro hoc eis permittatur. Item ordinamus, quod nullus neque clausus, neque apertus eremita per aliquem nostri ordinis prelatum aut capitulum possit ad sacros aliquos ordines aut prelaturas in eremo vel alibi, aut visitationis munus suscipiendum astringi; nulloque conscientie onere pregravetur eremita, qui ad hujusmodi vocatus accedere aut assentire recusaverit. Item volumus, quod monachus aut conversus eremita, qui trigesimumquintum sue etatis annum perfecit, & per unum ad minus annum post professionem nostri ordinis in eremo permanserit, possit de licentia capituli ipsius eremi dumtaxat sine alicujus alterius licentia, in cellula sua se claudere, & ibi reclusorum more vivere. Ut autem reclusi eremite attentius soli Deo vacare possint, volumus, ut reclusi eremite omnes liberi & immunes sint ab omni onere conscientie circa regimen & administrationem rerum tam spiritualium, quam temporalium ipsius eremi, & locorum eremo annexorum & subjectorum. Et si eisdem sic expedire sibi videbitur, possint etiam sine conscientie scrupulo voci sue, quam in capitulo habere possit, aut in aliquibus aut in omnibus renunciare. Item totius hujus capituli auctoritate clausis sive monachis, sive conversis eremitis non valentibus Missam celebrare, concedimus, ut possint plures simul in cellulis, nihilominus separatis, habitare, & ab aliquo similiter clauso cum illis habitante Missas audire, aut si etiam multum distantes habitaverint, ad alium clausum, aut ad ecclesiam ad audiendas Missas accedere, & statim cum silentio ad cellam suam redire, quod si alterius clausi hujusmodi commoditas defuerit, volumus, ut ex apertorum numero aliquis ad reclusum, qui celebrare non potest, accedere quotidie teneatur, & in cellula ejusdem Missam celebrare, & sacratissimum Christi corpus eidem recluso quoties voluerit ministrare. Item volumus, ut clausi eremite, prout quisque magis sibi congruere existimabit, cum capituli eremitarum licentia possint aliquid eorum, ad que pro reclusione tenentur, sive circa psalmodiam, sive circa pedum nuditatem & alia hujusmodi in aliquod aliud aut equivalens aut majus permutare. Insuper ne fervor spiritus, qui in aliquibus divina gratia esse solet, aliquorum tepiditate extinguatur, volumus ut reclusus quisque possit vite observantiam arctiorem atque austeriorem, in quibus sibi visum fuerit custodire, licentia a priore quesita, licet non obtenta, relaxare autem absque necessitate & expressa superioris licentia non possit; quod & de ceteris omnibus apertis monachis & conversis intelligi volumus, qui quatuor annos post professionem nostri ordinis in eremo vixerint. Item antiquam constitutionem confirmantes & de novo statuentes ordinamus, quod non obstante aliqua contrarii juris dispositione peculium monachorum & conversorum nostri ordinis, qui extra claustrum, atque extra ordinem ipsum obierint, sacratissime eremo applicetur, & ejus esse censeatur. Insuper quoniam tam totius nostri, quam eremitarum constitutiones antiquiores multa continere existimantur, que propter temporum mutationem secundum presentem vivendi consuetudinem, minus observari posse videntur, plurimaque in eis aut confusa, aut minus coherentia, invicemque contraria sunt, propterea virtute sancte obedientie precipimus, ut illis, quibus per capitulum eremi hoc onus injunctum fuerit, debeant infra triennium & totius ordinis & ipsius eremi constitutiones, prout Spiritus-sancti gratia illis concesserit, corrigere, emendare, reformare, superflua aut inutilia resecando, inordinata ad ordinem redigendo, contraria moderando, & omnia in meliorem formam & ordinem sub certis titulis in brevitate redigendo, que habeant ad generale nostri ordinis proxime futurum capitulum appresentari, a quo cum fuerint confirmata, ab omnibus nostri ordinis inviolabiliter observari ac approbari debeant. Item statuimus ac definimus, quod omnia hujus capituli decreta ac statuta inviolabiliter ab omnibus nostri ordinis in virtute sancte obedientie custodiantur; neque possint infringi aut immutari, aut his aliquid contrarium determinari, nisi per dispositionem trium generalium se continue subsequentium capitulorum, que con-

conformiter contrarium determinarent, aliter firma & illibata permaneant. Quidquid autem per capitulum eremi circa ea, que ad eremum, & loca illi annexa atque subjecta pertinere videntur, in futurum determinatum aut definitum fuerit, nullo modo possit immutari aut infringi, vel directe, vel indirecte impediri sub magna proprie conscientie aggravatione, neque eas valeat ordinis generalis aut eremi prior, neque alii nostri ordinis definitores sine capituli totius eremi consensu derogare. Postremo statuimus ac definimus, ut in omnibus principalioribus hujus congregationis locis, in quibus viget, aut imposterum vigebit observantia, teneantur omnes fratres orare pro summi pontificis & sedis apostolice felicitate, & diebus ferialibus eos psalmos & orationes dicere, que antiquissima institutione dicuntur in eremo, eo modo quo ibi dici consueverunt. Omnes propterea nostri ordinis viros & mulieres hortamur & admonemus, ut specialiter pro Leone X. pont. max. magnificoque fratre ejus Juliano nostri ordinis protectoribus & benefactoribus precipuis continuas ad Deum preces fundere non obmittant.

Ceterum quia difficile foret presentes literas ad singula & quecumque opportuna loca deferri, motu & scientia predictis volumus, & apostolica auctoritate prefata decernimus, quod transumptis super predictis conficiendis aut impressis, aut manu scriptis, & manu publici notarii subscriptis, & sigilli alicujus persone in dignitate ecclesiastica constitute impressione munitis, ea prorsus fides adhibeatur indubia, que ipsis originalibus literis adhiberetur, ubicumque essent exhibite vel ostense. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, sanctionis, exemptionis, liberationis, susceptionis, assignationis, remissionis, statuti, ordinationis, concessionis, indulti, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominice millesimo quingentesimo tertio-decimo IV. nonas julii pontificatus nostri anno primo.

CXXV.

Parochia S. Apollinaris-novi de Ravenna transfertur in ecclesiam S. Barbare ejusdem urbis de consensu abbatis Classensis.

Anno 1513. x. julii.

IN libro Partium A. de anno 1512. usque ad annum 1524. pagina 42. tergo, & asservato in publica secretaria illustrissime communitatis Ravenne legitur, prout infra videlicet:

Laus Deo die x. julii 1513.

Congregato majori consilio alme & antique urbis Ravenne sono campane premisso de mandato dominorum Sapientum, ut moris est, in quo interfuerunt consiliarii ad numerum sexaginta-novem, computata persona magnifici domini Gubernatoris civitatis Ravenne, prefati domini Sapientes proposuerunt Partem infrascripti tenoris & continentie, videlicet: Cum sit, *che per la santità di Nostro Signore a contemplatione di questa magnifica comunità el sia sta concesso la chiesa di san Salvator, e l' abbazia di sant' Apollinare alli ven. frati di santa Mama di Ravenna dell' ordine de' frati Minori dell' Observantia, accedente il consenso del presente commendatario di dicta abbatia, & essendo stato applicato la cura parochiale di dicta chiesia di san Salvator alla chiesia di santa Barbara di Ravenna, interveniente il consenso del rev. domino abbate di Classe per esser detta chiesia immediatamente subjecta all' abbazia di sant' Apollinare in Classe, & similiter di domino Vitale di Gorduzi di Ravenna prior de dicta santa Barbara, li quali hanno consentito e libere relaxata dicta chiesia e la sua casa a complacentia della predetta communità per uso della parochia & habitazion perpetua del capellano, ha officiar ed haver cura delle anime de dicta chiesia, & per esserli sta promesso per recompensa della utilità havea de dicta casa, per aver & lui domandato uno petio di terreno de le rason della magnifica communità nostra, qual' è posto in la città de Ravenna da santa Maria in Orto, del qual se ne sol avere de ficto lire sette l' anno, che dicto terreno le sia dato & concesso per la chiesia de santa Maria in Orto in perpetuo, la quale era unita con la predicta*

cta chiesia di santa Barbara . Pertanto cum presentia del magnifico signor Governator nostro, e parte delli magnifici signori Savj l' anderà a parte , che per autorità di questo generoso consiglio , attento la complacentia fatta a questa magnifica comunità di darli de dicta chiesia de santa Barbara cum la sua casa per l' uso predicto, che 'l sia dato autorità alli magnifici signori Savj de dar , consegnar e concedere a predicto domino Vitale per sì, e sui successori per ricompensa de dicta casa e chiesia el dicto terreno posto , ut supra, e che li predicti signori Savj li habbino a far el suo instromento in amplissima forma , qualunque cosa in contrario facesse non ostante &c. Sic LXV. non IV. capta est Pars.

Et ego Thomas Benedictus Bagnari Vistoli publicus *&c.* notarius *&c.* subscripsi *&c.*

CXXVI.

Leo X. concedit congregationi Venetæ , ut monasteria aliis subjecta a subjectione liberentur , & eidem congregationi uniantur.

Anno 1513. v. novemb.

Ex libro edito privilegiorum pag. 66.

LEo papa decimus . Dilectis filiis ... vicario & visitatoribus congregationis Camaldulensis . Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem . Cum nuper ex eremo Camaldulensis ordinis Arretine diocesis & congregationis sancti Michaelis de Murano , unam congregationem eremi & sancti Michaelis hujusmodi constituerimus & ordinaverimus , quod post cessum vel decessum moderni generalis unus generalis temporalis per capitulum congregationis noviter erecte perpetuo eligatur , ac omnia & singula privilegia & indulta tam per Romanos pontifices predecessores nostros, quam imperatores & reges Romanos, & alios seculares principes eremo & congregationi de Murano , & aliis dicti ordinis monasteriis & locis concessis approbaverimus & confirmaverimus , prout in nostris literis desuper confectis plenius continetur, nos cupientes, ut eremite & persone congregationis sancti Michaelis hujusmodi, etiam antequam ad electionem generalis temporalis hujusmodi procedatur, fructum desideratum hujusmodi nove congregationis canonice consequantur , providere volentes , vobis vicario & visitatoribus dicte congregationis sancti Michaelis pro tempore existentibus, priorem claustralem, Majorem eremi nuncupatum , eligere seu deputare ad effectum, ut ipse una cum alio eremita per conventum eremitarum eligendus ad capitulum generale congregationis sancti Michaelis hujusmodi accedat, & in eo, prout alie persone dicte congregationis, vocem habeat; & pro prospero & felici statu uniones , annexiones & incorporationes nonnullorum monasteriorum aliis monasteriis dicte congregationis , alias apostolica auctoritate factas, dicta apostolica auctoritate dissolvere . Ita quod illa de cetero eque principalia, ut monasteria ipsa, quibus unita erant , existant , ac in pristinum & eum statum , in quo ante uniones predictas erant , reintegrentur : ita tamen quod perpetuo ejusdem congregationis sint, & esse, ac juxta ritus & mores aliorum monasteriorum dicte congregationis per abbates vel priores annuales regi debeant, statuere & ordinare libere & licite valeatis , prefata apostolica auctoritate , & ex certa nostra scientia licentiam & facultatem concedimus ; ac volumus , quod quoad omnia omnibus privilegiis dicte congregationis de novo erecte concessis, in omnibus ex nunc gaudere possitis , quibus gaudere poterunt , cum ordo ipse per generalem temporalem regetur , juxta ipsius nove congregationis institutionem , non obstantibus constitutionibus , & ordinationibus apostolicis , etiam nostra de unionibus committendis ad partes. Cui hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta novembris M. D. XIII.

P. Bembus.

CXXVII.

Idem confirmat eidem congregationi aliqua ejus statuta.

Anno 1513. VIII. decemb.

Ex libro Privilegiorum pag. 68.

LEo papa X. Dilectis filiis . . vicario & visitatoribus congregationis eremi & sancti Michaelis de Murano Camaldulensis ordinis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem . Exponi nobis

nobis nuper fecistis, quod alias postquam vobis per alias nostras literas concesseramus, ut Majorem eremi eligere ac monasteria aliis monasteriis vestre congregationis unita separare, ita quod essent principalia membra, & gauderent privilegiis, aliis monasteriis congregationis eremi & sancti Michaelis de Murano de novo erecte concessis, priorem claustralem, Majorem eremi nuncupatum, elegistis, ac Camaldulum-majorem cenobium erexistis & monasterium Fontis-boni nuncupastis, & in eodem constituistis priorem in prelatum sub certis conventionibus & pactis inter vos & eremitas ipsos initis; similiter & Camaldulum-minorem Florentinum principale monasterium effecistis, ac in eo abbatem deputastis: ita quod ii tres per vos electi prelati essent, & administrationem & jurisdictionem in suis monasteriis haberent, ut alii prelati vestre congregationis in suis locis habent. Necnon declarastis, quod ex nunc ex iis congregationem ex eremo & sancti Michaelis de Murano per vos alias factam effectum suum sortitam fuisse, ita quod unica esset: & capitulum generale proxime celebrandum vestre congregationis, generale capitulum congregationis Camaldulensis eremi & sancti Michaelis de Murano appellari deberet: ac humiliter supplicari fecistis, ut premissis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere, aliasque opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, premissa omnia & singula ex certa nostra scientia auctoritate apostolica tenore presentium approbamus & confirmamus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac pro potiori cautela; ut dicte congregationi unita monasteria ab aliis separare & separata aliis unire, ac quecumque, que vobis ad augmentum & decus vestre congregationis & locorum ejus utilia & opportuna videbuntur, facere, ac prioratus & monasteria, & loca quecumque etiam unita congregationis & ordinis vestri, etiamsi ille uniones nondum effectum sortite sint, tam in capite, quam in membris visitare & reformare, ac monachos pro suis erroribus corrigere & castigare, & eos ad claustrum revocare, prout vobis & animarum saluti & vestre congregationi videbitur expedire, super quo vestram conscientiam oneramus, libere & licite valeatis. Ac quod vos ex nunc eamdem habeatis auctoritatem & potestatem in toto ordine vestro, quam habebunt visitatores & generalis temporalis, cum fiet in vestra congregatione, licentiam & facultatem concedimus; ita quod contradictores per censuram ecclesiasticam compescere, & auxilium brachii secularis, quatenus opus sit, implorare possitis. Non obstantibus &c. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VIII. decembris M. D. XIII. pontificatus nostri anno primo.

P. Bembus.

CXXVIII.

Idem statuit pensionem tradendam annuatim Petro Delphino abbati generali.

Anno 1514. XXXI. martii.

Ex codice archivi S. Blasii de Fabriano.

Leo papa X. Dilectis filiis .. vicario & visitatoribus congregationis eremi & sancti Michaelis de Murano Camaldulensis ordinis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod alias postquam vobis per alias nostras literas concesseramus, ut majorem eremi eligere, ac monasteria aliis monasteriis vestre congregationis unita separare, ita quod essent principalia membra & gauderent privilegiis aliis monasteriis congregationis eremi & sancti Michaelis de Murano de novo erecte concessis, priorem claustralem, Majorem eremi nuncupatum, elegistis, & Camaldulum erexistis & monasterium Fontis-boni nuncupastis, & in eodem constituistis priorem in prelatum sub certis conventionibus & pactis inter vos & ipsos eremitas initis: similiter & Camaldulum minorem Florentinum principale monasterium fecistis, ac in eo abbatem deputastis, ita quod hi tres per vos electi prelati essent, & administrationem ac jurisdictionem in suis monasteriis haberent, ut alii prelati vestre congregationis habent in suis locis: necnon declarastis, ac a nobis declarari petiistis congregationem ex eremo & sancto Michaele de Murano per vos alias factam effectum suum sortitam esse, & in omnibus vivente adhuc moderno generali sortiri debere: & quod capitulum vestre congregationis proxime celebrandum generale capitulum congregationis Camaldulensis eremi appellari deberet, humiliter supplicari fecistis, ut premissis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adjicere alias quam opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. His itaque non obstanti-

ſtantibus literis ſuperioribus diebus dilecto filio Petro Delphino ordinis veſtri generali a nobis conceſſis, quibus ipſe, quoad viveret, in eremi, Fontis-boni, & Camalduli-Florentini adminiſtrationem, ſicut prius conſueverat, reponi videbatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, premiſſa omnia & ſingula ex certa noſtra ſcientia auctoritate apoſtolica tenore preſentium approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, non obſtante juriſdictione aliqua, quam modernus generalis veſter in eremo, Fonte-bono, Camaldalo-florentino quovis modo & via habere pretenderet, etiam in literis ſuper hoc in favorem ipſius a nobis confectis, quibus nos conſcii de preterita horum locorum adminiſtratione, quam nonnulli miniſtri generalis prefati, ipſo nequaquam conſentiente, per multos id annos cum ſatis aperto temporalium bonorum detrimento habuerunt, derogamus, & derogatum eſſe volumus, onerantes priorem Fontis-boni, quem eremite in eorum legitimum ſindicum & procuratorem elegerint, ut prefato dilecto filio Petro Delphino generali quotannis trecentorum aureorum ſummam impendat pro ejus, familieque ſue victu & veſtitu, nulla alia ſuper eremo, Fonte-bono & Camaldulo-Florentino eidem generali adminiſtratione, & juriſdictione relicta, que tria loca nunc & impoſterum ab ipſo capitulo congregationis eremi & ſancti Michaelis de Muriano tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus regi & gubernari debere ſtatuimus, nulla umquam eremitarum auctoritate & conſuetudine de his ipſis ex privilegio noſtro conceſſimus imminuta, neque etiam immutata; & ut congregationem hanc veſtram & univerſam etiam religionem Camaldulenſem melius & facilius, quam ad rectam vivendi normam redigere valeatis, vobis auctoritatem & facultatem concedimus, ut monaſteria & prioratus veſtre religionis ſive in religione, ſive extra religionem vel commendam fuerint per ceſſum vel deceſſum illa obtinentium, ſive aliam quamvis dimiſſionem ab illis, quibus unita eſſent, ſeparare, & ſeparata aliis unire poſſitis: & ſi monaſteria & prioratus iſti nondum effectualiter congregationi veſtre unita fuerint, ac prioratus & monaſteria & loca quecumque tam in congregatione & religione veſtra, quam extra religionem in titulum vel commendam exiſtentia in capite & in membris viſitare & reformare, ac monachos, & abbates & priores pro ſuis criminibus vivente adhuc moderno generali corrigere, & caſtigare, & hos omnes monachos, abbates & priores, atque etiam illos, quibus beneficia & monaſteria veſtra eſſent pro tempore commendata, ad nutum veſtrum ad clauſtrum revocare, prout vobis & animarum ſaluti & veſtre congregationi videbitur expedire, & revocatis abbatibus veſtris & prioribus ad monaſteria & beneficia, ſive etiam diverſa per annum conferre poſſitis, & quidem annus, ſi id vobis videbitur, toto tempore eorum durare juxta formam privilegii veſtri intelligatur: ac denique ut vos ac omnes ſucceſſores veſtri ex nunc eamdem habeatis auctoritatem & poteſtatem in toto ordine & Camaldulenſi ſupra abbates, priores ac monachos & moniales omnes tam obſervantes, quam conventuales vobis pariter concedimus, quam habuit prefatus generalis dilectus filius Petrus Delphinus, ceterique anteceſſores ejus, & quam ex privilegio congregationi veſtre a nobis conceſſo habebunt generalis temporalis una cum viſitatoribus, cujus quidem generalis nomine, cedente vel decedente prefato moderno generali, vobis, ſucceſſoribuſque noſtris tribuimus. Contradictores &c. Datum Rome apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die ultimo martii M. D. XIIII. pontificatus noſtri anno ſecundo.

P. Bembus.

CXXIX.

Idem concedit vicario congregationis Venetæ, ut poſſit abſolvere monachos ab irregularitate.

Anno 1514. XVII. aprilis.

Ex libro Privilegiorum pag. 69.

LEo papa X. Dilecto filio .. vicario congregationis eremi & ſancti Michaelis de Murano. Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſti, quod cum ſepe contingat monachos congregationis eremi & ſancti Michaelis de Murano Camaldulenſis ordinis aliquam irregularitatem incurrere, & ſuper ejus diſpenſatione obtinenda, ſi ad Romanam curiam ſe conferre, aut etiam literas apoſtolicas impetrare deberent, nonniſi magno ipſorum monachorum incommodo & congregationis detrimento fieri poſſe. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut monachorum quieti, & congregationi hujuſmodi detrimento

mento indemnitati consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi inclinati tibi & dicte congregationis vicario pro tempore existenti, ut cum monachi dicte congregationis irregularitatem aliquam ex quavis causa, preterquam ratione homicidii, contraxerint, cum eis super hujusmodi irregularitate, necnon singulis annis quatuor monachos ejusdem congregationis, qui vigesimum-secundum sue etatis annum attigerint, dummodo aliud canonicum impedimentum non obsistat, ut ad presbyteratus ordinem a quocumque antistite gratiam, & communionem apostolice sedis habente promoveri libere & licite valeant, dispensare valeas, ac eidem antistiti, ut monachos ipsos in dicto vigesimo-secundo anno ad presbyteratus ordines hujusmodi promovere libere & licite valeat, licentiam & facultatem concedimus, Viennensis concilii & quibusvis aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & statutis & consuetudinibus dicte congregationis, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. aprilis M. D. XIV. pontificatus nostri anno secundo.

P. Bembus.

CXXX.

Paulus Justinianus præsidens capituli generalis subjicit prioratum de Orbisio monasterio S. Michaelis, & abbatiam de Lemmo monasterio S. Mathiæ.

Anno 1514. XVII. maji.

Ex archivo S. Mathiæ de Muriano.

NOs frater Paulus eremita presidens capituli generalis congregationis Camaldulensis sacre eremi & sancti Michaelis de Muriano, ceterique ejusdem capituli definitores universis & singulis presentes literas inspecturis salutem in Domino. Quoniam inter cetera in nostro generali capitulo hoc anno M. D. XIV. de mense maji in monasterio Fontis-boni celebrato quedam acta & facta sunt, que in notitiam vestram venire opportunum judicavimus, ideo significamus vobis, fidemque facimus indubitatam, quod nos predicti presidens & definitores una congregati & unanimiter sentientes die XIII. mensis maji M. D. XIV. auctoritate apostolicarum literarum, quibus hec & similia facere nobis concessum est, prioratum sancte Marie de Orbisio Paduane diocesis a prioratu sancti Mathie de Muriano separantes, eumdem monasterio sancti Michaelis univimus, & unitum atque annexum esse declaravimus; monasterium vero sancti Michaelis de Lemmo in Histria a monasterio sancti Michaelis de Muriano separantes eidem prioratui sancti Mathie de Muriano annexuimus & univimus. Die vero IV. ejusdem mensis coram nobis constitutus domnus Bernardinus de Tarvisio prior sancte Marie de Orbisio bonum religionis & congregationis desiderans, & zelum Dei ante oculos sibi proponens, ne per ejus decessum locus illi commissus in aliquale periculum incurreret, eumdem prioratum sancte Marie de Orbisio in manibus nostris libere & effectualiter renunciavit: nos vero presidens & definitores predicti ejusdem renuntiationem hujusmodi suscipientes, eadem die & hora illum in ejusdem loci priorem per annum elegimus atque instituimus, ita tamen ut annus iste toto tempore vite ejus durare intelligatur secundum privilegii in hujusmodi cessionibus formam, presentibus domno Bartholomeo abbate Poplene & domno Gabriele Mediolanensi testibus ad hec vocatis, habitis & rogatis. In quorum fidem &c. Datum in monasterio Fontis-boni M. D. XIV. die XVII. mensis maji.

Thomas Florentinus eremita capituli scriba de mandato.

CXXXI.

Leo X. confirmat aliquot conventiones circa personam & jura Petri Delphini abbatis generalis.

Anno 1514. XXVI. junii.

Ex codice tabularii Fabrianensis.

LEo papa X. Dilectis filiis Petro Delphino generali ordinis Camaldulensis, & Petro Quirino eremite eremi Camaldulensis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod cum nuper inter te fili generalis, & dilectos filios eremitas eremi Camaldulensis ordinis occasione administrationis bonorum eremi hujusmodi orta fuisset materia questionis, vos filii generalis & Petre eremita tamquam sindicus & procurator eremitarum & congregationis hujusmodi, & nomine super omni-

omnibus litibus & controverſiis inter vos vertentibus in dilectos filios noſtros Antonium ſancti Vitalis & Laurentium ſanctorum Quatuor Coronatorum titulorum presbyteros cardinales tamquam in veſtros arbitros & arbitratores compromiſiſtis; ipſique Antonius & Laurentius cardinales compromiſſo hujuſmodi in ſe ſponte ſuſcepto, equum inter vos tulerunt arbitrium, videlicet, quod eremite & congregatio preſcripti tibi fili generalis ſingulis annis tercentos ducatos auri in auro largos, de quibus ac quinquaginta aliis ducatis ſimilibus infraſcriptis libere & pro libitu voluntatis diſponere, ita quod nulli etiam dicte congregationis de illis rationem reddere tenereris, nec ratione gravaminis & impoſitionis eidem eremo pro tempore imponende de illis aliquid detrahi poſſet, aut tu aliquid ſolvere tenearis, pro una videlicet in feſto ſancti Johannis-baptiſte proxime preterito, pro alia in kalendis novembris, pro reliqua vero tertia parte kalendis martii, deinde ſucceſſive quartus terminus pro ſequenti anno incipere debere kalendis julii anni M. D. XV. in locis, in quibus pro tempore fueris, tibi fili generalis ſolvere, donec non habitaveris in aliquo ex tribus locis infraſcriptis, quorum habitatio tibi prohibetur, teneantur, & ſi ceſſarent ſolvere in dictis terminis, tunc duplum ejus, quod ſolvere debebant, ſolvere tenerentur ſub cenſuris & penis in literis penſionum apponi ſolitis, quodque omnia credita & debita, que reperirentur contracta uſque ad diem prime ſolutionis dicte ſumme ad dictam congregationem pertinere debeant, excepto debito ratione collectarum tibi fili generalis hactenus debitarum, quod cum aliis collectis in futurum per quoſcumque etiam commendatarios monaſteriorum & aliorum locorum dicti ordinis debendis ad te fili generalis pertineat: ita quod aliquam ſolutionem alicujus debiti nomine prioratus eremi hactenus contracti non tenearis, nec debitis ipſis quomodolibet obligatus eſſes. Quodque liceat tibi cum tua familia in omnibus monaſteriis & aliis locis dicte congregationis pro libito reſidere & permanere, exceptis eremo, & monaſterio ſeu hoſpitio Fontis-boni, & Muſolea, in quibus non poſſes ſine expreſſa noſtra licentia, & donec non poſſes permanere in dictis locis, eremite & congregatio prefati tenerentur tibi ultra dictam ſummam trecentorum ducatorum ſolvere annis ſingulis quinquaginta ducatos pro conducendo unam poſſeſſionem vel domum prope Florentiam, vel alias de illis diſponere, prout tibi placuerit. Quodque in omnibus monaſteriis & locis congregationis hujuſmodi, in monaſterio vero ſancti Benedicti extra muros Florentie dicte congregationis, quamdiu volueris permanere, & inibi in illius foreſtaria edificare, & illa libere uti poſſis, exceptis tribus locis ſupradictis, tranſeundo morari quindecim diebus ſumptibus monaſteriorum & locorum predictorum, & illorum prelatis invitis, & ſi jumenta tua non poſſent eſſe in loco, in quo te fili generalis morari contingeret, tunc liceat tibi illa cum famulo eorum curam habente in monaſteriis & locis dicte congregationis, tuis tamen ſumptibus, necnon libros omnes in dictis tribus locis exceptis exiſtentes, quos emiſti, ſcripſiſti, ſeu ſcribi aut emi curaſti cum omni ſuppellectili in dictis tribus locis conſiſtente, de qua una planeta coloris viridis & ſerico cum camiſo, ſtola & manipulo, calice, & membranis impreſſis Miſſale, Breviario & Manuale, & quatuor equis ad equitandum, & uno mulo onerario, quibus ad preſens uteris, libere diſponere, & illis uti, ac collectas ordinarias per generalem exigi ſolitas, quamdiu generalis fueris, & a commendatariis etiam ſolvere recuſantibus exigere, & illos etiam ad id per cenſuras eccleſiaſticas compellere, & poteſtate ordinaria, quam generalis habet in dicto ordine in conventuales, qua hactenus uſus fuiſti, & uti conſueviſti, necnon omnibus privilegiis tibi & eidem congregationi hactenus etiam per nos conceſſis libere uti & gaudere. Quo vero ad congregationem primum locum in illa, prout hactenus conſueviſti, habere poſſis, ita quod tu in aliquo eidem congregationi, nec ipſa tibi ſubjaceremini, liceret tibi unum ex monachis dicti ordinis cum omnimoda poteſtate vicarium in conventuales ad nutum tuum deputare, & ex tunc dilectum filium Philippum abbatem monaſterii ſancti Hippolyti Faventini dicti ordinis deputaſti, ita quod omnes perſonas conventuales dicti ordinis viſitare poſſit, exceptis monialibus, quas & illarum monaſteria tu ſolus, & una cum patribus congregationis, & ipſi patres ſine te, viſitares, tuque moniales ipſas benedicere, prout hactenus conſueviſti, exceptis monaſteriis monialium Bononienſis & oppidi Prati-veteris Caſentini, que per viſitatores congregationis hujuſmodi dumtaxat debeant reformari: Quodque laudum & omnia in eo contenta ſedis apoſtolice munimine roborari, & infra tres menſes a prefatis congregatione & eremitis ratificari, & converſus,

qui

qui de mandato nostro in Stinchis civitatis Florentie carceratus fuit, relaxari & a dictis Stinchis liberari, ita quod ad partes Casentini nunquam accedere, nec ibi, sed apud prelatos conventuales dumtaxat permanere possit, deberent. Tu fili Petre id curare deberes, & dubia, que super hujusmodi laudo super presentibus oriri contigerint, eorumdem Antonii & Laurentii cardinalium declarationi stare deberent, prout in instrumento publico desuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut laudo predicto & omnibus in eo contentis robur apostolice confirmationis adjicere, aliaque in premissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque vos & quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis *&c.* laudum, & omnia & singula in eo contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus & confirmamus, illaque inviolabiliter observari mandamus, supplentes omnes & singulos defectus, tam juris quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem. Quocirca ven. fratribus Asculano & Alexandrino episcopis, ac dilecto filio subdecano ecclesie Florentine per presentes committimus & mandamus, quatenus vobis in premissis efficacis defensionis auxilio assistentes, ac presentes literas, quatenus opus fuerit, publicantes, eas & omnia in eis & dicto laudo contenta observari faciant, contradictores per censuram ecclesiasticam *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI. junii M. D. XIIII. pontificatus nostri anno secundo. P. Bembus.

CXXXII.

Idem congregationi Venetæ alia nova privilegia dilargitur.

Anno 1514. v. julii.

Ex libro Privilegiorum pag. 70.

LEo papa X. Dilectis filiis vicario & visitatoribus congregationis eremi Camaldulensis ordinis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Cum nos anno precedenti ex eremo Camaldulensis ordinis Aretine diocesis & congregationis sancti Michaelis de Murano unam congregationem eremi & sancti Michaelis hujusmodi constituerimus & ordinaverimus, ac congregationi hujusmodi diversa privilegia concesserimus, ac vobis vicario & visitatoribus pro prospero & felici statu congregationis predicte uniones, annexiones & incorporationes nonnullorum monasteriorum aliis monasteriis dicte congregationis, alias apostolica auctoritate factas, eadem apostolica auctoritate dissolvere valeatis, ita quod de cetero eque principalia, ut ipsa monasteria, quibus unita erant, extiterint, concesserimus, prout in nostris literis desuper confectis plenius continetur. Nos cupientes necessitatibus monasteriorum & aliorum locorum dicte congregationis more pii patris providere, vobis vicario & visitatoribus dicte congregationis pro tempore existentibus, cum vobis vigore concessionum & indultorum apostolicorum eidem congregationi concessorum monasterium seu prioratum, aut alium locum religiosum ex rationabilibus causis alteri monasterio seu prioratui juxta privilegium vobis concessum hujusmodi unire, annectere & incorporare opportunum visum fuerit, tunc prout equitas suadebat, su per fructibus, redditibus & proventibus beneficiorum pro tempore unitorum pensiones aliis monasteriis seu religiosis locis annis singulis persolvendas constituere, resignare & assignare libere & licite possitis & valeatis. Et insuper abbates, priores & alii superiores prelati dicte congregationis in evidentem utilitatem monasteriorum, prioratuum & aliorum locorum suorum, quecumque bona immobilia ad eorum loca legitime spectantia, dummodo bonorum hujusmodi annui redditus summam sex ducatorum aureorum non excedant, toties quoties opus fuerit, vendere & pretium i.de proveniens penes personam fide & facultatibus sufficientem cum debitis cautelis deponere, & ex pretio predicto bona & aliis suis utiliora emere, seu cum aliis bonis utilioribus permutare libere & licite possint & valeant. Et ut a Christi-fidelibus monasteria & alia loca vestre congregationis congruis frequententur honoribus, liceat abbatibus, prioribus & aliis prelatis dicte congregationis pro tempore existentibus omnes & singulos benefactores locorum suorum privilegiorum & indultorum eidem ordini, ac illius monasteriis & locis ac personis ipsius congregationis concessorum, necnon suffragiorum & aliorum omnium congregationis hujusmodi participes facere. Quodque deinceps eremite monasterii eremi Camaldulensis predicte, licet in sacerdotio constituti non sint, si eis hoc onus subire placuerit, in capitulis seu congregationibus tam particularibus, quam generalibus dicti ordinis vocem activam & passivam habeant, proin-

perinde ac si in sacerdotio constituti forent. Verum quia in literis nostris privilegiorum congregationi vestre concessorum omissum fuit eidem monasterio eremi monasteria de Vergareto ordinis & diocesis predicte unire, nos commoditatibus conventus monasterii eremi predicte consulere volentes, de Vergareto & sancte Agathe monasteria, ecclesiam sancti Salvatoris de Puppio ordinis & diocesis predictorum, cum primum per cessum vel decessum, seu quamvis aliam divisionem, illa in titulum vel commendam obtinendam vacare, seu illorum commendas cessare contigerit, eidem monasterio eremi, cujus ac monasteriorum & ecclesie predictorum uniendorum annui fructus presentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica tenore presentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus; ita quod cedentibus vel decedentibus simul vel successive monasteria seu ecclesiam hujusmodi obtinendam, seu illa alias quomodolibet dimittenda, & illis quovis modo, ut prefertur, vacantibus, liceat conventui monasterii eremi predicte per se, vel alium seu alios corporalem possessionem unitorum monasteriorum & ecclesie hujusmodi, juriumque & pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, illorumque fructus in conventus eremi ac monasteriorum, & ecclesie unitorum hujusmodi usus & utilitatem convertere, diocesis, loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita; & cum monasterii sancte Agathe unio hujusmodi suum sortita fuerit effectum, tunc & eo casu conventus monasterii eremi predicte monasterio de Luco dicti ordinis Fesulane diocesis pensionem annuam quindecim ducatorum auri persolvere teneatur. Et similiter cum unio monasterii sancte Jucunde dicti ordinis Vulterrane diocesis monasterio sancti Benedicti extra muros Florentie uniti suum sortita fuerit effectum, prior & conventus monasterii sancti Benedicti hujusmodi annis singulis eidem monasterio de Luco similem pensionem quindecim ducatorum auri solvere teneantur, non obstantibus nostra de unionibus committendis ad partes, & exprimendo valore etiam beneficii, cui unio fieri petitur, ac aliis editis & edendis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum & ordinis predictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, aliisque concessis privilegiis, indultis & literis apostolicis etiam confirmatis & innovatis; quibus omnibus illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes, motu proprio specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod propter unionem hujusmodi monasteria & ecclesie predicte debitis non fraudentur obsequiis, & animarum cura in illis nullatenus negligatur, sed eorum congrue supponentur onera consueta. Quodque cum primum unio hujusmodi suum sortita fuerit effectum, obligatio in camera apostolica de solvendo quindennio eidem camere ratione unionis hujusmodi debito infra sex menses fieri debeat, alioquin termino hujusmodi elapso, unio hujusmodi juribus non obsistat, monasteriaque ipsa ex tunc vacare, illaque a sede apostolica predicta libere impetrari valeant.

Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die V. julii M. D. XIV. pontificatus nostri anno secundo.

P. Bembus.

CXXXIII.

Institutio rectoris aliquot ecclesiarum unitarum facta ab abbate commendatario Saxo-ferratensis abbatiæ S. Crucis.

Anno 1514. VI. decemb.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

IN nomine Domini, amen. Nos Johannes-dominicus de Cupis humilis perpetuus commendatarius abbatie seu monasterii sancte Crucis Comitum de Saxoferrato ordinis sancti Benedicti Camerin. venerabili & religioso viro domno Polidoro-valentino de Vecchiis monacho ejusdem monasterii salutem in Domino sempiternam. Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis ac virtutum merita, super quibus persona tua fide dignorum commendatur testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque parochiales ecclesie nostro supradicto monasterio sancte Crucis simul unite, & que communiter per monachos dicti monasterii ad nostri seu illius abbatis, aut perpetui commendatarii nutum amovibiles teneri, ac per eos seu eorum cappellanos deserviri consueverunt, videlicet sancti Nicolai de Doleo & sancti Stephani de Sementana, ac sancte Marie de Cerro, ac sancti Johannis de Inferno per venerabilis etiam ac religiosi viri domni Mariotti

riotti de Mascio, necnon sancte Marie de Corbis & sancti Ciriaci Nucerine diocesis per dicti domni Polidori liberas resignationes nuper ipsarum ecclesiarum rectoris de illis, quas nunc obtinebat, in manibus nostris sponte factas, & per nos ratione dicti monasterii nobis, ut prefertur, commendati admissas vacaverint &c. nos volentes te, qui etiam in supradicto monasterio monachus, & ipsum ordinem expresse professus existis, meritorum tuorum intuitu favore prosequi gratioso, sancti Nicolai, sancti Stephani, sancte Marie de Cerro, & sancti Johannis, necnon sancte Marie de Corbis & sancti Ciriaci parochiales ecclesias simul unitas supradictas, seu alias quovis modo vacantes seu rectore destitutas &c. cum omnibus juribus & pertinentiis earumdem omnibus melioribus modo, via &c. tibi, qui ad eas tenendas, regendas & gubernandas habilem & idoneum jamdudum agnovimus & agnoscimus, usque ad beneplacitum nostrum conferimus & assignamus auctoritate nostra &c. teque coram nobis propterea personaliter constitutum in corporalem possessionem seu quasi parochialium ecclesiarum, juriumque & pertinentiarum predictorum per bireti capiti tuo impositionem, recepto primitus a te ad sancta Dei evangelia solito juramento per nos in similibus recipi consueto, inducimus, ac etiam investimus de eisdem. Quocirca vobis domino vicario & monachis dicti monasterii sancte Crucis &c. damus in mandatis, quatenus eumdem &c. in & ad corporalem possessionem supradictarum parochialium &c. inducatis &c. In quorum &c. Datum Rome extra portam castri sancti Angeli sub anno a Nativitate Domini M. D. XIIII. indictione II. die vero VI. mensis decembris pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis divina providentia pape X. anno II. &c.


Et ego Fredericus de Salvutiis de Pergula &c. notarius &c. scripsi &c.



Ziegelbaar Magdoaldus O. S. Ben.

Centifolium Camaldulense
sive notitia
Scriptorum Camaldulensium;
Quam ceu prodromum exceptura
est Bibliotheca P. P. Camaldulensium.

Venetiis
Ex Typographia Jo. Bapt. Albrizzi.
1750



SERIES

DIPLOMATUM ALIORUMQUE MONUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine chronologico digesta.

chiae

chiæ generalis gubernator declarat exemptos a solutione cujusdam gabellæ clericos & monachos Fabrianenses. n. XXVII. 53.

1441. V. januarii. Eugenius IV. unit abbatiæ Vallis-castri alteram S. Urbani ad Æsinantem. n. XXVIII. 55.

1441. V. id. janu. Idem concedit monachis S. Michaelis indulgentiam Stationum de Urbe. n. XXIX. 60.

1441. VI. kl. martii. Idem concedit Florentinis oppidum Burgi S. Sepulcri. n. XXX. 61.

1441. V. kl. octob. Idem confert Alberto monacho prioratum SS. Margaritæ & Catharinæ de Massaccio. n. XXXI. 62.

1442. nonis octob. Idem dilargitur monachis S. Michaelis de Muriano, ut possint absolvi ab omnibus censuris &c. si quando indigerent. n. XXXII. 64.

1443. V. id. jan. Idem unit prioratum Aquæ-perellis cum altero S. Benedicti de Frondolasis. n. XXXIII. 66.

1444. IV. id. maji. Idem supprimit in monasterio de Carceribus dignitatem abbatialem. n. XXXIV. 69.

1444. IV. id. maji. Idem confirmat electionem Petri Boldù in priorem S. Mariæ de Carceribus. n. XXXV. 71.

1444. XV. julii. Idem mandat eidem Petro, ut Bononiam se transferat ad monasterium Angelorum. n. XXXVI. 74.

1444. prid. id. decemb. Idem unit mensæ monasterii Vallis-castri ecclesias S. Salvatoris de Lanciano, & S. Paterniani de Colcello. n. n. XXXVII. 74.

1445. XXIV. nov. Definitores capituli generalis committunt abbati Vallis-castri unionem aliquot ecclesiarum. n. XXXVIII. 76.

1446. XII. aug. Franciscus prior generalis scribit pro confirmatione Petri Boldù in prioratu Carcerum. n. XXXIX. 78.

1446. XVII. kl. januar. Eugenius IV. ordinat aliquibus monasteriis triennales tantum deinceps præsidere abbates vel priores. n. XL. 80.

1447. XIV. kl. aprilis. Nicolaus V. unit monasterio S. Severi de Perusio prioratum SS. Trinitatis prope eamdem urbem. n. XLI. 83.

1447. Franciscus prior generalis unit monasterio S. Blasii de Fabriano ecclesiam S. Johannis de Petriolo. n. XLII. 87.

1448. idib. febr. Nicolaus V. eligit Placidum de Boncontibus in abbatem Vergareti. n. XLIII. 89.

1449. idib. febr. Martinus archiep. Corphiensis commissarius apostolicus immittit in possessionem abbatiæ S. Michaelis de Muriano Maphæum Gherardum monachum. n. XLIV. 91.

1450. IV. januarii. Nicolaus V. committit abbati S. Michaelis in Burgo Pisarum aliisque curam Hospitalis-novi de Pisis. n. XLV. 93.

1451. XIV. kl. aprilis. Idem separat a monasterio Angelorum de Florentia alterum S. Johannis de Saxo, in quo instituit Gregorium monachum in priorem. n. XLVI. 94.

1451. VIII. kl. julii. Idem denuo eidem monasterio Angelorum unit prædictum monasterium de Saxo. n. XLVII. 97.

1453. XVI. kl. maji. Idem restituit in monasterio Carcerum dignitatem abbatialem. n. XLVIII. 99.

1453. XXV. aug. Sententia circa confines territorii abbatiæ de Lemmo in Histria. n. XLIX. 101.

1454. Sententia Andreæ Boni episcopi Equilini circa eosdem confines. n. L. 102.

1455. XIII. martii. Monachi Vangaticenses eligunt œconomum in ecclesia S. Zenonis de Borsedo. n. LI. 116.

1455. XXIX. Calistus III. confirmat privilegia concessa Camaldulensibus ab Alexandris IV. & V. n. LII. 119.

1455. III. nonas junii. Idem confirmat monasterio Vangaticiensi privilegia eidem concessa a prædecessoribus suis. n. LIII. 119.

1455. I. julii. Capitulum basilicæ Lateranensis concedit facultatem erigendi monasterium prope ecclesiam SS. Trinitatis de Faventia. n. LIV. 119.

1455. VII. kl. sept. Bulla Calixti III. circa prioratum de Cerreto unitum monasterio Angelorum de Florentia. n. LV. 122.

1455. VIII. id. decemb. Idem Calixtus III. unit abbatiæ Classensi alteram S. Severi prope Ravennam. n. LVI. 124.

1456. IX. kl. feb. Idem confirmat unionem ecclesiæ S. Uberti cum abbatia Balneensi. n. LVII. 128.

1456.

1456. XVII. junii. Sententia circa confines territorii abbatiæ de Lemmo. n. LVIII. 130.

1456. kl. augusti. Calixtus III. unit prioratum S. Mustiolæ Senarum monasterio S. Petri de Vivo. n. LIX. 131.

1457. XVII. julii. Unio ecclesiæ S. Petri de Este prioratui S. Firmi ejusdem oppidi. n. LX. 132.

1457. VIII. aug. Possessio terrarum tradita abbati Lemmi a potestate Parentii. n. LXI. 134.

1458. XIV. kl. aprilis. Pius II. eligit Petrum abbatem Lemmi in abbatem S. Apollinaris in Classe. n. LXII. 136.

1458. eodem die. Idem mandat monachis Classensibus, ut recipiant eumdem Petrum in eorum abbatem. n. LXIII. 138.

1459. VIII. aprilis. Constitutiones capituli generalis Fontis-boni. n. LXIV. 139.

1459. XXIV. sept. Statuta Mariotti prioris generalis circa studia in aliquibus monasteriis stabilienda. n. LXV. 143.

1459. XXVI. sept. Pius II. scribit Petro abbati de Carceribus, ut provideat circa regimen monasterii monialium S. Benedicti de Patavio. n. LXVI. 150.

1459. IV. nonas octobris. Idem confirmat privilegia concessa a prædecessoribus suis toti congregationi Camaldulensi. n. LXVII. 151.

1461. VI. kl. dec. Idem committit recuperationem bonorum abbatiæ Classensis alienatorum. n. LXVIII. 155.

1462. XIII. kl. aug. Idem concedit priori generali Camaldulensi, ut possit revocare a monasteriis & a beneficiis rectores etiam provisos a sede apostolica. n. LXIX. 157.

1462. XIII. sept. Institutio Elisabeth de Aldovrandinis monialis ordinis Humiliatorum in abbatissam SS. Trinitatis de Faventia. n. LXX. 159.

1462. prid. id. dec. Prior generalis instituit Antonium abbatem Cantagallinæ in priorem S. Mariæ de Rosa Senarum. n. LXXI. 161.

1462. VII. id. feb. Pius II. concedit in commendam Josepho abb. Agnaniensi ecclesiam S. Johannis de Petriolo. n. LXXII. 162.

1464. IX. aprilis. Petrus de Tanagliis abb. S. Michaelis in Burgo Pisarum, ut rector Hospitalis-novi Pisarum, concedit terras ad libellum. n. LXXIII. 165.

1464. XXV. aprilis. Pius II. mandat abbati de Carceribus, ut causam inter moniales S. Christinæ de Tarvisio pro abbatissatu ad examen revocet & decidat. n. LXXIV. 166.

1465. Restituuntur monasterio S. Mathiæ de Muriano monasteria manualia a Mariotto priore generali. n. LXXV. 167.

1466. XVIII. januarii. Prior S. Mathiæ instituit Rodulphum de Faventia in suum vicarium monasteriorum manualium. n. LXXVI. 171.

1466. XIV. julii. Idem prior accipit possessionem monasterii S. Jo: Baptistæ de Clodia & in eo Johannem Contarenum monachum in priorem instituit. n. LXXVII. 173.

1467. & 1468. Miracula intercessione S. Romualdi abbatis a Deo patrata his annis. n. LXXVIII. 175.

1469. III. nonas julii. Paulus II. scribit episcopo Paduano & abbati de Carceribus, ut ecclesiam S. Mariæ de Atheste concedant fratribus Prædicatoribus domus de Atheste. n. LXXIX. 193.

1470. III. junii. Michael abbas Vallis-castri molitur aggregare suum monasterium congregationi S. Justinæ de Padua. n. LXXX. 195.

1471. XVII. febr. Delegat Sixtus IV. abbatem S. Michaelis Pisarum, ut examinet conventionem initam inter abbatem S. Pauli & quosdam laicos. n. LXXXI. 197.

1473. prid. kl. maji. Sixtus IV. confirmat monasterio de Luco ecclesias S. Georgii & S. Nicolai de Luco. n. LXXXII. 200.

1473. XXIII. julii. Nicolaus Tronus dux Venetiarum committit, ut monachi Montis-crucum & B. Antonii Peregrini de Padua habere queant saltarios contra molestantes eorumdem bona. n. LXXXIII. 202.

1473. Mariottus prior generalis unit monasterio S. Michaelis de Muriano alterum S. Michaelis de Lemmo in Histria. n. LXXXIV. 202.

1474. Constitutiones Mariotti prædicti editæ in capitulo generali Fontis-boni. n. LXXXV. 204.

1474. nonis dec. Sixtus IV. ad instantiam reip. Venetæ concedit, ut in monasteriis S. Michaelis, & S. Mathiæ de Muriano & de Carceribus abbates sint triennales & ex his peculiaris congregatio efforme-

formetur. n. LXXXVI. 209.

1475. IV. kal. dec. Idem excommunicat detentores bonorum monasterii Vallis-castri. n. LXXXVII. 212.

1475. XIII. kl. jan. Idem unit peculiari bulla congregationi S. Michaelis abbatiam Classensem. n. LXXXVIII. 213.

1477. 1480. 1481. Statuta communis Fabrianensis circa translationem corporis S. Romualdi. n. LXXXIX. 215.

1484. XVI. kl. junii. Sixtus IV. dissolvit a monasterio S. Mercurialis de Foro-livio alterum S. Jo. Evangelistæ de eadem urbe. n. XC. 218.

1486. XVIII. julii. Idem confirmat priorem Angelorum Florentiæ usque ad cujusdam litis definitionem. n. XCI. 220.

1487. XIII. kl. aprilis. Innocentius VIII. confirmat & extendit bullam Sixti IV. circa erectionem congregationis S. Michaelis de Muriano. n. XCII. 222.

1487. III. nonas aug. Idem instituit in monasterio Vangaticiensi abbatem commendatarium Ambrosium Bernardum. n. XCIII. 228.

1487. XIV. kl. decemb. Monasteria Carcerum & Montis-crucum eximuntur ab Innocentio VIII. a visitationibus quorumcumque etiam legatorum a latere, præter quam a visitatoribus Camald. n. XCIV. 231.

1487. XXXI. dec. Dux & Senatus Venetus scribunt oratoribus suis, ut obtineant a summo pontifice unionem monasterii de Astino congregationi S. Michaelis. n. XCV. 234.

1488. XXI. julii. Episcopus Parentinus instituitur abbas S. Michaelis de Lemmo a legato apostolico. n. XCVI. 235.

1493. XI. julii. Alexander VI. copiam facit abbati S. Michaelis Pisarum recipiendi ad professionem moniales diœcesis Pisanæ. n. XCVII. 236.

1494. kl. aprilis. Idem concedit in commendam Dominico cardinali Grimano abbatiam de Carceribus. n. XCVIII. 237.

1495. III. nonas martii. Idem confirmat monasterio Vangaticiensi privilegia a suis prædecessoribus concessa. n. XCIX. 243.

1495. XIX. kl. sept. Idem Petro Boldù abbati de Carceribus concedit redditus prioratuum S. Salvatoris & S. Andreæ de Curte-roduli. n. C. 245.

1498. XIII. kl. martii. Idem eligit Bernardinum Gadolum Brixiensem in priorem S. Mariæ de Angelis Florentiæ. n. CI. 248.

1498. XVI. nov. Transactio inter priores SS. Trinitatis & S. Antonini prope Faventiam pro ædificanda eccl. SS. Trinitatis. n. CII. 250.

1498. XIII. kl. dec. Alexander VI. instituit Marianum monachum in priorem S. Martini de Cellole, n. CIII. 252.

1500. prid. kl. martii. Idem concedit Petro de Accoltis pensiones super aliquot Beneficia Camaldulensia, n. CIV. 253.

1500. kl. decemb. Idem confirmat privilegia omnia abbatiæ Montis-Christi ejusque ecclesiis concessa. n. CV. 256.

1501. XVI. maji. Camaldulensi congregationi subjicitur prioratus S. Mariæ de Pace Castri-bononiensis. n. CVI. 257.

1501. XXIII. junii. Homines Castri-bononiensis cedunt Camaldulensibus eumdem prioratum. n. CVII. 259.

1503. VII. idus martii. Literæ Julii II. pro bonis monasterii SS. Trinitatis de Faventia. n. CVIII. 260.

1505. id. febr. Julius II. unit congregationi S. Michaelis monasterium S. Viti prope Vicetiam. n. CIX. 260.

1505. XXVI. febr. Episcopus Faventinus concedit indulgentiam confratribus SS. Sebastiani & Rocchi in ecclesia SS. Trinitatis de Faventia. n. CX. 262.

1506. XVII. kl. janu. Unio prioratus S. Pauli de Cæsena abbatiæ Classensi. n. CXI. 264.

1506. III. nonas febr. Julius II. confirmat congregationi S. Michaelis monasterium de Carceribus. n. CXII. 265.

1506. V. id. febr. Idem unit monasterio S. Jo. Baptistæ de Faventia prioratum de Vincareto. n. CXIII. 272.

1506. XXI. martii. Canonici basilicæ Lateranensis de Urbe concedunt ecclesiam SS. Trinitatis de Faventia monialibus Camaldulensibus. n. CXIV. 273.

1506. XXVI. jun. Testamentum Pauli monachi olim Hieronymi Suriani medicinæ doctoris. n. CXV. 276.

1507. V. kl. jun. Julius II. unit monasterio S. Mariæ Magdalenæ Senarum alterum S. Mamiliani. n. CXVI. 279.

1507. kl. octob. Julius II. adnectit par-

thenoni S. Agathæ de Florentia ecclesias S. Hilarii de Pitigniuolo & S. Christinæ de Pancoli. n. CXVII. 282.

1508. VI. id. nov. Franciscus card. legatus concedit indulgentiam visitantibus ecclesiam S. Luciæ de Septem-fontibus in festo ejusdem S. Luciæ Camaldulensis. n. CXVIII. 284.

1510. XXVII. febr. Charta circa corpora B. Antonii Peregrini & B. Compagni prioris Porciliensis. n. CXIX. 285.

1510. VII. kl. Sept. Julius II. unit congregationi S. Michaelis prioratum S. Salvatoris de Foro-livio. n. CXX. 287.

1511. IV. aprilis. Gabrielius card. legatus confirmat privilegia monasterii S. Salvatoris Montis-acuti in ecclesias & castra eidem monasterio subjectas. n. CXXI. 288.

1512. id. aprilis. Julius II. confirmat abbatiæ Classensi ejus privilegia & jura. n. CXXII. 290.

1513. XII. aprilis. Petrus Delphinus generalis unit prioratui S. Mariæ de Monte-calvario ecclesiam S. Mariæ de Fontana Castri-cari. n. CXXIII. 291.

1513. IV. nonas julii. Bulla Leonis X. confirmantis & dilargientis privilegia congregationi S. Michaelis. n. CXXIV. 293.

1513. X. julii. Parochia S. Apollinaris-novi de Ravenna transfertur in ecclesiam S. Barbaræ ejusdem urbis de consensu abbatis Classensis. n. CXXV. 329.

1513. V. nov. Leo X. concedit congregationi Venetæ S. Michaelis, ut monasteria aliis subjecta a subjectione liberentur, & eidem congregationi uniantur. n. CXXVI. 330.

1513. VIII. decemb. Idem confirmat eidem congregationi aliqua ejus statuta. n. CXXVII. 331.

1514. XXXI. martii. Idem statuit pensionem annuatim tradendam Petro Delphino abbati generali. n. CXXVIII. 333.

1514. XVII. aprilis. Idem concedit vicario congregationis Venetæ, ut possit absolvere monachos ab irregularitate. n. CXXIX. 335.

1514. XVII. maji. Paulus Justinianus præsidens capituli generalis subjicit prioratum de Orbisio monasterio S. Michaelis, & abbatiam de Lemmo monasterio S. Mathiæ. n. CXXX. 336.

1514. XXVI. junii. Leo X. confirmat aliquot conventiones circa personam & jura Petri Delphini. n. CXXXI. 337.

1514. V. julii. Idem congregationi Venetæ alia nova privilegia dilargitur. n. CXXXII. 340.

1514. VI. dec. Institutio rectoris aliquot ecclesiarum unitarum facta ab abbate commendatario Saxo-ferratensis abbatiæ S. Crucis. n. CXXXIII. 343.

Sequuntur sex Necrologia, nempe

AVELLANENSE, seu monasterii S. Crucis Fontis-Avellanæ.

GALEATENSE, seu S. Hilari de Galeata.

VANGATICIENSE, seu S. Mariæ de Vangaticia.

CARCERENSE, seu S. Mariæ ad Carceres.

BONONIENSE, seu S. Christinæ de Bononia.

PRATO-VETERENSE, seu S. Johannis de Prato-veteri.

NEC-

NECROLOGIUM AVELLANENSE,

Monasterii sanctæ Crucis, sive Fontis-avellanæ diœcesis Eugubinæ.

Ex ms. codice Classensi.

Scriptor hujus Necrologii vixit labente seculo XV. *ut liquet ex notis annorum* 1477. *die* XIV. *junii*, 1488. *die* XXI. *martii*, 1499. *die* XXIV. *februarii*. *Vetustius Necrologium ipse exscripsit, quod temporum injuriam passum erat, addens defunctorum sui ævi nomina; hinc aliquot antiquiora non probe intellexit, & pro Rainerio ad dies* VII. *&* XVIII. *junii Ramerium legit*. *Mortuorum nomina, quæ diverso charactere eduntur, manu recentiori scripta & addita fuere.*

J A N U A R I U S.

I. OBIIT D. Johannes sacerdos & monachus nostræ congregationis.
O D. Franciscus sac. & mon. nost. congr.
O Johannes sac. & mon. nost. congr.
O Petrus conversus noster.
O Petrus Angelus mon. nost. congreg.
O *Rev. D. Petrus Jacobus Venantius de Hispello prior S. Exuperantii de Cingulo 1557.*

II. O D. Johannes mon. nost. congr.
O Blancus de Insula conversus noster.

III. O D. Theudo abbas nostræ congreg.
O D. Hugo sac. & mon. nost. congr.
O D. Guido sac. & mon. & prior heremi.
O D. Dinus mon. nostræ congreg.

IV. O D. Acto judex noster commissus, & Acto sac. & mon. nostræ congreg.

V. O D. Petrus sacerd. & mon. nost. congr. & Petrus sanctæ Mariæ monachus nostræ congreg.

VI. O D. Bartholus mon. nostræ congreg.
O Blancus conversus noster.
O Rusticus mon. nostræ congr.

VII. O D. Traceus abbas & mon. nost. congr.
O Antonius mon. nostræ congr.
O Paulus noster conversus.
O D. Paulus de Eugubio mon. nost. congr.
O *D. Sebastianus de Saxo-ferrato rector sanctæ Mariæ de Monterado mon. nostræ congreg. 1757.*

VIII. O D. Hugolinus sac. & mon. nost. congr.
O Rainerius sac. & mon. nost. congr.

IX. O D. Bernardus sac. & mon. nost. congr.
O Martinus abbas nostræ congr.
O *Nobilis mulier Domina Isabella de Eugubio mater domni Ludovici Gabrielli benefactoris nostri.*

X. O D. Dominicus sac. & mon. nost. congr.
O Theuzo noster famulus.
O *D. Sebastianus Fancellus de Cisterna. 1544.*

XI. O Bonushomo mon. nost. congreg.
O *D. Baptista de Cingulo mon. nostræ congreg. 1531.*

XII. O D. Petrus sac. & mon. nost. congr.
O D. Bonus monachus nost congr.

XIII. O D. Guido sac. & mon. nost. congr.
O D. Rainerius sac. & mon. nost. congr.

XIV. O D. Arduinus episcopus.
O D. Theobaldus sac. & mon. nost. congr.

XV. O D. Gilbertus sac. & mon. nost. congr.
O Gilbertus noster commissus.

XVI. O D. Johannes & D. Giraldus abbas Campiregii prior heremi.
O *D. Johannes-baptista de Frontone conversus noster. 1560.*

XVII. O D. Bonjohannes & D. Paulus sac. & mon. nost. congr. & Bencivenne commissus noster.

XVIII. O D. Martinus, & D. Minerius sac. & mon. nost. congr. & D. Gualterius prior sancti Bartholomæi de Faventia.

XIX. O Bonus conversus noster.
O D. Andreas abbas sacerdos & mon. nost. congr.

XX. O Petrus inclusus & D. Petrus sac. & mon. nostræ congr.

XXI. O D. Alexius levita & mon. nost. congr.
O Anselmus mon. nost. congr.
O D. Barnabas abbas sanctæ Mariæ Coronaldi mon. nost. congr.

XXII. O Vedutus & D. Johannes sac. & mon. nost. congr. & D. Johannes de Gualdo prior sancti Andreæ de Spoleto.

XXIII. O D. Ventura & D. Martinus sac. & mon. nost. congr.
O Bulgarutius.

XXIV. O D. Ramerius & Acto sac. & mon. nost. congr.
O D. Angelus prior Volubri 1434.
O D. Antonius ... Laurentii mon. & plebanus sancti Andreæ de Pergula.

XXV. O D. Vengolus, & Gerardus, & Suppolinus sac. & mon. nostræ congreg.

XXVI. O Johannes ... & Rainerius sac. & mon. nost congr. & Marcus episc. Gubinus mon. nostræ congr. *& D. Johannes de Passar nis de Castello mon. nost. cong. vic. nost. 1513.*

XXVII. O Spinellus & D. Petrus sac & mon. nost. congr.

XXVIII. O D. Petruccius & D. Bonus sac. & mon. nost. congr.
O D. Antonius de Castello alias Zafferinus mon. nost. congr. 1441.

XXIX. O D. Petrus abbas mon. nost congr.
O D. Angelus prior sanctæ Mariæ de Castignano.

XXX. O D. Petrus & D. Thomas sac. & mon. nost. congr.

XXXI. O D. Martinus mon. nost. congr.
O D. Bernardus monachus prior heremi & frater Deodatus conversus noster.
O *D. Franciscus plebanus sancti Andreæ de Pergula mon. nost. congr. Nicolaus Barba famulus noster. D. Nicolaus S. R. E. in via lata card. de Rodulfis Florentinus 1550.*

F E B R U A R I U S.

I. OBIIT D. Martinus abbas monachus nostræ congreg.

O D. Hugo mon. noſt. congr.

II. O D. Ambroſius & D. Johannes ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Hugutio abbas S. Mariæ de Faventia mon. noſtræ congreg.

O D. Antonius ſac. & mon. de Monte. Fortino.

O D. Franciſcus de Caſſio mon. noſtræ congreg.

III. O Johannes converſus noſter & Gerardus mon. noſtræ congregationis & D. Chriſtophorus de Eugubio prior de Spoleto.

O D. Philippus de Callio prior ſancti Andreæ de Monte-majore mon. noſt. congr. 1478.

IV. O D. Benedictus & D. Johannes mon. noſtræ congr. & Joachinus prior ſanctæ Crucis de Ciſterna.

V. O D. Martinus ſac. & mon. noſt. congr.

O Gabriutius ſamulus noſter.

VI. O Ricardus & D. Bonus monachus noſtræ congreg.

O D. Nicolaus de Serra mon. noſt. congr.

O *Reverendiſſimus Franco Romolinus commendatarius noſter card. Surrentiæ Hiſpanus* 1518.

O *D. Bartholomæus de Coronaldo mon. noſtræ congreg.* 1530.

VII. O D. Herculanus & D. Marinus mon. noſtræ congreg.

O D. Martinus mon. noſt. congr.

O D. Durans prior ſanctæ Mariæ.

VIII. O D. Petrus mon. noſt. congr.

O Johannes converſus noſter.

IX. O D. Balbanus & Benedictus ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Cionus prior S. Exuperantii de Cingulo.

O *D. Johannes Antonius alias Bocolino de Cingulo* 1559.

X. O D. Roſana, & D. Clarus mon. noſt. congreg.

O D. Johannes prior S. Petri de Lapidona.

O *D. Antonius Pinus de Bergamo abbas de Sorticulo vicarius generalis domini archiepiſcopi Salernitani* 1537.

XI. O D. Berardus & Baruntius ſac. & mon. noſt. congr. & prior heremi.

XII. O D. Albertus monachus & Tranſmundus ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Franciſcus prior S. Quirici.

O Frater Franciſcus de Cantiano converſus noſter.

XIII. O D. Salutius & D. Hugo ſac. & mon. noſtræ congr.

O D. Johannes mon. noſt. congr.

XIV. O D. Lambertus abbas & mon. noſt. congr. & Albertus mon. noſt. congr.

O *Reverendiſſimus D. Nicolaus Montercchia epiſcopus de Viterbio benefactor noſter* 1551.

XV. O Benedictus noſter converſus & D. Benedictus ſac. & mon. noſt.

O *D. Paulus de Ciſterna mon. noſt. congr. rector eccleſiæ ſanctæ Crucis de Monteſancto* 1550.

XVI. O D. Ambroſius mon. noſt. congr. & D. Dominicus rector ſancti Quirici de Firmo 1432.

XVII. O Senebaldus & Acto mon. noſt. congr.

O D. Bonus mon. noſt. cong.

XVIII. O D. Angelus & D. Maurus mon. noſt. congr. D. Gratia mon. noſt. congr.

O D. Johannes abbas ſanctæ Mariæ de Faventia 1469.

XIX. O D. Angelus & D. Theobaldus mon. noſt. congr.

O D. Thomas mon. & prior Morimundi.

O *Julius pontifex maximus com. noſt.* 1513.

XX. O D. Albertus abbas mon. noſt. congr. & Berardus mon. noſt. congr. & D. Rainerius abbas & mon. noſt. congr. & D. Johannes de Firmo.

XXI. O D. Dinus prior ſancti Andreæ de Pergula 1420.

O *D. Antonius Raſpans Callienſis prior ſancti Petri de Lapidona ſac. & mon. noſter* 1564.

XXII. O D. Petrus Damianus & Berardus mon. noſtræ congr. & *D. Gregorius de Frontone mon. noſt. congr.* 1555.

XXIII. O D. Salvus & D. Urſus mon. noſt. congr.

O D. Albertinus de Serra prior ſancti Blaſii mon. noſt. congr.

O *D. Chriſtophorus rector eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Pagella* 1548.

XXIV. O D. Julianus & D. Johannes ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Petrus ſancti Sixti de Eugubio mon. noſt. congr. & Balthaſſar prior heremitorii de Peruſia 1499.

XXV. O D. Johannes abbas & Placidus & Doynus ſac. & mon. noſt. congr.

XXVI. O Magiſter Ventura Eugubinus & D. Leto mon. noſter.

XXVII. O D. Albricus mon. noſt. congr. & Gregorius mon. noſt. cong.

O *Studioſus & diſcretus juvenis Ludovicus de Callio novitius noſter* 1556.

XXVIII. O Martinus epiſcopus mon. noſt. congr.

MARTIUS.

I. OBIIT D. Petrus & D. Bertoldus de Cingulo ſanctæ Mariæ de Valdemergo prior.

II. O D. Acto & D. Martinus mon. noſt. congr.

III. O D. Julianus & D. Vitus abbas & mon. noſt. congr.

IV. O D. Vivianus mon. noſt. congr.

O D. Hugo Urbinate commiſſus noſter.

O Philippus abbas Campi-regii mon. noſt. congr. & D. Jacobus de Phano diaconus & mon. noſt. congr.

V. O D. Bonushomo & D. Philippus mon. noſt. congr. & *D. Nicolaus de Cingulo mon. noſt. congr.* 1510.

VI. O Marinus & D. Albertus mon. noſt. congr.

O D. Jacobus de Peruſio prior ſancti Blaſii de Monte-buturlo.

VII. O D. Rinaldus & Hermannus mon. noſt. congr.

O *D. Leonardus de Eugubio prior ſancti Gregorii de Senis* 1525.

VIII. O D. Maurus mon. noſt. congr.

O Cæleſtinus II. papa noſter com. 1144. & D. Bernardus de Capitello mon. noſt. congr.

IX. O D. Hugolinus converſus noſt. & D. C.... mon. noſt.

O *D. Hieronymus de Pergula plebanus ſancti Andreæ* 1518.

O D. Nicolaus de Brutio mon. noſt. congr.

O *D. Benedictus Blaſolinus de Callio rector ſanctæ Mariæ de Plano Corinaldi diaconus mon. noſtr. congr.* 1569.

X. O *D. Bernardinus de Eugubio rector ſancti Silveſtri* 1543.

O *Frater Angelus de Bononia magiſter in ſacra*

ſacra theologia ord. . . magiſter novitiorum 1550.

O *D. Bernardinus de Auguſtinis de Eugubio prior ſanctorum Anaſtaſii & Antonii de Caſtro-Ficardo ſac. & mon. noſt. cong.*

xi. O D. Bartholomæus & D. Berardus ſac. mon. noſt. congr.

O D. Chriſtophorus præpoſitus ſancti Michaelis de Fabriano.

xii. O D. Lætus & D. Jacobus ſac. & mon. noſt. congr.

O Frater Nicolaus de Gualdo converſus noſter 1467.

xiii. O D. Theodoricus & D. Carſedonius mon. noſt. congr.

O D. Petrus prior ſancti Blaſii de Monte-buturlo.

xiv. O D. Ventura mon. noſt. congr. &

O D. Petrus ſacriſta mon. noſter.

xv. O D. Benedictus mon. noſt. congr. &

O D. Petrus canonicus Callienſis com. noſter.

xvi. O D. Carus & Johannes ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Andreas ſancti Martini de Peruſio.

xvii. O D. Ambroſius prior Inſulæ ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Franciſcus prior ſanctæ Crucis de Ciſterna.

xviii. O D. Lene mon. noſt. congr. &

O D. Antonetus prior ſancti Martini de Ampognano.

xix. O D. Conſtantius ſac. & mon. noſt. cong.

O D. Antonius prior ſanctæ Mariæ de Racanato.

xx. O Venerabilis pater Oliverius.

O D. Villanus mon. noſt. congr.

xxi. O D. Johannes judex com. noſter & D. Chriſtophorus prior Aſculi mon. noſt. congr. 1488.

xxii. O D. Alexander & D. Rizo mon. noſt. congr.

O D. Paulus prior ſancti Donini de Roccha 1455.

xxiii. Depoſitio patris noſtri Petri Damiani cardinalis Romanæ eccleſiæ & epiſcopi Hoſtienſis.

xxiv. O D. Johannes mon. noſter, & D. Jacobus prior S. Nicolai de Cornu.

xxv. O D. Ubaldus epiſcopus monachus noſt. congr. & D. Bonus converſus noſt. & Paulus Flaute converſus.

xxvi. O D. Johannes abbas ſanctæ Mariæ commiſſus noſter.

O D. Jacobus mon. noſt. congr.

xxvii. O D. Berardus de Cornu ſacerdos & mon. noſt. & D. Jacobus mon. noſt. congr. & D. Marinus de Caſtignano mon. noſt. congr.

xxviii. O D. Gragdo epiſcopus Aſſiſinas com. noſter, & Jacobus mon. noſter, & D. Philippus abbas ſancti Caſſiani de Caſtello mon. noſt. congr.

xxix. O D. Hugo presbyter card. com. noſt.

O D. Acundeo mon. noſt.

xxx. O D. Grinaldus mon. noſt. congr. & D. Zanobius prior ſancti Ægidii de Caſtello.

xxxi. O D. Dominicus ſac. & mon. noſter, & D. Majolus mon. noſt. congr.

A P R I L I S.

i. OBIIT D. Acto ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Johannes de Gabrielibus mon. noſt. cong.

ii. O D. Guido Major com. noſter.

O D. Paulus mon. noſt. congr.

iii. O D. Tolomeus mon. noſt. cong.

O D. Guirugalus miles commiſſus noſt.

O D. Paulus Rota de Pergula mon. noſt.

iv. O D. Johannes venerabilis heremita converſus noſter.

O D. Petrus mon. noſt. congr.

v. O D. Laurentius & ſacriſta de Campi-Regii mon. noſt. congr.

O Benignus converſus noſter.

vi. O D. Daviſius ep. Caſtellanus com. noſt.

O D. Johannes prior ſancti Nicolai de Cornu.

vii. O Magiſter Johannes mon. noſt. congr.

O Frater Regetus converſus noſt.

viii. O D. Johannes-baptiſta Goſii prior ſancti Salvatoris ſac. & mon. noſt.

O D. Rainerius mon. *& D. Franciſcus prior ſancti Nicolai* 1528.

ix. O D. Berardus ſacriſta venerabilis heremita.

O D. Bartholomæus Capti de Eugubio monachus.

O *Vivanus Commiſſarius de Coronaldo benefactor* 1528.

x. O D. Benedictus prior heremi mon. noſt. congr.

O D. Johannes Philippus de Eugubio.

xi. O Saſſo mon. noſt. congr.

O *Illuſtriſſimus D. Guido-Baldus de Feltra dux Urbini devotus noſter* 1508.

xii. O Rizabeba imperatrix com.

O D. Petrus de Serra venerabilis abbas & reparator hujus monaſterii 143.....

xiii. O Firmanus ſac. & mon. noſt. congr.

O D. Albertinus prior venerabilis pater heremi ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ.

xiv. O *D. Jacobus de Corinaldo mon. noſt. congr.* 1536.

xv. O Chriſtianus abbas Campi regii mon. noſt. congr.

O D. Bartoldus ſac. & mon. noſt. congr.

xvi. O Tranſmundus Seganeleſſenſis epiſcopus com. noſter.

xvii. O D. Guilienus Bononienſis com. noſt.

O D. Symon mon. & prior ſanctæ Mariæ de Mori & D. Bone prior Clauſtralis ſanctæ Crucis, *& Mathias famulus noſter* 1557.

xviii. O Salvus mon. noſt. congr.

O D. Jacobus abbas ſanctæ Mariæ de Faventia.

xix. O D. Albericus mon. noſt. congr.

O D. Blanchus de Roccha mon. noſt. congr.

xx. O Magiſter Ventura de Eugubio com. noſt.

O D. Johannes prior ſancti Donnini mon. noſt. congr.

xxi. O D. Gualterius mon. noſt. congr.

O D. Macharius ſacriſta mon. noſt. congr.

xxii. O D. Chriſtianus præpoſitus ſancti Leonis mon. noſt. congr.

xxiii. O D. Deodatus mon. noſt. congr.

O *Marianus factor noſter in caſtro Serræ* 156...

xxiv. O D. Saracinus mon. noſt. congr.

O D. Bonus abbas Salajoli mon. noſt. congr.

O D. Angelus de Caſtello abbas ſancti Caſſiani mon. noſt. congr. 1419.

xxv. O D. Petrus mon. noſt. congr. & D. Detaleve canonicus Eugubinus com. noſter.

O Rainerius epiſcopus Callienſis com. noſter.

O *D. Hieronymus de Ciſterna mon. noſt. congr.*

cong. & rector ecclesiæ sancti Benedicti de dicto loco. 1550.

XXVI. O Gregorius venerabilis presbyter com. noster.

O D. Johannes de Gualdo abbas sancti Donati mon. nost. congr.

O D. Felix de Frontonio prior sancti Christophori mon. nost. congr.

XXVII. O D. Johannes mon. nost. congr. & Paulus Damiani de Frontone conversus noster.

O D. Fedricus & Johannes monachi nost. congr.

XXVIII. O Stephanus sac. & mon. nost. congr.

O Petrus de Eugubio prior sancti Salvatoris de Fano mon. nost. congr.

XXIX. O D. Thebaldus conversus noster.

O *Franciscus de Pergula novitius nost.* 1545.

XXX. O D. Stephanus sac. & mon. nost. cong.

MAJUS.

I. OBIIT D. Albericus sac. & mon. nost. congr.

II. O Marinus mon. nost. congr.

III. O Rigus subprior mon. nost. congr.

O Jacobus conversus noster.

O D. Baltassar de Tolentino prior S. Petri de Lapidona 1486.

IV. O Rigus prior claustralis mon. nost. congr. & D. Bernardus de Foresta mon. nost. congr.

O *Rev. D. Paulus prior sanctæ Crucis de Cisterna mon. nost. cong.* 1550. *& D. Benedictus de Frontone rector sanctæ Mariæ de Frontone* 1554.

V. O D. Vivianus sac. & mon. nost. congr.

O D. Angelus prior sancti Bartholomæi de Fauce mon. nost. congr. 1444.

O *D. Paternianus de Pergula rector sanctæ Mariæ de Corinaldo mon. nost. congr.* 1551.

VI. O D. Bonaculus sac. & mon. nost. congr. *& religiosus vir D. Germanus de Alemania mon nost. cong.* 1533.

VII. O D. Julianus episc. Eugubinus com. noster.

O D. Johannes sac. & mon. nost. congr.

O D. Johannes-baptista de Pergula mon. nost. congr.

VIII. O D. Petrus & D. Matthæus mon. nost. congr.

O D. Petrus Thomas de Castello prior sancti Fortunati mon. nost. congr.

IX. O D. Bernardinus & Johannes mon. nost. congr.

X. O D. Albertus sac. & mon. nost. cong.

O D. Petrus de Castatiano abbas sancti Angeli de Sorticulo mon. nost. congr.

XI. O D. Thebaldus mon. nost. congr. & *D. Franciscus de Cingulo diac. & mon. nost. congr.* 1516.

XII. O D. Petrus prior sanctæ Mariæ Vallismergi mon. nost. congr.

O *D. Antonius de Eugubio mon. nost. congr.* 1537.

XIII. O D. Petrus sac. & mon. nost. cong.

XIV. O D. Johannes sac. & mon. nost. cong.

O D. Angelus prior sancti Angeli de Callio mon. nost. congr.

XV. O D. Gregorius Spoletinus com. nost., & D. Mutius de Eugubio.

XVI. O D. Gregorius mon. nost. congr.

O *Benedictus del Bene de Eugubio mon. nost. cong.* 1511.

XVII. O D. Carus sac. & mon. nost. congr.

XVIII. O D Albertus abbas Saxi-vivi com. nost. & D. Sasso sac. & mon. nost. congr.

XIX. O D. Johannes Ariminensis prior claustralis heremi mon. nost. congr.

O D. Maurus mon. nost. congr.

XX. O D. Blacutius Perusinus mon. nost. congr.

O *D. Bartholomæus de Cerreto, cujus industria nostrum dormitorium funditus recuperatur* 1509.

XXI. O D. Vivianus mon. nost. congr.

XXII. O Ventura Juliæ de Fabriano com. nost.

O *D. Franciscus de Cingulo sac. & mon. nost. congr.* 1516.

XXIII. O D. Corbinus Perusinus mon. nost. cong. & D. Petrus mon. nost. congr.

XXIV. O D. Philippus Firmanus episc. mon. nost. congr.

XXV. O D. Jacobus abbas sancti Petri de Perusio sac. & mon. nost. congr.

XXVI. O D. Bernardus mon. sancti Vincentii com. noster.

O D. Johannes de Ravenna mon. nost. congr.

XXVII. O D. Petrus sac. & mon. nost. congr.

O *D. Marcus mon. nost. prior sancti Petri de Lapidona* 1536.

XXVIII. O Christianus Carceratus mon. nost. cong. *D. Johannes de Bergamo abbas sancti Angeli de Sorticulo, cujus sumptibus facta fuit campana magna* 1517.

XXIX. O D Jacobus mon. nost. congr. monast. Campi Regii & D. Raynaldus mon. nost. congr.

XXX. O Herculanus Insulæ mon. nost. *& D. Antonius Cangarini de Pergula prior sanctorum Cosmæ & Damiani in Ancona*.

XXXI. O D. Vivianus mon. nost. congr. & Blanchus conversus nost.

O D. Melioratus mon. nost. congr. *& Ægyptus de Callio mon. nost. cong.* 1526.

JUNIUS.

I. OBIIT D. Johannes sac. & mon. nost. congr.

O D. Petrus mon. nost. congr.

II. O D. Raynaldus episc. mon. nost. congr. & Franciscus Furlus mon. nost. cong.

III. O D. Petrus mon nost. congr.

IV. O D. Acto mon. nost. cong. & D. Johannes abbas sanctæ Mariæ de Mercato Coronati.

V. O D. Johannes sac. & mon. nost. cong.

VI. O D. Cotinus sac. & mon. nost. cong.

O *Rev. P. D. Antonius Humano Peroctis de Saxoferrato prior sancti Donnini* 1537.

VII. O Ramerius ep. Castellanus com. nost.

O Frisus Theutonicus familiaris nost. com.

VIII. O Petrus com. noster & Benvenutus conversus noster.

O D. Thomas de Cumulo prior sancti Leonardi de dicto loco & mon. nost. congr.

IX. O Andreas abbas sancti Gaudentii mon. nost. congr. & D. Matthæus mon. nost. cong.

X. O Lector sac. & mon. nost. congr. & Damianus de Perusio mon. nost.

O D. Transfrundus mon. nost. congr.

XI. O D. Salimbene mon. nost. congr.

O D. Johannes-baptista Gregorii prior sancti Fabiani de Trevio mon. nost. congr.

XII. O D. Johannes mon. nost. cong. & D. Franciscus mon. nost. cong.

O *D. Jacobus de Pergula sac. & mon. nost. cong.* 1544.

XIII. O D. Hugolinus ſac. mon. noſt. cong.
XIV. O D. Ventura mon. noſt. congr.
O D. Evangeliſta de Pergula prior ſanctorum Coſmæ & Damiani de Ancona mon. noſt. 1477.
XV. O Rev. epiſcopus Michael Artinus mon. noſt. cong.
O *D. Paternianus de Cingulo novitius mon. noſt. cong.* 1566.
O *Polycarpus de Scbigia noſt. conv.* 1568.
XVI. O D. Paulus mon. noſt. cong. & D. Angelus m. n. cong.
O D. Guido mon. noſt. cong.
XVII. O Guido Orbinatis eccl. epiſc. com. noſt.
XVIII. O Ramerius ſac. & m. n. cong. & Dominecutius de Gubio mon. noſt. cong.
XIX. O Guido ſac. & mon. noſt. cong.
XX. O Moricus Uſderii com. noſt.
XXI. O D. Petrus mon. noſt. cong. & Petrus capellanus noſt.
XXII. O D. Guidolinus de Cena com. noſt.
O D. Benvenuta com. noſt.
O D. Johannes de Caſtign. mon. noſt. cong.
O *Rev. P. D. Andreas Peroctis de Saxoferrato prior ſancti Domnini* 1523.
XXIII. O Hugo archidiac. Eugubinus com. noſt.
XXIV. O D. Armandus Gelſoni com. noſt.
O *Venerabilis pater D. Vincentius de Cantiano mon. noſt. cong.* 1531.
XXV. O D. Jacobus ſac. & mon. noſt. cong. & D. Antonius de Gubio mon. noſt. cong.
XXVI. O D. Venenutus converſus noſt.
O *D. Nicolaus de Fulgino prior ſancti Exuperantii de Cingulo* 1524.
O *D. Johannes-baptiſta Paſſerini de Caſtello m. noſt. cong.* 1540.
XXVII. O Chriſtophorus ſac. & converſus noſt. & Accomandutius com. noſt.
XXVIII. O D. Philippus ſac. & mon. noſt. cong.
O *Rev. D. Jacobus Marzoli de Ciſterna prior ſancti Andreæ de Monte-majori de Tipherno mon. noſt. cong.*
XXIX. O Epiſcopus Nucerinus com. noſt.
XXX. O Gebioſius epiſcop. mon. noſt. cong.
O Bernardinus mon. noſt. cong.

JULIUS.

I. OBIIT D. Rainerius mon. noſt. cong.
II. O D. Hugolinus mon. noſt. cong. & D. Corradus mon. noſt. cong.
O D. Martinus mon. noſt. cong.
III. O D. Johannes com. noſt. & D. Johannes conv. noſt.
IV. O D. Stephanus ſac. & mon. noſt. cong.
O *Magnificus D. Fredericus Cornelius de Eugubio benefactor noſt.* 1546.
V. O D. Petrus mon. noſt. cong. & D. Petrus de Trevio mon. noſt. cong.
VI. O Berardus ſac. & mon. noſt. congr.
VII. O Gregorius ſac. & mon. noſt. congr. & D. Johannes plebanus S. Andreæ de Pergula mon. noſt. cong. 1443.
VIII. O Eugenius presbyter & com. noſt, & *D. Johannes-baptiſta de Frontone mon. noſt. cong.* 1555.
IX. O D. Brito mon. noſt. cong.
X. O D. Johannes ſac. & mon. noſt. cong.
O D. Angelus prior hoſpitalis mon. noſt. cong. & D. Benedictus de monte Philatorio mon. n. cong.
XI. O D. Adam prior Cluſſe com. noſt.
XII. O D. Armannus abbas Sitriæ com. noſt.
XIII. O D. Rigus mon noſt. congr.
XIV. O D. Petrus mon. noſt. cong.
O *D. Julianus de Eugubio prior ſancti Jacobi de Monte-rado mon. noſt. cong.* 1552.

XV. O D. Bernardus Anconitanus epiſcopus com. noſt.
O Conradus de Lucolis mon. noſt. cong.
O *Rev. D. Bartolinus Achorambonus abbas de Monte-ſallarolo* 1562.
XVI. O D. Benedictus ſac. & mon. noſt. cogr. & *D. Antonius Benevenuti de Firmo mon. noſt. cong.* 1557.
XVII. O D. Innocentius III. papa com. noſt. M. CC. XVI. & Pace Hugolini com. noſt.
O *D. Crucectus de Caſtignano mon. noſt.* 1528.
XVIII. O Johannes ſac. & mon. noſt. congr.
O D. Paulus de Callio mon. noſt. cong.
O *D. Petrus Jacobi de Cingulo mon. noſt.* 1529.
XIX. O D. Gualterius mon. noſt. congr.
O *Rev. D. Franciſcus Nannis de Pergula rector eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Monte-rubeo ſac. & mon. noſt.*
XX. O D. Raynaldus & D. Alexius ſac. & mon. noſt. congr.
XXI. O D. Suppus ſac. & conv. noſt.
XXII. O D. Jacobus ſancti Miliani com. noſt.
O. D. Johannes-baptiſta de Eugubio mon. noſt. cong. & *D. Romanus prior ſanctæ Mariæ de Cantignano* 1548.
XXIII. O D. Vitus & D. Matthæus ſac. & mon. noſt. cong.
O *Reverendiſs. & Illuſtriſs. D. Federicus Fregoſius card. com. noſt.* 1541.
XXIV. O Hugolinus ſac. & mon. noſt. & D. Gentilis de Bagnalo conv. noſter.
XXV. O D. Hodoricus com. noſt.
O D. Bartolus mon. noſt. congr.
O *D. Ludovicus Paduanus devotus noſt.* 1509.
XXVI. O D. Hugo mon. noſt. congr. & D. Cola prior ſancti Laurentii de Monte-alto 1476.
XXVII. O D. Petrus abbas mon. noſter & D. Franciſcus de Draganti ſac. mon. noſt. congr. & *D. Franciſcus de Coſtacciaro mon. noſt. congr.*
XXVIII. O D. Hugolinus de Greſoleto com. noſt.
XXIX. O D. D. Mathia mon. noſt. cong.
XXX. O D. Vivianus mon. noſt. cong. & Blancus conv. noſt.
O *D. Julianus prior ſancti Andreæ de Spoleto.*
XXXI. O Berardus & D. Bartholus ſac. & mon. noſt. cong.

AUGUSTUS.

I. OBIIT Hugo abbas mon. noſt. cong.
O Bentevolus conv. noſt. & *D. Lucas de Fabriano.*
II. O D. Jacobus mon. & D. Nicola de Rachanati mon. noſt. cong
III. O Johannes præpoſitus mon. noſt. & D. Petrus mon. noſtr. congr.
O *D. Antonius de Frontonio prior ſanctorum Quirici & Jacobi de Lapidona ſac. mon. n. cong.* 1549.
IV. O Gretus com. noſter & *Dom. Goſtantius prior ſancti Migdii de ſancto Lupiduccio.*
V. O Nicolaus ſac. & mon. noſt. congr. & Berardus ſac. & mon. noſt. congr.
VI. O D. Ubertinus mon. noſt. cong. & D. Hugutio conv. noſt. & D. Jacobus mon. noſt. & D. Martinus de Pergula mon. noſt. cong. 1490.
VII. O D. Theobaldus abbas mon. Campi-regii com. noſt.
VIII. O D. Albertus & D. Johannes Engeleſe mon. noſt. cong.
IX. O D. Berardus mon. noſt. congr.
O D. Franciſcus mon. noſt. congr.

O D.

x. O D. Lucas de Frontonio.
O D. Rigus supprior mon. nost. cong.
O D. Martinus prior sancti Laurentii de Monte-alto.

xi O D. Melioratus & Thomas mon. nost. congr. & O D. Andreas de Castignano mon. nost. congr.

xii. O D. Hugutio abbas mon. nost. cong.
O *Rev. D. Evangelista Brunus de Frontonio prior sancti Quirici de Lapidona præstabilis utriusque juris doctor, atque vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus mon. nost. cong.* 1567.

xiii. O D. Parete mon. nost. congr. & *D. Meliorottus de Castello prior sancti Fortunati mon. nost. congr.* 1528. & *D. Philippus de Bruto* 1528.

xiv. O D. Martinus sac. & mon. nost. cong. & D. Johannes prior sancti Johannis de Firmo mon. nost. cong.
O *Rev. P. D. Sebastianus Marzolus de Cisterna vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus mon. nost. cong.*

xv. O Hugo sac. & mon. nost. cong. & Jovogolus famulus nost.
O D. Gregorius sac. mon. nost. congr. prior sanctæ Crucis de Cisterna 1460.

xvi. O D. Laprandus prior heremi sac. & mon. nost. cong. & D. Nicolaus mon. nost. cong.

xvii. O D. Albertus mon. nost. congr.
O D. Guido de Callio mon. nost. cong.
O D. Angelus Caroli mon. nost. congr.

xviii. O Rainerius sac. & mon. nost. congr.
O *D. Antonius Jacobus de Cingulo mon. nost. cong.* 1528.

xix. O D. Adrianus presb. & D. Albricus mon. nost. cong.
O D. Panerius mon. nost.

xx. O D. Anselmus episc. Fulcinat. com. nost. & D. Sancete mon. nost. cong.
O D. Aldrevandus mon. nost. cong.

xxi. O D. Johannes sac. & mon. nost. cong. & D. Mantia conv. nost. Paulus conv. nost.

xxii. O D. Valentinus sac. & mon. nost. cong. & D. Gregorius sancti Andrii episcop. com. nost.

xxiii. O D. Gualterius mon. nost. cong.
O D. Philippus prior claustralis mon. nost.

xxiv. O D. Matthæus mon. nost. cong.
O D. Guido de Eugubio mon. nost. cong.

xxv. O Azolinus mon. nost. cong. & D. Ludovicus de Acorambonis vicarius & mon. nost. cong. 1495.

xxvi. O Christianus archiep. com. nost.
O D. Petrus domni Hermanni com. nost.

xxvii. O D. Otto & D. Matthæus mon. nost. congr.
O D. Nicolaus de Serra mon. nost. cong.
O *D. Antonius Bagellate prior sanctæ Crucis de Eugubio* 1520.

xxviii. O D. Milo episcopus com. nost.

xxix. O D. Jacobus mon. nost. cong.

xxx. O Aldrovandus mon. nost. cong. & Moremundi & Pace conv. nost.
O D. Rainerius prior sanctæ Mariæ de Rechanate mon. nost. & D. Jacobus prior heremi sanctæ Crucis mon. nost. & Hugolinus famulus nost.

xxxi. O D. Alexander famulus nost. & D. Johannes & Benevenute mon. nost. cong.
O D. Franciscus de Cingulo mon. nost.
O D. Jacobus prior claustralis.

SEPTEMBER.

i. OBIIT D. Johannes & Simon mon. noster.
O D. Mariottus de Cantiano prior sanctæ Crucis de Asculo mon. nost.

ii. O D. Salvus mon. nost. cong. & D. Angelus mon. nost. cong.

iii. D. Johannes mon. nost. cong. & D. Nicolaus vicarius abbatiæ 1497.
O D. Antonius de Sera plebanus sancti Andreæ de Pergula 1509.
O *Illustris. Julius card. de Urbino* 1578.

iv. O D. Benevenutus mon. nost.
O D. Petrus mon. nost. cong.
O D. Antonius de Monte-rubeo mon. nost.

v. O Rainerius diac. & prior heremi.
O Rev. P. D. Lodovicus de Eugubio mon. nost. cong. & vicarius generalis sanctæ Crucis 1489.
O *D. Benedictus Blasius de Pergula rector sancti Andreæ de Loreto mon. nost. congr.* 1555.

vi. O D. Johannes mon. nost. cong. & Albericus famulus nost.
O D. Honorius Acorambonus de Eugubio sac. & mon. nost. cong.

vii. O D. Johannes episc. Eugubinus mon. nost. cong. & Bonifacius conv. nost.
O *D. Ubaldus de Serra sancti Abundi mon. nost. cong.* 1558.
O *D. Basilius de Cailio prior sancti Ægidii de Castello sac. & mon. nost. cong.* 1568.

viii. O D. Aliottus mon. nost. cong. & Monaldus mon. nost. cong.
O D. Sanutius de Pisauro prior sancti Exuperantii de Cingulo mon. nost.
O D. Franciscus de Pergula abbas sancti Angeli mon. nost. cong.

ix. O D. Gregorius Sitriæ com. nost.

x. O D. Dominicus Loricatus inclusus venerabilis heremita.
O *D. Augustinus de Pedona prior sancti Petri* 1527.

xi. O D. Bartholomæus prior heremi mon. nost. cong. & D. Benedictus de Cantiano mon. nost. cong. & D. Florianus de Perusio mon. nost. cong.

xii. O D. Angelus sac. & mon. nost. & D. Martinus de Labrutio mon. nost. cong.
O Bartholomæus com. nost.

xiii. O D. Johannes mon. nost. cong. & D. Bene mon. nost. cong.
O Paulus conv. nost.
O D. Floridus de Castello mon. nost. cong.
O *D. Johannes Maria prior sancti Christophori de Monte-filitrano* 1551.

xiv. O Manerius mon. nost. congr.

xv. O D. Bene abbas Campi-regii mon. nost.
O D. Johannes prior sancti Leonardi mon. nost. cong. & D. Archangelus de Pregio mon. nost. 1448.

xvi. O D. Thomas mon. & D. Matthæus abbas sancti Cassiani mon. nost. cong. 1498.
O D. Paro prior sancti Salvatoris de Fano mon. nost. cong.

xvii. O D. Acto mon. nost. cong.
O D. Philippus episc. Nucerinus &
O D. Carus de Eugubio abbas sancti Ruffini Montis Salajolæ mon. nost.

xviii. O D. Johannes sac. mon. nost. cong.

xix. O D. Bonus mon. nost.
O D. Benignus de Cingulo prior sancti Superantii.

xx O D. Baregnus Perusinus mon. nost. cong.

O Ma-

O Magister Aginolus de Eugubio mon. nost. cong. 1484.
O R. P. D. Laurentius Accorambonus prior sancti Andreæ de Costacciaro.
XXI. O D. Augustinus de Saxoferrato plebanus sancti Andreæ mon. nost. cong. 1484.
XXII. O D. Tiberius mon. nost. cong.
O D. Bartolus de Cingulo prior sanctæ Mariæ Vallis-mergi mon. nost. cong.
XXIII. O D. Ubertus mon. nost. congr.
O D. Transimundus episcopus Senogalliensis mon. nost. cong.
O D. Antonius de Eugubio mon. nost. cong. 1493.
O *D. Johannes Maria de sancto Lupiditio prior sancti Egmidii de dicto loco mon. nost.* 1556.
XXIV. O D. Mallaldus mon. nost. cong.
O D. Hugo mon. nost. congr.
O *Franciscus de Padua mon. nost.* 1528.
XXV. O D. Fortis Eugubinus mon. nost. cong.
O D. Sancti mon. nost. cong.
O D. Lodovicus de Eugubio prior sancti Juliani de Firmo mon. nost. 1474.
XXVI. O D. Albertinus mon. nost. cong.
O *Rev. D. Petrus de Frontonio prior sancti Nicolai de Cornu sac. & mon. nost. congr.* 1544.
O *D. Maurus de Cisterna prior sanctæ Crucis de Monte Sancto & mon. nost.* 1557.
XXVII. O D. Johannes mon nost. congr.
XXVIII. O D. Hubertus mon. nost. cong.
O D. Gualterius prior sancti Bartholomæi de Fano mon. nost. cong. & D. Carolus de Fano mon. nost. 1500.
XXIX. O D. Alberus episcopus Calliensis com. noster.
O *D. Franciscus de Callio mon. nost. cong.*
XXX. O D. Andreas mon. nost. cong. & D. Johannes prior Volubrii mon. nost. cong.

OCTOBER.

I. OBIIT D. Ventura mon. nost. cong.
O D. Lodovicus Senis de Cingulo prior sancti Superantii 1467.
II. O D. Laurentius de Cornu mon. nost. congr.
O *D. Petrus de Serra prior sanctæ Mariæ Montis Filatrini mon. nost. cong.* 1543.
III. O D. Mariotus abbas hujus monast. 1419.
O D. Gualterius sac. & mon. nost.
O D. Hermannus mon. nost. congr.
IV. O D. Salvus prior heremi & D. Bonus conversus nost.
O D. Johannes abbas sanctæ Mariæ Coronaldi Foris portam.
O *D. Franciscus Saulus de Pergula sac. & mon. nost. cong.* 1555
V. O D. Johannes de Cingulo mon. nost. & D. Franciscus de Eugubio 1496.
VI. O D. Albertus & D. Ventura sac. & mon. nost. & D. Jacobus prior heremi sanctæ Crucis
O *Rev. & studiosus juvenis D. Cosmus de Baldutiis Pergulensis mon. & sac. nost. cong. & magister grammaticæ communitatis Pennæ* 1566
VII. O D. Rolandus abbas sanctæ Crucis de Saxoferrato mon. nost. cong.
O D. Martinus mon. nost. congr.
O *Illustriss. D. Camilla vidua de comitibus Curpii uxor quondam Johannis uxor Tosini colonelli cimetrialis* 1561.
VIII. O D. Guido Urbinensis episc. mon. nost. cong & D. Johannes mon. nost.
IX. O D. Fortis prior heremi mon. nost.

& D. Johannes de Fano episc. & mon. nost. congr.
O Rev. D. Johannes Franciscus de Saxoferrato protonotarius apostolicus com. nost. 1494.
X. O D. Tebaldus mon. nost. congr. & Magister Philippus com. nost.
XI. O D. Petrus abbas sancti Petri mon. nost. & D. Ventura mon. nost.
XII. O D. Benedictus sac. & mon. nost. & D. Johannes conversus nost.
XIII. O D. Guido episcopus Caliensis com. nost. & D. Baldus monachus.
O D. Antonius prior sanctæ Crucis de Exio mon. nost. cong. 1475.
O *D. Placidus Biagiolinus de Callio rector sanctæ Mariæ de plano Corinaldi sac. & mon. nost. cong.* 1565.
XIV. O D. Bernardus mon nost. cong. & D. Gentilis mon. nost. cong
XV. O D. Salvus mon. nost. cong.
XVI. O D. Mathia mon. nost. cong.
O D. Antonius de Sancto Severino prior sancti Jacobi de Monte-rado 1476.
O *D. Augustinus de Monte monico monichus nost. congr.*
O *Illustriss. Franciscus Maria Feltrius dux Urbini benefactor nost.* 1538.
XVII. O D. Luterius Lucerinus episcopus com. noster.
XVIII. O D. Bonus mon. nost. cong. & *Rev. D. Lodovicus Connaldus mon. nost. cong.* 1533.
XIX. O D. Benedictus Fulginensis episcopus mon. nost. cong.
XX. O D. Thomas mon nost. congr.
O Venerabilis frater Guido de sancto Hieronymo com. nost. M. CC. LXXX.
XXI. O D. Hugo mon. nost. congr. & D. Petrus Lombardus mon. nost.
XXII. O D. Nicolaus mon. nost. congr.
XXIII. O D. Geraldus mon. nost. congr. & D. Benedictus de Castignano mon
O D. Johannes-baptista de Castignano juvenis literatissimus mon. nost. cong. 1510.
XXIV. O D. Volinus de Gresolita mon. n. cong. & D. Johannes-baptista mon. nost.
XXV. O D Liberius abbas mon. nost. cong.
XXVI. O D. Ferri mon. nost. congr. & D. Superantius de Cingulo prior sanctorum Cosmæ & Damiani de Ancona mon. nost. cong.
XXVII. O Dux Federicus & marchio com. nost.
O *Rev. D. Cæsar Baldinus de Pergula sac. & mon. nost cong.* 1566.
XXVIII. O D. Bonacursus mon. nost. cong.
O *D. Benedictus sancti Laurentii* 1530.
XXIX. O D. Rainaldus mon nost. cong. & Zontulus Masi familiaris nost.
O *Illustrissima D. Maria Strozzi Florentina* 1563.
XXX. O D. Bencevenne mon. nost. cong. & D. Berardus mon. nost. congr.
XXXI. O D. Gentilis mon. nost. cong.

NOVEMBER.

I. OBIIT D. Blasius mon. nost. congr.
II. O D. Johannes sac. & mon. nost. congr.
O *D. Constantinus de Saxoferrato sac. & mon. nost. cong.* 1564.
III. O D. Albericus mon. nost. congr.
IV. O Nicola com. nost. & D. Ubaldus de Callio mon. nost. 1518.

O D. Jacobur de Eugubio prior sancti Laurentii de Pedona 1491.
v. O D. Moricus & D. Gayta conversa hospitalis de Eugubio.
vi. O D. Petrus mon. nost. congr.
O Illustrissimus D. Johannes de Ruvere dux Soræ & Urbis præfectus devotus & benefactor nost.
vii. O D. Aaronus mon. nost. cong. & D. Hugo mon. nost. cong.
O *D. Bernardinus Gambetta de Saxo-ferrato mon. nost. cong-* 1566.
viii. O D. Johannes episcopus de Ancona com. nost.
ix. O D. Gerardus prior heremi mon. nost. cong.
x. O Episcopus Firmanus com. nost.
O D. Bartholomæus de Frontono mon. nost. cong.
xi. O Bruchus sac. & mon. nost. cong.
O Guinolus de Exscolo com. nost.
xii. O D. Salimbene sac. & mon. nost. cong.
O D. Johannes de Pergula mon. nost. congr.
O Marcus de Cantiano conv. nost. 1502.
xiii. O D. Dominicus mon. nost. cong.
O D. Phasius de Fabriano ptior sanctorum Cosmæ & Damiani de Ancona mon nost. 1518.
O D. Bartholomæus de Egubio prior sancti Juliani de Firmo 1463.
xiv. O D. Petrus Laurentius de Callio mon. nost. congr. 1506.
O Hubertus mon nost. congr.
O D. Marlettus de Eugubio abbas sanctæ Mariæ de Cur . . . ta 1497.
O D. Fedricus mon. nost.
xv. O D. Hugo sac. & mon. nost. cong.
O D. Fredericus de Callio prior Cellæ-januarii sac. & mon. nost. cong. 1509.
xvi. O D. Benedictus mon. nost. cong & D. Evangelista de Pedona mon. nost. cong.
O *Silvester Surdus famulus nost.* 1544.
xvii. O Petrus mon. nost. congr.
O D. Philippus prior sanctæ Crucis de Asculo, qui erat electus prior claustralis hujus loci 1510.
xviii. O Johannes mon. nost. congr. & D. Transmundus mon. nost. congr.
xix. O Reverendissimus D. Bizarion cardinalis commendatarius nost. 1472.
O D. Petrus nost. commissus & Saracenus de Monte Baraceli com. nost.
xx. O Magister Matthæus com. nost. & D. Philippus mon. nost. cong.
xxi. O D. Bonacursus mon. nost. congr.
O *Illustrissima D. Johanna Feltria Senogalliæ prophetissa devota nost.* 1513.
xxii. O D. Salvus prior sancti Juliani de Cæsena mon. nost. cong.
O D. Bartholomæus mon. nost. cong. 1476.
xxiii. O Marianus mon. nost. cong.
xxiv. O D. Guido mon. nost. cong. & D. Benedictus mon. nost. cong.
xxv. O D. Machabrinus sac. & mon. nost. cong.
xxvi. O D. Albricus judex mon. nost. cong.
O D. Philippus de Firmo mon. nost. cong.
O D. Petrus Antonius prior sancti Blasii de Monte-buturlo.
O *Rev. Johannes Gregorius de Callio mon. nost.* 1549.
O *Rev. D. Paulinus de Monte Ajate sac. & mon. nost. cong.* 1566.
xxvii. O D. Ubaldus prior sanctæ Mariæ, & Transmundus episc. mon. nost.
xxviii. O D. Marianus mon. nost. cong.
O D. Antonius de Eugubio mon. nost. cong.
xxix. O D. Orenenne conv. nost.
O D. Petrus sac. & mon. nost. cong.
O *D. Felix prior sancti Blasii de Serra sac. & mon. nost. cong.* 1507.
xxx. O D. Berardus mon. nost. cong.

DECEMBER.

i. OBIIT D. Johannes sac. & mon. nost cong.
ii. O D. Johannes sac. & mon. nost. cong.
iii. O D. Johannes de Rodulpho sac. & mon. nost. cong.
O *Paulus Slavus famulus nost.* 1512.
iv. O Stephanus sac. & mon. nost. cong.
v. O Acto sac. & mon. nost. cong.
O D Galspede conversus nost.
vi. O D. Johannes sac. & mon. nost. congr.
O D. Leonardus sac. & mon.
vii. O D. Martinus mon. nost. & D. Baldellus mon. nost. cong.
O D. Franciscus Abrutinus conv. nost.
viii. O D. Mainardus Eugubinus ep. m. n. c.
O D. Martinus de Callio abbas sancti Angeli de Sorticulo mon. nost. 1474.
O D. Philippus Lippucci prior ecclesiæ sanctæ Crucis mon. nost. cong.
O *D. Fredericus de Forcatello prior sanctæ Mariæ de Turquiniano mon. nost. cong.* 1550.
ix. O D. Petrus mon. nost. cong.
x. O D. Thaddæus mon. nost. cong.
xi. O D. Abrazolus com. nost.
xii. O D. Rigus sac. & mon. nost. cong.
xiii. O D. Bozo & D. Daniel mon nost. congr. Vincentius famulus nost.
xiv. O Hugolinus & Rodinus episc. Asculanus com. nost.
xv. O Agnes imperatrix & D. Rainaldus mon. nost. congr.
xvi. O Richardus sac. & mon. nost. congr. & D. Bonacursus sac. & mon. nost.
xvii. O D. Petrus abbas mon. nost. cong.
O D. Franciscus Teutonicus prior sancti Jacobi de Monte-rado mon. nost. cong. 1484.
. . . .
xix. O Pandulphus de Aptis mon. nost. cong.
. . . .
. . . .
xxvii. O Nicolaus Fulginas mon. nost. cong.

NECROLOGIUM GALEATENSE

Abbatiæ sancti Hilari in Æmilia.

Ex codice seculi XII. bibliothecæ Fontis-boni.

JANUARIUS.

kl. Jan. OBIIT Johannes conv. & mon. & Cappa conv. frater nostr.
iiii. non. O Mannus conv. Johannes conv.
non. O Martinus frater nost.
O Berta conv. de Besurce soror nost.
O Dompnus Ubaldus monachus atque abbas A. D. M. cc. lxii.
viii. id. O Rabertus conv. & mon., & Ramfredus presbyter & mon.
iiii. id. O Johannes conversus presbyter & monachus.
ii. id. O Johannes presbyter & monachus. Henricus presbyter conversus.

idus

idus O Cechus converſus frater noſt.
xviii. kl. O Ricardus presb. & mon., & Rigolus conv. frater noſt.
xvii. kl. O Druda converſa.
xv. kl. O Ugo mon. & Levita & Benno mon. O Dompnus Benfactus mon. & levita M. cc. lxxxxiii.
xiiii. kl. O Johannes conv. & mon.
xiii. kl. O Guido mon. & levita.
xii. kl. O Vitalis mon.
x. kl. O Berundone conv. & frater noſt.
viii. kl. O Donnus Ugo monachus & levita frater noſter.
vii. kl. O Wido levita & mon.
vi. kl. O Pariſius conv. frater noſt.
v. kl. O Eppo presb. & mon. atque abbas.
iii. kl. O Candolfinus conv. frater noſter M. cc. lxxii.
ii. kl. O Venerabills Po. . . . presb. & mon.

F E B R U A R I U S.

kl. OBIIT Ildeprandus presbyter & mon.
iv. non. O Johannes conv. & mon. & Johannes conv. & mon.
iii. non. O Petrus conv. & mon.
non. O Premitellus fr. noſt. M. c. xciii.
vii. id. O Petrus presb. & mon. atque abbas, conv. fr. noſt. de medietate medii.
vi. id. O Manfredus conv. fr. noſt. & Guilielmus conv. mon. & presb. fr. noſt.
O Guido presb. & mon. atque abbas Vultræ.
id. O Anni Domini M. c. xcv. Ricolus conv. fr. noſt.
xv. kl. Piccola ſoror noſtra. M. cc. iiii. fuerunt terræmoti magni in Galliata ſive per alia loca.
xiiii. kl. O Rodulphus conv. & mon.
xiii. kl. O Johannes acolytus.
O Dompnus Clarius fr. noſt. M.cc.lxxx.
xii. kl. O Johannes presb. & mon.
xi. kl. O Zonatinus. O Donna Jena commiſſa.
x. kl. O Drudolus comitiſſe conv. mon. ſancti Yllari.
vii. kl. O Leo presbyter & mon., & Rainerius.
v. kl. O Gervaſinus de Melleto, pro cujus anima habemus medietatem caſtri de Melleto, cum omnibus mobilibus & immobilibus, quæ ſibi perrinebant.
iiii. kl. O Pilizone, qui ſtabat ad hoſpitale commiſſo.
iii. kl. O Vivianus presbyter & mon.
ii. kl. O Dominicus conv. & mon.

M A R T I U S.

kl. OBIIT Johannes de Saſno & uxor ejus.
O Aldobrandus presb. & mon.
vi. non. Vitalis de Biturab.. noſter familiaris.
v. non. O Gaſdia uxor Johannis Xapeti M. c. xcv. Corbo de Meleto mon.
iiii. O Bertus conv. & mon.
iii. O Ventura presbyter & mon.
ii. non. O Vitalis.
non. O domnus Gregorius presbyter, mon. atque abbas.
vii. id. O archipresbytet Bolgaro ſancti Zenonis A. D. M. cc. liiii.
O Fuſcho monachus.
vi. id. O Semorellus conv. & mon.
iv. id. O Gerardus presb. & mon.
Johannes presb. fr. noſt.

iii. id. O Petrus presb.* & Novollia.
ii. id. Anda converſa.
id. O Donatus presb. & mon.
Hugo converſus & frater noſt.
xvii. kl. Johannes presb. & mon.
xv. kl. O Zaulo de Raynaldo conv. fr. noſt. A. D. M cc. xl.
xiiii. kl. O Urſo presb. & mon. atque abbas.
Ugoziſſo conv. fr. noſt.
O Dompnus Palmerius presb. & mon. hujus loci.
xiii. kl. O Milo conv. & mon.
Guido de Livigilana mon. fr. noſt.
Planectolus converſus.
Guido Orlandini de Capacio donavit nobis omnia ſua bona. Rogetur Deum pro anima ſua.
xii. kl. O Andreas presb. & mon., & Leucius ſubdiac Ricardus presb. & mon., & donnus Placitus mon. fr. noſt.
x. kl. O Leo presb. & mon.
viiii. kl. O Ubertus diac. fr. noſt.
O Bella Flora conv.
viii. kl. O Martinus presb. & mon., & Berandus, & Benciviene ſamiliaris & Peppulinus conv.
vii. kl. O Johannes presb. & mon., & Benedictus conv. & mon. Guinildus frater noſter, & Winildus conv. & mon.
vi. kl. O Gerardus presb. & mon.
v. kl. O Benno acolytus & mon.
O Dominus Johannes de Galiada, pro cujus anima habemus calicem argenteum & quaſdam poſſeſſiones. M. cc. xxx.
O Alpiſana commiſſa ſoror noſtra.
iiii. kl. O Martinus presbyter & mon. atque Mauritius conv.
O Rugerius abbas Vultræ.M.cc.lxxxviii.
iii. kl. O Guilielmus mon. fr. noſt.
ii. kl. O Bernardinus archipresbyter plebis Galiatæ.

A P R I L I S.

kl. OBIIT Zavarella converſus frater noſter.
iiii. non. O Arnaldus ſubdiaconus frater noſt.
iii. non. O Johannes presb. & mon. A. D. M cc. vii. abbas Benedictus tunc renuntiavit cœnobium ſancti Illari.
ii. non. O Petrus conv. & mon. & Rodulfus prior & mon.
viii. id. O Ylarius presbyter & mon., & Guilielmus de Marturio frater noſter, & Drudo de Suaſia, pro quo habemus quartam partem caſtri Soaſiæ.
vii. id. O Gerardus conv. & mon.
Berardns de Beſorco presb. & conv.
vi. id. O ven. abbas domnus Maſſarius ſub A. D M. cc lviiii.
v. id. O M. c lv. Ruſticus presbyter & monachus atque abbas hujus cœnobii in die vii.
iiii. id. O Rambertus converſus & monachus, & Johannes notarius noſter familiaris & commiſſus.
iii. id. O Redulphus converſus.
ii. id. O Petrus presbyter.
id. O Johannes P . . . lianus converſus.
xvi. kl. O Johannes presbyter & monachus atque prior.
xv. kl. O Dominicus presbyter & monachus & Johannes presb. & mon. atque prior.
xiiii. kl. O Fuſcardus converſus & monachus & Imilia converſa.
x. kl. O Letus frater noſter & Pritellus de

Manturio converſus frater noſter. M. cc. XXVIII.

VIIII. kl. O Bonizo presb. & monachus noſtræ congregationis.

VIII. kl. O Johannes presb. & monachus, & Mainfredus presb. & monachus.

VII. kl. O Petrus monachus & levita frater noſter.

VI. kl. O Johannes abbas, presb. & monachus.

V. kl. O Guido monachus noſter, & dompnus Dominicus presb. monachus & frater noſter.

IIII. kl. O Johannes presb. & monachus.
O Ugolinus converſus frater noſter.

II. kl. O Bonamicus monachus frater noſter.

M A J U S.

Kal. OBIIT Guiziardus converſus frater noſter.

V. non. O Leo presb. monachus frater noſter.

IIII. non. O Johannes presbyter & mon.

III. non. O Petrus archipresbyter de Galiada frater noſter A. D. M. c. XCVI.

II. non. O Maria ſoror noſtra & domina Rachyſilima converſa ſoror noſtra.

non. O Verdolotus converſus.

VI. id. O Ruſticus converſus & monachus.

IIII. id. O Ravenno converſus & monachus.

II. id. O Oliverius Gorgenſis abbas. Donatus presbyter & monachus, presbyter Rainerius, Rodulſus Zetieza frater noſter A. D. M. cc. XIII.
O Magalottus converſus eccleſię ſancti Felicis de Beſurca frater noſter.

id. O Johannes clericus & monachus.
Donatus presbyter & monachus.
Johannes presbyter, Rambertus ſubdiaconus.
Vitalis converſus noſter.

XVI. kl. O Dompnus Benedictus monachus hujus loci.

XIIII. kl. Stephanus presb. & monachus.

XIII. kl. O Benno presbyter & monachus.
Nigribonus commiſſus frater noſter.

XV. kl. O Mainfredus presb. & monachus.

VII. kl. O Stephanus presb. & monachus M. cc. XXVI.

V. kl. O Rainerius converſus & monachus & Malecarnatus.

IIII. kl. O Johannes presbyter & monachus.

III. kl. O Gaſdia converſa ſoror noſtra.

II. kl. O Leo presb. & monachus.

J U N I U S.

IIII. non. OBIIT Comes Ugo.

II. non. O Leutius presb. & monachus.

non. O Fuſcolus de Porticu familiaris noſter.

VIII. id. O Albericus acolytus & monachus.

VI. id. O Gerardus converſus & monachus.

III. id. O Ugo converſus & monachus.

id. O Giſo converſus & monachus. Domnus Lambertus abbas.

XVIII. kl. Johannes mon. & ſacerdos hujus monaſterii, & Ugo abbas de Saxo frater noſter.

XVII. kl. O M. c. XCV. Rambertino monachus & frater noſter.
O Raimundus converſus frater noſter M. cc. XV.

XV. kl. M. CXV. Rainerius monachus & ſacerdos.

XIIII. kl. O Enricus Cæſenæ canonicus, pro cujus anima habemus calicem argenteum.

XIII. kl. O Daniel presb. & monachus.

XII. kl. O Dompnus Ugolinus presb. & monachus frater noſtrum apud Biſorcam.

XI. kl. O Mar.... presbyter & monachus.

VIIII. kl. Andreas presb. & monachus, & Johannes converſus & monachus.

VIII. kl. O Bonizo presb. & monachus.

V. kl O Placitus mon. & levita frater noſt.

IIII. kl. O Johannes converſus & levita frater noſter archipresbyter, & Johannes Scarſus frater noſter, Ruſticellus de Guinizo converſus noſter.

J U L I U S.

Kal. OBIIT Dompnus Gregorius monachus frater noſter.

VI. non. O Johannes converſus frater noſter apud Biſurcam.

III. non. O Johannes presb. & monachus frater noſter M. cc. VII.

VIII. id. O Teutius presb & monachus, & Lantin... converſus M. cc. XLV.

VI. id. O Benedictus puer.

XVII. kl. O Gregorius presbyter & monachus frater noſter, Jacubuzinus familiaris noſt.

XV. kl. O Johannes ſubdiaconus & monachus.
Presbyter Ventura de Hoſpitale Ubaldo.

XIII. kl. O Statadeus converſus.

X. kl. O Dompnus Gaudentius presb. & converſus frater noſter.

VIIII. kl. O Pagano converſus.
Guido commiſſus de Beſorca.

VIII. kl. O Presbyter Martinus frater noſter.

VII. kl. O Ambroſius presb. & monachus.

V. kl. O Johannes presb. & monachus.

IIII. kl. O Ugo abbas frater noſt. Guinizollo, Martinus converſus frater noſter.

III. kl. O Ubertus presbyter & monachus.
Ruſticus converſus frater noſter.

II. kl. O Ugo presbyter & monachus & Bolognetta ſoror noſtra.

A U G U S T U S.

IIII. non. ACTIBUS & pariter quoque nomine nec minus alti,
Natus Becconi magiſtri fuit ille Guizonis,
Alburge clare Rabiorum imperat...
Hoc obiit domnus monachus Petrus & pater hujus.

III. non. O Bonizo presbyter & monachus.

II. non. O Gregorius presbyter & monachus frater noſter M. cc. LII. Vultræ.

non. O Wido.

VIII. id. O Petrus presb. & monachus frater noſter.

VI. id. O Johannes presb. & converſus frater noſter.

V. id. O Bonhomo converſus & frater noſter.

IIII. id. O Domina Mantrida uxor Girardi de Zeneſe.

III. id. O Braimanus abbas ſancti Domnini diaconus, & monachus frater noſter.

II. id. O Gibertus Tedericus presb. & monachus.

id. O Rainerius monachus & ſubdiaconus.

XVIIII. kl. O Ruſticus frater noſter.

XVIII. kl. O Amadeo presb. & monachus.

XVII. kl. O Paganellus converſus frater noſter.
Domnus Manfredus frater noſter & abbas commiſſo.

XVI. kl. O Martinus presb. & monachus.
O Bella benefactrix noſtra.
O Guillia ſoror noſtra.

XV. kl. O Guilielmus presb. & monachus frater noſter.

xiiii. kl. O Petrus presb. & monachus. Viandante noster conversus plebe sancti Genonis sepultus est. Imildina conversa soror nostra.
xiii. kl. O Crisolus frater noster.
xii. kl. O Petrus conversus & monachus, & Turbalost villicus & commissus.
xi. kl. O Petrus archipresbyter sancti Genonis frater noster M. c. lxxxviii.
x. kl. O Unganus presbyter & monachus. Domnus Bonacursus prior.
vii. kl. O Ricardus presbyter & monachus. Martinus presbyter & monachus frater n.
v. kl. O Andreas presbyter. Dompnus Benignus abbas sancti Ypoliti. Dominus Johannes archipresbyter plebis Galliatæ frater noster.
iiii. kl. O Andulfus presb. monachus. Lugarelus conversus noster.
iii. kl. O Dompnus Zunta presb. & monachus frater noster, apud Biforcam M. ccc. i.
ii. kl. O Dompnus Guido monachus atque abbas M. cc. lxv.

S E P T E M B E R.

Kl. OBiit Azzo & Gisla soror nostra. 1374. O Dompnus Petrus de Marchia prior Poplenæ de Prato-veteri.
iii. non. O Peppus conversus frater noster.
ii. non. O Paganellus conversus frater nost.
non. O Grisolfus presb. & monachus, & Burga soror nostra.
viii. id. O Domnus Mar..... presbyter, & monachus, atque abbas.
O Donnus Albricus monachus frater noster abbas sanctæ Mariæ in Castello.
vii. id. O Benedictus monachus frater noster.
vi. id. O Dompnus Girardus abbas monasterii de Castello.
v. id. O Gilemo Gifso.
iii. id. O Grisolfus presbyter & monachus. Rambaldus abbas.
ii. O Dominicus conversus & monachus, Ugo presbyter & conversus frater noster. Frater Martinus.
id. O Johannes venerabilis abbas hujus loci M. c. xc.
Abbas hic primus Galiatę non bene scimus.
Jam Dominus dicit ve hierarchis quamque benign..
Scribere dextra nequit bona, quæ pater ille peregit.
Virgilius nec Homerus, Tullius atque Esop.....
.. primus Demostenes talis habetur.
Ut brevius dicam mortalis nullaque lingua.
Plurimoque tempore dominum Galiata præesset.
Quem genuit dominum tenuit, nequitque....
.. cunctisque potentibus......
xviii. kl. O Bonizo conversus. Donnus Griphus monachus & levita M. cc. iiii.
xvii. kl. O Pi.. tellus conversus frater noster.
xvi. kl. O Dompnus Bartholus monachus atque abbas Vultræ M. cc. lxvii.
xv. kl. O Dominicus conversus & monachus, & Johannes monachus. Andulfus presb. & monachus.
xiiii. kl. O Johannes conversus frater noster. Donnus Jacobus abbas Vultræ frater nost.
xiii. kl. O Johannes conversus frater noster.
xii. kl. O Petrus presb. & monachus.
vii. kl. O Presb. Petrus conversus frater nost.
iiii. kl. O Domnus Wilielmus frater noster presbyter & monachus M. cc. xx.
iii. kl. O Vitalis presbyter & monachus & Urso presbyter & monachus & Fuscardus conversus & monachus.

O C T O B E R.

kl. OBiit Bondie conversus & monachus. Bonacorsius conversus, qui obiit ad canipam de Reneto, & Johannes conversus, & Johannes conversus frater noster & alii.
vi. non. O Mingarda soror nostra & Caval. cante. M. cc. xxii.
v. non. O Henricus presbyter conversus frater noster.
iiii. non O Presbyter Petrus frater noster, & Flordiemma conversa soror nostra.
iii. non O Ravenn. conversus & monachus.
ii. non. O Posterius conversus Presbyter Albertus.
viii. id. O Giso presbyter & monacus.
iiii. id. O Druda soror nostra.
Pridie id. O Donnus Rodulfus abbas monachus frater noster M. cc. l. Donnus Jacobus presbyter & monachus M. cc. xlii. Rigitus villicus & familiaris noster M. cc. xlv.
xv. kl. O F. Fulcerius M. cc. liiii.
xii. kl. Bonizo conversus & monachus. Domnus Benedictus abbas sanctæ Mariæ in Castello frater noster A. D. M. ccc. iii.
x. kl. O Albertus presbyter & monachus frater noster.
viiii. kl. O Dominicus presbyter & monachus.
vii. kl. O Andreas & monachus & diaconus.
O Zeverius nepos Domni Benedicti abb.
vi. kl. O Benedictus abbas hujus monasterii.
iii. kl. O Dompnus Johannes presbyter & monachus de sancta Mustiola M. cc. lxii.

N O V E M B E R.

Kl. OBiit D. Johannes subdiaconus & monachus nostræ congregationis. O Rusticellus conversus frater noster.
ii. non. O Ugo presbyter & monachus.
ii. id. O Donnus Urlandus presb. & monachus nostræ congregationis M. cc. iiii.
O Dompnus Amadeus presbyter, & monachus istius loci apud ecclesiam sancti Felicis de Bisurco frater noster A. D. M. ccc. viii.
xvii. kl. O Andreas presbyter & monachus, & Dominicus presbyter & monachus atque abbas, & Johannes conversus & monachus.
xvi. kl. O Berardolus conversus & frater noster Sezo sepultus.
xv. kl. O Petrus conversus & monachus.
xiiii. kl. O Benedictus presbyter & monachus.
xii. kl. O Boninus presbyter & monachus.
viiii. kl. O Mar... presbyter & monachus.
viii. kl. O Johannes conv. & mon. Johannes presbyter & monachus.
vi. kl. O Costantinus presb. & monachus.
ii. kl. O Ventura familiaris noster.

D E C E M B E R.

Kl. OBiit Johannes de Benno conversus & monachus.
ii. non. O Fulco abbas, presb. & monachus. O Magister Johannes notarius hujus loci M. ccc. ii.

VIII. id. O frater episcopi.
VII. id. Anniversarium omni anno in festivitate sancti Zenonis cum vigiliis & Missis in perpetuum pro Domino Aimirico de Ripetroso, & ejus uxore Domina Nicholuta, quia recepimus eos ad nostras orationes.
VI. id. O Burenio de Massa sancti Ylari, & Johannes presbyter & monachus.
V. id. O Baldamantus conversus frater nost.
IIII. id. O Domina Gisila soror Domni Rodulfi abbatis istius monasterii.
II. id. O Melior conversus frater noster.
id. O Presbyter Morandus.
XVI. kl. O Ubertellus conversus frater noster.
XIII. kl. O Domina Mambilia soror nostra.
O Dompnus Drudo monachus atque abbas Vultræ A. D. M. cc. LXXXXVIIII.
XII. kl. O Mar... presbyter & monachus.
O Peppolus Quartapanis M. cc. LXXIIII.
O Presbyter Anemigna de castro Planeti.
XI. kl. O Johannes coversus & monachus.
O Rainerius presb. & conversus.
O Ysnardus presbyter & monachus.
VIIII. kl O Donnus Tetaldus monachus atque abbas Vultræ.
VIII. kl. O Wido monachus & Levita.
O Gasdia conversa & soror nostra.
VII. kl. O Johannes presbyter & monachus, & Leo & Grimualdus presbyteri & monachi, & donna Bulgara soror nostra.
VI. kl. O Grimaldus presb. & monachus & Petrns de domna.
V. kl. O Martinus archipresbyter & monachus frater noster.
III. kl. O Piperellus conversus frater noster.

NECROLOGIUM CARCERENSE

SIVE

Monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus diœcesis Patavinæ.

Ex codice monasterii S. Michaelis de Muriano.

JANUARIUS.

MD. XXXXIV. die XXV. O Reverendiss. P. D. Parisius de Tarvisio, qui fuit abbas Carcerum annos novem, bis totius ordinis generalis, sepultus est in claustro ante januam ecclesiæ.

FEBRUARIUS.

Die I. Mcccc. VIII. O Azo Estensis marchio.
XVII. M. cc. LXIIII. O Azo Estensis marchio.
XVIII. M. cc. LXXXXIII. O Opizo Estensis marchio.
XXIIII. M. cc. XXXII. Consecratio altaris sancti Blasii.
VII. M. c. LXXX. Reverendiss. D. Geratdus ep. Paduæ donavit omnes decimas paludis de Baone.

MARTIUS.

Die VIII. Mcccc. VIII. Hodie venit abbas sancti Michaelis de Murano de Venetiis in hoc monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus ad possidendum pro parte papæ Gregorii XII. qui transtulit prædictum monasterium de ordine sancti Augustini ad ordinem Camaldulensem juste, & sancte, quia non erat in eo, qui officia divina perageret; erant enim tres fratres, unus sacerdos & alter diaconus, qui quotidie cum canibus & nisibus sive nisis, & sparbetis discurrebant per campos & villas, tertius vero conversus laborabat cum aratro sicut secularis, quod minus erat peccatum.
XXV. M. ccc. XXXXII. Montagnana tota combusta est per Dei flagellum.
XXV. O Reverendiss. D. Johannes episcopus Paduanus.
XXVII. Consecratio hujus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Carceribus.
XXVIII. M. ccc. XXXXV. O D. Ubertinus de Carraria dominus generalis civitatis Paduæ.

APRILIS.

Die II. Mcc. XXXXII. Monasterium Carcerum combustum est.
III. M. ccc. XXXIX. O Reverendiss. D. Jacobus Paduanus episcop.
III. M. D. V. O Reverendiss. D. Dominicus Boldù abbas Carcerum, & commendatarius sanctor. Petri & Firmi de Este. Obiit Paduæ, & sepultus est in sacristia sancti Michaelis de Muriano.
XIII. M. ccc. LXXXXIX. Reconciliata fuit ecclesia sanctæ Mariæ Carcerum. Consecratum fuit dicta die altare B. Catharinæ V. & M. in quo sunt reliquiæ infrascriptæ: De velo B. M. V., de ligno Crucis Jesu Christi; de Innocentibus; de undecim millia Virginibus; de sancto Marco evang.; de sancto Georgio; de sancto Benedicto, & qui visitaverit dictum altare in die suæ consecrationis habebit de indulgentia ccc. LXXX. dies.
XIII. M. cccc. XXXVI. Tempore Rev. P. D. Francisci de Sandellis abbatis Carcerum reconciliata fuit ecclesia S. M. Carcerum cum cœmeteriis suis per Reverendissimum D. Franciscum episcopum Ciensem.
XXII. M. cccc. XXXIX. Omnes monachi & conversi una cum bubulcis nu. XXIV. occasione bellorum coacti fuere desserere monast., & se recipere in civitate Paduæ, & secum omnia asportare usque ad campanam magnam. Quo tempore habuerunt inimici castrum Leniaci, castrum Baldum, Lonigum, & totam planitiem usque ad montes Vincentinos. Eo anno monasterium amisit omnes decimas Montagnanæ, & pene omnes alios introitus.
IV. O D. Bonifacius marchio.
XI. M. .. LXXXIV. O Albertus marchio.
die ultima M. cc. LXXX. O Rev. P. D. Jacobus prior Carcerum.

MAJUS.

Die II. Mccc. XXXXV. Combusta fuit roccha Montis-silicis in una hora

ra per septem sagittas tonitrui per Dei flagellum.

IV. M. CCCC. XXVIII. Per Rev. P. D. Franciscum de Sandellis primum abbatem hujus monasterii primus lapis positus fuit in fundamento domus fratrum sanctæ Mariæ de Battudis apud ecclesiam sancti Francisci de Este.

XVII. M. CCCC. XXVII. O Rev. P. D Jacobus Rizo de Parentio prior hujus monasterii, cui successit Rev. P. D. Franciscus de Sandellis.

XXI. M. CC. LXXXXV. O Reverendiss. D. Bernardus episcopus Paduanus.

VI. M. CCC. XXXXV. Decollatus fuit D. Marsilius Papafava hora IV. noctis, qui regnavit quadraginta dies post D. Ubertinum de Carraria in civitate Paduæ.

XIIII. M. C. LXVIIII. O Rev. P. D. Dominicus prior Carcerum.

JUNIUS.

Die XVI. M CC. LXVIII. O Magister Bartholomæus de Mantua, pro quo debet fieri annuale.

XVII. M. CC. XXVIII. O Bonifacius marchio fil. Opizonis marchionis de Este.

XXI. M. CCCC. V. O Rev. P. D. Petrus prior Carcerum & vicarius generalis domini episcopi Paduani.

XII. M. CC. LVI. O Rev. P. D. Zavarisius prior Carcerum.

XIIII. M. C. XXXXIIII. Sanctissimus & Reverendiss. D. D Bellinus episcopus Paduanus donavit D. Dominico priori canonicæ sanctæ Mariæ a Carceribus tres portiones omnium decimarum in amplis de Scudasia, ut videre est in charta donationis subscripta per eumdem sanctum Bellinum & totum capitulum cathedralis Paduæ. Rogatus Ginanius notarius.

JULIUS.

Die X. M CC. O Reverendiss. D. Pistor prior Carcerum & episcopus Vincentinorum.

XVIII. M. CCCC. XXVIII. Mutatus fuit titulus prioratus sanctæ Mariæ de Carceribus in dignitatem abbatialem per sanctiss. D. N. papam Martinum & primus abbas fuit Reverendiss. P. D. Franciscus de Sandellis, qui hoc impetravit, & executor literarum apostolicarum fuit Reverendiss. D. Antonius archidiaconus Vincentinus.

XXV. M. CCCC. XXV. O Illustriss. & Reverendiss. D. Cardinalis Laudensis, cui monasterium hoc Carcerum tempore Rev. P. D. Jacobi Rizo de Parentio prioris solvebat pensionem ducatorum CCXXX. tempore vero Rev. P. D. Francisci de Sandellis prioris, qui immediate successit eidem D. Jacobo, solvebat pensionem ducatorum CCCX. defuncto vero Reverendiss. cardinali idem D. Franciscus liberavit monasterium a pensione non sine magna pecuniarum quantitate.

IX. M. CC. XXXXIII. Comes Bonifacius de Panigo decollatus est a Galvano vice imperatoris Frederici in civitate Paduæ.

XII. M. CC. XXXV. Azo marchio Estensis donavit decimas Gadii & Vighizoli.

AUGUSTUS.

Die IV. M CC. XV. O Reverendiss. D. Gerardus episcopus Paduanus, qui contulit huic ecclesiæ sanctæ Mariæ de Carceribus ecclesiam sancti Salvatoris, ecclesiam sancti Johannis de Vighizolo, & decimam de Cavallile & decimam Baonis.

XI. M CC. LXXXXIIII. O Reverendiss. D. Ottolinus Adriensis electus, qui fuit canonicus Carcerum.

XIX. O Azolinus marchio.

IIII. M. CCCC. XXI. O Rev. P. D. Angelus prior Carcerum.

SEPTEMBER.

Die VII. M CC. XXXX. Decollatus fuit D. Alidutus, qui advocatus dicebatur a D. Thebaldo Francisco vicario imperatoris in civitate Paduæ.

OCTOBER.

Die IIII. M CCCC. XCV. Reverendiss. P. D. Petrus Boldù de Venetiis obiit Paduæ & fuit abbas in hoc monasterio per annos LI. sepultusque est in sacristia sancti Michaelis de Murano, in quo monasterio erat professus.

Dicta die Rev. P. D. Dominicus Boldù dicti D. Petri ex Michaele fratre nepos, & per cessionem & renuntiam dicti D. Petri effectus abbas Carcerum emisit suam professionem.

VII. M. CCCC. XXIII. Sagitta fulguris projecit Crucem cum fano campanilis Carcerum in pomerium hora secunda noctis vigiliæ sanctæ Justinæ cum maximo tremore omnium fratrum.

X. M. CC. XV. O Aldevrandinus marchio.

XII. M. CCC. XIII. O Rev. P. D. Paulus prior Carcerum, qui vixit in prioratu annis XXXIII. mensibus IIII. & diebus XII.

XV. M. C. XXXX. O Rev. P. D. Fabianus primus prior Carcerum.

XVII. O Reverendiss. D. Senebaldus episcopus Paduanus.

XXIII. M. CCC. LXXIX. O Rev. P. D. Franciscus prior Carcerum.

Die ultimo M. D. XXXVIII. O Rev. P. D. Jacobus de Villafora monachus Carcerum fuit in commisso adeo fidelis, ut vitæ periculo pro defensione hujus abbatiæ in Romana curia subjaceret; tandem propriis expensis anno M. D. XXXVII. illam ab Illustriss. & Reverendiss. D. Marino Grimano cardinali S. R. E. atque Carcerum commendatario liberam accepit Obiit in loco sancti Salvatoris, sepultusque est in abbatia Carcerum post altare majus.

NOVEMBER.

Die II. MCCC. LII. O Reverendiss. D. Ildebrandus episcopus Paduanus.
V. M. CC. XXVIII. O Reverendiss. D. Jordanus episcopus Paduanus, qui dedit monasterio Carcerum ecclesiam sancti Michaelis de Padua.
XII. M. D. VI. O Rev. P. D. Paulus Boldu prior Montis Crucum, & hospitalis sancti Danielis de Padua.
XVIII. M. CC. XII. O Azo Marchio Estensis.
XVIII. M. CCCC. V. Veneti intraverunt in civitate Padua, & eam possederunt cum omnibus pertinentiis suis.
XXIII. M. CCC. XXIIII. O D. Jacobus de Carraria.
XXII. M. CC. XII. O Comes Bonifacius de Verona.
XXVI. O Sanctiss. & Reverendiss. D. Bellinus episcopus Paduanus, qui obtulit monasterio Carcerum decimas novalium Scodasiæ, ecclesiam sancti Andreæ de Cortarudolo.

DECEMBER.

Die III. MC. II. D. Sophia Comitissa uxor Azonis Marchionis.
V. Consecratio altaris sancti Joannis, sancti Petri & sancti Laurentii.
XIIII. O Fulco Marchio, & ejus filius Fulcolinus.
XVI. M. CCC. XXXXI. O Rev. P. D. Johannes prior Carcerum.
XXV. M. C. XC. IIII. O Opizo Marchio.
XIX. M. CC. XXIIII. O Rev. P. D. Livaldus prior Carcerum.

EXCERPTA EX CALENDARIO

Ejusdem ecclesiæ S. Mariæ de Carceribus, quod extat in Bibliotheca S. Michaelis de Muriano.

Februarii. XI. Anniversarium invictissimi Henrici III. imp. & Saxoniæ Ducis.
XII. Anniv. Illustriss. & Reverendiss. D. Raimbadi Archidiaconi Saxoniæ fratris.
Martii. XVII. Anniv. Illustrissimor. Marchionum Estensium.
Aprilis. VI. Anniv. Illustriss. D. Hieremiæ Comitis Caldenatii.
XIII. Anniv. Illustriss. & Reverendiss. D. Angeli Summaripa S. R. E. Card.
Maii. XIIII. Anniv. Cl. D. Vincentii Delphini, & quotidie celebratur.
XX. Anniv. Cl. D. Antonii Basadonna.
XXVIII. Anniv. D. Jacobini de Carp.
Augusti. XXI. Anniv. Cl. D. Francisci Guerini.
XXVII. Anniv. invictissimi Frederici I. imperatoris.
Novembris. XXIX. Anniv. Reverendissimorum episcoporum Paduæ.

NECROLOGIUM VANGATICIENSE

SEU

Abbatiæ S. Mariæ de Vangaticia in Policinio.

Ex autographo ejusdem Abbatiæ.

Nomina defunctorum minutiore charactere descripta antiquiora sunt.

JANUARIUS.

Kalendis januarii Circumcisio Domini. *Sol.*
O *D. Ambrosius monachus, & Oratius conversus & soror ....* Castellanæ civitatis.
. . . .
IIII. non. Octava S. Stephani. XII. *lect.*
. . . . Fratres Petrus conversus.
III. non. Octava sancti Johannis Evangelistæ. XII. *lect.*
Obiit . . . . . de Fregena heremita.
O frater Theobaldus de Raxia monachus hujus loci 1428.
II. non. Octava Sanctorum Innocentium. XII. *lect.*
. . . . raldus abbas, Ricardus.
Obiit frater Bonus . . .
non. Vigilia Epiphaniæ.
. . . .
VIII. id. Epiphania Domini. *Sol.*
. . . . . & Dompnus Lucas. . . . & soror Margarita abbatissa.
VII. id. . . . . Johannes.
VI. id. . . . . *Placidus.*
O Johannes de Urbania novitius sanctæ Mariæ ad Carceres.
O . . . . Michael de Muriano
V. id. Pauli Primi Heremitæ Confessoris. XII. *lect.*
IIII. id. O . . . . *rius monachus hujus loci.*
III. id. *D. Albertinus monachus & Fridianus.*
II. id. *D. Albertus abbas. D. Leonardus*, D. Vitalis.
id. Octava Epiphaniæ & sancti Ylarii ep. & conf. XII. *lect.*
Nerius & Agnes monacha.
XVIIII. kl. Sancti Felicis presb. & Conf. III. *lect.*
Dompnus Johannes prior claustralis hujus loci.
D. Christophanus prior sancti Johannis de Judecha.
XVIII. kl. S. Mauri abbatis XII. *lect.*
O Pater Domnus Petrus Delfinus generalis anno Domini 1525. & Domna Adalaxia conversa Fontis-boni.
XVII. kl. Sancti Marcelli pp. & m. III. *lect.*
O D. Frigdianus.
XVI. kl. S. Antonii Abb. XIII. *lect.*
Ven. P. D. Jacobus de Faventia prior Sancti Mathiæ de Murano.

O D.

O *D. Raynerius heremita.*

xv. kl. S. Priscæ V. & M. III. *lect.*

O D. Dominicus de Rachelis alias de Basis 1522.

Frater Uganus conversus.

XIIII. kl. Sanctorum Marii, Marthæ, Audifacis, & Abacuc mm. III. *lect.*

O *D. Guido prior Estensis, & F. Rinaldinus conversus hujus loci.*

XIII. kl. Sanctorum Fabiani & Sebastiani mm. XII. *lect.*

O *Nicolaus monachus hujus loci, & D. Gerardus*, & F. Benedictus conversus sancti Mathiæ de Muriano.

xv. kl. Sancti Vincentii m. XII. *lect.*

. . . . *heremita* . . . . commissus.

x. kl. Sanctæ Emerentianæ v. & m. III. *lect.*

. . . . *soror Benedicta*, D. Ambrosius.

VIIII. kl. O D. Zacharias de Faventia die 24. Januarii 1541.

VIII. kl. Conversio sancti Pauli apostoli. XII. *lect.*

O Ven. P. D. Nicolaus abbas monast. sancti Benedicti de Savignano.

O *Agnes commissa (alibi abbatissa) sanctæ Christinæ de Bononia.*

D. Johannes monachus & D. Bella conversa.

O *Soror Beregenza monacha sancti Mamiliani.*

VII. kl. O *Franciscus conversus & heremita, & F. Jacobus conversus.*

VI. kl. . . . . *soror Jacobina monacha & soror Agnes.*

v. kl. Sanctæ Agnetis secundo. III. *lect.*

IIII. kl. . . . .

v. kl. O *Bartholinus*, soror Agnes monacha sancti Mamiliani.

. . . . Firmicus . . . .

II. kl. Sancti Geminiani ep. & conf. XII. *lect.*

O *D. Petrus & Gardesanus conversus.*

FEBRUARIUS.

KAlendis Februarii luna XXIX. Sancti Severi ep. & conf. & sanctæ Brigidæ. XII. *lect.*

O *Albertus monachus & Masutius conversus & F.* Laurentius conversus.

IIII. non. Purificatio S. Mariæ. *Sol.*

O *Paternianus.*

III. non. S. Blasii Ep. & M. XII. *lect.*

O Simeon conversus.

II. non. O *D. Johannes & Masutius conversus.*

nonis. S. Agathæ V. & M. XII. *lect.*

VIII. id. O Andrigetus.

O D. Guilelmus de Lira monachus monast. sancti Michaelis de Muriano.

VI. id. O D. Nicolaus dictus Cancin de de Venetiis 1411.

O D. Ambrosius Bernardo commendatarius apostolicus abbatiæ 1543. 28. Febr.

v. id. O D. Benedictus prior monast. sancti Mathiæ de Muriano.

IIII. id. S. Scholasticæ V. XII. *lect.*

. . . . *ardin.* . . . *& Johanna mocha* & F. Gratianus conversus Fontis-boni.

III. id. O D. Hieronymus de Florentia Decretorum doctor 1424.

O *Donatus*, F. Augustinus monachus, & D. Gregorius prior sancti Salvatoris de Verona 1538.

II. id. O D. Johannes monachus monast. Classis.

idibus. O A. . . . enatus conversus & D. Angelus monachus.

XVI. kl. Sancti Valentini m. III. *lect.*

O *D. Petrus abbas monasterii de Savignano.*

xv. kl. Sanctorum Faustini & Jovitæ Mm. III. *lect.*

O *D. Dadinus monachus sancti Damiani de Bononia, & Benvenuta conv.*

XIIII. kl. O *F. Benedictus conv. hujus loci.*

XIII. kl. . . . . . . & soror Bartholomæa monacha.

XII. kl. *Guido.*

XI. kl. O *D. Marcus, D. Leo Heremita* . . . . . Antonius.

x. kl. O *Salvolus conversus & D. Ambrosius prior de Cellulis.*

IX. kl. O *D. Rambertus monachus hujus loci*, & soror Benedicta monacha, & soror Maria monacha.

VIII. kl. Cathedra S. Petri. XII. *lect.*

O *Soror Johanna*, soror Maria monacha & D. Antonius rector ecclesiæ de Bolo . . .

VII. kl. Vigilia sancti Mathiæ apost.

O *Bernardus conv.* & Fabrinus conversus.

VI. kl. Sancti Mathiæ apost. *Sol.*

O . . . . *& F. Petrus conv.*

MARTIUS.

VI. non. **F***Rancisca.*

v. non. O D. Laurentius mon. sanctæ Mariæ de la Vangadicia.

O *D. Petrus monachus.* Madelena.

IIII. non. O D. Nicolaus Sancti Mathiæ de Muriano.

O *D. Soprana abbatissa sanctæ Christinæ de Tervisio*, Albertus conversus & D. Andreas.

III. non. O *Angela monacha*, & soror Philippa monacha.

II. non. O *Philippa.*

nonis. O *Ugolinus conversus & D. Nicholaus procurator sancti Mathiæ de Murano.*

VIIII. id. . . . .

VIII. id. O D. Margarita.

VII. id. O D. Nicolinus monachus 1440.

IIII. id. S. Gregorii papæ. *solemn. plen.*

O *D. Julianus & D. Fredericus.*

III. id. O Dominicus familiaris hujus monaſterii, qui reliquit.
O *D. Valentinus abbas Vallis-umbroſæ, & frater Lippus conv.*
II. id. O *D. Berardus abbas monaſt. de Sacraria.*
idibus. O *D. Raynerius prior ſancti Damiani, F Geminianus*, & D. Jacoba abbatiſſa ſancti Georgii de Apibus.
XVII. kl. O *Adeleita monacha*, & domina Andriola de Camino benefatrix monaſterii de Opitergio.
XV. kl. O Ven. pater D. Urbanus prior monaſterii.
O *Cæcilia monacha* & . . . .
XIIII. kl. O illuſtris & egregius vir D. Obizo Eſtenſis ſub M. ccc. LIII. die XVIII. Martii (*alibi* 1441. *9.* Martii:)
O D. Bernardus prior clauſtralis hujus loci.
XIII. kl. O Dominica benefactrix ordinis.
O D. Lucia ſub M. cccc. XI. die XX. martii, cujus anima requieſcat in pace.
XII. kl. O . . . . Gherardus.
XI. kl. O *Magiſter Nicolaus.*
X. kl. O *D. Guido Concordienſis epiſcopus olim venerabilis abbas Vangadicienſis noonaſterii* M. ccc. XXI. *ap. & dompnus Ubaldus abbas ſancti Fridiani de Piſis.*
VIIII. kl. O Bertinus & de cha & valle.
O *Gualterius.*
O Rev. P. D. Petrus de Burgo ſancti Sepulcri abbas Silvę-mundæ, & olim abbas dicti Burgi 1426.
VIII. kl. Annuntiatio Sanctæ Mariæ Virg. *Plena ſolemn.*
O *D. Ugutio mon. hujus loci.*
VII. kl. O D. Bernardus monachus.
VI. kl. Rainutius & Vincentius Cupelinus.
V. kl. O F. Antonius conv. & D. Anſelmus abbas ſancti Petri de Cerreto.
O *D. Bonus abbas de Cantignano.*
IIII. kl. O D. Andreas de Venetiis prior ſancti Salvatoris de Verona M. cccc. III. XXVIII. Martii.
III. kl. O D. Primus monac. de abbatia Vangadicię in mill. cccc. LXXXX.

APRILIS.

KAlendis. Venerabilis in Chriſto P. D. Antonius de Ferro de Parma abbas monaſt. ſanctæ Mariæ de Vangadicia obiit in M. ccc. LXXXVI. die primo menſis aprilis.
O *D. Johannes.*
IIII. non. O *D. Michael.*
O D. Hilarianus profeſſus Angelorum de Florentia, & ſepultus ante altare majus 1519. (*vel* 1510.)
III. non. O *D. Bonus, & D. Johanna monacha.*
II. non. O *D. Ventura*, Beatrix monacha.
nonis. O *Johannes mon.* & D. Beatrix abbatiſſa monaſterii ſancti Johannis de Prato-veteri.
VII. id. O Jacobus quondam D. Antonii de la Vangadizza.
VI. id. O *D. . . . . acius ven. prior Camald.* & D. Gerardus ven. prior Camald. M. cc. LX.
V. id. O D. Andreas de Abbatia Anno Domini 1512. de Montolinis.
III. id. O *D. Gabriel*, D. Maſſaria monacha.
II. id. O *D. Matthæus prior ſancti Salvatoris de Verona, & Ugolinus monachus.*
idibus. O D. Henricus prior de Caſtrocaro.
O *D. Jacobus & D. Gratianus.*
XVIII. kl. Sanctorum Tiburtii, Valeriani & Maximi mm. III. *lect.*
O *D. Symon*, & D. Petrus monachus de Murano.
O D. Joannes de Abbatia mon. ſanctæ Mariæ de Vangadicia. Mortuus eſt Veronæ.
XVII. kl. O F. Tura converſus hujus loci, & Margarita monacha.
O *D. Andreas.*
XVI. kl. O D. Fidelis de Balneo ſanctæ Mariæ.
O *D. Franciſcus & D. Paulus*, & Frater Johannes converſus.
XV. kl. O *D. Azo & D. Bonajuncta.*
XIIII. kl. O *D. Guido.*
XIII. kl. O Reverendiſs. P. D. Andreas de Faventia ſacræ Eremi Camaldulenſis prior & totius ejuſdem ordinis generalis, & ſepultus eſt in heremo 1418. (*vel* 1408.)
O *Margarita.*
XI. kl. O Ven. pater D. Piero Beglino prior ſancti Mathiæ de Venetiis M. cccc. XXVI.
O *Adulphus.*
O D. Franciſcus abbas monaſt. ſanctæ Mariæ de Carceribus.
O D. Paulus abbas ſancti Michaelis de Murano M. cccc. XLVIII.
X. kl. O *Manfredinus converſus*, F. Bencivenne converſus.
VIIII. kl. O *D. Ceus Piſanus.*
O D. Paulus de Florentia camerarius heremi Camaldulenſis & ſepultus eſt in eccleſia ſanctæ Mariæ de Vangadicia M. cccc. XVII.
VIII. kl. Sancti Gregorii m. XII. *lect.*
O *Homodeus*, & D. Philippus abbas monaſt. ſanctæ Trinitatis de Alfiano.
O F. Matthæus de Milano converſus hujus loci.
VII. kl. Sancti Marci Ev. *Plena ſol.*
O D. Johannes & Nicolaus monachus ordinis Camald.
VI. kl. O *D. Franciſcus, D. Raynerius, & ſoror Mabilia monacha.*
IIII. kl. Sanctus Vitalis m.
O *. . . . & dompnus Joannes Oſpitalerius ſancti Frigdiani.*
O D. Benedictus de Venetiis prior S. Viti de Vincentia 1462.
III. kl. O F. Gerardinus converſus hujus loci.
II. kl. . . . . . de Bononia.

MAJUS.

KAlendis Maii, luna XXX. Sanctorum Apoſtolorum Phi-

Philippi & Jacobi. *Sol. plena*.
O *Aldevrandus conversus*, & D. Imilia devota ordinis Camald.
VI. non. O *D. Benedictus* & F. Petrus de Senis conv. 1426.
V. non. Inventio Sanctæ Crucis, & SS. Alexandri, Eventii, & Theodori. *Plena sol.*
O *F. Bartholomæus conv.* D. Jacobus mon. Urani.
IIII. non. O *F. Icelinus conv. hujus loci*.
III. non. O D. Nicolucius de Perusio prior, & Petrus.
O *Soror Berta*.
Bonaccursius Benetti de Luca ædificator monasterii de Judecca de Venetiis.
II. non. Sancti Joannis ante portam Latinam. XII. *lect.*
O *Johannes*.
nonis. O D. Nicolaus ven. prior Camaldulensis, & F. Pagnus conversus, & D. Antonius de ...
VIII. id. Victoria Sancti Michaelis. XII. *lect.*
O Mobilia commissa, & D. Angelus mon. & soror Maria Bona.
VII. id. O D. Matthæus de Padua prior sanctæ Mariæ de Angelis.
O *Bonaccursus*.
VI. id. Sanctæ Christinæ virg. & m. XII. *lect.*
O *D. Benedictus & D. Leo mon.*
V. id. O D. *Matthæus abbas sanctæ Jucundæ, & D. Realis*.
IIII. id. Sanctorum Nerei & Achillei & Pancratii mm. III. *lect.*
O *Presb. Martinus conversus & D. Margarita*.
O Ven. P. D. Benedictus prior loci sancti Mathiæ de Murano.
III. id. O *Matthæus*.
II. id. O *Bencivenne conversus* & D. Paulus abbas de Sacraria & presb. Brinatus.
idibus. O *Johannes*.
XVII. kl. O *D. Jacobus prior de Forlivio & Accursus conversus*.
XVI. kl. O F. Vactius conversus monasterii Fontis-boni.
O *Saray monacha de Tarvisio*.
O D. Johannes de Forlivio sepultus in sepultura abbatum ante majus altare hujus abbatiæ anno 1500.
XV. kl. O D. Johannes monachus sancti Viti de Vincentia.
XIIII. kl. S. Potentianæ v. III. *lect.*
XII. kl. O *D. Raynerius*.
XI. kl. O *Soror Philippa* & F. Albertus conversus.
X. kl. O *Manselda conversa hujus loci*.
VIIII. kl. O *F. Angelus & soror Zena conversa, & D. Honorata conversa*.
VIII. kl. Sancti Urbani papæ & m. III. *lect.*
O *D. Guglielmus prior claustralis hujus loci, & F. Benedictus*.
O Soror Benedicta monacha sanctæ Christinæ & soror Benedicta conversa.

VII. kl. O *Rolandus*.
VI. kl. O *Vincentius*.
M. CCC. XLVIII. Obiit ven. pater domnus Severus de Saxoferrato abbas hujus loci die XXVIII. madii.
V. kl. O *D. Daniel abbas sancti Petri de Rota, & D. Johannes*.
IIII. kl. O *Nera conversa*.
D. Jacobus monachus.
III. kl. O . . . . *conv.* F. Vincentius.
O *D. Accursius ven prior Camal.* M. CCC. XV.
O Ven. P. D. Matthæus prior monast. Angelorum de Florentia 1421.
II. kl. S. Petronillæ v. III. *lect.*
O *Leonardus mon. hujus loci & F. Bonifacius conv.*
O D. Margarita conversa.

JUNIUS.

Kalendis junii. Sanctorum Nicomedis & Faustini cum sociis mm. III. *lect.*
O *Ubertus*.
O F. Juncta conv.
IIII. non. Sanctorum Marcelli & Petri mm. III. *lect.*
O *D. Guilielmus heremita*.
III. non. Sanctorum Laurentini & Pergentini mm. III. *lect.*
O *Zeno monachus hujus loci*.
O D. Julianus abbas monast. de Berardinga.
O D. Bartholomæus abbas monast. sancti Michaelis de Pisis.
III. non. O *Christina monacha*.
nonis. O *D. Benignus, & F. Gibertus conversus*, & F. Ultinus conversus Fontis-boni.
VIII. id. O bonæ memoriæ D. Bonaventura de Fano prior generalis Camaldulensis ordinis anno Dominicæ nativitatis M. CCC. XLVIII. in monasterio de Poplena, & sepultus est in heremo.
O Jacobus.
O Ven. D. soror Agatha abbatissa monasterii sancti Johannis evangelistæ de Prato-veteri 1421.
VII. id. O D. Alexander prior sancti Petri de Monselice.
O Franciscus & Benvenutus.
VI. id. O F. Jacobus conversus.
V. id. Sanctorum Primi & Feliciani mm. *Plena sol.*
O *Laurentius*, & F. Petrus conversus.
IIII. id. O D. Stephanus mon. sancti Mathiæ de Muriano.
O *D. Bonus ven. prior Camald.* M. CC. LXXIIII. & D. Johannes abbas sanctæ . . . .
III. id. Sancti Barnabæ ap. *Plena sol.*
O *D. Gerardus prior sancti Salvatoris de Verona, & Clemens monachus hujus loci*.
II. id. Sanctorum Basilidis, Cirini, Naboris & Nazarii mm. III. *lect.*

O *D. Guido abbas hujus loci*, & *D. Peregrinus major heremi*.
O D. Antonius de Manesio mon. hujus loci.
O D. Dominicus de Verona mon. hujus loci.
idibus. O Martinus.
XVIII. kl. O F. Michael conv. S. Johannis de Judecha. M. CCCC. LVIII.
O *Oliverius*, & F. Nicolaus conv. sancti Mathiæ de Forlivio.
XVII. kl. Sanctorum Viti & Modesti mm. III. *lect.*
O *Philippus*.
O F. Benedictus de Malitiis de Padua monachus hujus loci M. CCC. LXXV.
O D. Simon abbas sancti Ægidii de Burgo sancti Sepulcri 1509.
XVI. kl. O *Johannes*, Apollonia monacha.
XV. kl. O D. Boxolanus de Abbatia.
O F. Mons conversus hujus loci.
O D. Theobaldus de Abbatia mon. hujus loci 1410.
XIIII. kl. Sanctorum Marci & Marcelliani mm. III. *lect.*
XIII. kl. Sancti Romualdi conf. *Sol.* & SS. Gervasii & Protasii mm.
O *Gabriel*.
XII. kl. O *Elena*.
XI. kl. O D. Incontrus.
X. kl. O D. Oliverius mon. hujus loci.
VIIII. kl. Vigilia S. Johannis-baptistæ.
O *D. Donatus* & D. Gregorius, D. Johannes abbas sancti Michaelis de Burgo.
VIII. kl. Nativitas S. Johannis-baptistæ. *Sol.*
O *Bernardus*.
O F. Franciscus conv. de Legnano.
VII. kl. O D. Felicianus de Abbatia monachus hujus monasterii archipresbyter ecclesiæ sancti Johannis 1446.
VI. kl. Sanctorum Johannis & Pauli mm. III. *lect.*
O F. Bartholomæus de Abbatia.
IIII. kl. Sancti Leonis pp. & Vigilia apost. Petri & Pauli.
O *Petrignus*.
III. kl. Sanctorum Apostol. Petri & Pauli. *Sol.*
O *D. Gerardus*.
II. kl. Commemoratio Sancti Pauli Apostoli & Sancti Martialis Conf. XII. *lect.*
O D. Johannes mon. hujus loci & D. Angelus.

JULIUS.

Kalendis julii luna XXX. Sancti Theobaldi Conf. & octava S. Johannis-baptistæ. *Sol.*
O *Betre conv.* & soror Vana abbatissa monast. sancti Johannis de Buldrone.
VI. non. Sanctorum Processi & Martiniani. III. *lect.* *Visitatio S. Mariæ* (alio charactere recentiore.)
O D. Guido mon. hujus loci.
V. non. O *D. Andreas abbas Candiculi*.
IIII. non. O *Mina monacha*.
O D. Michael mon. sancti Mathiæ de Forolivio.
O D. Johannes abbas.
III. non. O *D. Vincentius*.
II. non. Octava Apostolor. Petri & Pauli. XII. *lect.*
O *Bonacursus conversus*.
O D. Philippus prior.
O F. Johannes de Abbatia.
nonis. O *Bartolus*.
VIII. id. O *Guido*. Catarina monacha.
VII. id. O *Bonatus*.
VI. id. Sanctorum septem fratrum. III. *lect.*
V. id. O Dompnus Johannes de Gangalandi archipresb. Cavazanæ, & D. Pilippus abbas de Passignano ordinis Vallis-umbrosæ.
O *Soror Christina*.
IIII. id. Sancti Johannis Gualberti abbatis. XII. *lect.* & Ss. Naboris & Felicis Conf.
O *Paulus*, & D. Angelus prior Heremitæ.
III. id. O *F. Bartholus conversus hujus loci*.
II. id. O *Bene monachus*.
idibus. Sanctorum Quirici & Julittæ mm. III. *lect.*
O *Guido*, & D. Jacobus prior sancti Mathiæ de Forlivio, F. Franciscus conversus de Clugia, Fridianus conv.
XVIII. kl. O *D. Zuta*.
XVII. kl. O Cazaguerrus.
VXI. kl. O Gregorius.
O Ven. P. D. Antonius de Ferraria abbas monast. S. Mariæ de Urano juxta Brettonorium, qui obiit anno Domini M. CCC. LXXVI.
XV. kl. O . . . . Paulus . . . . . abbas monast. sancti Michaelis . . .
XIIII. kl. O *D. Kato*, *D. Johannes*.
O D. Petrus abbas monast. de Savignano, & Adelaida monacha.
XIII. kl. Sanctæ Margaritæ v. & m. XII. *lect.*
O *D. Philippus*, D. Augustinus capellanus sanctæ Annæ de Bononia.
O F. Petrus.
XII. kl. Sanctæ Praxedis v. III. *lect.*
O *D. Jacobus ven. prior Camal.* & *D. Martinus*.
O D. Gregorius Anglariensis rector ecclesiæ sancti Johannis de Vigizolo 1473.
XI. kl. Sanctæ Mariæ Magdalenæ. XII. *lect.*
O *D. Zambonus monachus hujus loci*, D. Benedictus monachus.
O D. Johannes de Padua prior Montis Crucum 1419.
X. kl. Sancti Apollinaris ep. & m. XII. *lect.*
O *D. Johannes*, *F. Braza conver-*

versus, D. Angelus monachus & Tonsus pistor de Abbatia servitialis & amicus monast. Vangadiciæ M. ccc. LIII. die XXIII, jul.

VIIII. kl. Vigilia sancti Jacobi.
O D. Benedictus abbas sancti Benedicti de Savignano.

VIII. kl. Sancti Jacobi apostoli, & sancti Christophori m. *Sol.*
O Cambio.

VIII. kl. Sancti Pantaleonis m. XII. *lect.*
O *D. Fulcerius & F. Ubaldus conv.* & F. Simon.
O D. Baptista rector ecclesiæ.

VI. kl. O *Gratiolus conv. & Marsilia monacha.*

V. kl. Sanctorum Nazarii & Celsi mm. III. *lect.*
O *Mainardus.*

IIII. kl. Sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini & Beatricis mm. III. *lect.*
O *D. Guido abbas.*
O D. Paulus prior sancti Michaelis Aretii.

III. kl. Sanctorum Abdon & Sennen mm. III. *lect.*
O F. Christianus.

II. kl. O *Petrus mon. hujus loci* & F. Dominicus conversus.

AUGUSTUS.

Kalendis Augusti luna XXX. Sancti Petri ad Vincula. XII. *lect.*
O *D. Johannes abbas hujus loci.*
O D. Jacobus prior de Urbizano.
O Johannes.

IIII. non. Sancti Stephani pp. & m. *Translatio sancti Theobaldi confess.*
O *D. Johannes eremita, & Masina monacha.*
Anno Domini M. ccc. LXX. O illustris vir Ugo fil. domini Obizi marchionis Estensis.

III. non. Inventio Sancti Stephani & sociorum ejus. III. *lect.*
O *F. Alexander conversus.*
O soror Agnes abbatissa monast. sanctæ Christinæ de Tarvisio, D. Thomas mon.

II. non. O D. Placidus monachus.

nonis. *Sanctæ Mariæ ad Nives sol. plenissima.*
O Ven. P. D. Andreas abbas sancti Ypoliti de Faventia, & D. Mamilianus abb. Pensauriensis.
O D. Paulus prior de Vivo.
O Dominicus de Fano servitialis & amicus monast.

VIII. id. Sanctorum Sixti, Felicissimi & Agapiti mm. XII. *lect.*
O *D. Ugo abbas hujus loci, & D. Angelus prior sancti Concordii de Pisis*, & D. Bartholus abbas sancti Pauli Riparni.

VII. id. Sanctorum Donati & Hilariani mm. XII. *lect.*
O *D. Ugo .... & D. Nicolaus*, & soror Francisca monacha.

VI. id. Sanctorum Ciriaci, Largi & Smaragdi mm. III. *lect.*
O *D. Gerardus ven. prior Camal.* M. ccc. VII. & D. Benedictus abbas de Puteolis.
O D. Dionysius prior sanctæ Mariæ Montis-crucum.

V. id. Vigilia sancti Laurentii, *& Sanctorum Firmi & Rustici.* XII. *lect.*
O F. Lambertinus novitius & Bollio servitialis & amicus monasterii.

IIII. id. Natalis S. Laurentii m. *Sol.*
O *Mita monacha*, Donatus benefactor ordinis.

III. id. Sancti Tiburtii m. III. *lect.*
O *Orlandus conv.* & D. Thomas mon. monast. sancti Petri de Rota.

II. id. .... *Sancti Dominici conf.* XII. *lect.*
O *D. Contadus mon. & Bandinus conv.*
O D. Theobaldus mon. hujus loci.

idibus. Sanctorum Ypoliti & Cassiani mm. XII. *lect.*
O *Saracina novitia sanctæ Christinæ de Bononia.*
O D. Hieronymus Mantuano ecclesiæ sancti Simonis & Judæ de Urbizano 1526.
O D. Galeoctus abbas sancti Ypoliti de Faventia 1498.

XVIIII. kl. Vigilia sanctæ Mariæ Virginis. V. *lect.*
O *Margarita monacha.*
O D. Romualdus Turario mon. Camald. 1559. XIV. kl. augusti.

XVIII. kl. Assumptio Sanctæ Mariæ V. *pleniss. sol.*
O *Raynerius.*

XVII. kl. O *Honorata.*

XVI. kl. O Binina monacha.
O D. Johannes Theutonicus mon. hujus loci.

XV. kl. Sancti Agapyti m. *com.*
O D. Johannes mon. hujus loci.

XIIII. kl. O *Gabriel*, & D. Theobaldus mon. sancti Mathiæ, & soror Jacoba monacha sancti Salvatoris de Forlivio.

XIII. kl. S. Bernardi abbat. XII. *lect.*
O *D. Benvenutus mon.*
O F. Angelus conv. & F. Nicolaus mon.
O F. Gabriel conversus hujus loci 1492. & die 20. Augusti.

XII. kl. O D. Anselmus ven. prior Camald. M. cc. LXXXXVIII.
O D. Meus mon. monast. sancti Michaelis de Burgo.

XI. kl. Octava S. Mariæ & Ss. Timothei & Simphoriani mm. XII. *lect.*
O *Stephanus conversus.*

O

O D. Petrus de Piſa mon. ſancti Savini.

x. kl. Vigilia S. Bartholomæi ap.

O *Pelegrinus monachus*.

O D. Paulus prior ordinis Camald. Sancti Vigilii de Senis.

O D. Jacobus monachus.

VIIII. kl. Natalis ſancti Bartholomæi apoſt. *Sol.*

O *D. Placidus ven. prior Camaldulenſis*.

O D. Leonardus abbas & F. Philippus conv.

VIII. kl. Sancti Geneſii cum ſociis ſuis mart. III. *lect.*

O *Gualterius*, & D. Felicianus mon. hujus monaſt.

VII. kl. O *D. Michael prior ſancti Damiani de Bononia, & D Jacobus mon.*

VI. kl. O Petrus ſacriſta.

V. kl. Sancti Auguſtini ep. & Hermetis m. *Sol.*

O *D. Bartholomæus*.

O D. Johannes mon. ſancti Mathiæ de Venetiis.

IIII. kl. Decollatio Sancti Johannis baptiſtæ, & ſanctæ Savinæ V. XII. *lect.*

O *Ugolinus*, & F. Baſtardus conv. monaſterii Claſſis, & Gratianus.

O D. Felicianus a Ferro mon. hujus loci 1405.

III. kl. Sanctorum Felicis & Adaucti mm. III. *lect.*

O *Benedictus*.

O D. Johannes prior S. Georgii.

II. kl. O *D. Fridianus mon. & F. Simon conv.*

M. cccc. LVIII. D. Ludovicus abbas Claſſenſis de Ravenna.

SEPTEMBER.

KAlendis ſeptembris luna XXX. S. Ægidii abbatis. III. *lect.*

O *D. Franciſcus, D. Gerardus*, D. Adrianus & Paulutius devotus ordinis Camald.

IIII. non. O *Prioratus conv. hujus loci*. Flora converſa, D. Felicianus mon. hujus loci 1571.

III. non. O *D. Simonetta monacha*.

O D. Guido mon. Claſſis.

II. non. *Sancti Bonifacii ep. & m. ordinis Camald.*

O *Beatrix monacha*, & ſoror Dianexe monacha.

O D. Theobaldus de Auguſtis mon. hujus loci 1518. D. Nilaus presb. eccleſiæ.

nonis. O *Raynerius abbas*.

O D. Placidus de Ricardis prior hujus loci 1513.

VIII. id. O *Monaldus*, A. D. a nativitate M. ccc. XXVI. O D. Andreas . . . . . . ven. abbas monaſt. ſancti Michaelis de Piſis.

VII. id. O *Johannes conv.* & Margarita monacha.

O F. Lucas conv. hujus loci 1427. 1456. O D. Felicianus de Abbatia prior S. Martini de Opitergio.

O Ven. P. D. Nicolaus de Antivero prior hujus loci 1523.

VI. id. Nativitas S. Mariæ V. *Sol. pleniſs.* & Sancti Adriani m.

O *D. Henricus prior de Forlivio & D. Fridianus mon.* & D. Apollenaris ven. abbas Claſſenſis.

M. ccc. LXIIII. O Ven. P. D. Gualterius de Burgo ſancti Sepulcri abbas monaſt. ſancti Michaelis de Burgo Piſano, & D. Gratia.

V. id. Sancti Georgii m. III. *lect.*

O *Melioratus conv.* & ſoror Fia monacha.

O Antonius filius ſer Baldi de Gravagna de prima laudabilis familiis hujus monaſterii 1422.

IIII. id. O *D. Martinus ven. prior Camal.*

O F. Lucius novitius.

III. id. Sanctorum Proti & Jacinti mm.

O D Angelus abbas ſanctæ Elenæ, & D Offredinus prior ſancti Silvarii de Verona.

II. id. O *Johannes commiſſus*. O Ven. pater D. Nicholaus de Ferro de Parma abbas monaſt. ſancti Zenonis de Piſis. M. cccc. XXIIII.

idibus. O *D. Daniel mon. hujus loci*.

O F. Severus prior ſancti Firmi Eſtenſis.

XVIII. kl. Exaltatio ſanctę Crucis & ſanctorum Cornelii & Cypriani mm. *Sol.*

O *D. Ventura mon. & Petrus conv.*

O Ven. P. D. Franciſcus de Pupio olim prior Angelorum de Bononia, tunc temporis abbas monaſterii ſancti Petri de Sardinia, obiit Vincentiæ, ſepultuſque eſt in monaſterio ſancti Viti 1463.

XVII. kl. Octava Sanctæ Mariæ v. & ſancti Nicomedis m. & ſancti Mamiliani conf. XII. *lect.*

O Dominicus.

XVI. kl. Sanctorum Luciæ, Geminiani & Euphemiæ mm. III. *lect.*

O *Caterina*, O D. Johannes mon. hujus loci, O D. Auguſtinus rector ſancti Silveſtri de Puppio.

XV. kl. O *Benedictus mon. & D. Martinus*.

XIIII. kl. O *D. Simon*, & Migliore conv.

O D. Raphael mon. ſancti Firmi de Eſte M. cccc. LVI. (*vel* 1450.)

XIII. kl. O *Latina*, & D. Michael de Vangadicia.

XII. kl. Vigilia ſancti Matthæi apoſt.

O *Laurentia monacha*, & Thomaſſolus commiſſus.

O D. Guidonius prior ſancti Salvatoris de Verona.

O D. Albertus mon. hujus loci.

XI. kl. Sancti Matthæi apoſtoli, & Evang. *Sol.*

O *Sibona converſus*.

„ 1549. *adi 21. Settembrio il Reve-*
„ *rendiſſimo Monſignor M. Anto-*
„ *nio Lauredano figlio del clariſs.*
„ *M. Leonardo piglio il poſeſſo*
„ *dell' abbazia di ſanta Maria de*
„ *la Vangadiza*.

x. kl. Sancti Mauritii cum ſociis ſuis mm. III. *lect.*

O Montinus converſus.

VIIII. kl. O D. Andreas monachus.

VIII. kl. O *Petrus*. O D. Petrus de Venetiis mon. hujus loci 1424.

VII. kl. O *D. Abbas*. O D. Antonius de Ferro Decretorum doctor 1433. abbas hujus monaſterii, eodemque anno commendatum fuit hoc monaſterium Ven. in Chriſto P. D. Antonio Corraro cardinali Bononienſi.

VI. kl. O *D. Petrus monachus hujus loci*.

O D. Ambroſius de Peſſonis prior clauſtralis hujus monaſterii.

O D. Albertus de Patroveteri mon. hujus loci.

V. kl. Sanctorum Coſmi & Damiani mm.

O *Pavius mon. F. Ugolinus*.

O *F. Tura converſus hujus loci*.

O D. Aldevrandinus mon. huj. loci.

IIII. kl. O *D. Compagnus*, *D. Martinus*.

O D. Juſtina, & ſoror Magdalena ſancti Benedicti de Sancto-Miniato.

III. kl. Dedicatio ſancti Michaelis archang. *Sol.*

O *D. Guido*, *& D. Petrus*, *& Fulcho Eſtenſis marchio*.

II. kl. Sancti Hieronymi presb.

O *Brigaldus converſus*.

OCTOBER.

KAlendis octobris luna xxx.

Sancti Remigii epiſcop. & conf. III. *lect.*

O *D. Compagnus*. O D. Johannes prior ſancti Laurentini, O Zanes benefactor ſancti Johannis de Faventia.

VI. non. O *Presbyter Tolomeus converſus*.

V. non. O Ven. P. D. Auguſtinus prior monaſt. Angelorum de Florentia 1422.

O *Raynerius conv. hujus loci*.

IIII. non. Sancti Franciſci conf. XII. *lect.*

II. non. O *D. Petrus* .... ſoror Nicoluccia monacha.

O Ven. D. Benedictus de Piſis abbas monaſt. ſancti Michaelis de Burgo Piſano.

M. CCCC. X. die ſexto octobris O D. Onuphrius de Florentia prior Camaldulenſis & totius ejuſdem ordinis generalis.

nonis Sancti Marci papæ & conf. & Marcelli & Apuleii Mm.

O *D. Gregorius & ſoror Chriſtina*.

O Ven. F. Hieronymus mon. ſanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

VIII. id. Sanctæ Reparatæ V. & M. III. *lect.*

O *D. Angelus & D. Johannes abbas Sacrariæ*, & D. Henricus abbas de Canobio.

O D. Jacobus de Burgo ſancti Sepulcri capellanus monaſt. ſancti Petri de Luco.

VII. id. Sanctorum Donini, Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii Mm. III. *lect.*

O *D. Benedictus prior ſanctæ Trinitatis*, *& D. Jacobus Rubeus* & F. Cennis ſanctæ Camaldulenſis heremi heremita.

VI. id. Sancti Cerbonii ep. & conf. III. *lect.*

O *D. Henricus*, *D. Florianus mon. hujus loci*.

Anno Domini M. CCC. LXVIII. D. Johannes Iniquitatis de Placentia venerabilis abbas hujus loci.

V. id. O *D. Paulus*, & ſoror Charadia monacha.

IIII. id. O *D. Simon*. O D. Martinus ſancti Johannis-baptiſtæ de Faventia.

O F. Hieronymus mon. ſancti Mathiæ de Muriano.

III. id. O *Soror Ymeldina*, O F. Nellus.

O Ven. P. D. Clarus abbas monaſt. ſanctæ Mariæ foris portam Faventiæ ordinis ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ. M. CCC. ....

II. id. Sancti Calixti Pp. & Mm. III. *lect.*

O *D. Maurus de Cinctorio*, *& F. Andreas mon. hujus loci*, & ſoror Nicholuccia ....

O *D. Chriſtianus*, *& D. Martinus mon. hujus loci*, & D. Johannes mon. Camald.

XVII. kl. Sancti Galli abbatis. XII. *lect.*

O D. Andreas abbas ſanctæ Mariæ de Poplena.

VII. kl. O *Bener*[illegible]

O R[illegible]iſs. P. D. Raphael de [illegible]rentia ſacræ heremi Camald. prior, & generalis totius ejuſdem ordinis 1422.

XV. kl. Sancti Lucæ evang. *Sol.*

O *D. Jacobus*, *& Catharina monacha*.

O D. Florianus monachus.

XIIII. kl. O *Acto prior Heremitæ*, & fr. Nardio converſus mon. de Berardinga.

O Ven. religioſus dompnus Johannes de Prato famoſiſſimus atque ampliſſimus organiſta, monachuſque hujus loci.

XIII. kl. O *D. Lucas & D. Gerardus*.

XII. kl. Sancti Hilarionis monachi. XII. *lect.*

O F. Benedictus converſus clericus heremita.

O Magiſter Gulinus piſtor hujus loci A. D. M. CCCC. XLI.

XI. kl. O *Maurus converſus*, D. Jacobus abbas ſancti Michaelis in Burgo Piſano.

X. kl. O D. Matthæus monachus.

VIIII. kl. O Reverendiſs. D. Mariottus Areti-

retinus generalis Camald. ſub A. D. M. cccc. LXXVIII.

VIII. kl. Sanҫti Miniatis cum Sociis ſuis Mm. III. *leҫt.*

O . . . . . . *ven. prior Camald.*

VII. kl. O Melior piſtor hujus loci & F. Romualdus converſus.

VI. kl. Vigilia apoſtolorum Simonis & Judæ

O D. Albertinus monachus & F. Jacobus conv. hujus loci.

V. kl. Natale apoſtolorum Simonis & Judæ. *Sol.*

O Thomas.

IIII. kl. O *Dominica converſa*. O D. Paulus prior de Scarpanto ordinis Vallis-umbroſæ.

III. kl. Sanҫti Germani ep. & Conf. III. *leҫt.*

O *Sperantia converſa hujus loci*.

II. kl. Vigilia omnium Sanҫtorum.

O *Aldibrandinus* ,! & D. Orlandus prior ſanҫtæ Margaritæ de Toſina.

O Reverendiſs. D. Hieronymus Griffonius Decretorum doҫtor ac hujus ordinis generalis digniſſimus ſepultus Romæ apud Minervam ſub anno noſtræ ſalutis M. cccc. LXXXX. (*vel* 1482.)

NOVEMBER.

KAlendis novembris luna XXX. *pleniſſima ſoll.*

Feſtivitas omnium Sanҫtorum & ſanҫti Cæſarii m.

O *D. Benvenutus abbas ſanҫtæ Helenæ*. O D. Stephanus mon. & F. Finus conv. O D. Ambroſius mon. iſtius monaſt. M. cccc. LVIIII.

IIII. non. O D. Frigdianus ven. prior Camald. M. cc. LXXXXVII.

O Il Egidii & magnificus dominus [illegible] Aldrovandinus Eſtenſis [illegible]chio M. ccc. LXI.

O Ven. monachus D. Simon de Forlivio ſtudens Bononiæ. M. cccc. XXII.

III. non. O *D. Angelus ven. prior Camald. & D. Rodulfus mon. hujus loci.*

II. non. Sanҫtorum Vitalis & Agricolæ Mm. III. *leҫt.*

O *D. Johannes*, & D Hilarius & D. . . . heus prior ſanҫti Damiani de Bononia.

nonis O *Guilielmus mon. hujus loci.*

O D. Michael de Florentia mon. ſanҫti Savini conventualis hujus loci Anno Domini 1455.

VIII. id. Sanҫti Leonardi Conf. III. *leҫt.*

O *D. Benvenutus*, & D. Bernardus mon. ſanҫti Johannis-baptiſtæ de Clugia.

VII. id. O *Bartholus*, & Bartholomæa monacha.

VI. id. Sanҫtorum Quatuor Coronatorum Mm. III. *leҫt.*

O *D. Petrus heremita.*

O D. Johannes Teutonicus prior ſanҫti Salvatoris de Verona.

V. id. Sanҫti Salvatoris & Sanҫti Theodori M. *Sol.*

O D. Bartholus & Margarita monacha.

IIII. id. O *Guidottus mon. hujus loci.*

O D. Petrus reҫtor eccleſiæ ſanҫti Matthæi de Bononia.

O D. Maurus mon. hujus loci.

III. id. Sanҫti Martini ep. & Conf. & ſanҫti Mennæ M. *Sol.*

O F. *Benvenutus conv. hujus loci*. O D. Ægidius.

II. id. O *D. Adam mon. hujus loci.*

idibus O D. Euſtachius ven. abbas monaſt. Vallis-caſtri. M. cccc. XXXIII.

XVII. kl. O Clara monacha.

XVI. kl. Sanҫtorum Martyrum Johannis & Benediҫti ord. Camald.

O *Ventura*. D. Johannes prior de Rovereto.

O F. Bartholomæus de Vincentia & prior de Caſtro-caro 1406.

XV. kl. O F. *Chriſtophorus mon. hujus loci* ,! & D. Bartholus mon. M. ccc. LI. O D. Clemens fil. Tonſi piſtoris monachus hujus monaſt. M. cccc. LXII. O Ven. P. D. Felix prior ſanҫti Mathiæ de Muriano.

XIIII. kl. Sanҫti Frigdiani ep. & Confeſs. XII. *leҫt.*

O Presbyter Oliverius converſus.

XIII. kl. O *D. Angelus*, *& F. Johannes converſus*.

XII. kl. O *Simeon*. O. Ven. P. D. Bartholomæus de Cluxia prior de Ferrazano de prope Forlivio 1406.

XI. kl. O *Michael.*

X. kl. O *D. Andreas*, & Mona monacha.

VIIII. kl. Sanҫti Clementis Pp. & M. & ſanҫti Columbani Conf. & ſanҫtæ Felicitatis M. XII. *leҫt.*

O *D. Benvenutus*, & D. Bartholomæus de Ferraria mon. hujus loci.

VIII. kl. Sanҫti Chriſogoni M. III. *leҫt.*

O *D. Medicus.*

II. kl. Sanҫtæ Catharinæ V. & M. & ſanҫti Petri ep.

O *D. Realis abbas ſanҫti Petri in Vincula*, & F. Leo monachus, Thadæus mon. O Rev. P. D. Paulus a Laude abbas Claſſenſis & pro[illegible]eſſus ſanҫti Michaelis de Muriano.

VI. kl, Sanҫti Bellini ep. & m.

O *D. Guido abbas Claſſenſis.*

O Ven. P. D. Auguſtinus abbas monaſt. Urani.

V. kl. Sanҫti Jacobi interciſi M. III. *leҫt.*

O *D. Datianus* & F. Benediҫtus conv. & F. Matthæus converſus.

IIII. kl. O F. *Raynutius converſus*.

O F.

O F. Franciscus de Perusio novitius hujus loci.

III. kl. Sanctorum Saturnini, Chrysanthi & Dariæ Mm. & vigilia sancti Andreæ apost.

O *Stephanus*. O F. Bonus de Mantua conv. hujus loci.

O Donnus Silvester de Saviis rector ecclesię sancti Zenonis Bursetæ in die sancti Andreæ 1540.

II. kl. Natalis sancti Andreæ apost. *Sol.*

O Beatrix monacha, F. Raynaldus conv. monast. de Serra.

O F. Guidinus conv. Fontis-boni.

DECEMBER.

KAlendis Decembris luna XXIX.

O *Ægidius*.

IIII. non. O *D. Guido*.

III. non. O *D. Bonifacius abbas sancti Hippolyti*, & F. Jacobus conv.

II. non. Sanctæ Barbaræ V. & M. III. *lect.*

O *Johannes*, & D. Jacoba monacha sanctæ Christinæ.

nonis. M. CCC. LX. indictione III. die V. mensis decembris obiit ser Petrus de Capella de Cremona notarius hujus monast. Vangadiciensis.

VIII. id. Sancti Nicholai ep. & Conf. *Sol.*

O *Ventura conv.* & soror Sandra & D. Jacobinus.

VII. id. Sancti Ambrosii ep. & conf. & sancti Savini ep. & M. *Sol.*

O *Blanca*, & soror Tana conv.

VI. id. Sancti Zenonis episc. conf. XII. *lect.*

Conceptio B. Mariæ V. Solemnitas plenissima.

O *Bentevegna mon. & D. Benedictus*.

V. id. S. Siri ep. & conf. III. *lect.*

O *Panzas conversus*, & D. Petrus abbas sanctæ Elenæ, & Francisconus conversus ejusdem loci.

O D. Johannes prior sancti Firmi de Este M. CCC. XXXVIII.

IIII. id. O *D. Thaddæus prior de Poplena*, *& D. Johannes*, O D. Simon mon.

III. id. Sancti Damasi pp. & conf. III. *lect.*

O *D. Jacobus ven. prior Camald. & D. Restaurus*.

II. id. O *Martinus conversus*.

idibus. Sanctæ Luciæ v. & m. XII. *lect.*

O *Oliverius*, O Parte.

XVIIII. kl. O *Matthæus conversus*.

XVIII. kl. O *Bartholomæus ven. prior Camald.*

XVII. kl. O *Maurus conversus*, D. Bernardus mon. D. Mansuetus.

O D. Angelus de Abacia prior claustralis hujus loci, & F. Bernardus conv. hujus loci.

XVI. kl. O *F. Daniel*. O D. Petrus abbas.

XV. kl. O *Johannes conversus*, O D. Laurentius de Anglario hujus abbatiæ prior claustralis sub anno Domini M. CCCC. LXXXXIX.

XIIII. kl. O *Matthæus*.

XIII. kl. Vigilia S. Thomæ apost.

O *Vitalis*, O F. Cionus mon.

O D. Jacobus de Recanato artium & Medicinæ doctor, 1530.

XII. kl. Natale sancti Thomæ apost. *Sol.*

O Maurus conversus.

XI. kl. O Turus conversus.

X. kl. O Franitus conversus.

VIIII. kl. Vigilia Natalis Domini.

O *Johannes*, O D. Antonius de Vergareta heremita, D. Benedicta monacha sanctæ Christinæ de Bononia.

VIII. kl. Jesus Christus in præsepe natus est, & S. Anastasiæ V. & M.

O *Jacobus* & D. Paulus mon. F. Benedictus conv. & F. Johannes de Ferraria mon.

VII. kl. Sancti Stephani prot. *Sol.*

O *D. Donatus* & *D. Deodatus*, F. Bartholomæus conv. & Tesa conv.

A. D. M. CCC. LXXXXVIIII. indictione VII. die XXVII. mensis octobris F. Gregorius de Billionibus de Ferraria mon. sanctæ Mariæ de Vangadicia, prior S. Salvatoris de Verona obiit Ferrariæ, & sepultus est in claustro sancti Dominici ordinis Prædicatorum, cujus anima requiescat in pace, quia bonus & utilis fuit pro monasterio.

VI. kl. Sancti Johannis evang. *Sol.*

O *D. Johannes*, & Marchese conversus.

O D. Hieronymus Teutonicus prior sancti Johannis de Judecha.

O D. Fredericus Teutonicus mon. sancti Johannis de Judecha.

V. kl. Sanctorum Innocentium mm. *Sol.*

O *D. Axobaldus prior sancti Salvatoris de Verona & D. Paulus*.

O Matthæus conv. sancti Johannis de Clugia.

IIII. kl. Sancti Thomæ ep. & m.

O *Albertinus* & D. Gentile commissa.

III. kl. O *Deodatus*.

XIII. kl. Sancti Silvestri pp. & conf.

O *Raynaldus marchio domus Estensis* M. CCC. XXXVI.

M. CCCC. LX. die XII. mensis februarii hora XX. portata fuit imago genitricis virginis Mariæ . . . . . Vangadiciæ.

M. CCCC. LXXXVII. die VI. septembris Rev. dominus Ambrosius Bernardo sedis apostolicæ pro-

protonotarius & commendatarius ſanctæ Mariæ de Vangadicia ingreſſus eſt poſſeſſionem dicti monaſterii ſanctæ Mariæ præſente domino Jacobo Donato digniſſimo poteſtate, & coram omni populo.

Hæc ſunt ſtatuta, quæ D. Guido prior Camaldulenſis fecit & compoſuit in ordine ſuo Camaldulenſi; *Cum ſancta ſit & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare generali capitulo approbante ſtatuimus, & firmiter præcipimus, ut jugiter ſexta feria novem pſalmi cum totidem lectionibus & reſponſoriis debeant ſolemniter decantari*.

Natale ſanctorum plurimorum Martyrum atque ſanctarum virginum. Obierunt Monachi & Monache congregationis & Abbatiæ, & Benefactores.

Rev. in Chriſto pater & dominus domnus Antonius olim abbas monaſterii ſanctæ Mariæ de Vangadicia aſſumptus fuit in priorem generalem ſanctæ Camaldulenſis heremi anno Domini M. cccc. xi. tertia indictione, & fuit primus Antonius generalis, & fuit electus in die ſancti Clementis, & obtinuit ipſam abbatiam in commendam ad vitam. Deo gratias.

NECROLOGIUM BONONIENSE

Monaſterii monialium Camaldulenſium S. Chriſtinæ de Bononia.

Ex codice autographo membranaceo ejuſdem monaſterii.

JANUARIUS.

Kalendis. Circumciſio Domini. Sancti Baſilii.

Anno Domini 1543. obiit rev. mater ſoror Scholaſtica de Panzatolis de Faventia profeſſa monaſterii ſancti Maglorii de Faventia prioriſſa hujus monaſterii ſanctæ Chriſtinæ de Bononia.

IIII. non. Octava ſancti Stephani.

III. non. Octava ſancti Johannis Ev.

M. cccc. xvi. O Domina Bella benefactrix ſanctæ Chriſtinæ.

II. non. Octava Innocentum.

A. D. 1649. die xiii. Decembris O D. Juditha monialis profeſſa ſanctæ Chriſtinæ genere nobilis, ſed virtute & moribus nobilior ætatis ſuæ anno xliii.

VIII. id. Epiphania Domini.

A. D. 1598. O D. Eliſabeth ex illuſtri Graſſorum familia ſanctimonialis profeſſa ſanctæ Chriſtinæ.

A. D. M. ccc. xlviii. O F. Jacobus converſus monaſterii ſanctæ Chriſtinæ de la Fundacia ordinis Camaldulenſis, cujus corpus ſepultum eſt in ſancto Andrea, pro cujus anima tenemur, quę requieſcat in pace.

O bonæ memoriæ ſoror Paula monialis monaſterii ſanctæ Margaritæ juxta monaſterium ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia.

VII. id. O D. Romea de Bucchis monialis annorum 73. A. D. 1669.

M. cc. lxxxx. O Dominus Ægidius de Fuſcariis doctor decretorum benefactor hujus loci.

A. D. M. ccc. lxi. O ſoror Margarita converſa hujus monaſterii hic ſepulta.

VI. id. O Franciſca oblata hujus monaſterii & ſacriſta eccleſiæ de foris, cujus vita integerrima numquam poſſet explicari, anno Domini 1594.

O D. Franciſca converſa hujus monaſterii. *Charact. ſeculi* xv.

V. id. O D. Margarita converſa hujus loci. *Sec.* xiv.

M. cc. xvi. O D. Beatriſia abbatiſſa ſanctæ Chriſtinæ.

IIII. id. Sancti Pauli primi Eremitæ.

O D. Gregorius monachus ſanctæ Mariæ de Angelis de Bononia. *Sec.* xiv.

M. cccc. xxxviiii. O D. Sebaſtianus abbas monaſterii Camaldolenſis de Bononia.

A. D. M. ccc. lxxxvii. O rev. pater & D. D. Johannes de Burgo-ſancti-Sepulcri ordinis ſancti Camaldulenſis, anima cujus beata ſit, & ſepultus eſt in eremo.

III. id. Obitus domni Geronimi de ordine Camaldulenſi doct. *Sec.* xiv.

A. D. 1594. die x. jan. O D. Eufragia ab Auro, quæ fuit abbatiſsa, & obiit dum eſſet prioriſſa.

II. id. M. cc. liii. O Johannes fornarius hic ſepultus.

M. cccc. x. O ſoror Cæcilia de Oratiis & hic ſepulta.

idibus. Octava Epiphaniæ & Ylarii ep. & doctoris.

O D. Bartholomæa monacha ſancti Salvatoris de Furlivio. *Sec.* xv.

XVIIII. kl. Sancti Felicis presb. & m.

A. D. M. ccc. lxxxi. O D. Chriſtina de Arioſtis monacha ſanctæ Chriſtinæ hic ſepulta.

O D. Marina de Sandellis monacha S. Chriſtinæ hic ſepulta.

XVIII. kl. Sancti Mauri abbatis & conf.

Anno 1525. O rev. D. Petrus Delphinus Venetus prior ſacræ eremi & generalis Camaldulenſis vir ſanctiſſimus atque doctiſſimus, qui præfuit univerſo ordini annos xlv. obiit ætatis ſuæ anno lxxxi. ſepultus eſt in eccleſia ſancti Michaelis de Murano, cujus anima in pace requieſcat. Fuit enim ultimus generalis perpetuus, & rexit integerrime.

XVII.

xvii. kl. Sancti Marcelli pp. & m.
O soror Constantia ab Auro hujus monasterii professa 1567.
M. ccc. xix. O D. Riga monacha sanctæ Christinæ.
A. D. M. ccc. xxxvii. O D. Philippa benefactrix hujus loci.

xvi. kl. Sancti Antonii abbatis, & conf.
M. ccc. xi. O soror Pacifica monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
1594. O ven. virgo soror Lucia de Pensabenis velata vere laudanda, quia in observantia sanctæ Regulæ, & statutorum monasterii erat integerrima.
1608. O D. Julia de Tobaleis suæ ætatis anno lxiii.

xv. kl. Sanctæ Priscæ V.
M. cccc. xxxiii. O Francischina Batella conversa hujus monasterii.
1631. O D. Victoria, quæ fuit abbatissa hujus ven. monasterii.

xiiii. kl. SS. Marii, Marthæ, Audifacis & Abacuch mm.
1599. xxii. januarii O D. Bernardina de Bentivolis post abbatisæ officium ter egregie functum octuagenaria obiit. Hæc prima fuit, quæ in nova novæ ecclesiæ sepultura novissimum diem expectatura quievit.

xiii. kl. Sanctorum Fabiani & Sebastiani mm.
1627. xxiii. januarii O D. Virginia de Fuzzis post abbatissæ officium egregie effectum anno lxxxv. suæ ætatis.

xii. kl. Sanctæ Agnetis V.

xi. kl. Sancti Vincentii m.
Die xx. O D. Francisca Maria de Bolognettis, alio nomine soror Lucretia, quo nomine post exactam professionem sibi placuit nominari ob felicem dilectæ suæ matris memoriam, quæ Lucretia vocabatur. Fuit hæc quondam Illustrissimi & Reverendissimi Alberti S.R.E. Cardinalis soror, tantaque vitæ integritate & morum honestate claruit, ut a cunctis amaretur. Obiit anno ætatis suæ xliii.

x. kl. Sanctæ Emerentianæ v. & m.
M. ccc. xxviii. F. Ghirardus conversus hic sepultus.
O D. Nomengarda conversa sanctæ Christinæ hic sepulta. *Eod. seculo.*

viiii. kl. O D. Felicitas monacha.
O Brigida monacha hic sepulta.
O Quintanese hic sepulta.
O D. Fana de Blanchettis monialis. *Omnes eod. seculo,*
M. d. lxxxx. die 24. O D. Francisca de Gessis monacha hujus monasterii.

viii. kl. Conversio sancti Pauli apost.
A. D. M. ccc. lxxxi. O D. Cesia de Bechatellis monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
A. D. M. ccc. xxxi. O ven. mater & D. Agnete abbatissa sanctæ Christinæ de Fundatia benefactrix dicti monasterii.
A. D. M. cccc. lxiii. de mense januarii O soror Francisca de Ferreo monacha S. Christinæ de Bononia.

vii. kl. A. D. 1560. O D. Angelica a Campello monacha istius loci.

vi. kl. 1628. O D. Maria Cœlestis de Terribilia.
M cc. lxxxiiii. vi. kl. Febr. O ven. mater D. Reborgina abbatisa hujus loci.
M. dc. iii. O soror Florida de Cospis monacha hujus monasterii, & sepulta fuit in ecclesia nova die xxviii. januarii.

v. kl. Sanctæ Agnetis secundo.
O Beatus Bartholus Pisanus conversus ordinis nostri. *Sec. xv.*

iiii. kl. 1633. O in primo anno secundi triennii maximo cum dolore abbatisa D. Æmilia ex illustri familia de Grassis.

iii. kl. 1630. O soror Jucunda de Sanctis oblata.

ii. kl. Geminiani episc. & conf.
1555. O soror Seraphina de Dosiis monacha professa hujus monasterii sepulta in ecclesia de foris.
1557. O soror Jacoba de Mengaciis conversa hujus monasterii sepulta in ecclesia.

FEBRUARIUS.

kl. SAncti Severi ep. & conf. & sanctæ Birgitæ.
Sancti Ignatii ep. & m.

iiii. non. Purificatio sanctæ Mariæ Virginis.
O D. Clara conversa hujus loci hic sepulta. *Sec. xv.*
O Teuza conversa hic sepulta. *Sec. xiv.*
M. ccc. xlviii. O D. Margarita de Brigola monacha hic sepulta.

iii. non. Sancti Blasii episc. & m.

ii. non. M. ccc. ii. O D. Ysabeta monacha hujus loci hic sepulta.
O Navius conversus hic sepultus.

nonis. Sanctæ Agathæ V. & m.
O D. Cleria Pepula nobilis Bononiensis die vii. Febr. 1638.
M. cc. lxxx. O D. Bartholomæa monacha hujus loci hic sepulta.
1564. O soror Placida a Prato-veteri conversa hujus monasterii.
M. cc. xxiiii. O D. Agnesia monacha hic sepulta.
M. cccc. xviii. O D. Bartholomæus prior S. Mariæ Angelorum.

vi. id. M. cc. lii. O D. Gentiana monacha hic sepulta.
M. ccc. xxviii. O D. Druda conversa in monasterio S. Andreæ de Uzano.

v. id. Sanctæ Apolloniæ v.

M. cc. LXXXXI. O Cambiolus conversus hujus loci.
M. D. XXXXV. O soror Lucia de Pisa monacha hujus monasterii hic sepulta, idest in Capitulo.

IIII. id. Sanctæ Scholasticæ V.
M. CCCC. IIII. O Lertotius conversus hujus monasterii.
M. CCC. XII. O D. Bartholomæa de Brigola.
M. CCCC. LXV. O D. Maria de Montebudolo benefatrix monasterii sanctæ Christinæ de Fondazia.
M. CCC. XLIIII. O D. Muzola monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.

III. id. M. CCCC. XVIIII. die XI. februarii. O ven. vir D. Nicolaus de Venetiis prior tunc capellanus hic noster.
1621. die XI. febr. O D. Hippolyta de Zibetis monacha hujus monasterii ætatis suæ XCV.

II. id. O F. Johannes conversus sanctæ Christinæ veteris. *Sec.* XIV.

Idibus. M. CCC. VII. O D. Bandinus prior sanctorum Cosmæ & Damiani.
M. CCCC. XVIII. O D. Jacoba de Leazariis hujus monasterii S. Christinæ hic sepulta est.

XVI. kl. Sancti Valentini m.
M. cc. LX. O D. Lucia monacha.

XV. kl. Ss. Faustini & Jovitæ mm.
M. CCCC. LXVI. O D. Benedicta de Fredo monacha.
M. CCCC. LXXX. O D. Margarita de Munzone monacha.

XIIII. kl. 1655. XVIII. februarii O D. Methilda Scappi monialis. Nondum compleverat juventam.

XIII. kl. 1520. O D. Margarita de Capocchis monacha hujus monasterii.

XII. kl. M. CCCC. LXXX. O D. Margarita monacha hujus monasterii, quę quidem monacha fuit de Ariostis.

XI. kl. 1631. O rev. mater D. Hortensia de Bombasis optima religiosa.

X. kl. Sanctorum Archatii & sociorum ejus.

VIIII. kl. O D. Damianus capellanus monasterii sancti Petri de Luco.
1619. XX. febr. O rev. D. Margarita de Javerinis olim promemerita abbatissa.

VIII. kl. Cathedra S. Petri apost.
O bonæ memoriæ domnus Gregorius reclusus eremi.

VII. kl. O D. Basilius hujus monasterii benefactor noster & devotus. *Sec.* XIV.

VI. kl. Sancti Mathiæ apostoli.
O D. Lippa conversa hujus monasterii. *Sec.* XIV.
M. CCCC. VIIII. O Dominicus & Maria uxor ejus benefactores hujus mon.
1428. O F. Dominicus Gadini conversus monasterii S. Andreæ de Uzano.

V. kl. 1566. O soror Philippa conversa hujus mon.

IIII. kl. M. cc. LXXXXII. O D. Catharina de Axinellis monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
O D. Pretina de Usbertis monacha hujus monasterii. *Sec.* XIV.
O D. Dina commissa hujus monasterii. *Sec.* XIV.

III. kl. M. cc. XLII. Petrus Bonalingua conversus hic sepultus.

II. kl. O D. Guido ven. prior Camald. sepultus in ecclesia eremi Camaldulensis. *Sec.* XIII.
M. CCCC. XV. O ven. D. Agnesa de Usbertis monacha istius monasterii.

MARTIUS.

Kalendis. O D. Maria benefactrix hujus monasterii. M. CCCC. L.
O D. Ancillia de Belvisi monacha istius monast. M. D. LXXX.
O D. Christina del Canton monacha istius mon. M. D. LXXX. die II. martii.

VI. non. 1582. O D. Olimpia de Bologninis monacha hujus mon. anno ætatis suæ XXX.

V. non. A. D. M. CCC. LXXXXVIII. O ven. & religiosa D. Mina abbatissa hujus mon.
M. CCC. XVIII. O D. Marcus capellanus sanctæ Christinæ hic sepultus.

IIII. non. M. cc. LXXXXIX. O frater Rogerius de Boccadeforno conversus sanctæ Christinæ hic sepultus.

III. non. M. cc. LXI. penultima dominica Carnis-privii. O Rolandus fornarius.

nonis. Regulas ad inveniendum Pascha.

Post nonas martis ubi sit nova Luna require.
Inde dies Domini tertia Pascha tene.

A. D. M. CCCC. XXVII. Ven. mater & domina D. Christina de Burgo-sancti-Sepulcri abbatissa hujus sacri monasterii feliciter migravit ad Dominum, cujus anima per Dei misericordiam requiescat in pace, amen. Requiescatque pariter anima Johannis patris sui hujus præfati monasterii benefactoris.

VII. id. Sancti Thomæ de Aquino conf. *Sec.* XV.
A. D. M. CCC. LXXVI. O D. Chola monacha sanctæ Christinæ.
A. D. 1562. O soror Archangela de Ugolotis de Bononia cum in hoc sanctæ Christinæ cœnobio sanctimonialem vitam annis XLIX. duxisset, annisque tribus olim præfuisset.
1670. O D. Christina de Peraccinis annum agens LXII. Virgo summæ integritatis, humilitatis & sufferentiæ in morbis, quæ ipsam fere semper usque ad mortem occupavere.

VI. id. M. cc. LXXII. O presbyter Johannes, qui erat doctor in cantu.

IIII. id. Sancti Gregorii papæ, & doctoris.

M. cc. xxxiv. O D. Mathilda monacha hic sepulta.
M. ccc. lxxvi. O D. Philippa monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.

iii. id. M. cccc. xxxviiii. O soror Lasia conversa hujus monasterii sepulta in sancto Andrea de Uzano.
1648. O soror Floriana conversa hujus monasterii.

ii. id. M. ccc. xxxii. O ven. frater D Raynerius de Beccatellis prior sancti Damiani.

Idibus. M. cc. lxxxii. O D. Imelda monacha S. Christinæ hic sepulta.
O F. Jacobus conversus monasterii nostri sanctæ Christinæ veteris. *Sec.* xiv.

xvii. kl. M. ccc. lxxxxiiii. O D. Johanna abbatissa monasterii S. Johanni de Prato-veteri ordinis Camaldulensis.
1577. O soror Vincentia de Nigris professa hujus monasterii.

xv. kl. O Johannes de Tachonibus & uxor ejus Muzola. *Sec.* xv.
1568. O soror Theodosia de Grassis monacha hujus monasterii sanctæ Christinæ hic sepulta. Vixit annos xix. dies xiii.

xiiii. kl. Sancti Joseph Sponsi Virginis Mariæ. *Sec.* xvi.
1592. O soror Ursulina conversa hujus monast.

xiii. kl. 1625. O soror Christina de Ulivis de Florentia conversa.

xii. kl. S. Benedicti abbatis conf. *Sol.*

xi. kl. M. ccc. O D. Nicolaus prior Camaldulini de Bononia.
M. ccc. lxxxxi. O Encius conversus sanctæ Christinæ hic sepultus.
1653. pridie kal. aprilis O D. Elisabeth Vizana monialis.

viii. kl. Annunciatio Sanctæ Mariæ Virginis. *Sol.*
O D. Catharina conversa monasterii sanctæ Christinæ de Bononia. *Sec.* xiv.
O D. Antonia de Poetis monacha istius monasterii 1500.

vii. kl. O soror Nicola monacha sancti Georgii de Apis de Senis. M. cccc.
1580. die xii. martii. O soror Ludovica de Grassis monacha hujus monast.
1580. die xviii. martii. O soror Laura de Bonsignoris monacha hujus mon.

vi. kl. 1561. O soror Martha a Turre conversa hujus mon.
1590. O Soror Catharina de Bonzannis monacha hujus mon.
1653. O Soror Jacinta Canuta oblata.
1661. O D. Claudia Gozadina annum agens lxxxv. virgo summæ sanitatis, & ingenuitatis, semper ubique hilaris, in moribus adeo excellens, ut nec malum sciret.

v. kl. O D. Johanna conversa sepulta in mon. S. Christinæ. *Sec.* xv.
M. cc. lxxxxi. O Stephanus conversus S. Christinę hic sepultus.
A. D. M. ccc. xxxxi. O. D. Sclarita de Beccatellis benefactrix monasterii sanctæ Christinæ hic sepulta.

iiii. kl. O D. Burga conversa mon. sanctæ Christinæ de Bononia, sepulta in ecclesia sancti Andreæ in Uzano.
1556. O Soror Dorothea de Cathaneis conversa hujus mon.

iii. kl. O Catharina Gadina conversa S. Andreæ de Uzano. *Sec.* xiv.

ii. kl. M. cc. xlix. O D. Belengarda monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.

A P R I L I S.

iiii. nonas. Obiit Soror Jacoba benefactrix istius loci hic sepulta.
O D. Franciscus monachus monasterii sanctæ Mariæ de Angelis de Bononia M.cccc.xxxviii.
M. d. lxx. O soror Hieronyma de Zamaris monialis hujus monast.

iii. non. M. ccc. iii. O soror Bona conversa sanctæ Christinæ hic sepulta.

nonis. M. cc. lxxxxi. O D. Gerardus prior Camaldulensis.

viii. id. O D. Amadeus monachus ordinis Camaldulensis capellanus hujus monast.
1662. D. Maura Thaddæa de Borrigaris Decana annum agens 81. olim fuit abbatissa.

vii. id. M. ccc. O D. Zuliana monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.

vi. id. O D. Piera de Prato-veteri. *Sec.* xiv.
O Ven. P. D. Benedictus de Forolivio abbas sancti Zenonis de Pisis. M. cccc. xlviii.

v. id. O D. Margarita conversa sancti Andreæ de Uzano. *Sec.* xiv.
1603. O soror Jacoba conversa hujus mon. ætatis suæ 63.

iiii. id. M. cc lxxxvi. O D. Guicta conversa hujus loci, hic sepulta.

iii. id. M. cc. xlviii. O D. Scholastica abbatissa sanctæ Christinæ hic sepulta.
O D. Leonardus capellanus dicti monasterii, cujus corpus hic sepultus est. 1461.
M. cccc. lxx. O D. Ursina de Papacionis hic sepulta monacha hujus monasterii sanctæ Christinæ.

ii. id. A. D. 1583. xii. aprilis. O ven. D. Benedicta de Carlinis de Bononia abbatissa hujus monasterii sanctæ Christinæ feliciter migravit ad Dominum ultimo anno dignitatis suæ.

xviii. kl. Sanctorum Tiburtii & Valeriani mm.

xvii. kl. M. cc. xxxvii. O D. Maximilla monacha hic sepulta.
M. ccc. xviii. O F. Ugolinus conversus S. Christinæ hic sepultus.

xvi.

xvi. kl. M. ccc. xx. O D. Anselicia monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
M. ccc. xviii. O D. Philippus de Blanchis.
xv. kl. M. cc. lxxxvi. O D. Viviana conversa hujus loci hic sepulta.
xiiii. kl. M. cccc. lviiii. die xvii. hujus mensis. O Accius de Quarto, cujus anima requiescat in pace cum suis mortuis omnibus, videlicet suis patre & matre, amen.
xiii. kl. M. ccc. xxii. O F. Symon de ordine fratrum Heremitarum, qui dicitur Sanctus.
xii. kl. M. cccc. viii. O ven. P. D. Andreas de Cæsena generalis noster Camaldulensis ordinis & sepultus est in heremo die xxiii. hujus mensis.
O Beatus Dominicus Pisanus ordinis nostri. *Sec.* xv.
xi. kl. Anno 1595. die x. O rev. mater soror Maura de Panzachiis, quæ fuit abbatissa monasterii sanctæ Christinæ.
x. kl. O Ugolinus conversus hujus monasterii hic sepultus.
1674. die ix. decemb. O soror Lucia ab Horto oblata annorum lxxv. virgo in officiis exactissima, regulæ observantissima, devota in Deum, B. Virginem & B. Luciam Stifontinam, cujus ædem & altare in Stifonte & in Ozano omni sup pellectili & ornamento curavit semper quamdiu vixit.
viiii. kl. 1638. die xxiv. aprilis. O D. Catharina Vitalis olim abbatissa.
viii. kl. Sancti Georgii m.
vii. kl. Sancti Marci Evang. *Sol. & Litaniæ majores.*
1675. die vi. julii. O D. Maria Debora Dilecta de Palæottis stirpe nobilis, sed virtutibus longe nobilissima cum annos xlvi. ageret, quos omnes per continua exercitia pietati sacraverat & scientiis. Acutissimo valuit ingenio, itaut brevi cursu Latinum adepta sermonem, & poesim mira carminum modulatione Musas excitaverit; & inde abditos introgressa Logicæ, Physicæ & Metaphysicæ recessus profundiora ad miraculum fundamenta detegerit. Prudentia insignis non unicum tantum cenobium, sed regnum feliciter gubernare potuisset. Proprii ordinis institutionibus anxie cultis, devotionem in Deum & B. Virginem talem adjunxit, ut majorem noctium partem in ecclesia, ædiculisque visendis & in oratione assumpserit. Molestas altissimarum rerum passa fuit tentationes, quibus ante morbum soluta, abscessu & febri correpta exempla ri tolerantia vim morbi sufferens, omnibus munita sacramentis sine pugna, sine agonia, hilari vultu subridens expiravit.
iiii. kl. Sancti Vitalis m.
iii. kl. A.D. M. cccc. lx. O D. Helda conversa monast. S. Christinæ.
ii. kl. O Ymilina monacha hic sepulta. *Sec.* xiii.

MAJUS.

SAnctorum apost. Philippi, & Jacobi. *Sol.*
O Ugutio conversus sanctæ Christinæ & sepultus hic M. cc. xxxvi.
O Ven. P. D. Matthæus prior monasterii sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia Anno Domini M. cccc. xxi.
1659. O D. Alexandra de Sartis annum agens lxxx. virgo magnæ observantiæ & magnæ abstinentiæ, itaut per multos annos solis orationibus & contemplationibus vivens fere fuerit oblita sui.
v. non. Inventio sanctæ Crucis, & Sanctorum Alexandri, Eventii, Theodori & Juvenalis mm. *Sol.*
O Cæcilia conversa hic sepulta. *Sec.* xiv.
iiii. non. O D. Lucia monacha hujus loci, & sepulta in monasterio sancti Lazari.
O D. Gabriela monacha monasterii sancti Mamiliani de Senis M. cccc. xxxviii.
ii. non. Sancti Johannis ante portam Latinam.
O Ven. P. D. Matthæus abbas sancti Zenonis Pisarum anno M. cccc. l. die vii. maii.
nonis. O Dominicus Billus conversus sancti Andreæ de Uzano Anno Domini M. cccc. lvii.
viii. id. Apparitio S. Michaelis. *Sol.*
M. cc. lxxxxi. O D. Ymelda benefactrix hujus loci.
vii. id. M. cc. lxxxv. O F. Johannes conversus sanctæ Christinæ hic sepultus.
1662. O soror Cherubina de Gavasis conversa annum agens 81.
vi. id. Sanctæ Christinæ V. & m. & Sanctorum Gordiani & Epimachi mm.
1554 O soror Paula de Capitebovis monacha hujus monasterii sepulta in ecclesia de foris.
iiii. id. Sanctorum Nerei, Achillei atque Pancratii mm.
iii. id. M. cccc. xxiiii. O ven. D. Petra de Panciatis abbatissa hujus monast.
ii. id. M. ccc. xxxv. O D. Anna de Beccatellis monialis S. Christinæ hic sepulta.
M. ccc. xxx. O Maria de Brigola mater Margaritæ.
M. cccc. xxxviii. O D. Johanna conversa mon. sancti Mamiliani de Senis.

Idi

Idibus. O D. Clemens monachus sanctę Mariæ de Angelis de Florentia. *Sec.* xv.
1657. die xxxi. O soror Baptista de Tombis conversa.
xvi. kl. A. D. M. cccc. xxviiii. O ven. mater & D. D. Scholastica de Castro-giani abbatissa hujus sacri monasterii.
xv. kl. Sancti Venantii m.
xiiii. kl. Sanctæ Potentianæ v.
Natalis sancti Petri Cœlestini Confess. olim papæ Quinti. *Sec.* xv.
M. cc. lxxxxii. O frater Boncompagnus filius domini Zoanini.
M. ccc. lxxxxix. O Lucia monacha hujus monasterii.
M. cccc. xxxx. O soror Camilla Montis-calvi monacha hujus monasterii.
xiii. kl. S. Eustachii cum sociis suis.
xii. kl. O Placida monacha hic sepulta. *Sec.* xiv.
xi. kl. 1612. O D. Octavia de Bolognettis. Fuit ita Deo dilecta & amabilis, ut omnibus exemplum bonorum se exhiberet. Habuit fratres alterum S. R. E. cardinalem, alterum vero senatorem. Hæc ob ejus vitæ sanctitatem, morum integritatem, ingenii & judicii acumen, & rerum agendarum sagacitatem summo cum honore, monasterii utilitate, ac monialium consolatione abbatissæ officio optime functa fuit. Vixit annos lxiv.
x. kl. M. cccc. O ven. D. D. Agatha abbatissa monasterii de Prato-veteri.
ix. kl. A. D. M. ccc. xliiii. O F. Dominicus conversus sanctæ Christinæ hic sepultus.
viii. kl. Sancti Urbani papæ & m.
1512. O soror Jacoba conversa sanctæ Christinæ hic sepulta.
O D. Angela Corbina Sanctissimo D. Gregorio XV. sanguine propinqua. Duabus vicibus dignitatem abbatialem recusavit. Vixit annos lxxxiv.
vii. kl. O D. Ghisela conversa sanctæ Christinæ hic sepulta. *Sec.* xiii.
O D. Adalasia conversa sanctæ Christinę hic sepulta. *Sec.* xiii.
vi. kl. M. cc. xxxiiii. O D. Jacobina abbatissa sanctæ Christinæ.
O D. Julia de Ursis hic sepulta monacha. *Sec.* xvi.
Et D. Lucretia da la Gargazia hic sepulta. *Sec.* xvi.
v. kl. M. cccc. xlix. O D. Gabriel mon. ordinis Camald.
O D. Symon monachus ord. nostri. *Sec.* xv.
O Ven. D. Agnesia abbatissa monasterii sancti Mamiliani de Senis. *Sec.* xv.
O D. Magdalena de Brandolinis Foro-liviensis monacha hujus monasterii hic sepulta ante altare. *Sec.* xv.

iiii. kl. 1512. O soror Lucretia de Leonis hic sepulta.
iii. kl. M. ccc. xxx. O D. frater Petrus de N.....s de ordine sancti Johannis de Templo benefactor hujus loci.
M. ccc. xxvii. O Ysota conversa istius loci hic sepulta.
O rev. soror Romualda de Zanis octuagenaria olim abbatissa. A. D. 1609. 28. maii.
ii. kl. Sanctæ Petronillæ v.
M. ccc. xv. O D. Accursius ven. prior ordinis Camald.
M. ccc. xxvii. O D. Imigla monacha.
O D. Antonia monacha sancti Salvatoris de Foro-livio. *Sec.* xv.

JUNIUS.

Kalendis Sancti Viriani cum sociis suis.
Sancti Proculi m.
1512. O soror Archangela de Gratis monacha hujus mon.
iiii. non. Sanctorum Marcellini & Petri mm.
M. cccc. xxxvi. Eclypsis Solis die veneris.
iii. non. Sanctorum Laurentini & Pergentini mm.
M. cc. lxxxxvii. O D. Sophia monacha hic sepulta.
ii. non. M. ccc. xxvii. O D. Johanna monacha hic sepulta.
1512. O soror Agatha de Gravalcore conversa hic sepulta.
Nonis. M. ccc. xlviii. O P. D. Bonaventura prior generalis ordinis Camald. & sepultus est in heremo.
viii. id. 1650. O D. Maria Blanca de Agucchiis monacha hujus monasterii annum agens 65.
vii. id. O Petrus conversus hujus loci & D. Johanna conversa. *Sec.* xv.
M. cccc. lxxxv. O ser Perinus conversus sanctæ Christinæ & benefactor hujus loci.
vi. id. M. cccc. viiii. O. D. Christina de Senis abbatissa hujus loci & hic sepulta.
1629. O D. Julia de Belvisis.
1512. O soror Aurelia de Dolfis hic sepulta.
1629. O D. Laurentia de Bonsignoris bis abbatissa hujus monasterii.
v. id. Sanctorum Primi, & Feliciani mm.
M. ccc. xxvii. O F. Bartholinus de ordine sancti Johannis de Templo benefactor hujus loci.
O Beatus Silvester conversus monasterii sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia. *Sec.* xv.
iiii. id. M. ccc. lvii. O D. Maria ven. abbatissa hujus monasterii.
iii. id. Sancti Barnabæ.
S. Honophrii Conf. *Sec.* xvi.
M. ccc. lxxxxviii. O ser Ugolinus

linus Tebaldi, & D. Corteſe benefactores hujus mon.

ii. id. Sanctorum Baſilidis, Cirini, Naboris & Nazarii mm.

M. cc. xxx. O Paulus converſus ſanctæ Chriſtinæ.

M. cc. xxxvii. O presbyter Girardus converſus ſanctæ Chriſtinæ hic ſepultus.

M. cccc. xlvi. O D. Petrus prior Sanctorum Symonis & Judæ de Orbizzano.

xviii. kl. O D. Caſtellana monacha hic poſita. *Sec.* xiv.

1512. O ſoror Gentilis de Manciolinis hic ſepulta.

xvii. kl. Sanctorum Viti & Modeſti, atque Creſcentiæ mm.

O Nerbona converſa Camaldulenſis. *Sec.* xiv.

xvi. kl. M. cccc. xxvi. die xxi. junii. O D. Thomas prior ſancti Johannis-baptiſtę de Bagna-cavallo.

xv. kl. M. ccc. xlviii. O D. Jacoba monacha hic ſepulta.

O D. Theobaldus monachus Vangadiciæ. *Sec.* xv.

1592. O ſoror Lavinia de Corbinis de Piſis monacha hic ſepulta.

M. ccc. xxxiii. O D. Philippa monacha hic ſepulta.

xiiii. kl. Sanctorum Marci & Marcellini mm.

M. ccc. xxii. O D. Agnes monacha ſanctæ Chriſtinæ.

O Bozo converſus S. Chriſtinæ.

xiii. kl. Sancti Romualdi abbatis & conf. *Sol.*

SS. Gervaſii & Protaſii.

M. cccc. xxxi. O F. Clarius converſus hujus monaſterii & ſepultus eſt in ſancti Andreæ de Auzano.

1647. xviii. kl. julii. O ſoror Urſula converſa.

xii. kl. O Samaritana converſa hic ſepulta.

xi. kl. M. ccc. lxii. O F. Jacobus converſus hujus mon. & ſepultus eccleſia ſancti Andreæ.

x. kl. Sanctorum Decemmilia martyrum. *Sec.* xv.

O D. Johannes monachus ſanctę Mariæ de Angelis de Bononia. *Sec.* xv.

1576. xxi. junii. O ſoror Hortenſia de Luchinis & ſepulta eſt in eccleſia veteri.

viiii. kl. O frater Vincentius monaſterii ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia, qui vixit in monaſterio annos lxviiii. *Sec.* xv.

viii. kl. Nativitas Sancti Johannis-baptiſtæ. *Sol.*

M. cc. xl. O Jacomellus converſus hic ſepultus.

vii. kl. 1540. O ſoror Eliſabeth de Caſtellat.. monacha ſanctæ Chriſtinæ.

vi. kl. Sanctorum Johannis & Pauli mm.

v. kl. 1629. O rev. D. Junipera de Fuciis.

M. ccc. ii. O D. Jacobinus de Brigola.

M. cc. lxxvii. O D. Chriſtina monacha hic ſepulta.

iiii. kl. Sancti Leonis papæ & doctoris.

M. cccc. lxxx. O D. Samaritana de Avanciis monacha.

iii. kl. Sanctorum apoſtol. Petri & Pauli. *Sol.*

M. ccc. xlvii. O D. Azolina de Brigola.

ii. kl. Commemoratio Sancti Pauli Apoſtoli & Sancti Martialis.

JULIUS.

Kalendis. Octava ſancti Johannis-baptiſtæ.

Viſitatio B. Mariæ V. *Sec.* xvi.

vi. non. Sanctorum Proceſſi & Martiniani mm.

M. cc. lxxxxi. O D. Philippa monacha ſanctæ Chriſtinæ hic ſepulta.

M. cc. xxxi. O Imigla converſa.

iiii. non. A. D. M. ccc. xlviii. O D. Johanna de Brigola benefactrix ſanctæ Chriſtinæ.

1557. O D. Johannes de Balneo capellanus ſanctæ Chriſtinæ vir venerabilis & integerrimus. *Queſto ottimo padre è ſtato al governo delle ven. monache di ſanta Chriſtina ventiquattro anni e mezzo, e mediante la grazia di Dio ha laſciato queſto moniſtero nel più alto credito e nella miglior fama di qualunque altro moniſtero di Bologna, tale è ſtata la prudenza ſua & li ſuoi ottimi coſtumi. Mancò con dolore univerſale delle monache, della parrocchia e de' nobili della città.*

iii. non. O D. Cæcilia monacha S. Chriſtinæ hic ſepulta. *Sec.* xiv.

M. ccc. xxvi. O D. Benedicta converſa hic ſepulta.

ii. non. Octava Apoſtolorum Petri & Pauli.

1593. O D. Franciſcus a Lendenaria, qui xiv. annis gubernavit & rexit in temporalibus ſumma cum laude hoc monaſterium.

nonis. A. D. M. ccc. xxxv. O D. Belleza uxor Ghillini de Quercis de Bononia.

O Agnes converſa hic ſepulta. *Sec.* xiv.

viii. id. M. ccc. xlviii. O ſoror Milina converſa ſanctæ Chriſtinæ.

vii. id. M. cccc. viii. O D. Jacopa converſa hujus mon. & ſepulta eſt in ſancti Andreæ de Uzano.

M. cccc. xxxv. O ſer Lentius Fornarius & ejus uxor benefactores hujus monaſterii.

vi. id.

vi. id. Sanctæ Felicitatis & filiorum ejus mm.
M. cc. LXXXXV. O. D. Jacobina monacha hic sepulta.
1549. O D. Jacobus presbyter, qui reliquit huic monasterio libras CLXXVII. cum obligatione, quod moniales teneantur omni anno facere unum anniversarium septem Missarum, inter quas sit una in cantu. Sepultus est in ecclesia in arca monialium.
v. id. A. D. M. ccc. XLVIII. O D. Jacoba mater D. Christinæ.
M. ccc. XLVIII. O D. Bolognitus.
IIII. id. Sancti Johannis Gualberti & Sanctorum Naboris & Felicis.
M. cc. LI. O presbyter Zambobonus de sancta Christina.
M. cc. LXXXIII. O D. Bonaduce monacha hujus loci hic sepulta.
1604. die XIII. O soror Maria de Bertucciis conversa.
1615. die XIII. O D. Angelica de Malvetiis prope sexagenaria.
III. id. Sanctæ Margaritæ v. & m.
O Johannes fornarius hujus monasterii.
II. id. O Rodulfinus conversus.
idibus. SS. Quirici & Julittæ.
M. ccc. XLVIII. O D. Bixina commissa S. Christinæ.
M. ccc. LVI. O soror Margarita commissa hujus mon. hic sepulta.
XVII. kl. M. ccc. XLVIII. O soror Lucia conversa sanctæ Christinæ.
M. cc. LXVI. O D. Beatrix de Varignana monacha S. Christinæ.
XVI. kl. Sancti Alexii conf. *Sec.* XVI.
XV. kl. M. cccc. XVI. O D. Johanna commissa S. Christinæ veteris.
O D. Lucia Salvatoris de Foro-livio. *Sec.* XVI.
XIV. kl. O D. Jacoba monacha sancti Salvatoris de Foro-livio. *Sec.* XVI.
M. ccc. LXII. O F. Clarius conversus hujus monasterii sepultus in ecclesia sancti Andreæ.
XIII. kl. M. cc. LXXXXV. O D. Maria Pizola monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
O soror Margarita & soror Matthæa sorores monachæ novitiæ monasterii de Prato-veteri.
XII. kl. Sanctæ Praxedis v.
O D. Jacob monachus monasterii sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia sanctus vir & nobilissimus scriptor. *Sec.* XV.
O soror Bassa conversa hujus monasterii A. D. 1540.
XI. kl. Sanctæ Mariæ Magdalenæ.
O Rechelda conversa S. Christinæ.
O soror Catharina de Florentia & soror Benedicta de Florentia sorores moniales de Prato-veteri.

X. kl. Sancti Apollinaris episcopi & mart.
O Pellegrina monacha S. Christinæ hic sepulta. *Sec.* XIV.
VIIII. kl. M. ccc. XLVIII. O. D. Catharina de Blanchis monacha hic sepulta.
1555. O soror Faustina de Savignanis monacha sepulta in ecclesia de foris.
VIII. kl. Sancti Jacobi apostoli. *Sol.* & Sancti Christophori m.
M. ccc. XLVIII. O D. Ignatia monacha hic sepulta.
VII. kl. Sancti Pantaleonis m. & S. Annæ Matris V. M. *Sec.* XVI.
O D. Bernardus capellanus sanctæ Christinæ de Fondatia M. cccc. LVII.
VI. kl. M. cc. LXXXX. O D. Martina monacha hic sepulta.
M. cc. LXIII. O Boniolus conversus sanctæ Christinæ.
V. kl. Sanctorum Nazarii & Celsi mart.
1666. O D. Aurafelix de Clavarinis monialis annum agens 84.
IIII. kl. Sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini, Floræ, & Lucillæ mm.
O Cecha conversa sancti Andreæ de Uzano. *Sec.* XV.
O soror Francisca de Faventia monacha S. Maglorii. *Sec.* XV.
III. kl. Sanctorum Abdon & Sennen mm.
M. ccc. V. O soror Benvenuta conversa hic sepulta.
M. ccc. XLVII. O frater Neapoleo de Arientis pater D. Ignatiæ.
II. kl. M. ccc. XLVIII. O D. Uliana de Bechattellis monacha hic sepulta.
M. cccc. XXXVII. O D. Symon monachus sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia.

AUGUSTUS.

KAlendis Sancti Petri ad Vincula.
M. cccc. XII. O F. Johannes conversus sancti Andreæ.
IIII. non. Sancti Stephani papæ & m.
M. ccc. XXXI. O D. Masina de Fuscarariis monacha hic sepulta.
M. ccc. XLVIII. O D. Tregnana novitia sanctæ Christinæ.
III. non. Inventio Sancti Stephani protomart. & sociorum ejus.
1608. O D. Maria Capella Mutinensis, quæ libras centum monasterio sanctæ Christinæ legavit cum onere celebrandi pro anima sua singulis annis Missam conventualem in cantu.
II. non. M. cc. L. O D. Valeria monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.

M, ccc. xlvi. O F. Stephanus converſus ſanctæ Chriſtinæ & in civitate Smirnenſi ſepultus.

M.cccc,xxxvii.O D.Maurus mon. monaſterii S. Mariæ de Angelis.

M. ccc. xlviii. O D. Nicola capellanus ſanctæ Chriſtinæ hic ſepultus,

nonis. Sancti Dominici conf.

M. ccc. xxxvi. O D. Fantonus de Becadellis.

O D. Caroza converſa hujus monaſterii. *Sec.* xv,

1519. O D. Chriſtophorus capellanus hujus mon.

viii. id. Sanctorum Sixti, Feliciſſimi & Agapiti mm.

M. ccc. lxvi. O relig. Domina D. Thiſia ven. abbatiſſa hujus monaſterii.

M. ccc. lxii. O ſer Guido commiſſus hujus mon. ſepultus in eccleſia Sanctæ Andreæ de O. zano.

O D. Lucia monacha hujus mon. *Sec.* xv.

M. cccc. lxxiiii. O D. Laurentia monacha hujus mon.

1518. O ſoror Cæcilia de Righettis hic ſepulta.

vii. id. Sanctorum Donati & Hilariani mm.

M. ccc. lxii. O D. Riga commiſſa hujus mon.

vi. id. Sanctorum Cyriaci, Largi & & Smaragdi mm.

O D. Johanna de Salviatis de Florentia monacha monaſterii de Buldrone.

O Jacoba ſoror ſanctæ Chriſtinæ ſepulta in prædicto monaſterio M. cccc. xxiii.

iiii. id. Sancti Laurentii m.

1614. O rev. D. Coſtantia de de Dugliolis ſexagenaria.

1621. O D. Laura de Bochis monacha hujus mon.ętatis anno 56.

iii. id. Sancti Tiburtii m.

O Bonpetrus converſus ſanctæ Chriſtinæ & hic ſepultus.

O F. Petrus converſus monaſterii ſanctæ Mariæ de Angelis ſanctus vir, & coquus monaſterii annis l.

ii. id. M. ccc. lx. O F. Symon converſus hujus loci.

M. ccc. lxxxiii. O D. Johannes major eremi patruus domini generalis.

Idibus. Sanctorum Hippolyti & Caſſiani mm.

M. ccc. xxxi. O ſoror Saracina hic ſepulta.

M. cccc. xxxvii. O D. Benedictus monachus ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia,

M. ccc. xlviii. O Zanolla novitia S. Chriſtinæ hic ſepulta.

xix. kl. 1632. D. Artemiſia de Vidalis monacha hujus monaſterii.

O Petrus Ramfredi converſus hic ſepultus. *Sec.* xiii.

O D. Catharina converſa hujus monaſterii.

xviii. kl. Aſſumptio beatæ Virginis Mariæ. *Sol.*

xvii. kl. Sancti Rochi conf. *Sec.* xvi.

M. ccc. xlviii. O D. Bartholomæa monacha hic ſepulta.

O ven. pater D. Johannes prior monaſterii ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia. *Sec.* xv.

xvi. kl. M. ccc. v. O D. Bitina monacha hic ſepulta.

xv. kl. Sancti Agapiti m.

M. cc. lxx. O presbyter Cambius hic ſepultus.

xiiii. kl. M. cccc. xxviii. O D. Antonia de Primatitiis monacha hujus monaſterii.

xiii. kl. Sancti Bernardi abbatis conf. & doctoris.

1643. O D. Colomba Clavarina de Bononia monacha initio abbatialis dignitatis D. Paulæ Dotheæ de Vitalibus de Bononia.

xii. kl. O Ven. D. Arnoldus abbas monaſt. ſancti Petri de Rota M. cccc. xxxiii.

O F. Guitto fundator monaſterii ſanctæ Mariæ de Angelis, quod fundatum eſt anno Domini M. cc. lxxxx. *Sec.* xv.

xi. kl. Octava aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, & ſanctorum Timothei & Simphoriani mm.

M. cccc. li. O D. Thaddæus prior S. Damiani de Bononia,

M. ccc. O D. Symona monacha S. Chriſtinæ hic ſepulta.

O bonæ memoriæ Gregorius papa Nonus, qui cellam ſuam in eremo conſecravit. *Sec.* xv.

1548. O ven. mater D. Julia de Zanis abbatiſſa hujus monaſt.

x. kl. M. ccc. lxxxxv. O D. Catharina abbatiſſa monaſterii ſancti Johannis de Prato-veteri.

viiii. kl. Sancti Bartholomæi ap. *Sol.*

M. cccc. xxxvii. O D. Paulus monachus ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia.

O D. Euphroſinus monachus dicti monaſterii.

1608. O D. Octavianus de Anglario per annos xi. confeſſarius hujus monaſterii, inde abbas Claſſenſis.

viii. kl. Sanctorum Geneſii, Pontiani, Euſebii, Peregrini & Vincentii mm.

M. ccc. xxi. O Nanne de Brigola,

O Maria conv. hic ſepulta.

O D. Hieronymus monachus S. Mariæ de Angelis.

1576. O ſoror Lucretia de Zanis.

vi. kl. O D. Jacobus monachus S. Mariæ de Angelis.

1556 O ſoror Johanna converſa ſepulta in eccleſia de Foris.

v. kl. Sancti Auguſtini ep. & doctoris. *Sol.* & Sancti Mennæ m.

M. ccc. lxxxxviiii. O Georgina monacha hujus monasterii.
M. ccc. xlviii. O D. Johanna benefactrix sanctæ Christinæ hic sepulta.

iiii. kl. Decollatio sancti Johannisbaptistæ & sanctæ Savinæ virg.
M. cccc. xxx. O D. Thaddæa de Burgo-sancti-Sepulcri benefactrix hujus monasterii hic sepulta.
M. ccc. lxviii. O Ven. D. Johanna abbatissa Prati-veteris.

iii. kl. Sanctorum Felicis & Adaucti mm.
1538. O D. Seraphina de Bollettis abbatissa hujus monasterii.
O Margarita monacha hic sepulta.
M. cccc. xx. O Margarita de Uzano monacha hic sepulta.
O Bernardus de Uzano pater D. Margaritæ suprascriptæ hujus monasterii devotissimus benefactor.

ii. kl. M. ccc. lxxxxviiii. Obierunt D. Antonius de Venetiis, F. Michael de Venetiis & F. Marcus de Bononia omnes monachi sanctæ Mariæ de Angelis de Bononia.
1631. O D. Aurelia Cerbina de Pisis dierum plena.

SEPTEMBER.

Kalendis Sancti Ægidii abbatis & conf.
Nota quod Epacta & Indictio mutatur in Kalendis Septembris.
M. ccc. lxxi. O D. Sira de Blanchis benefactrix hujus loci.
M. cccc. liii. O ven. pater O Aloysius abbas Classensis.

iiii. non. M. cccc. xii. O D. Agnes de Uzano commissa hic sepulta.
M. ccc xvi. O D. Chatelina commissa S. Christinæ veteris.

iii. non. M. cc. lxxv. O D. Beatrix monacha sanctæ Christinæ.
M. cc. O D. Adelaxia uxor D. Cambii.
M. cccc. lxxi. O soror Anna conversa hujus monasterii.

ii. non. M. cccc. xvi. O ven. D. Lazarus de Venetiis prior sanctæ Mariæ de Balneo.
M. cccc. lxi. O D. Philippa de Dolfulis monacha hic sepulta.

nonis. M. cccc. xlix. O ven. pater D. Johannes abbas sancti Hilari de Galeata.

viii. id. M. ccc. xxxi. O D. Antonia monacha hic sepulta.
M. ccc. lxxxix. O D. Jacobus de Tarvisio capellanus hujus monasterii.
M. cccc. xxxi. O D. Bilia conversa hujus monast. hic sepulta.
O D. Cosmus de Bonamicis Volaterranus procurator hujus momonasterii, qui ad construendam novam ecclesiam plurimum laboravit. *Sec.* xvii.

vii. id. M. cccc. liii. O ven. pater D. Franciscus prior generalis Camald.
1548. O ven. soror Hippolita de Englesiis professa hujus monasterii sepulta de foris in arca monialium.

vi. id. Nativitas sanctæ Mariæ V. *Sol.* & sancti Adriani m.
O D. Beatrix monacha hic sepulta. *Sec.* xiv.
M. ccc. lxiii. O ven. pater D. Gualterius abbas sancti Michaelis de Pisis.
M. ccc. lxviii. O D. Dinus commissus monasterii istius, ibique sepultus.

v. id. Sancti Gorgonii m.
M. ccc. i. O D. Ghisaltruda monacha hic sepulta.
1595. viii. Sept. O D. Ludovicus a Balneo abbas sancti Nicolai de Urbe cum hoc monasterium sanctæ Christinæ rexisset annis quinque. Sepultus est in ecclesia de foris.

iiii. id. Sancti Nicolai de Tolentino. *Sec.* xv.
M. cc. lxxxxvi. O presbyter Grimaldus conversus hic sepultus.
M. cccc. xxxvii. O D. Laurentius prior claustralis monasterii sanctæ Mariæ de Angelis Florentiæ.

iii. id. Sanctorum Proti & Hiacynthi mm.
M. cccc. vii. O D. Jacoba de Boncompagnis monacha hic sepulta.
1530. O soror Eufrasia de Carlinis monacha hic sepulta.
1560. O D. Dionysius capellanus hujus monast. per biennium.
M. cccc. xxiii. O ven. vir D. Simon prior sancti Damiani de Bononia ibidem sepultus.

ii. id. M. cccc. xxiiii. O ven. pater D. Nicolaus abbas monast. S. Zenonis de Pisis.
M. cc. lxxxiiii. O Petrus conversus S. Christinæ hic sepultus.
M. cccc. lv. O Georgius de Lando noster familiaris hic sepultus.

idibus. Sancti Mamiliani abbatis & Conf. *Sec.* xv.
M. ccc. xi. O D. Burghina monacha hic sepulta.
O D. Johannes prior S. Firmi.

xviii. kl. Exaltatio sanctæ Crucis, & sanctorum Cornelii & Cypriani mm. *Sol.*
M. cccc. liii. O ven. pater D. Paschasius abbas sancti Ægidii de Burgo-sancti-Sepulcri ordinis Camald.
M. cccc. lxiii. O ven. pater D. Franciscus olim prior sanctæ Mariæ de Angelis de Bononia ordinis nostri.

xvii. kl. Octava Nativitatis Sanctæ Ma-

Mariæ & Sancti Nicomedis.
M. ccc. x. O Oraſai familiaris hujus loci.

xvi. kl. Sanctorum Luciæ, Euphemiæ & Geminiani mm.
M. cccc. lxiii. O D. Chriſtina abbatiſſa monaſt. ſancti Petri de Luco, necnon monacha ſanctæ Chriſtinæ.
1556. O D. Sebaſtianus de Riccis de Bononia monachus Camald. capellanus ſanctorum Coſmæ & Damiani, ibidem ſepultus.

xv. kl. M. cccc. xxviii. O F. Dominicus Niger de Ugiano converſus ſanctæ Chriſtinæ, ſepultus eſt hic.
1552. O D. Cæcilia de Rubeis de Faventia abbatiſſa hujus monaſterii hic ſepulta, profeſſa monaſterii ſancti Maglorii de Faventia.
1592. O ven. virgo ſoror Magdalena de Recordatis de Bononia.

xiiii. kl. O presbyter Ondedeus converſus iſtius loci.

xiii. kl. M. cccc. lxvi. O D. Mina converſa hujus monaſterii.
1552. O D. Cherubina de Bentivolis monacha hujus monaſterii ſepulta in eccleſia de foris.
O ſoror Paula de Gattis conv.

xi. kl. Sancti Matthæi Apoſtoli & Evang. *Sol.*
O ven. pater D. Gherardus abbas ſancti Hippolyti de Faventia. *Sec.* xiv.
M. ccc. ii. O D. Lucia monacha S. Chriſtinæ.
M. ccc. xliiii. O D. Fia monacha hic ſepulta.
M. ccc. lxxxix. O ſoror Johanna novitia hujus monaſterii.

x. kl. Sancti Mauritii cum ſociis ſuis.
M. cccc. x. O F. Jacobus conv. ſancti Andreæ.
1584. xviii. Sept. O rev. pater D. Michael-angelus de Eſte viſitator ordinis ſepultus in ſancto Blaſio de Fabriano.

viiii. kl. Sancti Lini papæ.

viii. kl. 1644. O Johanna de Canutis converſa hujus monaſterii.

vii. kl. M. cccc. xxxiii. O D. Johannes prior eremi Vivi.
M. ccc. xi. O F. Severinus converſus S. Chriſtinæ hic ſepultus.
M. cccc. xxxv. O ven. pater D. Antonius de Ferro, dudum generalis ordinis, tunc abbas S. Mariæ de Vangadicia.
M. cccc. lxxxxviii. O ven. mater D. Muzula de Saloſmeis de Florentia ven. abbatiſſa hujus ſacri monaſterii. Vixit abbatiſſa per annos xxxi.

vi. kl. M. cc. lxxiii. O D. Guida monacha hic ſepulta.
1641. die vi. Sept. O ſoror Hieronyma de Lombardis Bononienſis.

v. kl. Sanctorum Coſmæ & Damiani mm.
M. cccc. lx. O D. Benedicta abbatiſſa ſancti Maglorii de Faventia.
M. cccc. lxxxxviiii. O Pina converſa hic ſepulta.
1597. O D. Seraphina de Liliis monacha hujus monaſterii.

iiii. kl. M. cc. lxxxiv. O D. Maria de Ugiano monacha hic ſepulta.
1558. O rev. pater D. Hippolytus de Novaria generalis meritiſſimus totius ordinis.

iii. kl. Dedicatio S. Michaelis. *Sol.*
M. cce. lxxxxviiii. O ven. pater D. Michael abbas S. Zenonis de Piſis.

ii. kl. Sancti Hieronymi prebyteri conf. & doctoris. *Sol.*
M. ccc. viii. O D. Raynerius abbas Claſſenſis.
M. ccc. lxxxix. O Bartholomæa monialis hujus monaſterii.
M. cccc. xxxix. O Pecininus & D. Johanna ejus uxor ambo hujus monaſterii devotiſſimi.

OCTOBER.

Kalendis Sancti Remigii ep. conf. & doctoris.

v. non. M. ccc. l. O D. Jacobus de Poetis prior ſanctæ Mariæ de Camaldulino de Bononia.

iiii. kl. Sancti Franciſci conf. & Sancti Petronii ep. & conf.
M. cccc. x. O in civitate Paduæ ven. pater D. Honuphrius prior generalis ordinis noſtri, & ſepultus eſt in eremo.
M. cccc. xxviii. O F. Guido converſus ſanctæ Chriſtinæ. Sepultus eſt hic.

iii. non. Sanctorum Placidi & ſociorum ejus.
M. ccc. O Salvitus converſus S. Chriſtine hic ſepultus.
O D. Conſtantia monacha hic ſepulta.

ii. non. 1586. O D. Alexandra de Lambertinis monacha hujus monaſterii hic ſepulta.
M. cc. lxv. O D. Ymigla abbatiſſa S. Chriſtinæ hic ſepulta.
M. ccc. xxx. O D. Michael presbyter converſus.
1590. iv. nonas Octobris. O ſoror Scholaſtica de Spetiis monacha.
O ſoror Franciſca de Malatendis converſa viii. idus octob.
1648. O D. Pantaſilea de Tobaleis monacha ſub abbatiſſa Deodata Leonia.

nonis. Sanctorum Marcelli, Apuleii, Sergi & Bacchi mm. & ſancti Marci papæ m.
O D. Hieronymus monachus S. Mariæ de Angelis de Florentia frater domini generalis noſtri A. D. M. cccc. xxxiii.

viii. id. Sanctæ Reparatæ V.

M. ccc. lxxxviiii. O ven. mater D. Bartholomæa de Senis abbatissa hujus monasterii.
Item dicto millesimo O honesta & religiosa D. Zana de Caldarinis de Bononia.
M. cccc. xviiii. O D. Johanna monacha hujus monasterii.
M. cccc. xlv. O Jacobus conversus hujus monasterii.
1648. O soror Magdalena conversa.

vii. id. Sanctorum Domnini, Rustici, Dionysii & Eleutherii mm.
M. ccc. lxxxxviiii. O ven. pater D. Silvester prior monast. Angelorum de Florentia & D. Franciscus monachus dicti monasterii.

vi. id. Sancti Cerbonii episcopi & conf.
M. ccc. viii. O Ermelina mater abbatissæ Agnetis hic sepulta.

v. id. O Ermelina conversa hic sepulta.

iiii. id. O Marchio de Barzellinis & uxor ejus Dorothea, quorum animæ & omnium suorum per Dei misericordiam requiescant in pace.

iii. id. M. cc. iiii. O D. Anselicia monacha hic sepulta.

ii. id. Sancti Calixti papæ & mm.
O D. Octa conversa. *Sec.* xiv.

idibus. O ven. pater D. Matthæus de Corniolo monachus eremita eremi Camaldulensis.

xvii. kl. Sancti Galli abbatis & conf.
M. cccc. xviii. O D. Burghina conv. hujus monasterii.
1586. O ven. D. Helena de Panzachis monacha hic sepulta.

xvi. kl. M. cc. lxxxv. O D. Beatrix monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
1633. O soror Dorothea de Bononia sepulta in ecclesia nova.

xv. kl. Sancti Lucæ Evang. *Sol.*
M. ccc. lxii. O D. Margarita monacha hic sepulta.
M. cccc. xxxiiii. O F. Dominicus conversus hujus monasterii, & est sepultus in sancta Christina veteri.
1620. O soror Ester de Nobilibus monacha & sepulta fuit in ecclesia nova.

xiv. kl. M. ccc. lxxiii. O soror Ursulina monialis hic sepulta.
M. cccc. xxx. O F. Guido conversus hujus monasterii, & est sepultus in S. Christina veteri.

xiii. kl. M. ccc. lxxxix. O D. Ursulina monialis istius monasterii.
M. cccc. xxxix. O prælatorum diadema, virque in orbe singularissimus D. Ambrosius prior generalis Camaldulensis, cujus anima in pace quiescat. Sepultus est in eremo.
1541. O soror Ludovica de Grassis monacha hujus monasterii.

xii. kl. S. Hilarionis abbatis & conf.
Sanctæ Ursulæ cum sociabus suis. *Sol. Sec.* xv.

xi. kl. M. cccc. vii. O soror Antonia conversa hic sepulta.
1571. O soror Antonia conversa hujus monasterii.

x. kl. 1591. O soror Barbara ab Auro, quæ fuit abbatissa hujus monasterii.
M. cccc. xxii. O ven. pater D. Augustinus prior monast. sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia.

viiii. kl. S. Maglorii ep. & conf.
M. cccc. xxxviii. O D. Anna de Panzachis monacha professa hujus monasterii.
O Bernabous & D. Bartholomæa uxor ejus benefactores hujus monasterii.

viii. kl. Sancti Miniatis cum sociis suis.
O D. Martinus ven. prior Camaldulensis.
O Donay conversus istius loci.
M. cccc. lxvii. O ven. mater D. Maria de Bellossis abbatissa hujus monasterii.

vii. kl. M.cccc.xxii. O in civitate Ravennæ ven. pater D. Raphael prior generalis ordinis nostri, & sepultus est in eremo Camaldulensi.

v. kl. Sanctorum apostolorum Simonis & Judæ. *Sol.*

iiii. kl. O Bonafides conversus S. Christinæ hic sepultus.

iii. kl. S. Geminiani ep. & conf.
M. cccc. xxxiii. O F. Jacobus conversus sanctæ Christinę hic sepultus.

ii. kl. Vigilia Omnium Sanctorum.
M. cc. lxxxv. O D. presbyter Rolandinus.

NOVEMBER.

KAlendis. Commemoratio omnium Sanctorum, & sancti Cæsarii m. *Sol.*
O Antonius conversus S. Christinæ. *Sec.* xv.
O Rolandinus filius . . . . . comitis. *Sec.* xiv.
M. cc. lxxxxi. O D. Imigla monacha hic sepulta.
1509. O D. Helena de Barzelinis monacha hic sepulta.

iiii. non. M. cccc. xxii. O D. Symon monachus monasterii sanctæ Mariæ de Angelis.
M. cc. lxxxxvii. O D. Frigdianus vener. prior Camaldulensis.
M. cccc. lvii. O ven. D. Margarita monacha hic sepulta.

iii. non. M. ccc. lxxxix. O Margarita de Settesunti conversa hujus monasterii.
M. ccc. lxxxxviiii. O ven. pater D. Vitalis abbas monasterii de Insula ordinis Camaldulensis,

lenſis, & Tiza converſa dicti monaſterii.

II. non. Sanctorum Vitalis & Agricolæ mm.

M. CC. LXXI. V. kalend. . . . . O D. Eliſabeth hic ſepulta.

M. CCC. XLI. O ſoror Charmundina commiſſa ſanctæ Chriſtinæ hic ſepulta.

1578. O D. Magloria de Fantuciis, quæ fuit abbatiſſa hujus monaſterii, in quo vixit per quadraginta annos.

nonis. M. CC. LXXIV. O D. Codiginus benefactor iſtius loci hic ſepultus.

VIII. id. Sancti Leonardi conf.

M. CCCC. XVII. O D. Lipa de caſtro Montis-veteris benefactrix monaſterii ſanctæ Chriſtinæ hic ſepulta.

M. CCCC. L. O vener. mater D. Bartholomæa de Tachonibus abbatiſſa hujus monaſterii.

VII. id. M. D. LXXIII. Translatio reliquiarum beatæ Luciæ ordinis Camaldulenſis ab eccleſia Septifontis ad eccleſiam ſancti Andreæ de Ugiano.

VI. id. Sanctorum Quatuor Coronatorum mm.

V. id. Sancti Salvatoris. *Sol.* & Sancti Theodori m.

O Ricolo commiſſus benefactor hujus loci hic ſepultus.

M. CCCC. LXXXVII. O D. Thaddæa de Malvitiis monacha hic ſepulta.

III. id. Sancti Martini ep. & conf. *Sol.* & Sancti Mennæ m.

M. CCC. LXVIII. O Guiditio converſus ſanctæ Chriſtinæ.

1612. O ſoror Felix converſa hujus monaſterii.

II. id. 1588. O D. Perpetua de Cintio, quæ fuit abbatiſſa hujus monaſterii & vixit 73. annos.

Idibus. Sancti Britii conf. *Sec.* XVI.

M. CCC. XIX. O D. Clara monacha |S Chriſtinæ hic ſepulta.

M. CCCC. XXXIII. O ven. pater D. Euſtachius abbas Vallis-caſtri.

XVIII. kl. M. CC. LXXXXV. O D. Orabele abbatiſſa ſanctæ Chriſtinæ hic ſepulta.

O ſoror Prudentia de Bolognettis monacha hujus monaſterii 1591.

1608. O ſoror Johanna converſa hujus monaſterii.

1609. O ſoror Clara converſa.

XVII. kl. M. CCC XXVI. O D. Anſelicia converſa hic ſepulta.

XV. kl. O D. Antonius de Cæſena prior monaſterii S. Petri de Mucchio. *Sec.* XIV.

XIIII. kl. Sancti Frigdiani ep. & conf.

M. CCC. XXI. O Dionyſius abbas Claſſis.

O D. Antonius de Gambaſſo hoſpitalarius hoſpitalis ſancti Frigdiani de Piſis. M. CCCC. XXXVIII.

XIII. kl. M. CCC. XIX. O D. Maria filia D. Cambii medici monacha S. Chriſtinæ hic ſepulta.

1584. O D. Camilla de Zullinis monacha hujus monaſterii anno ætatis 59.

XII. kl. M. CCC. XVII. O D. Benvenutus capellanus ſancti Andreæ.

1647. O ſoror Benedicta conv.

XI. kl. M. CCC. XXII. O D. Fayta converſa hic ſepulta.

M. CCC. XL. O D. Mona de Bechadellis monacha S. Chriſtinæ hic ſepulta.

X. kl. Sanctæ Cęciliæ V. & M.

M. CCC. XC. O rev. pater D. Hieronymus de Uzzano ſanctæ Camaldulenſis eremi prior & totius ejuſdem ordinis generalis & ſepultus eſt in monaſterio ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia.

M. D. XXXXV. O ſoror Scholaſtica de Cintio monacha hujus monaſterii, & ſepulta eſt in archis veterjbus.

VIIII. kl. Sancti Clementis papæ & m. ſancti Columbani abbatis, & ſanctæ Felicitatis m.

M. CCC. XLVI. O D. Benedicta monacha hic ſepulta.

VIII. kl. Sancti Chriſogoni m.

M. CCCC. XLI. O ven. D. Dominicus abbas ſancti Petri de Rota.

VII. kl. Sanctæ Catharinæ V. & M. & ſancti Proſperi epiſc. & doctoris.

1595. O D. Lucidaria Bocchia quæ fuit religioſiſſima abbatiſſa hujus monaſterii.

1545. O ſoror Angela de Moglio prioriſſa hic ſepulta, ideſt in capitulo.

VI. kl. M. CCCC. LII. O religioſa D. Bartholomæa de Poetis monacha hic ſepulta.

1551. O D. Domitilla Felix monacha ſub abbatiſſa D. Paula de Vitalibus.

V. kl. Sancti Jacobi intercisi m.

M. CC. LXXXVI. O D. Villana monacha hic ſepulta.

M. CCCC. LXXXVI O D. Jacoba de Manzolinis monacha ſanctæ Chriſtinæ.

1654. O D. Victoria Seraphina Pielli monacha hujus monaſterii.

IIII. kl. M. CCC. XXIX. O D. Mea filia D. Johannæ de Brigola.

O D. Thomas ſancti Hippolyti de Faventia.

M. D. LXV. O D. Domitilla de Paſiis ſanctimonialis hujus monaſterii.

III. kl. Sanctorum Chriſanti & Dariæ m. & S. Saturnini m.

1608. O Soror Boniſacia a Ruvere converſa plena dierum.

II. kl. Sancti Andreæ apoſt. *Sollem.*

M. CCC. LX. O F. Ricardus converſus hujus monaſt. hic ſepultus.

Ad

Ad inveniendum Adventum versus.

Tres præcedentes Andream, tresque sequentes Dies Adventum Domini limitem tenent.

D E C E M B E R.

kl. M. cc. lxxxii. O Magister Cambius benefactor istius loci.
M. ccc. xl. O Soror Marchisina benefactrix monasterii sanctæ Christinæ hic sepulta.

iii. non. M. ccc. xxx. O D. Jacoba monialis sanctæ Christinæ de Fundatia hic sepulta.
1559. O D. Junipera de Bentivolis hujus monasterii monialis hic sepulta.

ii. non. Sanctæ Barbaræ v. & m.

viii. id. Sancti Nicolai ep. & conf. *Sollem.*
M. cccc. xxxviiii. O D. Lucia monacha hujus monasterii.

vii. id. Sancti Ambrosii ep. & doctoris & sancti Savini ep. & m. *Sollem.*
M. ccc. xiiii. O D. Thomasinus Fornarius benefactor hujus loci.

vi. id. Sancti Zenonis ep. & conf. & Conceptio sanctæ Mariæ V. *Sec.* xvi.

v. id. Sancti Syri ep. & conf.

iiii. id. M. ccc. xxxi. O ven. Mater D. Mina abbatissa hujus monasterii.
M. ccc. xxxiiii. O ven. Mater D. Magdalena abbatissa hujus monasterii.

iii. id. Sancti Damasi papæ & conf.
O D. Cecha conversa sancti Andreæ de Uzano.
1562. O Magister Bartholomæus Gatto, alias Bisano, qui huic nostro monasterio reliquit quoddam prædiolum, ideo pro ejus anima rogare Deum tenemur, quolibet anno Missam unam majorem celebrando.
1659. O D. Juliana de Glavarinis priorissa, cum fuerit prius abbatissa, annum agens 71.

idibus. Sanctæ Luciæ v. & m.
M. cc. lviii. O D. Agnes monacha hic sepulta.
M. cccc. i. die xiiii. decemb. O D. Catharina de Avantiis monacha hic sepulta.

xix. kl. M ccc. iiii. O D. Margarita hic sepulta.

xviii. kl. O Colabona conversa monasterii sanctæ Christinæ veteris. *Sec.* xv.
M. cccc. lxxxxii. O D. Tesia de Scappis conversa sanctæ Christinæ.
1619. xiii. decemb. O D. Alphonsina novitiarum magistra.

xvii. kl. Sancti Floriani. *Sec.* xvi.
M. ccc. lii. O ven. D. Orabilis de Blanchis benefactrix sanctæ Christinæ hic sepulta.

xvi. kl. O Christina monacha hujus loci hic sepulta.

xv. kl. M. cc. lxi. O Catharina monacha hic sepulta.
M. cccc. xiiii. O Christophorus capellanus hujus monasterii hic sepultus.

xiii. kl. 1645. O D. Angela M. Zambeccaria sanctimonialis professa sanctæ Christinæ.

xii. kl. M. cc. lxxxxi. O D. Johanninus Boncompagni benefactor hujus loci hic sepultus.
M. ccc. lxxxv. O D. Rodulphus hic sepultus.
M. cccc. lxxxxii. O ven. virgo soror Sancta de Balneo monacha hujus monast.

xi. kl. O Bartholus conversus hujus loci. *Sec.* xiv.

x. kl. O D. Jacoba monacha hujus monast. die xx. decemb. 1600. O soror Bartholomæa conversa.

viiii. kl. M cc. lxxx. O D. Zacharia monacha sanctæ Christinæ hic sepulta.
1521. O Soror Christina conversa hic sepulta.

viii. kl. Nativitas Domini. *Sollem.* & sanctæ Anastasiæ m.
M. ccc. xlviii. O F. Guido conversus sanctæ Christinæ hic sepultus.
O F. Johannes de monasterio Angelorum. *Sec.* xv.

vii. kl. Sancti Stephani protom. *Sol.*

vi. kl. Sancti Johannis apost. & evang. *Sollem.*

v. kl. Sanctorum Innocentum.
1563. O D. Deodata Bocchia monacha hujus monasterii ætatis suæ xxxi.

iiii. kl. Sancti Thomæ archiep. & m.
M. ccc. lxxx. O D. Zanna monacha hic sepulta.

iii. kl. M. ccc. xlviiii. O D. Catariza de Mezzovillanis monacha hic sepulta.
M. cccc. lxvii. O D. Betisia conversa hic sepulta.

ii. kl. Sancti Silvestri papæ & conf.
1632. O Soror Ludovica de Fabris oblata.

E X C E R P T A

Ex Necrologio monasterii S. Johannis-evangelistæ de Prato-veteri diœcesis Fesulanæ.

Ex codice ejusdem parthenonis.

J A N U A R I U S.

i. Obiit D. Johannes de Castello heremita sanctæ Camaldulensis heremi.

vi. O Jacobus Ubertus heremita, Aldebrandus, Albertinus.
O Ven. mater D. Magdalena de Bardis Florentina dignissima abbatissa hujus monasterii sub anno M. cccc. lxiiii. regnavit autem xxxiiii. annis.

vii. O Martinus, Rusticus, Benedictus mon. Dominicus.

VIII. O Manfredus, Acto, Betta, Leonardus.
VIIII. O Gregorius monachus, Ildibrandus, Johannes, Matthæus.
X. O Jacobina, Ubaldus, Mathias, Nicoletta.
XI. O Berta, Martinella, Ventura, Albertinus, Justina.
O Ven. P. D. Johannes prior sanctæ Camald. heremi & totius ejusdem ordinis generalis dignissimus sub anno Domini M. CCC. LXXXVII. regnavit XL. annis.
XII. O Petrus, Laurentius, Galganus, Dolcebone.
XIII. O Bonus, Stephanus, Guido, Guilielmus, Berardus.

F E B R U A R I U S.

V. OBIIT Ven. D. Gostanza mon. hujus monasterii.
X. O Soror Gostanza de Camillis de Florentia A. D. 1603.
XVIII. O Ven. P. D. Philippus prior dignissimus sanctæ Margaritæ de Thosina, qui fuit pater valde laudabilis, & sui prioratus ædificator maximus, & hujus monasterii benefactor egregius sub anno Dominicæ incarnationis M. CCCC. LXXVI. cuius anima requiescat in pace. Amen.

M A R T I U S.

V. OBIIT Soror Margarita de Florentia monacha hujus monasterii 1538.
Post monas martii ubi sit nova Luna requiras,
Quæ postquam fuerit bis septima Pascha parabit.
XI. O Ven. P. D. Bartholomæus abbas de monasterio Burgi S. Sepulcri. Regnavit annis XL.

A P R I L I S.

VIII. OBIIT Ven. P. D. Gerardus prior Camald. sub A. D. M. CC. LXXXXI. Regnavit annis XVI. & mensibus VI.
O Ven. P. D. Jacobus abbas monasterii de Pozeuli M. CCC. XXIII. indictione VI.
VIIII. O Soror Ginevra de Salviatis de Florentia mon. hujus monast. 1609.
XIII. O Ven. mater D. Maria Angelica de Fantonis de Stia sub A. D. 1638. in die veneris sancti ad horam nonam in medietate Missæ Passionis, cum multis bonis operibus plena anno ætatis suæ XL.
XVIIII. O Ven. D. mater Elisabeth de Romolis de Florentia priora dignissima hujus monasterii A. D. 1579.
XX. O Ven. P. D. Andreas prior sacræ Camald. heremi & totius ordinis generalis dignissimus.
XXI. O Ven. mater D. Maria Francisca de Fantonis de Stia mon. hujus monast. 1622.
XXII. O Ven. mater D. Innocentia de Prato-veteri mon. hujus monast. 1574.

M A J U S.

XXII. OBIIT Ven. mater D. Soror Clementia de Cianis de Florentia 1567.

J U N I U S.

VI. OBIIT D. Agatha ven. abbatissa hujus monast. A. D. M. CCCC. XXI.

J U L I U S.

XI. TRANSLATIO sancti Benedicti abbatis.
XVIII. O Ven. P. & D. D. Antonius abbas monast. Uranensis A. D. M. CCCC. XXI.
XXV. O D. Johannes abbas sancti Hilari. M. CCCC. XLIX.
O Rev. mater D. Bartholomæa de Guiducciis de Florentia abbatissa hujus monasterii sub anno Domini M. D. XXV. die XXV. julii hora VI. noctis, præfuit autem monasterio annis XVI.
XXVIII. Anno Domini M. CCCC. VII. O Ven. P. D. Gerardus prior Camald.

A U G U S T U S.

VIII. OBIIT Ven. D. Catharina mon. hujus monast.
XIIII. Anno Domini M. CC. LXXXXVII. indictione X. O Ven. P. D. Anselmus prior Camald. qui regnavit . . . . sex.
XXVIII. O Ven. mater D. Mariotta de Calvanis dignissima abbatissa hujus monasterii. A. D. 1554.

S E P T E M B E R.

III. OBIIT D. Dianora Vincilagii de Bardis abbatissa hujus monast. anno M. CCCC. LXXXXIII. indictione XIII. mense septembris, & regnavit in hoc monast. abbatissa per annos XXXII. & Confessori suum obitum prænuntiavit.
VI. O D. Agnes ven. abbatissa hujus monasterii A. D. M. CCCC. XXX.
VIII. O Ven. P. D. Franciscus prior sacræ Camald. heremi, & totius ejusdem ordinis generalis dignissimus sub A. D. M. CCCC. LXXXIII. regnavit X. annis.
X. O D. Martinus prior Camald.
XXXIII. O M. CCCC. LIIII. Ven. P. D. Protasius abbas monasterii Burgi S. Sepulcri, regnavit annis XXII.

O C T O B E R.

III. OBIIT D. Bartholomæus de Burgo S. Sepulcri abbas sancti Decentii A. D. M. CCCC. XXXIII.
VII. O Ven. mater D. Magdalena dignissima priorissa hujus monast. A. D. 1553.
XXI. O Soror Margarita de Stia de A. D. M. CCCC. LXII.
XXIII. Dedicatio hujus ecclesiæ. M. CC. XV.
O Rev. P. D. Raphael de Boncianis generalis totius ordinis A. D. M. CCCC. XXII. Ravennæ, vir bonæ religionis, & sacrarum literarum peritissimus.
XXVII. O Ven. mater D. Dianora Decani monacha hujus monasterii 1568.

N O V E M B E R.

III. OBIIT M. CC. LXXXXVII. indictione X. Ven. D. Frigdianus prior heremi Camald. & ordinis universi.
IIII. O Ven. mater D. soror Eugenia de Rinaldis de Florentia 1567.
XXII. O Ven. D. Domitilla Altoviti de Florentia dignissima abbatissa hujus monast. 1587.
XXIII. O Rev. P. D. Hieronymus de Uzano generalis totius ordinis A. D. M. CCC. LXXXX. sepultus est Florentæ in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis.
XXVIIII. O Ven. D. Catharina de Raddis de Florentia abbatissa hujus monasterii 1520.

D E C E M B E R.

XIII. OBIIT Ven. D. Sandra hujus monasterii soror anno M. CCCC. LXXXXIV. ætatis XXIII.



INDEX
RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO SEPTIMO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Numeri, quos non præcedit litera A, ad ANNALES pertinent, quos vero litera A præcedit, ſpectant ad APPENDICEM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem deſignant.

A

corpus

B

C

ad

D

E

F

Fosca-

G

SS. Ger-

H

L

M

N

O

P

Plani-

Q

Sczy-

T

X

Z

FINIS.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparellla* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gio: Battista Pasquali Stampator di Venezia*, che possi esser Stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. li 25. Marzo 1758.

(Gio: Emo Proc. Ref.
(
(Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a Carte 33. al Num. 270.

Giacomo Zuceato Segr.

Adi primo Aprile 1758.
Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degl' Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segr.


Per nosmetipsos typographica errata in manu impressis formis bis & ter corrigere maluimus; nihilo secius vel inolito typothetarum vitio irrepserunt, vel diligentiam nostram fugere eorum aliqua, quorum præcipua hic subjicimus.


Errata in Annalibus.


Pag. 14. *lin.* 45. nupere merat *lege* nuper emerat
Pag. 22. *lin.* 1. eruditis *lege* eruditi
Pag. 23. *lin.* 21. Venerio *lege* Venerii
Pag. 34. *lin.* 23. Venetias *lege* Venetiis
Pag. 36. *lin.* 36. adeuntes *lege* abeuntes
Pag. 47. *lin.* 10. Gasparum *lege* Gasparem
Pag. 49. *tin.* 48. socii *lege* sociis
Pag. 111. *lin.* 29. deliberando *lege* de liberando
38. fit *lege* sit
Pag. 125. *lin.* 1. scrupolosæ *lege* scrupulosæ.
Pag. 137. *lin.* 9. essent *lege* esse
Pag. 158. *lin.* 6. Camerinensium *lege* Caminensium
Pag 199. *lin.* 39. infirmari *lege* infirmarii
Pag. 212. *lin.* 45. quod *lege* quæ
Pag 223. *lin.* 28. erit *lege* erit referre
Pag. 235. *lin.* 31. 1441. *lege* 1451.
Pag. 250. *lin.* 21. ; *lege* ,
Pag. 253. *lin.* 16. plisphærium' *lege* planisphærium
Pag. 279. *lin.* 9. di *lege* de
Pag. 291. *lin.* 5. Bernardum *lege* Berardum
Pag. 302. *ad oram* repestis *lege* re pestis
Pag. 314. *lin.* 46. sext aprilisso *lege* sexto aprilis
Pag. 317. *lin.* 8. ut, *lege* ut
Pag. 330. *lin.* 10. accepimus. *lege* accepimus
Pag. 354. *lin.* 31. potentibus *lege* petentibus
Pag. 370. *lin.* 48. *expiraßee* lege *expiraße*
Pag. 395. *lin.* 10. sibi *lege* tibi
lin. 36. *dele* Julius II. *usque* Pancole
Pag. 411. *lin.* 39. si circulus *lege* circulus
Pag. 413. *lin.* 22. De- *lege* Deo
Pag. 425. *lin.* 2. regionem *lege* regimen


Errata in Appendice.

Col. 35. *lin.* 27. designamus & deputamus *lege* designavimus & deputavimus
Col. 48. *lin.* 47. vacatum *lege* vocatum
Col. 66. *lin.* 26. potuerit *lege* potuerint
Col. 95. *lin.* 10. informati *lege* informari
Col. 112. *lin.* 40. ipso *lege* ipsi
Col. 130. *lin. ult.* mandati *lege* mandari
Col. 181. *lin.* 24. contemptpo *lege* contempto
Col. 220. *lin.* 32. *Idem* lege *Innocentius* VIII.
Col. 272. *lin.* 4. 1506. *lege* 1507.
Col. 315. *lin.* 25. locus *lege* locum
Col. 317. *lin.* 22. qui *lege* que
Col. 324. *lin.* 57. eremum *lege* eremus













ANNALES CAMALD. ORDINIS S. BENEDICTI.

TOM. VII.





